Reserve
31230

# CÆREMONIALE EPISCOPORUM

*IN DUOS LIBROS DISTRIBUTUM.*

CLEMENTIS VIII. ET INNOCENTII X.

AUCTORITATE RECOGNITUM.

A BENEDICTO XIII.

*IN MULTIS CORRECTUM.*

Nunc vero primum Commentariis illustratum.

AD SANCTISSIMUM PATREM

BENEDICTUM XIV.

PONTIFICEM MAXIMUM.

TOMUS I.

*Enarrationem Libri I. comprehendens, in qua varii sacri Canones, Romani antiqui Ordines, particularium Ecclesiarum vetera, ac nova Cæremonialia, itemque innumera pene sacrarum Congregationum Decreta citantur, adjunctis Legibus, & Institutis Cæremonialibus Regnantis Papæ jussu nuper Romæ editis pro Provinciarum Præsidibus, Gubernatoribus Prælatis, & Apostolicis Vice-Legatis, cum Figuris æneis &c.*

CURA ET STUDIO

JOSEPHI CATALANI PRESBYTERI.



ROMÆ, MDCCXLIV.

Typis Antonii de Rubeis apud Pantheon in via Seminarii Romani.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

# SANCTISSIMO PATRI
# BENEDICTO XIV.
# PONTIFICI MAXIMO.

JOSEPHUS CATALANUS
S. P. D.

*Ortasse, ni fallor,* BEATISSIME PATER, *ego omnium minimus, primus omnium sum, qui audeam quinto novum parvi ingenii mei fœtum* SANCTITATI TUÆ *dedicare. Cæremoniale, in-*



Digitized by Google

*quam, Episcoporum, Clementis VIII. primum, deinde Innocentii X. tum vero denuo Benedicti XIII. auctoritate recognitum, & emendatum, quod summo plane labore, & incredibili celeritate Commentariis conatus sum illustrare, & multa impensa publici juris facere, solo illius fretus auxilio, cujus Tu vices geris in terris, & qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Arduam provinciam subii,* BEATISSIME PATER, *quam Tu tamen mihi visus es, humeris meis imponere, quum singulari benignitate, qua bona studia, eorumque cultores complecteris, longo elogio alia mea Opera commendasti, præsertim vero duo Commentariorum Volumina in octo prima Concilia Oecumenica, ac tria pariter illa, quibus non ita pridem Pontificale Romanum, Opus a nullo adhuc tentatum, ea qua potui diligentia explicavi. Expeditus itaque sola divina ope a tot studiis meis, atque laboribus, Cæremoniale Episcoporum aggressus sum illustrare, Opus & ipsum a nullo tentatum, & studium prioribus profecto laboriosius, longeque difficilius, tum propter incertam ejus rei disciplinam, lateque per multa capita vagantem, tum etiam ob frequentem Cæremoniarum additionem, diminutionem, variationem, ac pro tempore multiplicem mutationem. Hasce difficultates, quas in ordinando Libro sacrarum Cæremoniarum, quibus Romani Pontifices uti consuevere, expertus est aliquando doctissimus Episcopus Pientinus, Apostolicarum olim Cæremoniarum Magister, Augustinus Patricius, ut idem testatur in Epistola ad Innocentium Papam VIII. jam nulli ego parcens labori, longis vigiliis, ac assidua lectione Librorum superare studui,*

*ubi*

Digitized by Google

*ubi mihi in animo fuit enarrationem tentare Cæremonialis Episcoporum, quod novissime sanctæ memoriæ Benedictus XIII. in multis emendavit, cæterisque obliteratis, sua Pontificia auctoritate munivit. Fateor,* BEATISSIME PATER, *audaciam meam. Nam quum Augustinus ipse Patricius, teste Viro Clarissimo Paride Crasso, plures annos Magistratum Cæremoniarum egregie, & scite exercuisset, a laudato Innocentio VIII. ab hujusmodi Magistratu vacatione accepta, eisdem tamen stipendiis, quibus Romæ abunde auctus fuerat, Senas tanquam in secessum literarium ad Romanæ Ecclesiæ Cæremonias in Librum colligendas missus, laboravit triennio Vir gravis, & summæ experientiæ, ac demum incredibili studio, & exacta diligentia absolutum Librum ejusdem Pontificis Nomini dedicavit. Contra ego,* BEATISSIME PATER, *nulla doctrina, experientiave sacrarum Cæremoniarum præditus, nullis stipendiis tanto explicando, atque edendo Operi, quale est Cæremoniale Episcoporum, necessariis adjutus, non secessu, nec triennii curriculo usus, Opus immensum, quod in duo distribui Volumina, aggressus sum, cujus etiam ingentes, ac multiplices difficultates, ne* SANCTITATI TUÆ *longa earum narratione molestus sim, reticere censui, contentus easdem indigitasse in Præloquio ad Lectorem. Quæ me autem causæ impulerint ad dedicandum Tibi hoc novum Opus, perspectæ plane omnibus sunt. Cui enim alii, quam Tibi Episcoporum Episcopo Cæremoniale Episcoporum nuncupari debuit? Quod etiam quum pene totum compactum sit ex Cæremoniali tuæ Apostolicæ Sedis, atque ex illo insignis*

*Ec-*

Digitized by Google

*Ecclesiæ tuæ Bononiensis Cæremoniarum Libro, quem summo studio concinnavit doctissimus Apostolicarum olim Cæremoniarum Magister, ac Pisaurensis Episcopus, Patriæ tuæ Scriptor eximius, Paris de Crassis, ut passim in Commentariis meis ostendam, jure ac merito Tibi illud nuncupo, qui plurium Decessorum exempla sequutus, una cum Apostolica Sede, cui præsides, Bononiensem etiam Ecclesiam tenes. Sed ut omittam,* BEATISSIME PATER, *Leges, & Cæremonialia illa Instituta jussu tuo edita pro Provinciarum Præsidibus, Gubernatoribus Prælatis, & Apostolicis Vice-Legatis, aliaque Oracula sapientiæ tuæ, quibus in adornando meo Opere usus sum, Cæremoniale ipsum Episcoporum, quod ego enarro, quum illud sit, quod sua auctoritate emendavit Pontifex Maximus, & non sine elogio nominandus, Benedictus XIII. alium Patronum minime admitteret, quam Te solum, quem ille tanti fecit, ut non modo Purpura Te donaret Cardinalitia meritis tuis alias debita, sed & in arduis Ecclesiæ negotiis Te consuleret, Magnum Sacerdotem vocaret, tuæque soli sententiæ subscriberet. Par enim credere est, ea appellatione voluisse tunc ipsum Pontificem divino afflatum Spiritu quod futurum erat prædicere, Te scilicet Virum doctrina, prudentia, aliisque eximiis Virtutibus nulli secundum, de Literaria Republica, ac de Ecclesia Catholica optime meritum, in illius locum aliquando successurum, ut Magni, ac Summi Sacerdotis munere fungereris. Quod quidem universæ Ecclesiæ bono, & Catholicæ Religionis incremento impletum vidimus. Hisce,* BEATISSIME PATER, *& aliæ*

*addi*

Digitized by Google

*addi causæ possent, cur non alii, quam Tibi dedicandum hoc Opus sit; quæ tamen si vel omnes deessent, adhuc ego tenerer illud uni* SANCTITATI TUÆ *nuncupare, ex ea scilicet lege, cui me ipse jampridem sponte subjeci, me studia mea omnia, omnes meos labores, ac Libros Tibi semper mancipaturum. Oro itaque* SANCTITATEM TUAM, *ut novum hoc Opus hilari saltem vultu aspicias, mihique Apostolicam benedictionem impertias; neque enim aliam a Te gratiam peto parvitatis meæ sorte contentus. Novi namque indecentissimum fore, si ego homunculus Tibi in aliquo molestus essem gravioribus Ecclesiæ negotiis occupato. Deus Optimus Maximus Sanctitatem Tuam incolumem servet quam diutissime. Id enim commune, & totius Literariæ Reipublicæ, & Christianæ Religionis, & Catholicæ Ecclesiæ votum, quo & jacentes literæ aliquando erigantur, & prostratis hæresibus, atque abusibus, primæva Instituta, & sanctior disciplina, Te Pontifice Maximo, ubique florescant.*

IM-

Digitized by Google

*IMPRIMATUR,*

Si videbitur Reverendiss. P. Magistro Sacri Palatii Apostolici.

*Ferdinandus M. de Rubeis Episc. Tarsen. Vicesgerens.*

# *APPROBATIONES CENSORUM.*

ABsolutis in Pontificale Romanum eruditissimis lucubrationibus, suam illico admovit manum Commentariis in Cæremoniale Episcoporum, eaque improbo labore, cura vigili, & celeri calamo perfecit Clarissimus Vir, atque integerrimus Presbyter Joseph Catalanus. Hujusmodi Commentaria cum sedulo, ac diligenter lectitaverim, nihil in iis animadverti, quod sanam doctrinam non redoleat, nihil quod bonos mores non spiret, nihil quod sanctiorem Ecclesiæ Disciplinam non sapiat: Doctissimus enim Author Sacros Ritus, ac Cæremonias ita passim illustrat, ut earum majestatem, originem, antiquitatem, & siquæ sunt mysteria, e Sanctorum Patrum traditione, ac vetustis Ritualibus Libris potissimum evincat; earumdem vero usum testimoniis gravissimorum Scriptorum, ac præcipue S. R. E. Cardinalium Decretis confirmet. Quæ quidem satis superque ostendunt eximiam, qua ipse pollet, ingenii ubertatem, omnigenæ eruditionis copiam, prudentiam demum, & soliditatem. Quare Opus prælo dignissimum esse censeo, ut Sacri in primis Antistites, tuum ii, qui Ecclesiastica Instituta retinere, atque tueri debent, & cupiunt, maximum inde commodum quamcito percipiant.

Datum Romæ XI. Kal. Octobris MDCCXLII.

*Venantius Philippus Piersanctes Sanctissimi Domini Nostri Papæ, ac Sedis Apostolicæ Cæremoniarum Magister.*

CÆremoniale *Episcoporum Commentariis illustratum* a Cl. Viro Josepho Catalano libenter perlegi jussu Reverendissimi Patris Fr. Aloysii Nicolai Ridolfi Sacri Palatii Apostolici Magistri. Nihil in eo nisi Catholicæ fidei, bonisque moribus consonum reperi: quinimo doctissimus Auctor difficillimum Opus a nullo adhuc tentatum labore incredibili, ac miro prorsus ingenio explicat, mysteria rimatur; tum variis sacris Canonibus, antiquis Romanis Ordinibus, Sacrarum Congregationum Decretis, Canonici Juris Doctorum sententiis, Ecclesiarum peculiarium Consuetudinibus, aliisque monumentis, ac rationibus, adeo Ecclesiasticos Ritus docte, ac sapienter illustrat, ut nihil pene ad perfectum absolutumque Opus desiderari unquam posse videatur. Quapropter celeberrimas hasce Clarissimi Auctoris, conterranei, atque amicissimi mei lucubrationes non tantum Episcopis, verum etiam ceteris Sacrorum Rituum amatoribus perutiles esse autumo, atque in publicam lucem edi posse censeo. Salvo semper &c.

Datum Romæ IV. Kalendas Decembris MDCCXLIII.

*Thomas Aceti Cl. Beneficiatus Sacrosanctæ Basilicæ Vaticanæ.*

*IMPRIMATUR.*

Fr. Aloysius Nicolaus Ridolfi Ord. Præd. Sacri Palatii Apost. Mag.

PRÆ-

Digitized by Google

# PRÆLOQUIUM AD LECTOREM.

ARduam iterum provinciam ſubeo, quam nullus adhuc ſuſcepit, explicationem Cæremonialis Epiſcoporum, ab Epiſcopis æque, atque a ſacrarum Cæremoniarum ſtudioſis, & profeſſoribus, necnon a Canonici Juris Conſultis diu exoptatam. Cum enim complures ex iis, poſt exactos a me ſummo labore in Pontificale Romanum Commentarios, iterum atque iterum me interpellarint, ut provinciam illam ſubirem, eiſdem ut morem gererem, Opus aggreſſus ſum plane arduum, ac difficillimum. Explicanda quippe eſt nobis vetus, media, novaque Sacrarum Cæremoniarum diſciplina, & ad ſua revocanda principia: retegendæ præſtantiorum Rituum origines, ac præſertim Romanæ Eccleſiæ omnium matris atque Magiſtræ, a qua ceteræ veluti ejuſdem filiæ, atque diſcipulæ ritus ipſos deſumſere: diſcurrendum ſæpe per alias Catholici Orbis Eccleſias, in quibus peculiares, ac probatæ conſuetudines vigent: enodandi Canones, & exponendæ innumeræ antiquæ voces: explicanda divina officia, & Rubricæ Miſſalis, ac potiſſimum Cæremoniæ Capellæ Papalis, ex quibus Cæremoniale Epiſcoporum compactum eſt. Agendum de præeminentiis tum Principum Eccleſiaſticorum, tum laicorum, atque aliorum etiam Ordinis inferioris: notandæ mutationes, quas in novo hoc Cæremoniali Epiſcoporum, quod Commentariis illuſtramus, noſtro hoc ævo fecit ſanctæ memoriæ Benedictus XIII. Pontifex Maximus: &, quod omnium graviſſimum eſt, nunc in Eccleſiis, nunc in Foro verſandum, & modo cum Epiſcopis, ac ſacris Miniſtris, modo cum Curialibus in variis Tribunalibus agendum, atque immorandum.

II. Et quidem quum ſacri Ritus complures, & Cæremoniæ Eccleſiaſticæ, qui olim adamuſſim, pie, ac religioſe, & ſine ullo prorſus litigio obſervabantur, mutata diſciplina, & Epiſcopali dignitate, quæ nulli olim cedebat, ob ſuperventum novorum Graduum, Dignitatumque Eccleſiaſticarum, quibus in multis honorificis juribus facta eſt illa inferior, in ambages, & controverſias Fori, anſam iis etiam dantibus quorundam Doctorum ſubtilitatibus, callidiſque interpretationibus, venerint, coacti jam fuimus, & ipſorum opiniones afferre, & non paucas quæſtiones legaliter diſcutere, & variorum Tribunalium Urbis Decreta deſcribere, tum ſacræ Rotæ Romanæ, tum Sacrarum Congregationum S. R. E. Cardinalium, quæ vel negotiis Epiſcoporum, & Regularium, vel ſacris Ritibus, vel interpretationi Concilii Tridentini præpoſitæ ſunt. Cæterum in concinnandis Commentariis uſi plurimum fuimus ſacris Conciliorum Canonibus, & Dictis ſanctorum Patrum, ac Summorum Pontificum Conſtitutionibus, & aliquando etiam Regulis, quas vocant Cancellariæ, quas noviſſime illuſtravit Commentariis omnigena eruditione refertis Vir clariſſimus, & ob ſuam probitatem æque atque doctrinam magni habitus tum a plurimis S. R. E. Cardinalibus, tum a variis ſummis Pontificibus, præſertim vero a Papa Regnante BENEDICTO XIV. Joannes Baptiſta Rigantius, cujus Opus poſthumum ad publicam utilitatem ejus ex fratre nepotes Nicolaus & Joannes Baptiſta Advocati in Curia Romana, Viri & ipſi apprime docti, & in re præſertim Beneficiaria ſumme verſati edendum curarunt.

III. Quantum ad Sacrarum Congregationum Decreta, venerationi illa eſſe habenda, ac reverenter ſuſcipienda, omnes uno ore Doctores affirmant, deciditque Romana Rota ſexcenties, præſertim coram Dunozetto Deciſione LXXIII. Num. V. & Deciſione XI. Num. IX. Parte XVII. Recentiorum; teſtata etiam non ſemel, Decretis ipſis ſacrarum Congregationum reverenter ſuſceptis, ex inveterato ſui Tribunalis ſtylo ſimplex ſolere ſe confirmationis robur adjicere, uti videre eſt in Deciſione DLXXIX. Num. III. coram Buratto, Deciſione LX. Num. IV. coram Celſo, & in Recentioribus Deciſione CCLXXIX. Num. II. Parte XVIII. Vide Fagnanum in Cap. *Quoniam* Num. XVII. & LXXII. *De Conſtitutionibus*. Si itaque probati Auctores, & Rota Romana Decretis ipſis eum honorem defert, nemo eſt, qui conſilium meum minus probare valeat, quod iiſdem Decretis, & pene innumeris Commentarios noſtros roboraverimus; ſunt enim graviſſimi Senatus Placita, quæ etiam obligare omnino videntur, præſertim ubi in ipſis pronunciatur, facta illa fuiſſe conſulto ſummo Pontifice, ab eoque probata.

IV. Scite autem admonet Cardinalis de Luca Diſcurſu I. in Concilium Tridentinum, erroneum eſſe in particularibus Declarationibus cum conſueta cæca fide vim conſtituere, cum illæ, quæ ſingulos, vel particulares concernunt caſus, ex eorum particulari qualitate & circumſtantiis manare ſoleant, ideoque alteri diverſas circumſtantias habenti non ſemper ſunt applicabiles, cum diverſimode ob diverſam facti qualitatem ſæpius decernere congruat, quod vulgus male concipit, atque contrarietatem appellat. Sed nec omittendum quod idem Auctor docet Diſcurſu X. in ipſum Concilium Tridentinum; ibi enim poſtquam dixit, notitiam Declarationum Sacrarum Congregationum opportunam quidem, & congruam eſſe, quoniam præcedentibus Declarationibus nimium deferre ſolet pro decidendis caſibus, qui jam deciſis ſimiles videantur; recte admodum ſubdit, non tamen mordicus atque ad literam in eis eſſe immorandum, quia ſcilicet rari ſunt caſus, in quibus omnimoda verificetur ſimilitudo, cum ſæpius ex diverſis locorum, ac perſonarum, & operum, ac temporum circumſtantiis diverſimode decernere congruat, prudentialibus regulis quandoque id exigentibus.

V. Hinc proinde, ut laudatus ſapientiſſimus Juriſconſultus concludit, loquens de decretis Sacræ Congregationis Cardinalium Concilii Interpretum,



Digitized by Google

pretum, error est, quando aliqua circumfertur Declaratio, quæ alicujus particularis controversiæ occasione prodita sit, absque alio discursu in ea firmiter, atque ad literam immorari, quoniam ubi non sint Declarationes generales, quæ pro alicujus Decreti Conciliaris interpretatione in genere prodierint, haberi quidem debent in consideratione pro quadam norma, sed principaliter est reflectendum ad singulorum casuum individuas circumstantias, ex quibus super eodem puncto, qui pene identificus videatur, frequenter congruit, diversimode decernere. Idem dicendum de aliarum Congregationum Decretis, & de Sacræ Romanæ Rotæ Decisionibus, quæ etiam nonnumquam ab iis, quæ aliquando edixerunt, re iterum maturius discussa, novisve circumstantiis supervenientibus, recedere solent.

VI. Et quidem notat Fagnanus, quod cum Sacra Congregatio censuisset olim Decretum Concilii Tridentini in Cap. II. Sessione XXIV. *De reformatione*, ubi disponitur, ne in posterum Episcopi comprovinciales ad Metropolitanam Ecclesiam accedere compellantur, intelligendum esse de personali accessu ipsorum Episcoporum, non vero *de Procuratore mittendo*; postea tamen die XVII. Julii Anni MDLXXVIII. de eadem re maturius deliberans censuit, Concilium liberasse Suffraganeos etiam *ab onere mittendi Procuratorem* non obstante consuetudine etiam immemorabili. Sed quia prius diversum senserat, dixit referendum Sanctissimo, qui probavit sententiam posteriorem Congregationis, jussitque dari literas ad Episcopos præsertim Regni Neapolitani, quibus eis significaretur, etsi alias Sacra Congregatio aliud censuisset, tamen postea perpensis aliis rationibus Sanctitati suæ ita fuisse decretum. Et iterum cum antea declarasset in Parochialibus Jurispatronatus mixti Laicorum, & Ecclesiasticorum requiri formam examinis per concursum; tamen postea animadvertens, in mixto prævalere qualitatem, quæ magis favet Patronatui, facta relatione Sanctissimo, ac de ejus mandato iterum articulo discusso, recessit a prima Declaratione.

VII. Hæc adnotare censuimus, quod multæ occurrunt in hoc Opere Sacrarum Congregationum Decisiones, quas quidem non eo consilio retulimus, ut pro generalibus Legibus haberentur, respiciunt enim utplurimum casus particulares, sed ut essent pro norma ad casus præsertim similes decidendos. Libentius autem easdem descripsimus, quod plurimi ipsæ & merito a Curialibus æque & a Viris Ecclesiasticis pendantur. Si enim in negotiis, quæ litigio subjiciuntur, allegari solent privatorum Doctorum opiniones, longe magis in consideratione haberi debent Sacri Cardinalium Senatus Placita, atque Decreta, præsertim illa, quæ approbatione Summi Pontificis roborata sunt, & aliis similibus casibus aptari queant.

VIII. Alia difficultas in hoc adornando Opere ea fuit, quod cum ipsum Cæremoniale Episcoporum totum pene compactum sit ex Cæremoniali Pontificiæ Romanæ Capellæ, uti nos in decursu Commentariorum sexcenties ostendemus, coacti sumus Cæremoniale ipsum Romanum scrutari, veteresque Romanos Ordines, ex quibus idem conflatum est. Quod enim in functionibus præsertim Pontificalibus sunt Cardinales respectu Papæ, idem fere sunt Canonici respectu Antistitis sui. Ea quippe est sententia doctissimorum Virorum, inter quos Thomassinus Parte I. *Disciplinæ*, Lib. III. Cap. VII. Num. VIII. §. *Præcipua* hæc habet: *Clerus etiam nunc Romanæ Ecclesiæ formam præsefert splendidissimam, expressimamque ejus Cleri, qui olim singulis in Cathedralibus Ecclesiis Episcopo copulabatur. Constat enim Romani Pontificis Clerus Presbyteris, Diaconisque Cardinalibus, seu Titularibus Ecclesiarum omnium Romæ Parochialium Parochis cum Pontifice, & sub Pontifice conspirantibus, & collaborantibus Romano in Consistorio, de negotiis omnibus, quæ ex Pontificia spirituali ditione, ex universo, inquam, Christiano Orbe Romam referuntur.*

IX. Idipsum jam alibi idem Auctor tradit; ut enim ejus alia testimonia omittam, constanter asserit citata Parte I. Lib. II. Cap. CXV. Num. XIII. neminem ambigere posse, quin Clerus, hoc est, Presbyterorum, & Diaconorum cœtus, qui jam inde a jactis per S. Petrum Ecclesiæ Romanæ fundamentis, Ecclesiam eandem Romanam, imo & universalem toto orbe sparsam administraverat cum successore Petri, & administrare pergebat etiam solus vacante Sede, & persæpe diu vacante, qui præerat Electionibus summorum Pontificum, qui plerumque eum ex suo gremio deligebat, qui ordinarium erat Papæ Presbyterium, seu Concilium perpetuum, & juge, quo maxima quæque explicabantur negotia, seu ad Fidem, seu ad mores spectantia, neminem inquit laudatus Auctor posse ambigere, quin ejusmodi Presbyterorum, & Diaconorum Collegium in eandem cooptaretur gloriæ, & auctoritatis societatem cum Apostolicæ Sedis Præsule, non aliter atque Ecclesiæ cujuscumque, seu Cathedralis, seu Metropolitanæ Clerus pro suo quisque modo cum Pontifice suo.

X. Thomassino addimus alterum disciplinæ Ecclesiasticæ lumen, Petrum Morettum, Canonicum insignis Basilicæ S. Mariæ trans-Tyberim, qui in celebri sua Disceptatione Epistolari, *De ritu variandi Chorale indumentum* §. LXXXII. postquam dixit Canonicos Basilicarum Urbis non ubique Romæ deferre posse Cappam, quum ejus delatio jurisdictionem importet, ingenue fatetur, & asserit, Cardinales hanc generaliter jurisdictionem Romæ possidere, *veluti proprie, ac plene constituentes Romani Antistitis Presbyterium*. Utinam ederetur quantocius in lucem aliud Opus *De Hierarchia Cleri Urbis &c.* quod citat in Nota ad ipsum citatum §. ubi inquit, inter alia quæstiones hasce dilucidari. I. *An Canonici trium Patriarchalium sint vere Canonici Cathedralis Romani Antistitis, vel potius sint Collegia Canonicorum ministrantium in Patriarchalibus, prout alii Canonici in Titulis, & Diaconiis Collegiatis,*

Digitized by Google

*tis, vice, & loco Cardinalium gravioribus Ecclesiæ negotiis occupatorum?* II. *An Collegium Canonicorum Ecclesiæ Lateranensis recte, & proprie appelletur Capitulum Romanum?*

XI. Nequis autumet, sententiam quam propugnamus, nempe Collegium S. R. E. Cardinalium esse vere & proprie Capitulum Papæ, Canonicos vero vel insignium trium Ecclesiarum Patriarchalium Urbis non esse nisi Collegia inferiora, ab eruditis dumtaxat Viris doceri, non autem a Doctoribus, quos vocant Forenses, quosque in agitandis, decidendisque litibus pluris Curia pendit, quam doctissimos Viros quoscumque, ejusdem plane sententiæ est Curialium omnium Princeps, Cardinalis de Luca, cujus verba in suo Tractatu, *De præeminentiis*, Discursu v. Num. XI. hæc sunt: *Capitulum Papæ est Collegium Cardinalium, quod originaliter, & in Ecclesia primitiva constituebat Clerum, seu Capitulum Romanum, deinde vero per eundem Papam, ut Papam, ob Ecclesiæ dilatationem, & negotiorum multiplicitatem, admissum etiam fuit ad aliquam participationem administrationis Ecclesiæ universalis.* Et paulo post loquens de Capitulis Urbis insignioribus hanc doctrinam subjicit: *Quæ Capitula dici non possunt constituere Capitulum Cathedralis Urbis, utpote constitutum a Collegio Cardinalium; sed pernecesse dicendum est, quod sunt Collegia inferiora &c.*

XII. Cum ergo Canonici vel trium Patriarchalium non sint vere, & proprie Canonici Cathedralis Romani Antistitis, sed potius Collegia Canonicorum in ipsis Patriarchalibus ministrantium, prout alii Canonici in Titulis, & Diaconiis Collegiatis, vice, & loco Cardinalium, qui vere & proprie Capitulum Papæ constituunt, & gravioribus Ecclesiæ negotiis occupantur; falsum propterea videri debet, quod post Zerolam in praxi, tradit in sua praxi Monacellus, & inter alios Ceccoperius Parte I. *Lucubrationum Canonicalium* Parte I. Lib. I. Tit. XI. Num. I. quum ajunt, Canonicos Collegiatarum Ecclesiarum almæ Urbis, *ob honorem Romanæ Curiæ, in omni Civitate, & loco præcedere Canonicis quarumcumque Cathedralium aliarum Civitatum*. Nam præterquamquod vel ipsi Canonici Patriarchalium Urbis, uti dictum est, non sint nisi Collegia inferiora Canonicorum ministrantium, nec Capitulum Cathedralis Urbis constituant, nec Cappam ubique deferre valeant, cum alias ceterarum Cathedralium Canonici proprie ac plene constituant Capitulum, & Senatum suorum Episcoporum, Cappasque etiam extra Ecclesias gestent, quis unquam persuadere poterit sibi, Canonicos vel infimarum Ecclesiarum Urbis præeminentiam habere supra Canonicos Ecclesiarum insignium Cathedralium, quales sunt Coloniensis, Moguntina, Trevirensis, Salisburgensis, Toletana, & aliæ similes?

XIII. Quamquam vero Cæremoniæ Capellæ Pontificiæ sunt illæ, quibus nostrum Cæremoniale compactum est, laudavimus nihilominus non semel praxim ac usum cæterarum Basilicarum Urbis, ubi scilicet Ritibus a Cæremoniali præscriptis non adversentur. Habet enim Cæremoniale tanquam solemniter approbatum a tribus Summis Pontificibus, Clemente VIII. Innocentio X. & novissime a Benedicto XIII. vim legis, & tanquam tale ab omnibus præcise observandum est, ex deductis per Gratianum Disceptatione CCXCVIII. Num. XVIII. Cardinalem de Luca, *De jurisdictione*, Discursu XXXI. Num. V. & Ursayam Tomo V. Parte II. Disceptatione XIII. §. I. num. XXV. & XXVI. itemque Tomo IX. Parte I. Disceptatione XXVII. Num. VI. ubi varias Sacræ Romanæ Rotæ Decisiones citant, quibus Cæremoniale ipsum vim legis habere edicitur. Id quod etiam iterum, atque iterum Sacra Rituum Congregatio declaravit, uti videre est apud Barbosam in summa Apostolicarum Decisionum Collectan. LXXVIII. ubi inter alia recenset ejusdem Sacræ Congregationis Decretum in Salernitana die XVI. Julii anni MDCV. in quo habetur, Cæremonialem Librum Episcoporum *ad unguem* servandum esse in omnibus Ecclesiis, præcipue vero in terris Ecclesiæ, *nisi adsit laudabilis immemorialis consuetudo in contrarium*.

XIV. Laudabiles, atque probatas Ecclesiarum consuetudines, antiquas scilicet & immemorabiles a nostro Cæremoniali non tolli, ex compluribus memoratæ Sacræ Rituum Congregationis Decretis Doctores omnes uno ore affirmant, innuitque non uno in loco novum hoc nostrum Cæremoniale, ubi jam varia Cæremoniarum Capita consuetudini Ecclesiarum relinquuntur; & licet Summus Pontifex in nova sua Constitutione pro observatione Cæremonialis Episcoporum ab eodem emendati inter alia Consuetudines Cæremoniali ipsi contrarias damnet, intelligendum puto eum locum de Consuetudinibus, quæ sunt irrationabiles, non vero de laudabilibus, ac probatis, quas servari nos Romæ vidimus, vel dum ipse zelantissimus Pontifex viveret. Sane aliarum Ecclesiarum Consuetudines non dedignatus est sanctus Ambrosius, sed maxime Romanæ Ecclesiæ Consuetudines coluit, ut testatur ipse Lib. III. *De Sacramentis*, Cap. I. ubi ita inquit: *In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam; sed tamen & nos homines sensum habemus, ideo quod alibi rectius servatur, & nos recte custodimus*. Teste S. Bernardo S. Malachias Episcopus consuetudines quoque Ecclesiæ Romanæ in universa Hybernia instituit. A S. Leone autem IX. Pontifice Maximo depositum Hunibertum Diaconum Luitpoldi Archiepiscopi Moguntini, quod ipso Archiepiscopo coram se Missas celebrante Lectionem non Romano more post monitionem contumaciter decantasset, refert Abbas Uspergensis in Chronico ad annum MLIII.

XV. Jure itaque ac merito in hoc adornando Opere usi passim sumus antiquis Romanis Ordinibus, quos jam collegit Clarissimus Mabillonius, præsertim vero Cæremoniali Augustini Patricii, quod summo studio concinnavit pro Pontificia Capella, necnon Cæremoniali Paridis Crassi Bononiensis, olim Apostolicarum Cæremonia-



Digitized by Google

moniarum Magistri, ac Episcopi Pisaurensis, quod Provincialis Synodus XII. Beneventana anni MDXCIX. sub Maximiliano de Palumbaria Beneventano Archiepiscopo Tit. XIV. Cap. unico, a Magistris Cæremoniarum, *sæpe præ manibus* habendum admonet. Idem mandant & aliæ Synodi, atque Episcopi zelosiores, inter quos S. Carolus Parte IV. Actorum inclitæ Ecclesiæ suæ Mediolanensis lib. II. agens de Libris ad usum divinorum Officiorum pro ritus ratione habendis, inter alia recenset *Cæremonialia tria, unum quod dicitur Romanum, alterum Ambrosianum, tertium Paridis de Crassis*. Porro sequuti & nos sanctissimi memorati Antistitis monitum tria hæc præ aliis Cæremonialia in nostris adhibuimus Commentariis, Romanum scilicet Pontificiæ Capellæ, unde ad alias Ecclesias Cæremoniæ derivarunt, Ambrosianum Ecclesiæ Mediolanensis, & Cæremoniale Paridis Crassi, ab eodem pro Bononiensi Ecclesia potissime ordinatum; quia scilicet post Romanam celeberrimæ sunt duæ ipsæ Ecclesiæ, atque omnium ore celebratæ.

XVI. Hisce addidimus Leges & Instituta Cæremonialia BENEDICTI XIV. Regnantis Pontificis jussu edita initio sui gloriosissimi Pontificatus, anno MDCCXLI. pro Provinciarum Præsidibus, Gubernatoribus Prælatis, & Apostolicis Vice-Legatis, operæque pretium duximus commoditati publicæ integrum Librum Leges ipsas, & instituta Cæremonialia continentem initio Operis describere, una cum nova Decretorum Sacræ Rituum Congregationis Additione, descripta in calce Cæremonialis Episcoporum Romæ editi anni MDCCXIII. & Clementi Papæ XI. dicati; sicque nihil reliquum est, quod in hac nova novi Cæremonialis editione, quod in multis correctum, sanctæ memoriæ Papa Benedictus XIII. peculiari sua Constitutione roboravit, quodque nos omnium minimi, primi tamen omnium Commentariis illustravimus, a mendis pene innumeris typographorum expurgavimus, & antiquis æneis figuris ornavimus, quæ in pervetustis Cæremonialibus conspiciuntur, licet & ipsæ sua correctione indiguerint.

XVII. De Cæremoniis ut non nihil dicamus, nemo profecto est, qui ignorat, in veteri Testamento & verbum *Cæremoniæ* esse usitatissimum, & rem ipsam in iis etiam quæ a Deo mandata fuerunt, connumerari juxta illud Jethro ad Moysen, Exodi Cap. XVIII. *Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, ut referas, quæ dicuntur, ad eum, ostendasque populo Cæremonias, & Ritum colendi, viamque, per quam ingredi debeant*. Item illud Moysi ad populum, Deuteronomii Cap. IV. *Quæ est alia Gens sic inclita, ut habeat Cæremonias, justaque indicia, & universam Legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros?* Mitto Rituales Libros, quos, ut Cicero tradit in Lib. *De divinatione*, Ethnicorum Etruscorum Sacrificuli custodiebant de ritibus, & disciplina Civitatis; hos enim turpe fuerit in exemplum adducere Catholicorum, qui scilicet non a Gentilibus, ut quidam perperam opinati sunt, sed a veteri potius Testamento Cæremonias complures accepere, ex quibus deinde multa Diabolus mutuatus est, & tantisper suo more adornata, & efficta suis proposuit, uti ex S. Justino, Tertulliano, Eusebio, S. Hieronymo, & aliis docet Joannes Filesacus, *De Idololatria magica*, in fine.

XVIII. Si autem veteris Legis umbratiles Cæremonias Hebræo populo Deus tam diligenter injunxit, ut de iis Cap. V. Deuteronomii scriptum sit: *Audi Israel Cæremonias, atque judicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodie; discite ea, & opere complete*: quanta majori cum ratione de novi Testamenti Ritibus, Cæremoniisque Apostolus Paulus dixisse putandus est, ubi in Epistola I. ad Corinthios Cap. XIV. ita scripsit: *Omnia honeste, & secundum ordinem fiant in vobis*. Nam hæc verba de Cæremoniis, quæ in Ecclesia obeuntur, intelligi debere, observant S. Chrysostomus, aliique Patres, qui etiam & illud nos docent, institutas fuisse Cæremonias ad divini Numinis interiorem Religionem retinendam, atque exaugendam: *Iccirco Magistri nostri*, hoc est, Apostoli, *Ecclesiarum institutores usque ad humilia, & minuta præcepta deduxerunt diligentiæ disciplinam*. Verba sunt S. Chrysostomi Homilia I. in Matthæum.

XIX. Definiuntur Cæremoniæ Ritus externi, quos Ecclesia in cultu divino ad ædificandam Fidem, fovendam Charitatem, excitandam, accendendamque devotionem in cordibus Fidelium observat. Sunt imagines quædam, quibus Fideles instruuntur, ut omnia, quæ ad cultum Dei pertinent, ordine, & decenter juxta laudatum Apostoli monitum agantur. Sunt signa tandem externa, & visibilia Religionis, atque pietatis, ut per ipsa Fideles ad rerum altissimarum contemplationem excitentur, quia scilicet, ut ait inter alias Generalis Synodus Tridentina, natura hominum ea est, *ut non facile queat* sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum *meditationem sustolli*. Sed plane operæ pretium esset, ut Fideles ipsi de sacris Cæremoniis instruerentur. Quod tamen passim negligitur, quia scilicet multi animarum Pastores, quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, aliique negotiis occupati, vel ipsarum Sacrarum Cæremoniarum explicationem ignorant, vel Christiano populo inutilem prorsus putant.

XX. Mos vero hæreticorum est sacras Cæremonias irridere, quæ tamen sive cultum divinum, sive Pontifices, Sacerdotes, aliosque Ecclesiæ Ministros spectent, probantur a Patribus æque atque a Conciliis; dicique vix potest quam distincte, quam exacte, quam religiose, primævæ Ecclesiæ Sacra, Ritus, Mysteria, ac Cæremonias ipsas prosequutus inter alios fuerit pervetustus Auctor Librorum Apostolicarum Constitutionum, qui S. Clementi Papæ tribuuntur. Ceterum occurrunt & in Synodis passim Sacrorum Ritus, & minutissimarum Cæremoniarum Decreta, præsertim in Synodo IV. Toletana. Quod iccirco adnotandum censui, ne quis putet, ea, quæ ad divi-

Digitized by Google

divini Rubricas Officii, & ad Cæremonias spectant, minuta videri debere, & despicabilia; in quibus disceptandis Concilium I. Nicænum Oecumenicum aliquando operam posuit suam, imo & ipsum Apostolorum Concilium, quod legitur Capite xv. Actuum ipsorum Apostolorum, ut alias omittam Synodos, quæ tum in Oriente, tum in Occidente habitæ suos de sacris Ritibus ac Cæremonis Ecclesiasticis Canones edidere.

XXI. Licet tandem priscis seculis Libri Cæremoniales, atque Liturgici in Ecclesia extiterint ad Sacra rite peragenda; Clemens tamen VIII. primus omnium dici potest, qui opera doctissimorum Virorum Cæremoniale Episcoporum pro universa Ecclesia ordinavit, anno Christi MDC. Correctum deinde fuit ab Innocentio Papa X. novissime vero a sanctæ memoriæ Benedicto XIII. sacrorum Rituum peritissimo, uti constat ex ejus Constitutione edita anno MDCCXXVII. quam una cum aliis a Pontificibus laudatis editis infra describemus, & a Viro Clarissimo Alexandro Borgia Archiepiscopo Firmano in Vita ejusdem Benedicti, Num. LV. his verbis: *Ubi primum Summi Apostolatus apicem ascendit, de emendando, illustrando, atque etiam ampliando Cæremoniarum Libro, quo utuntur Episcopi, cogitare cœperat, ipsemet inter ingentes labores, & curas pro studio, quo ferebatur in sacros Ritus, opus aggressus, adhibitis piis, ac doctis Viris, initio hujus anni*, idest MDCCXXVII. *perfecit, ediditque.*

XXII. Notatu autem dignissimum est, quod idem præclarissimus Auctor de eodem Benedicto Papa differens mox subjicit: *Porro nullus de hac re ipso certius decernere poterat, qui annos quinquaginta Episcopi, & Metropolitæ munere perfunctus nihil habuit antiquius, quam ut sacros Ritus secundum veterem, & laudabilem Romanæ Ecclesiæ disciplinam adamussim exhiberet. Ad hoc etiam studium referendum est, quod anno Jubilæi Fontem Regenerationis humanæ veteri ritu instauraverit in Basilica Vaticana.* Ita ille. Sed longum esset juges, atque egregias Benedicti XIII. curas describere, quippe qui vix diem vel in summo Pontificatu transegit, quo ea in re suum non impenderit studium, summa non modo Fidelium Catholicorum, sed & Hæreticorum edificatione: id quod nos testatum habemus, utpote qui ab initio gloriosissimi illius Pontificatus Romæ degimus, eumque non semel audivimus sacros ritus, ac Cæremonias explicantem, sive sacræ Ordinationis Ministrorum, sive dedicationis Ecclesiarum, sive etiam Baptismi Catechumenorum, aliarumque id genus functionum Pontificalium, quibus, ut notum omnibus est, suam assiduam navabat operam. Unde non mirum, si a longinquis Ecclesiis ad eum, vel dum Beneventanam regebat Ecclesiam, Presbyteri mittebantur, ut minutissimas Cæremonias addiscerent, quæ deinde in ipsis Ecclesiis longinquis servarentur.

XXIII. Id sane testatus est aliquando ipsemet Benedictus XIII. literis suis ad Joannem V. Lusitaniæ Regem datis, quas præfixit Synodico Diœcesano Sanctæ Beneventanæ Ecclesiæ Beneventi edito anno MDCCXXIII. In iis enim sic inter alia inquit: *Quandoquidem pro eximia tua erga Dei, divinorumque cultum venoratione idem tibi fuisse sum admiratus, & Ecclesiam meam exactissimæ Sacrorum Rituum praxi inhærentem audire, ac quatuor statim, tuis e Portugalliensibus, Ecclesiastici Ordinis Viris, undequaque spectabilibus, Romæ, qui celebri in Lusitana Academia, laureandi potius, quam instituendi, sacris super Cæremoniis educantur, meam hanc quatenus Civitatem adirent, & quomodo venerabiles hic Ecclesiæ Cæremoniæ pertractentur, inviserent, quam solicite demandare.* Jam supervacaneum est alios referre qui vel ad ipsum ibant discendi studio Sacros Ritus, vel eum de ipsis consulebant.

XXIV. Reliquum est, ut te Lector benevole admoneam, non aliam ob causam me hoc Opus scripsisse, quam solius gloriæ Dei, & ut otium vitarem: satius ducens tum ad meam, tum ad aliorum, qui bona studia, & præsertim liturgica amant, eruditionem, scriptioni Operum vacare, quam tempus terere, & Sacerdotalem Ordinem ad labores, & proximorum salutem institutum, inertia, aulicisve obsequiis fœdare. Aulas sane frequentent, qui honores ambiunt, qui divites fieri volunt; mihi sat est auxilium Dei, qui, ut ait Apostolus, *est dives in omnes*, & quo solo fretus, potui absque eo quod alicui molestus fuerim, varia Opera typis committere, in eisque edendis plura aureorum millia impendere. Quod quidem non ad jactantiam dixi, sed ut Dei summam erga me benignitatem prædicem. Nam alias habent hodieque Literati Mœcenates suos, quorum Princeps dici nunc merito potest BENEDICTUS XIV. Pontifex Maximus, cujus patrocinio, ac favore Respublica Literaria ob munificentissimi Principis Clementis Papæ XII. obitum jamjam interitura statim revixit. Id quod abunde testantur tot Romæ ab ipso Regnante Pontifice institutæ Academiæ, tot Viri eximii ad Dignitates evecti, ut alios sileam pecunia adjutos, quo commode valeant sua studia peragere, & aliquando etiam ad totius Christianæ, Catholicæ, & Literariæ Reipublicæ utilitatem publici juris facere.

XXV. Ceterum ut videas, quanta sit laudati Pontificis munificentia, & erga bonarum literarum cultores benignitas, me etiam nullius pretii hominem, & in angulo Civitatis prope flumina olim Babylonis, nunc Urbis Sanctæ pene latitantem, & mihi soli attendentem dignatus est aliquando accersere, suumque patrocinium iterum, atque iterum polliceri; præsertim ubi, ab eodem interrogatus de studiis meis certiorem eum feci, me post exactos Commentarios in reliquas Oecumenicas Synodos, qui edendi & ipsi quantocius sunt in lucem, navaturum operam meam, si Deus scilicet vitam dederit, edendæ amplissimæ Collectioni Conciliorum omnium tum generalium, tum particularium nostræ Italiæ cum Notis, & aliis, quibus Ecclesiastica Historia, & disciplina illustrabitur. Quod quidem spero me effecturum sub auspiciis tanti Pontificis.

CON-

Digitized by Google

# CONSTITUTIONES PONTIFICIÆ

*Super approbatione, & usu Cæremonialis Episcoporum, & aliorum Ecclesiarum Prælatorum novissime reformati, quæ initio ipsius Ceremonialis leguntur.*

I.

## CLEMENS PAPA VIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

CUm novissime Pontificale Romanum antea mendosum, & corruptum, a piis, & eruditis Viris emendari, & restitui, & demum ad Episcoporum, & aliorum Ecclesiarum Prælatorum communem usum, & commoditatem divulgari, & in universali Ecclesia ab omnibus observari mandaverimus; operæ pretium visum fuit, si Cæremoniale Episcoporum omnibus Ecclesiis, præcipue autem Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis perutile, ac necessarium, in quo ritus, & cæremoniæ celebrandi Missas, Vesperas, & alia Divina Officia, ac in aliis Ecclesiæ functionibus, & actibus ab eisdem Episcopis, ac aliis Prælatis inferioribus in eisdem observandæ, ac modus etiam præcedendi tam inter personas ipsas Ecclesiasticas, quam etiam inter eas, & Laicos similiter servandas continentur; quodque pridem multis mendis respersum fuerat, similiter reformari, & restitui curaremus. Ea propter id ipsum Cæremoniale Episcoporum a nonnullis piis, ac eruditis, in hisque Sacris Ritibus, & Cæremoniis apprime versatis Viris examinari, corrigi, & in optimam, ipsique Pontificali reformato maxime congruentem formam redigi mandavimus. Quod opus cum ea, qua decuit fide, & diligentia jam absolutum fuisse accepimus. Porro reliquum est, ut hujus operis labor, eum, ad quem directus est, finem consequatur. Idcirco Cæremoniale Episcoporum hujusmodi jussu nostro emendatum, & reformatum, motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine perpetuo approbantes, illudque in universali Ecclesia ab omnibus, & singulis personis, ad quas spectat, & in futurum spectabit, perpetuo observandum esse præcipimus, & mandamus, ac Cæremoniale hujusmodi sic emendatum, & reformatum, nullo unquam tempore, in toto, vel in parte mutari, vel ei aliquid addi, aut omnino detrahi posse, ac quascunque personas prædictas, quæ sacerdotalia munera exercere, aut alia quæcunque in ipso Cæremoniali contenta, facere, aut exequi debent, ad ea peragenda, & præstanda, juxta hujus Cæremonialis formam, & præscriptum, teneri, neminemque ex iis, quibus ea exercendi, & faciendi munus impositum existit, nisi formulis, quæ hoc Cæremoniali continentur, servatis, satisfacere posse, perpetuo statuimus, & ordinamus. Per præsentes autem antiqua Cæremonialia in his, quæ prædicto Cæremoniali reformato sunt conformia, minime aboleri, aut abrogata censeri volumus, sed illorum etiam usum (salva reformatione prædicta) permittimus. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, ordinationibus Apostolicis, ac etiam in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus, necnon quarumvis Ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, & pari motu, & auctoritate decernimus, ut qui in Romana Curia sunt præsentes, lapsis duobus mensibus, qui vero intra montes, octo, & qui ultra, ubique locorum degunt, duodecim integre excursis, vel alias, ubi venalium hujus Cæremonialis voluminum notitiam, & facultatem habuerint, sacras Cæremonias, & Ritus in eodem Cæremoniali præscripptos, juxta illius modum, & normam in quibuscumque actibus exercere, & observare teneantur. Ipsarum autem litterarum exempla, manu Notarii publici, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, aut illius Curiæ obsignata, vel in ipsis voluminibus absque prædicto, vel alio quopiam adminiculo, Romæ impressa, eam ubique locorum, & gentium, fidem faciant, quam præsentes facerent, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ adud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIV. Julii MDC. Pontificatus nostri Anno Nono.

II.

## INNOCENTIUS PAPA X.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

QUanquam alias fel. rec. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster Cæremoniale Episcoporum, omnibus Ecclesiis, præcipue autem Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis perutile, ac necessarium, in quo Ritus, & Cæremoniæ celebrandi Divina Officia, ac in aliis Ecclesiæ functionibus, & actionibus ab iisdem Episcopis, aliisque Prælatis inferioribus observandæ, ac modus etiam præcedendi tam inter Personas ipsas Ecclesiasticas, quam etiam inter eas, & laicos similiter servandus continentur, multis antea mendis refertum corrigi, & restitui curaverit, attamen successu temporis compertum est, plurimos errores, & mendas in idem Cæremoniale sive diuturnitatis injuria, sive Typographorum incuria, aliave de causa irrepsisse, illudque proinde iterata emendatione indigere. Ea propter Nos pro pastorali nostra sollicitudine id ipsum Cæremoniale Episcoporum a nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, aliisque piis, & eruditis, sacrorumque Ritunm, & Cæremoniarum apprime peritis Viris corri-

Digitized by Google

corrigi, & emendari mandavimus, quod cum ab illis accuratissime præstitum fuisse acceperimus, idcirco ne tam utilis Ecclesiæ Catholicæ hac in re Cardinalium, & aliorum prædictorum labor optato frustretur effectu, Motu proprio, ac ex certa scientia Nostris, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine, Cæremoniale Episcoporum hujusmodi jussu Nostro, ut præmittitur, recognitum, & emendatum perpetuo confirmamus, & approbamus, illudque in universali Ecclesia ab omnibus, & singulis personis, ad quas spectat, & in futurum spectabit, perpetuo observandum esse præcipimus, & mandamus, ac Cæremoniale hujusmodi sic emendatum nullo unquam tempore in toto, vel in parte mutari, vel ei aliquid addi, aut omnino detrahi posse, ac quascumque personas præfatas, quæ Sacerdotalia munera exercere, aut alia quæcumque in ipso Cæremoniali contenta facere, aut exequi debent, ad ea peragenda, & præstanda juxta hujus Cæremonialis formam, & præscriptum teneri, neminemque ex iis, quibus ea exercendi, & faciendi munus impositum existit, nisi formulis, quæ hoc Cæremoniali continentur, servatis, satisfacere posse statuimus, & ordinamus. Per præsentes autem antiqua Cæremonialia in his, quæ præfato Cæremoniali emendato sunt conformia, minime aboleri, aut abrogata censeri volumus, sed illorum etiam usum (salva emendatione prædicta) permittimus. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, etiam in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quarumvis Ecclesiarum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis, quibusvis Ecclesiis, & personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, & pari Motu, & Auctoritate decernimus, ut qui in Romana Curia sunt præsentes, lapsis duobus, qui vero intra montes octo, & qui ultra, ubique locorum degunt, duodecim mensibus integre excursis, vel alias, ubi venalium hujus Cæremonialis voluminum notitiam, & facultatem habuerint, Sacras Cæremonias, & Ritus in eodem Cæremoniali præscriptos juxta illius modum, & normam in quibuscumque actibus exercere, & observare teneantur. Quodque earundem præsentium litterarum exemplis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ, aut illius Curiæ munitis, vel in ipsis voluminibus absque præfato, vel alio quopiam adminiculo Romæ impressis, eadem ubique locorum, & gentium fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die XXX. Julii MDCL. Pontificatus nostri anno Sexto.

## III.

## SS. D. N. DOMINI BENEDICTI

### Divina Providentia Papæ XIII.

*Constitutio pro observatione Cæremonialis Episcorum ab eodem Sanctissimo Domino Nostro emendati.*

### BENEDICTUS PP. XIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Licet alias fel. rec. Clemens VIII. ac subinde Innocentius X. Romani Pontifices Prædecessores nostri Cæremoniale Episcoporum edendum, atque a mendis expurgandum curaverint, processu tamen temporis compertum est, novos errores non minus Typographorum imperitia, quam aliorum culpa, & negligentia in illud irrepsisse, ac proinde Nos, qui in minoribus constituti per annos quinquaginta Episcopi, ac Metropolitæ munere, & Dignitate perfuncti sumus, cum nihil antiquius habuerimus, quam ut sacros Ritus, & Cæremonias secundum antiquam, ac laudabilem Romanæ Ecclesiæ disciplinam adamussim perageremus, diuturno eorum usu, ac studio animadvertimus, utile, ac necessarium maxime futurum, si rursus idem Cæremoniale novis curis recognitum ederetur, obscura quædam in eo, & ambigua illustrarentur, corrupta alia, & depravata emendarentur, nonnulla præterea inter se pugnantia, & contraria conciliarentur, aliaque demum hactenus prætermissa suis locis opportune adderentur. Ubi primum igitur ad summi Apostolatus fastigium, licet immeriti, & obluctantes evecti fuimus, in hanc etiam solicitudinem cogitationes nostras direximus, Nosque ipsi hoc opus aggressi, illud nonnullis etiam adhibitis piis, ac eruditis Viris, sacrorumque Rituum apprime peritis, qui operam suam in ipso Cæremoniali emendando, ac restituendo Nobis contulerunt, benedicente Domino, perfecimus. Itaque, ne tam utilis Ecclesiæ Catholicæ hac in re labor suo frustretur effectu, Motu proprio, ac ex certa scientia Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Cæremoniale Episcoporum hujusmodi, a Nobis, ut præmittitur, recognitum, & emendatum, perpetuo confirmamus, & approbamus illudque in Universali Ecclesia ab omnibus, & singulis personis, ad quas spectat, & in futurum spectabit, perpetuo observandum esse, in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus: ac Cæremoniale hujusmodi, sic emendatum, nullo unquam tempore, in toto, vel in parte mutari, vel ei aliquid addi, aut omnino detrahi posse, ac quascumque personas præfatas, quæ Pontificalia, & Sacerdotalia munera exercere, aut alia quæcumque in ipso Cæremoniali contenta, facere, aut exequi debent, ad ea peragenda, & præstanda, juxta hujus Cæremonialis formam, & præscriptum, teneri, neminemque, ex iis, quibus ea exercendi, & faciendi munus impositum existit,

Digitized by Google

existit, nisi formulis, quæ hoc Cæremoniali continentur, servatis, satisfacere posse, perpetuo statuimus, & ordinamus. Per præsentes autem antiqua Cæremonialia in his, quæ præfato Cæremoniali emendato sunt conformia, minime aboleri, aut abrogata censeri volumus. Sed illorum etiam usum (salva emendatione prædicta) permittimus. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, & in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon quarumvis Ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, quibusvis Ecclesiis, & personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, & pari Motu, & auctoritate decernimus, ut qui in Romana Curia sunt præsentes, lapsis duobus, qui vero citra montes, octo, & qui ultra ubique locorum degunt, duodecim mensibus integre excursis, vel alias, ubi venalium hujus Cæremonialis voluminum notitiam, & facultatem habuerint, sacras Cæremonias, & Ritus in eodem Cæremoniali præscriptos, juxta illius modum, & normam in quibuscumque actibus exercere, & observare teneantur: quodque earumdem præsentium literarum exemplis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ, aut illius Curiæ munitis, vel in ipsis voluminibus absque præfato, vel alio quopiam adminiculo Romæ impressis, eadem ubique locorum, & gentium fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VII. Martii MDCCXXVII. Pontific. nostri anno III.

## NOVA ADDITIO DECRETORUM

### *Sacræ Rituum Congregationis.*

### DECRETUM

*Circa usum Pontificalium Prælatis Episcopo inferioribus concessorum a Sacra Rituum Congregatione Ordinaria, habita coram SS. D. N. Alexandro Papa VII. emanatum, die* XXVII. *Septembris* MDCLIX.

SAcra Rituum Congregatio, tollendis, ac eliminandis circa Ecclesiasticos Ritus, qui irrepserunt, abusibus, sedulo intenta, post Episcoporum Cæremoniale evulgatum (quo quicquid ad ipsos in sacris Cæremoniis, pertinet abunde præscripsit) idem quoad inferiores Prælatos, qui Pontificalium usu fruuntur, præstandum curare necessarium existimavit, ut excessus aboleantur, uniformisque inducatur Sacrorum Ritus in omnibus, eo præsertim tempore, quo privilegia ipsi perperam interpretantes, obtendentesque, parum obsequi student Decretis pluries ab eadem Sac. Congregatione hac in remet evulgatis, aut ipsa ignorare prætexunt. Quamobrem omnia simul, ut uno conspiciantur obtutu cogere, perque capita, dirigere constituit, quo facilius observentur.

I. Super Altari, in quo Sacra erunt facturi, septimum nequaquam apponant candelabrum.

II. Cathedram, seu Sedem fixam, & permanentem in eorum Ecclesiis ne detineant, sed tribus ipsis diebus, quibus ex antiquis Decretis tantummodo Pontificaliter celebrare est iis permissum, mobili Sede, seu Cathedra utantur, quam nihilominus simplici serico panno coloris Festivitati congruentis obducere poterunt, non auro contexto, aut phrygio, sive basilico opere exornato.

III. Baldachinum adhibere supra Sedem poterunt, non pretiosum, aut aureum, sed simplex, & eo, quod Altari super imponitur, materia, & opere inferius, ad ipsam autem per duos tantum gradus in Presbyterii superficie stratos ascendatur.

VI. Non Abacum alium præter parvam mensam, & in cornu Epistolæ parare faciant, in qua duo Candelabra cum Candelis, necnon Mitra, Calix, Missale, Thuribulum, Navicula, & requa ad Celebrationem necessaria collocentur. Prope vero mensam eandem parieti hærens Baculus Pastoralis aptetur.

V. Dies vero, in quibus solemniter ipsis operari conceditur, sint de præcepto festivi, vel alii, in quibus ipsis Pontificaliter celebrare festivitatis ratio exigat, nempe Patroni loci, Fundatoris Ordinis, Tituli, & Dedicationis Ecclesiæ: abstineant autem ab hujusmodi Pontificalium usu in Officiis, & Missis Defunctorum quocumque die etiam festivo, & de præcepto.

VI. Ad Ecclesiam accedentes licet Pontificaliter Divina peracturi, iisdemque absolutis ab Altari recessuri, a suis Canonicis, vel Monachis (ut mos est Episcoporum) ne associari se sinant.

VII. Præter duos Sacrificii Ministros, Diaconum nempe Euangelii, & Subdiaconum Epistolæ, duo alii tantum Diaconi cum Dalmaticis, & unicus Presbyter cum Pluviali eis assistant. Duo insuper Cappellani, qui de Mitra, & Baculo, ac totidem Acolythi pro candelabris inserviant. Præterea sex alii Canonici, vel Monachi, duo scilicet Pluvialibus, duo Planetis, totidemque Tunicellis iuduti Divinis hujusmodi interesse valeant, qui tamen non in Sedibus, seu Stallis Choralibus, sed in Scamnis absque postergalibus, panno viridi laneo coopertis, situ congruo accomodatis, moxque illinc removendis consideant.

VIII. Mitram pretiosam, nisi illis expresse a S. Sede indultam non adhibeant; sub Mitra pileolum nigri tantum coloris induant: Baculum Pastoralem albo velo appenso deferant; ab iisque, & aliis Pontificalibus etiam de Ordinariorum licentia extra Ecclesias sibi subjectas prorsus abstineant, & neque in Processionibus, quæ ab eorum

Digitized by Google

rum Ecclesiis per vias extra ambitum, vel Parochiam ducuntur, insignibus prædictis utantur, vel penes se perferri faciant.

IX. Regulares Rocchettum non deferant, nisi ex tali Ordine fuerint, cui indumentum hujusmodi competat.

X. Invitati ad Ecclesiam exemptam, nec in illa Pontificalibus uti valeant, nec ii, qui non fuerint Abbates perpetui, vel Benedicti, in propriis Ecclesiis uti possint privilegio perpetuis Abbatibus, vel alias Benedictis indulto.

XI. Sacras vestes ex Altari non sumant, nisi Pontificaliter Divinis vacaturi.

XII. Indulgentias impartiri, vel publicare non audeant absque expresso S. Sedis indulto.

XIII. Pontificales benedictiones cum trina Crucis productione in Missis tantum Pontificalibus, necnon Vesperis, & Matutinis Pontificaliter itidem celebratis licere sibi tantum meminerint. Privatim vero Populis quamvis pleno Jure subjectis, nisi expresse ipsis permissum fuerit, etiam Pontificalibus induti per Ecclesiam incedentes, benedicere non præsumant.

XIV. Præsente Episcopo sine speciali Sedis Apostolicæ permissu etiam Pontificaliter celebrantes, a benedictionibus cessent.

XV. Si Episcopus aderit, ipsius Sedes in cornu Euangelii, uno saltem gradu eminentior Abbatiali est erigenda, hæcque altero gradu humilior, ut dictum est, in cornu Epistolæ collocetur. A latere Episcopi, Canonici Cathedralis prope Abbatem Canonici, vel Monachi Monasterii, & Abbatialis Ecclesiæ consideant. Confessionem cum Celebrante Episcopus faciat, isque thus in Thuribulum imponat, Evangeliorum Textum osculetur, & Populo solemniter, (quamvis Abbas ipse Pontificaliter celebret) benedicat; Episcopus præterea trino ductu, & immediate Canonici Cathedralis duplici, moxque Abbas (nisi celebret) pariter duplici, ac subinde Canonici, vel Monachi Abbatialis Ecclesiæ unico tantum ductu thurificentur.

XVI. Abstineant tamen Episcopi, ubi consuetudo contraria non viget, a frequenti hujusmodi accessu ad Ecclesias exemptas in similibus actibus, ut liberius Abbates valeant suis uti privilegiis.

XVII. In Ordinationibus Canonicorum, Clericorum, Monachorum, necnon in vestitionibus Monialium, & emissione Professionis earundem etiam pleno sibi Jure subjectarum, in benedictionibus sacræ supellectilis, cæterisque actibus (Missarum, vesperarum, & matutinarum solemniis ter tantum in anno, ut præfertur, exceptis) neque in Ecclesiis, Oratoriis, aliisque locis tam publicis, quam privatis quantumvis exemptis, eisdemque Abbatibus pleno Jure subjectis, Mitram, Baculum, & quævis alia Pontificalia insignia, nisi de expressa Sedis Apostolicæ concessione adhibeant.

XVIII. Ecclesiasticam supellectilem pro servitio dumtaxat suarum Ecclesiarum, vel Monasteriorum benedicant.

XIX Reliqua Pontificalia extra loca ipsis Abbatibus subjecta, vel pro servitio alienæ Ecclesiæ, aut in subditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum exercere non valeant, puta Campanarum benedictiones, Calicum, & similium, in quibus sacra adhibetur unctio, necnon minorum Ordinum Collationes.

XX. Concionatoribus, qui eorum subditis verbum Dei prædicandi onus acceperint, benedictionem elargiri non præsumant, sed Episcopis, quibus jus hujusmodi privative competit, omnino dimittant.

XXI. In Missis privatis quoad indumenta, cæremonias, Ministros, Altaris ornatum, & benedictionis largitionem, a simplici Sacerdote non discrepent, ac proinde sacras vestes induant in Sacristia, neque utantur Cruce pectorali, unico sint contenti Ministro; aquam cum pelui, & urceolo argenteis sibi ministrari non sinant, duasque tantum candelas super Altari adhibeant.

His autem Sanctissimo relatis, & in Congregatione Sacrorum Rituum ordinaria, habita coram Sanctitate Sua per Eminentissimum, & Reverendiss. D. Card. Brancatium accurate perlectis, & mature discussis, Sanctitas Sua ea approbavit, & pro omnimoda eorundem observatione, mandavit Typis imprimi, ad valuas affigi, & publicari, ut elapso termino sex mensium a die publicationis eorundem, omnes, & singulos usu Pontificalium gaudentes, tam Seculares, quam Regulares quantumvis exemptos, & speciali expressione indigentes afficiant, & arctent, ac si omnibus, & singulis eadem adhibita, vel personaliter præsentata, intimata, seu notificata fuissent. Indulsitque præterea locorum Ordinariis, ut auctoritate Sedis Apostolicæ possint, immo debeant præfatos etiam per Censuras compellere.

Cumque nonnulli ex dictis Abbatibus, & Prælatis proprium habere possint Territorium, Juraque Episcopalia, nullisque subdantur Episcopis, qui eos coercere, si excesserint, valeant: eo casu a Sedis Apostolicæ Nuntiis, si aderint, sin minus ab Archiepiscopis, in quorum Provinciis, vel ab Episcopis Romano etiam Pontifici subjectis intra, vel prope quorum Dieceses, limites eorum Ecclesiæ, vel Monasteria sita fuerint, tanquam a Sancta Sede delegatis ad hujusmodi Decretorum observationem prædicti omnino cogantur. Die XXVII. Septembris MDCLIX.

## DECRETUM GENERALE.

CUm pluries Sacra Rituum Congregatio inhærendo Decretis alias editis, & signanter in Lucerina die XXII. Novembris MDCLXIV. XXVIII. Septembris MDCLXXV. & XIII. Martii MDCLXXXVIII. declaraverit, nullo modo dandum esse Euangelium ad osculandum Secularibus, etiam Præsidi in celebratione Missarum; necnon prohibuerit usum Baldachini, & præsertim in Acernina die XXVI. Junii MDCLXVI. Baren. V. Martii MDCLXVII. & XVII. Junii MDCLXXXIV. Marsicen. Polignanen. & Mileten. V. Martii MDCLXVII. Hieracen. die II. Octobris MDCLXXXIII. & Bitecten. XXIII. Septembris MDCLXXXIV. Ac insuper denegaverit Assistentiam in Presbyterio, & specialiter in Materanen. XXIV. Januarii MDCLXV.



Digitized by Google

Melphitana xv. Junii MDCLXXVII. & Baren. xx. Novembris MDCLXXVII. & xxii. Februarii MDCLXXXVII.

Eminentissimi, & Reverendissimi D.D. Cardinales eidem Sac. Congregationi Præpositi mandarunt, ut prædicta Decreta prohibentia personis Secularibus osculum Euangelii, usum Baldacchini, & Assistentiam in Presbyterio renoventur: & Copiæ illorum transmittantur Archiepiscopis, & Episcopis Regni Neapolis, eisdemque injungendo, ut illa intimari faciant Superioribus Ecclesiarum suæ Diœcesis, tam Secularibus, quam Regularibus; & in casu transgressionis, procedant etiam contra Regulares auctoritate ejusdem Sac. Congregationis ad pœnam Interdicti, & ita decreverunt, & in Ecclesiis Regni Neapolis omnino servari jusserunt. Die xiii. Martii MDCLXXXVIII.

DECRETUM GENERALE

SAcrorum Rituum Congregatio die xxii. Aprilis referente Eminentissimo Domino Cardinale Columna Ponente stetit in decisis die xiii. Martii MDCLXXXVIII. Et quoad Baldacchina, non tantum illorum usum, verum etiam retentionem, tam in Presbyterio, quam extra, in eodem Decreto comprehendi declaravit. Et ad effectum, ut memoria pereat similis abusus, mandavit, ut injungatur Archiepiscopis, & Episcopis Regni Neapolitani, quod Hastas, Gradus, Suppedanea, & quæcumque alia signa Baldacchini ab Ecclesiis suarum Diœcesum tam Secularium quam Regularium removere faciant: Et quoad Ecclesias Regularium procedant ad Interdicta, & contra inobedientes ad Censuras auctoritate Sacræ Congregationis eadem die vigesimasecunda Aprilis MDCXC.

Et facto de prædictis verbo cum Sanctissimo per me Secretarium, Sanctitas Sua annuit, sensum Congregationis approbavit, & laudavit, ac præmissum Decretum exequi omnino, & publicari præcepit, Die xxii. ejusdem mensis & anni MDCXC.

## LEGES, ET INSTITUTA CÆREMONIALIA
# BENEDICTI DECIMIQUARTI
## SUMMI PONTIFICIS JUSSU EDITA

### Pro provinciarum Præsidibus, Gubernatoribus Prælatis, & Apostolicis Vice-Legatis.

### CAPUT PRIMUM.

*Quomodo se gerere debeat Præses, aut Gubernator, seu Vice-Legatus in primo accessu ad suam Provinciam, vel Civitatem: & quid, dum in ea permanebit, erga illarum Antistites.*

STatim ac Præses, vel Gubernator Prælatus venerit in Provinciam, vel Civitatem temporali suæ jurisdictioni demandatam, digniorem de sua familia mittet ad Archiepiscopum, sive Episcopum inibi residentem, adventum suum patefaciendo, simulque significando se curaturum quamprimum, ut eum sollenniori, qua poterit forma, publice visitatum adeat.

Officio perhumaniter accepto, non immorabitur Antistes hanc Præsidis, seu Gubernatoris publicam visitationem prævenire, invisens illum privatim amiceque sub noctu brevioribus indutus vestibus nigri coloris; ac inter eundum, ut quælibet Nuncii forma devitetur, sciscitari duntaxat curabit, an Domi existat: quo comperto ascendet ad illum, qui eodem prorsus habitu erit indutus. In discessu respuet omnino Familiarium, atque luminum comitatum, ut privatæ visitationis assumptam methodum non excedat.

Præses autem, vel Gubernator pari sub forma Archiepiscopum, seu Episcopum continuo revisitabit, quamvis paucos post dies de hoc eodem visitationis actu sit ei publice & sollenniter satisfacturus.

Imminente itaque publicæ visitationis die, Præses, aut Gubernator illam Archiepiscopo, sive Episcopo, mane pro Vespere, & Vesperi pro subsequenti mane renuntiabit; & dum ad Episcopale Palatium se transferet, in limine Portæ Familiares, in summitate vero scalarum Antistitem ipsum, qui aliquos etiam gradus descendet, obviam habebit. Sicque comiter exceptus ad dexteram ipsius Antistitis in audientiæ aulam introducetur. Hinc postquam ambo in æqualibus sedibus e regione locatis, assidentes mutuis sese officiorum colloquiis ad libitum recreaverint, discedentem Præsidem, aut Gubernatorem, Archiepiscopus, vel Episcopus usque ad finem scalarum comitabitur: Familiares vero ipsius ad currum usque, non recessuri, donec Præses, seu Gubernator, prorsus abierit.

Præmisso item Nuncio, ut dictum est supra, diutius haud differet Archiepiscopus, sive Episcopus publicam restituere visitationem Præsidi, seu Gubernatori, qui occurrendo tam per se, quam per Familiares, sedendo, & comitando adamussim ea omnia servabit, quæ idem Archiepiscopus, aut Episcopus in ejus visitatione secum peregerat.

Quod si, residente jam Præside in Provincia, vel Gubernatore in Civitate, ad eam primo accesserit novus illius Ecclesiæ Antistes, tunc istius erit ante de adventu suo certiorem reddere Præsidem ipsum, vel Gubernatorem, qui hujusmodi recepto officio, visitabit quantocyus eum non jam private, sed enunciata sub forma publica: & ita ab Archiepiscopo, sive Episcopo subinde revisetur.

Adve-

Digitized by Google

Advenientibus Natalitiis Domini Feriis, Præses, aut Gubernator perget primus ad Archiepiscopum, sive Episcopum, ut illas ei faustas felicesque adprecetur: nec prætereundum quidquam tunc erit ex iis, quæ de prima publica visitatione dicta sunt. Idemque præstabit Archiepiscopus, seu Episcopus, quando Præsidem, aut Gubernatorem hoc omine vicissim erit prosequuturus.

Quamquam superius statutum sit, quod Archiepiscopus, aut Episcopus Domi ponere debeat a dextris Præsidem, seu Gubernatorem, secus tamen extra Domum servabit: quia semper, & in quocumque tertio loco, cum ipse, tum cæteri Provinciæ Antistites dexteram supra Præsidem, vel Gubernatorem retinebunt.

Quæ hactenus pro Præsidibus, & Gubernatoribus præscripta fuere, a Vice-Legatis etiam tam erga Archiepiscopum, quam Episcopos non Cardinales in locis eorum ditioni subjectis erunt omnino adimplenda.

## CAPUT SECUNDUM.

*Quo habitu induti Archiepiscopi, seu Episcopi, & Præsides, sive Gubernatores mutuo publicas Visitationes exequentur.*

QUotiescumque Archiepiscopus, vel Episcopus ad Præsidem, seu Gubernatorem diverterit, ut eum visitet in forma publica, sive ut in executione pro prima tantum vice Literarum Apostolicarum, Oratorium privatum in Palatio præfatorum Præsulum de novo erigendum approbet: supra talarem vestem capiet Mozzettam cum Roechetto discooperto. Et Domi eodem utetur habitu, dum accedentem ad se pro enunciatis publicis visitationibus Præsidem, seu Gubernatorem, aut Vice-Legatum suscipiet.

Archiepiscopus autem utens Cruce, nullatenus illam ante se deferri permittet in consimilibus actibus.

Talari etiam veste, Rocchetto, & Mantelletto amictus erit Præses, sive Gubernator, vel Vice-Legatus publice invisens Archiepiscopum, seu Episcopum; & quando eum pro publica visitatione, aliave de causa in publica forma advenientem excipere debet.

## CAPUT TERTIUM.

*De accessu Præsidis, aut Gubernatoris una cum Archiepiscopo, seu Episcopo Cappa induto, ad Metropolitanam, vel Cathedralem Ecclesiam pro publicis sollennibus Functionibus explendis.*

ANnuis sollennioribus festis diebus recurrentibus, qui *in Capite primo Libri secundi* Cæremonialis Episcoporum enumerantur, videlicet: Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, Assumptionis beatæ Mariæ Virginis, Omnium Sanctorum, Dedicationis Ecclesiæ Metropolitanæ, vel Cathedralis, Sancti Titularis illarum Ecclesiarum, & Patroni Civitatis: vel Festivitatibus aliis extraordinariis juxta peculiares locorum mores, & circumstantias, pari cum sollennitate celebrandis; Præsidis, vel Gubernatoris erit sub hora ab Archiepiscopo, seu Episcopo designata, & per certum Nuncium ei patefacta, una cum Magistratu se conferre intra Januam Episcopii. Eo quidem tempore, & nulla prorsus interposita mora Antistitem gradus scalæ descendentem adinveniet, quem post debita urbanitatis verba vicissim expleta, ipso Magistratu præeunte, usque ad Portam sive Metropolitanæ sive Cathedralis Ecclesiæ comitabitur Præses, seu Gubernator, semper ad ejus sinistrum latus incedendo.

Cum ambo in limine præfati ostii steterint, accipiet Archiepiscopus, sive Episcopus Aspersorium, & postquam se lustrali aqua munierit, de illa primum porriget per contactum Aspersorii ipsi Præsidi, vel Gubernatori: sicut ante ingressum cujuscumque alterius Ecclesiæ, aut privati Oratorii pariter cum eo semper faciet: ac deinde Capitulum, Magistratum, & circumstantem Populum asperget.

## CAPUT QUARTUM.

*De adoratione Augustissimi Sacramenti, atque inde progressu ad Altare majus: ubi de loco, & sella Præsidis, seu Gubernatoris, aut Vice-Legati: ac de recessu a Metropolitana, vel Cathedrali, Sacris actionibus absolutis.*

ARchiepiscopus, sive Episcopus aspersione completa, eo, quo venerat ordine, Eucharisticum Sacramentum in ejus Altari adoratum simul cum Præside, vel Gubernatore progredietur. Intra Cappellam, ubi illud asservari solet, genuflectent ambo: Antistes super ligneo Scabello (quod genuflexorium vocitatur) ante Altare accomodato, panno viridi, seu violaceo pro qualitate temporum cooperto, appositis pulvinaribus superius, & inferius. Præses autem, vel Gubernator in alio genuflexorio ex latere Evangelii præparato, violacei semper coloris panno, ac pulvinaribus instructo: non in æquali linea, sed per transversum locato; ac tali forma, ut illud Archiepiscopi, sive Episcopi respiciat. Ad Præsidis autem, vel Gubernatoris dexteram erit Magistratus directo ordine super pulvinaribus tantum genuflexus.

Post debitam Sacramenti venerationem, præstituto jam ordine procedetur ad Altare majus. Parum distans ab eo Archiepiscopus, sive Episcopus mutuis consalutationibus sese dividet a Præside, vel Gubernatore, qui, dum ille iterum oraturus ad suum Faldistorium, ut in eo procumbat, accesserit, petet & ipse residentiam suam hacce sub forma comparatam.

Prope, & inter Solium Pontificale, ac immobile consuetum scamnum pro Magistratu constituetur suppedaneum, unicus nempe ligneus gradus, in cujus planitie decens sedes Cameralis collocabitur. A tergo autem ipsius Sellæ attolletur



Digitized by Google

Postergale non prealtum, palmorum septem, aut octo, nec latum magis, quam sex, quod panno coloris violacei, nulla auri, argentive textura, sive ornatu distincto contegetur. Ante præfatam sedem congruum insuper apponetur genuflexorium, tapete, & pulvinaribus enunciati violacei coloris non absimiliter stratum, super quo Præses, aut Gubernator queat submittere genua. Haud tamen stabilis unquam, fixaque detinebitur inibi hujusmodi residentia, sed, sicut opportune apponenda, quoties Præses, vel Gubernator sacris erit interfuturus actionibus, ita singulis vicibus illico removenda, Functionibus ipsis expeditis.

Quando pro Concionibus commodius audiendis, Archiepiscopo, vel Episcopo discedendum erit a sua pontificali Cathedra fixa, ut propiorem locum e conspectu suggesti comparatum adeat, tunc si pro ipso Archiepiscopo, seu Episcopo Solium cum umbella fuerit ibidem erectum; pariter & pro eodem Præside, seu Gubernatore supradescriptum Postergale cum gradu, & sella præstabitur. Si autem Baldachinum nequaquam fuerit Antistiti exhibitum, tali casu parabitur absque Postergali dumtaxat sella, alteri Antistitis prorsus uniformis, ac similis.

Quoniam vero juxta diversas locorum consuetudines contingere potest, ut seorsum ab Archiepiscopo, aut Episcopo, vel ipso etiam astante, Præses, seu Gubernator, Divinis cum Magistratu interfuturus, ad aliquam Ecclesiam a Cathedrali, seu Metropolitana alienam divertere debeat: in hac etiam erit tunc præfata residentia pro Præside, vel Gubernatore comparanda, modo sit in illa pariter erectus, & comparatus Thronus Pontificalis pro Archiepiscopo, sive Episcopo; adeout, non erecto Pontificali Solio, neque residentia unquam sit attollenda.

Ea tamen uti poterit Præses, vel Gubernator, quoties alicujus Thesis disceptationi, aut literariis lusibus, consimilibusque puplicis actibus tamquam præcipuus, & principalis Patronus præerit, licet eo tempore nec appositus, nec apponendus unquam sit Thronus pro Archiepiscopo, seu Episcopo.

Post exactas sacras Functiones, quibus una cum Archiepiscopo, sive Episcopo Cappa induto astiterit Præses, vel Gubernator, repetendo augustissimi Sacramenti Altare profundendis in gratiarum actionem novis precibus ante illud, quidquid de primo ecceſſu statutum fuit, ad unguem servabitur. Nullatenus tamen in discessu sinet Archiepiscopus, seu Episcopus, se a Præside, vel Gubernatore rursus perduci usque ad januam proprii Palatii, sed ab illo commeatum accipiet in limine ipsius Ecclesiæ.

## CAPUT QUINTUM.

*De Thure, ac Pace Præsidi, seu Gubernatori, aut Vice-Legato deferendis: ac insuper de loco eorum pro accipiendis Candela, Cineribus, & Palma, nec non de adoratione Crucis Feria sexta in Parasceve.*

CIrca Thus, & Pacem omnimode servabitur dispositio Cæremonialis Episcoporum, & Præses, vel Gubernator, sive Vice-Legatus nunquam erit thurificandus a Presbytero, Archiepiscopo sive Episcopo Assistente, qui Antistitem ipsum in Vesperis Officium facientem, aut iis vel sollennibus ab alio celebratis Missis apud Solium astantem thurificavit. Sed duplici ductu ipsum Præsidem, seu Gubernatorem, aut Vice-Legatum post tres Canonicos in eodem Solio assistentiam Archiepiscopo, vel Episcopo exhibentes, atque una cum eo individuum corpus efformantes, solum debebit incensare Minister ille, cui subinde cæteros Canonicos de Choro, licet sacris indutos paramentis, inerit onus thurificandi. Et iste modus, & ordo quoad locum, & Personam servabitur in delatione Pacis. Eam etenim Præses, vel Gubernator, aut Vice-Legatus recipiet ab eo, qui distributurus mox erit illam enunciatis Canonicis in Choro existentibus.

Candelam in die Purificationis, & Palmam in distributione earum Præsidi, seu Gubernatori, aut Vice-Legato dabit ipsemet Archiepiscopus, sive Episcopus statim ac, propria recepta, alteram reddiderit digniori Canonico parato, a quo ipse suam prius receperat. Præses autem, aut Gubernator, seu Vice-Legatus, cum ascenderit ad Archiepiscopum, vel Episcopum, ut ab illo Candelam, seu Palmam accipiat, non genuflectet, sed stans ipsam capiet cum debitis osculis tum illius, tum manus Archiepiscopi, sive Episcopi eam sibi porrigentis. (*a*)

Stans pariter recipiet Cineres ab Archiepiscopo, vel Episcopo, postquam hic eos imposuerit Canonico in illa die Missam cantaturo.

Feria sexta in Parasceve, non celebrante Episcopo, Præses, vel Gubernator, aut Vice-Legatus ad Canonici Officium facientis sinistram incedendo ad adorandam Crucem procedet. Episcopo vero celebrante, ibit immediate post eum ante omnes Dignitates, & Canonicos.

## CAPUT SEXTUM.

*De generali Communione Feria quinta in Cœna Domini, quoad habitum, locum, & ritum Præsidis, seu Gubernatoris, vel Vice-Legati.*

QUando Præses, aut Gubernator, vel Vice-Legatus sit in Sacro Presbyteratus, seu Diaconatus ordine constitutus, quia multum decet, & convenit, ut cum aliis eo die communicet, adventante Communionis tempore, Cottam superinduet Rocchetto, cum Stolam sumere, & a collo, vel ab humero sinistro pendentem etiam habere debeat. Communionem primus omnium accipiet, & manum Archiepiscopi, sive Episcopi ante illam osculabitur

Si autem neutro fuerit charactere insignitus, cunctorum primus pariter ad communicandum procedet, Rocchetto, & Mantelletto tantumodo indutus.

(*a*) Videsis quæ de ritibus hisce, ac aliis id genus in hoc Cæremoniali notatis, in Commentariis ad II. nostri Cæremonialis Librum scripsimus.

CA-

Digitized by Google

## CAPUT SEPTIMUM.

*De mutuis reverentiis inter Ecclesiarum Antistites, & Præsidem, sive Gubernatorem, aut Vice-Legatum: deque salutatione Concionatoris erga alterutrum.*

POntificalis salutatio regulariter inter sacras actiones in eo consistit, ut manu aperta singulis benedicat: nihilominus, ut a communi cæterorum Fidelium cœtu velut filiorum spiritualium Antistiti subjectorum distinguatur Præses, sive Gubernator, vel Vice-Legatus: sicut erga Canonicos servari jubet Cæremoniale Episcoporum *Libro primo Capite decimo octavo*, oportebit, ut Archiepiscopus, seu Episcopus capitis inclinatione Præsidem, vel Gubernatorem, aut Vice-Legatum salutet, quoties ad sedem suam ascendere, seu ab illa descendere incipiet; eique Præses, sive Gubernator, vel Vice-Legatus cominus bireto deposito assurgens mutuam rependet salutationem, caput similiter inclinando.

Verum enim vero in hujusmodi consalutationibus exequendis regula a laudato Episcoporum Cæremoniali eodem in capite designata omnino erit attendenda, videlicet: ut dignitate gradus minime attenta, sed præ oculis actionis modo, & commodo dumtuxat posito, reverentia semper fiat *primo ei, a quo disceditur, & ultimo ei, ad quem itur, nullo habito respectu, quis eorum sit major*. Sicque quælibet præeminentiarum, & præcedentiarum discrepantia, quæ forsan Canonicos inter, & enunciatos Præsules fuisset unquam exorta, prorsus dirimetur.

Quos quidem reverentiales mutuos actus omittere necesse erit in Matutinis Tenebrarum, per integram Feriam sextam in Parasceve, ac Sabbatho Sancto usque ad sollennem Missam exclusive. Sicut etiam in singulis Mortuorum Officiis, quæ obvenire fortasse poterunt. Consentaneum quippe hoc erit legi, & praxi usque adhuc servatæ abstinendi in præfatis conventibus etiam a benedictionibus tum sollennibus, tum privatis, & Cleri inferioris, & Populi circumstantis, utpote quæ sunt actus potestatis, & sollennitatis, luctuosis hisce actionibus repugnantes.

Concionator vero salutationem hujusmodi nunquam prætermittet, sive eadem Feria sexta in Parasceve sermonem de Passione, sive de laudibus alicujus Defuncti post mortualem Missam sit facturus, prout in præcitati Cæremonialis Episcoporum Libro secundo, Capite XI. & XXV. super utroque casu decernitur. Et ideo post illam primo loco debitam Episcopo, vel Archiepiscopo, speciatim versus Prætidem, seu Gubernatorem, aut Vice-Legatum reverentiam aliam semper faciet.

## CAPUT OCTAUM.

*Præsidi, vel Gubernatori in incessu variatur locus, quando Episcopus, vel Archiepiscopus fuerit sacris Paramentis indutus.*

QUod in superiori Capite tertio stabilitum, fixumque fuit circa locum Præsidis, seu Gubernatoris accedentis cum Episcopo, sive Archiepiscopo ad Ecclesiam, & ab Altari Augustissimi Sacramenti divertentis ad principem Aram, ut scilicet ad sinistram ipsius Antistitis incederet, est solummodo intelligendum, quando Archiepiscopus, vel Episcopus fuerit sola Cappa Pontificali indutus. Nam de cœtero, si sacris indumentis exornatus processerit, sive, ut Deo Sacrificium offerat, sive publicis sollennibusque supplicationibus cum Pluviali intersit, ibit Præses, aut Gubernator in habitu suo ordinario, hoc est, Mantelletto supra Rocchetto, non amplius ad sinistram, sed immediate post Archiepiscopum, seu Episcopum.

## CAPUT NONUM.

*De Archiepiscopi, sive Episcopi descensu in Ecclesiam per Scalam interiorem, & privatam Portam.*

SI ob aeris intemperiem, aut peragendarum Functionum qualitatem, seu ob aliam quamcumque causam, aptiorem commodioremque adjudicaret Antistes descensum in Metropolitanam, seu Cathedralem, tam obeundi gratia omnes illas sacras actiones a Cæremoniali circumscriptas, quam alias ab eo minime definitas, per Scalam interiorem Palatii in ipsammet Ecclesiam porrigentem, Præsidis aut Gubernatoris tunc erit, præstituta sub hora una cum Magistratu ad eam accedere, & in illa Antistitem jam Cappa indutum, descendentem officiosis verbis excipere, ac subinde comitari, prout supra fusius explicatum est. Quæ quidem obviatio a solo etiam Magistratu erit explenda, Præside, aut Gubernatore absente.

## CAPUT DECIMUM.

*Quo accedere debeat Magistratus, ut Archiepiscopo, seu Episcopo inserviat, absente Præside, vel Gubernatore: ac generatim de loco illius in incessu, adsit, vel absit Præses, aut Gubernator.*

MAgistratus secularis, quotiescumque legitimo impedimento detentus abfuerit Præses, vel Gubernator, non ad ostium Episcopii tantum, sed superius ascendere debebit in Aulam, seu Cubiculum ab Archiepiscopo, vel Episcopo ad hoc destinatum: atque ibi præstolari, ut eum, postquam fuerit opertus Cappa, progredientem ad Ecclesiam comitetur, & deducat; procedetque autem immediate ante illum, sit quidem præsens, aut absens Gubernator, aut Præses.

Quod si fuerit Archiepiscopus utens Cruce, tunc Magistratus ibit immediate ante ipsam Crucem. Nullus enim inter eam, & Archiepiscopum incedere debet, cum sit peculiare ipsius insigne.

## CAPUT UNDECIMUM.

*Quid si Archiepiscopus, vel Eiscopus Cardinalitia præstet dignitate?*

SI Archiepiscopus, sive Episcopus non pontificali dumtaxat refulgeat potestate, sed præter hanc

Digitized by Google

hanc Cardinalatus superemineat dignitate, quoties Eminentia sua erit descensura in Ecclesiam, tempestive Præses, aut Gubernator aderit in ejus Aula, seu Cubiculo præsignato, ut in illius obsequiis, comitatuque sit, cum progredietur: & tunc præunte omnino Magistratu, permittet Cardinalis, ipsum Præsidem, aut Gubernatorem ad sui sinistram incedere.

In limine Ecclesiæ, postquam Cardinalis Episcopus, seu Archiepiscopus lustrali se aqua signaverit, Aspersorium tangendum porriget Præsidi, vel Gubernatori, qui deinde apud Augustissimi Sacramenti Aram genuflectet super unico tantum pulvinari, quod ei præstabitur in terra post Eminentiam Suam in consueto genuflexorio procumbentem.

Postergali prorsus amoto, residentia pro ipso Præside, vel Gubernatore apud Altare majus relinqui poterit quoad cætera ornatus genera, prout in Capite quarto describitur.

Si audiendi causa Conciones exegerit commoditas, ut pro Cardinali alius aptetur locus sermocinaturo propinquior: Eminentiæ Suæ præstanda quidem erit prænobilis Sedes supra ligneum gradum tapete contectum, non omisso, ut desuper dependeat Baldachinum. At Præsidi, sive Gubernatori nil aliud quam inferior Sella super nudo pavimento, & aliquantulum post illam Cardinalis locata, exhibebitur.

Consueta Concionatoris reverentia unice ad ipsum Cardinalem dirigetur. Quod generatim, & universe ab aliis etiam sermonem quacumque de causa habentibus, præsente Cardinali, erit inconcusse adimplendum.

Sacris actionibus expeditis, nisi aliter Archiepiscopo, seu Episcopo Cardinali visum fuerit, & Præses, vel Gubernator, & Laicus Magistratus Eminentiam Suam iterum comitabuntur ad Cameram usque, sive Cubiculum, unde procedentem susceperant.

## DECRETUM.

CUM Sanctissimus Dominus Noster Benedictus Papa XIV. ex Cardinalibus, qui Congregationibus Sacrorum Rituum, & Cæremoniali præpositi sunt, quatuor selegisset, Eminentissimos nempe Rufum Sacri Collegii Decanum, Lercarium, Accorambonum, & de Gentilibus, ut ab eisdem uniforme statueretur Cæremoniale a Provinciarum Præsidibus, Gubernatoribus Prælatis, & Vice-Legatis in suis respective Provinciis, vel Civitatibus, Sanctitate Sua prius approbante, posthac perpetuo, & inconcusse observandum. Ipsi Eminentissimi Patres pluribus idcirco præhabitis sessionibus, hæc, quæ sequuntur, mihi peculiaris hujus Congregationis Secretario, Sanctitati Suæ referenda demandarunt.

Factaque per me de infrascriptis omnibus Sanctitati Suæ relatione, Sanctissimus non tantum ea approbavit, verum etiam pro omnimoda illorum observantia publicari mandavit. Hac die XVIII. Aprilis MDCCXLI.

## CONSTITUTIO PONTIEICIA

*Super approbatione, & usu præsentis Cæremonialis pro Archiepiscopis, sive Episcopis, ac Præsidibus, Gubernatoribus, & Vice-Legatis.*

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

QUod Apostolus universis Christifidelibus consulebat, ut inter cætera officia sibi pariter exhibenda honore etiam sese invicem prævenirent, & honorem tamquam debitum, cui deferendus esset honor, redderent; id maxime ab Antistitibus, & Præsulibus vicissim inter sese in mutua tam civilium, quam sacrorum Officiorum exhibitione præstandum esse intelligentes Romani Pontifices Prædecessores nostri, per Cæremoniale Episcoporum juxta uniuscujusque Ordinis, gradus, & dignitatis conditionem, Leges, & Statuta, quibus integerrime servatis, & unicuique ratio haberetur, & nemini inferretur præjudicium, sapientissime præscripserunt. Quoniam autem quosdam abusus in honoribus sibi invicem deferendis inter Venerabiles Fratres Archiepiscopos, & Episcopos ex una, & inter dilectos filios Provinciarum Status nostri Ecclesiastici Præsides, Gubernatores Prælatos, & Apostolicos Vice-Legatos ex altera parte, quocumque pacto, ac tempore atiam immemorabili irrepsisse jamdudum, etiam dum in minoribus essemus, noveramus, ut eosdem penitus adimeremus, ne ullus unquam imposterum querelis, ac dissidiis inter utrosque forsan oborientibus pateat aditus, nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, qui Congregationibus Sacrorum Rituum, & Cæremoniarum præpositi sunt, negotium dedimus, ut Leges, & Instituta Cæremonialia pro corrigendis, & auferendis iisdem abusibus opportuna, & salutaria conderent. Hujusmodi vero Leges, & Instituta Cæremonialia ab iisdem Cardinalibus præscripta, & a Nobis inspecta cum probassemus, quo firmius subsistant, & serventur exactius, tenore præsentium, Apostolica auctoritate approbamus, & confirmamus, atque ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & in futurum spectabit, perpetuo observanda esse statuimus, præcipimus, & mandamus. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore; suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibuscumque in contrarium præmissorum quomodolibet facientibus. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus

Digitized by Google

cujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xv. Maji MDCCXLI. Pontificatus Nostri Anno Primo.

# INDEX CAPITUM LIBRI I. ET II.

## Quæ in antiquis Cæremonialibus leguntur, quorum loco in nova hac Editione ipsis Capitibus argumenta præfixa sunt.

### LIBER PRIMUS.


*De Habitu, & aliis agendis per Episcopos nuper electos.* Cap. I.

*De primo accessu Episcopi, vel Archiepiscopi ad suam Diœcesim, vel Provinciam.* Cap. II.

*De Habitu ordinario Archiepiscopi, & Episcopi in sua Provincia, Diœcesi, vel Civitate.* Cap. III.

*Quomodo se gerere debeat Episcopus, vel Archiepiscopus circa Benedictiones, & alia Episcopalia munia in sua Diœcesi, vel Provincia: Et quid si Legatus Apostolicus, aut Cardinalis non Legatus, vel Nuntius, aut aliquis Prælatus ibidem sit.* Cap. IV.

*De Officio Magistrorum Cæremoniarum.* Cap. V.

*De Officio Sacristæ.* Cap. VI.

*De Officio Presbyteri Assistentis tam in Vesperis, quam in Missis.* Cap. VII.

*De Assistentia duorum Canonicorum in habitu Diaconi, Episcopo celebrante, vel eo non celebrante, in habitu ordinario.* Cap. VIII.

*De Officio Diaconi in Missa solemni, Episcopo, vel alio, celebrante.* Cap. IX.

*De Officio Subdiaconi in eadem Missa Pontificali solemni.* Cap. X.

*De numero, qualitate, & Officio ministrorum servientium Episcopo in Divinis, videlicet de Libro, de Candela, de Baculo, de Mitra, de Thuribulo, de Candelabris, de Gremiali, de Ampullis, & de Abaco.* Cap. XI.

*De Ornatu Ecclesiæ, & de præparandis in ea ante adventum Episcopi.* Cap. XII.

*De Sedibus Episcopi, Legati, Cardinalium, Prælatorumque, necnon Principum, Magistratuum, Virorumque illustrium in Ecclesiis collocandis, ornandisque.* Cap. XIII.

*De usu Umbraculi, seu Baldachini.* Cap. XIV.

*De Habitu Ecclesiastico Episcopi, & Canonicorum, & de accessu ad Ecclesiam, & reditu eorundem,* Cap. XV.

*De Pallio, & ejus usu.* Cap. XVI.

*De Mitra, & Baculo pastorali.* Cap. XVII.

*De Reverentiis, & genuflexionibus, sessionibus, & assurgendi modis, observandis tam per Episcopum, & Canonicos, quam alios quoscumque, sive in Ecclesia, sive extra eam. Et de osculationibus manuum Episcopi, vel Celebrantis.* Cap. XVIII.

*De ordine, & modo jungendi, disjungendi, elevandi, tenendique manus per Episcopum, vel alterum Celebrantem, & quomodo vertere, & convertere se debeat ad Altare, vel Faldistorium, & e contra, & de osculatione Altaris.* Cap. XIX.

*De Libro tenendo apud Episcopum non celebrantem, sed in Vesperis, aut in Missa solemni præsentem, & quid ex eo legere debeat.* Cap. XX.

*De Circulis infra Missam solemnem, quæ coram Episcopo celebratur, faciendis ante Episcopum, qualiter, & quoties.* Cap. XXI.

*De Concionibus, seu Sermonibus infra Missam solemnem habendis, seu post Missam in funere Episcopi, aut alicujus magni viri, & de habitu Sermocinantis.* Cap. XXII.

*De ordine, & modo imponendi thus in thuribulum, illudque benedicendi, & de thurificatione in Vesperis, & Missis solemnibus.* Cap. XXIII.

*De ordine dandi Pacem.* Cap. XXIV.

*De forma dandi Benedictionem solemnem ab Episcopo, & publicandi Indulgentiam, ubi, quoties, & quando.* Cap. XXV.

*De supplendis vicibus Canonicorum, aliorumque ministrorum deficientium.* Cap. XXVI.

*De Orationibus, seu Collectis, & diversis earundem tonis.* Cap. XXVII.

*De Organo, Organista, & Musicis, seu Cantoribus, & norma per eos servanda in Divinis.* Cap. XXVIII.

*De Missa, quæ sine cantu ab Episcopo celebra-*


Digitized by Google

*bratur*. Cap. XXIX.
*De Missa, quæ sine cantu coram Episcopo celebratur in locis suæ jurisdictionis*. Cap. XXX.
*De Ritibus, & Cæremoniis observandis in Synodo Provinciali, vel Diœcesana*. Cap. XXXI.

## LIBER SECUNDUS.

*De Vesperis solemnibus, Episcopo in crastinum celebraturo*. Cap. I.
*De Vesperis solemnibus, Episcopo in crastinum non celebraturo*. Cap. II.
*De Vesperis in Ecclesiis Cathedralibus, absente Episcopo, vel in Collegiatis, solemniter celebrandis*. Cap. III.
*De Completorio*. Cap. IV.
*De Matutinis præsente Episcopo*. Cap. V.
*De Matutinis in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis, absente Episcopo*. Cap. VI.
*De Laudibus, reliquisque Horis Canonicis*. Cap. VII.
*De Missa solemni, Episcopo celebrante*. Cap. VIII.
*De Missa solemni, quæ coram Episcopo celebratur*. Cap. IX.
*De Vesperis, & Matutinis pro Defunctis*. Cap. X.
*De Missa Pontificali pro Defunctis per Episcopum celebranda, & de sermone, & absolutionibus post Missam*. Cap. XI.
*De Missa pro Defunctis, quæ coram Episcopo celebratur*. Cap. XII.
*De Vesperis, & Missis in Dominicis Adventus, sive ab Episcopo, sive ab alio, præsente Episcopo, celebrandis*. Cap. XIII.
*De Vigilia Natirvitatis Domini Nostri Jesu Christi, & de Matutinis, & Missa in nocte celebranda*. Cap. XIV.
*De Festis, quæ occurrunt usque ad diem Purificationis Beatæ Mariæ Virginis solemniter celebrandis*. Cap. XV.
*De Festo Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, & Benedictione, ac distributione Candelarum*. Cap. XVI.
*De Festo Purificationis Beatæ Mariæ Virginis in Cathedralibus, absente Episcopo, & in Collegiatis*. Cap. XVII.
*De Officio, & Missa in Feria Quarta Cinerum, Episcopo celebrante, vel non celebrante, sed præsente*. Cap. XVIII.
*De eadem Feria Quarta Cinerum, Episcopo absente, & in Collegiatis*. Cap. XIX.
*De Dominicis Quadragesimæ usque ad Dominicam Palmarum*. Cap. XX.
*De Officio, & Missa in Dominica Palmarum*. Cap. XXI:
*De Matutinis Tenebrarum Quartæ, Quintæ, & Sextæ Feriæ majoris Hebdomadæ*. Cap. XXII.
*De Officio, & Missa Feriæ Quintæ in Cœna Domini*. Cap. XXIII.
*De Mandato, seu lotione pedum*. Cap. XXIV.
*De Officio Feriæ Sextæ in Parasceve, Episcopo celebrante*. Cap. XXV.
*De eodem Officio, Episcopo non celebrante, sed præsente, aut etiam absente, & in Collegiatis Ecclesiis*. Cap. XXVI.
*De Sabbato Sancto, Episcopo celebrante*. Cap. XXVII.
*De Sabbato Sancto Episcopo non celebrante, sed præsente, vel absente, & in Collegiatis*. Cap. XXVIII.
*De Missa Solemni in die Paschæ, Episcopo celebrante, & de Communione generali*. Cap. XXIX.
*De eodem Festo Paschæ, Episcopo absente, & in Collegiatis*. Cap. XXX.
*De Dominicis per annum*. XXXI.
*De Litaniis, & Processionibus majoribus, & minoribus, quæ singulis annis fiunt*. Cap. XXXII.
*De Festo Sanctissimi Corporis Christi, & Processione*. Cap. XXXIII.
*De aliis Festis in genere, in quibus solemniter est celebrandum ultra superius expressa*. Cap. XXXIV.
*De Anniversariis diebus Electionis, & Consecrationis Episcopi, solemniter celebrandis*. Cap. XXXV.
*De Anniversario Episcopi proxime defuncti*. Cap. XXXVI.
*De Anniversario omnium Episcoporum, & Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis defunctorum*. Cap. XXXVII.
*De ægrotatione, morte, funere, & exequiis Episcopi, & de Supplicationibus ad Deum pro opportuna novi Episcopi electione impetranda*. Cap. XXXVIII.
*De Tono confessionis recitandæ per Diaconum post sermonem, & de forma Indulgentiæ publicandæ per Sermocinantem, ac de benedictione danda per Episcopum post sermonem*. Cap. XXXIX.

CÆ-

Digitized by Google



# CÆREMONIALIS EPISCOPORUM LIBER I.

## CAP. I.

*Corona nuper electi ad Cathedram Metropolitanam, Episcopalem, seu majorem. Vestium forma, & color. Quid agere debeant Electi in Curia præsentes. Quid absentes. Vestes eorum, qui ex Ordinibus Regularibus, aut militaribus assumuntur.*

### §. I.

Cum primum aliquis certior factus fuerit, se alicui Ecclesiæ Metropolitanæ, Cathedrali, vel majori a summo Pontifice in Consistorio præfectum, sive ille in Curia Romana degat, sive ab ea absens sit, statim curabit sibi amplam coronam in capite decenter formari. Tunc, & non prius super vestem inferiorem talarem, cum extra domum exibit, induet aliam vestem breviorem apertam, ita ut per scissuras brachia extrahi possint, quod genus vestis mantellettum vocant. Vestes autem hujusmodi erunt, vel ex lana, vel ex camelotto coloris violacei, nullo autem modo sericæ.

### COMMENTARIUS.

I.

Lectio Episcoporum multis seculis præsertim in Ecclesia Latina suffragio Cleri, ac bono Populi testimonio facta est, uti jam non uno in loco fuse ostendimus, tum in nostris ad Oecumenicas Synodos, earumque sacros Canones Commentariis, tum etiam in Commentariis illis, quibus Romanum Pontificale jam explicuimus. Ea autem non fuit hujus electionis vis, sive auctoritas, ut necessario is esset ordinandus, quem Clerus, & Populus elegisset, sed penes Metropolitanum una cum Episcopis suffraganeis suis jus fuit electionem, Electumque examinare, utrum illa canonica esset, & hic ad Ecclesiam regendam, onusque Episcopale sustinendum sufficiens. Seculo quidem XIII. Innocentius III. novam delineans futuris electionibus formam in Concilio Lateranensi IV. quod habitum fuit anno Christi MCCXV. Cap. XXIV.



Digitized by Google

iis tum Laicos, tum Episcopos Provinciæ abegit. Præscripto enim triplici tantum electionum genere, scrutinio, compromisso, & adoratione, seu inspiratione, in scrutinio describendo, quod genus electionis longe usitatissimum est, aperte prodidit, totam suffragiorum potestatem penes unum esse Capitulum Ecclesiæ Cathedralis. Declaravit enim, scripto consignatis suffragiis omnibus, eum cæteris præferendum, cui major, vel sanior Capituli pars suffragata fuerit: *Is collatione adhibita eligatur, in quem omnes, vel major, vel sanior pars Capituli consentit*. Proscribit mox in eodem Concilio Pontifex electiones *per secularis potestatis abusum* factas, pœnasque in Metropolitanos definit, qui minus Canonicas confirmarent electiones.

II. Quamquam autem penes Metropolitanum jus esset confirmare Electos a Cathedralium Ecclesiarum Capitulis, atque, ut ait Thomassinus Parte II. *Disciplinæ*, Lib. II. Cap. VIII. ita res ordinario haberet, ut Romanus Pontifex, nec sui Patriarchatus universos Episcopos confirmaret, sed eos solum, qui in Provinciis erant suburbicariis, nihilominus tamen Seculo ipso XIII. & XIV. factum est, ut plerorumque Episcopatuum provisiones ad Romanum ipsum Pontificem devolverentur; sive quod electiones intra terminum præfixum non fierent; sive quod ipsæ electiones, vel confirmationes essent vitiosæ, quarum innumera pene exempla in Decretalibus occurrunt tum Gregorii IX. tum Bonifacii VIII. ad Titulum, *De electione*, sive quod Apostolica dispensatione indigerent, sive tandem, ut alias omittam causas, quod sæpe seditionibus, & violentia turbatæ electiones, in bella, & clades, vel saltem in longissimas lites desinerent. Hæ quidem causæ Romanis Pontificibus vel etiam antiquitus ansam dedere, reservandi sibi nonnunquam jus providendi Ecclesiis, quæ maxime periclitabantur. Ab his vero processum est postea ad generales reservationes in certis casibus, veluti siquis Episcopus diem suum in Romana Curia obiisset; atque ita Bonifacius VIII. qui alias diplomate suo contestatus est, se illorum Ecclesias, qui in Curia obibant, non alio consilio, aut fructu Sedi Apostolicæ reservare, quam ut eas viris commendaret præstantissimis, S. Ludovicum ad Episcopatum Tolosanum nominavit, & Mimatensem Episcopatum Guilielmo Durando Ordinis Prædicatorum viro undequaque docto, Theologo, utriusque juris Consulto, ac rei ritualis peritissimo, & insigni Scriptori contulit, qui in Romana Curia perinde ac Tolosanus vacaverat.

III. Ante Bonifacium VIII. jam Clemens IV. qui anno MCCLXV. electus fuit Pontifex Maximus, non modo Episcopatus, sed & quæcumque alia Beneficia, quæ apud Apostolicam Sedem vacarent, eidem Sedi Apostolicæ reservavit, peculiari edita Constitutione, quæ extat in Cap. II. *De præbendis*, in VI. ubi postquam dixit, Ecclesiarum, Personatuum, Dignitatum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum plenariam dispositionem ad Romanum Pontificem pertinere, ait mox, ea se tantum Beneficia reservare, quæ in Curia Romana vacarent, quod *specialius ceteris* hujusmodi Beneficiorum vacantium collationem *antiqua consuetudo Romanis Pontificibus reservavit*. Sunt, qui hanc Constitutionem Clementi Papæ III. adscribunt, quod tamen falsum est, ut pluribus probat Vanespen Parte II. Juris universi Ecclesiastici, Tit. XXIII. Cap. III. Num. III. Quicquid sit, idem jus sequentes Pontifices asseruerunt, inter quos memoratus superius Bonifacius VIII. in Cap. *Si Papa* X. *De privilegiis*, in VI. constanter ait, de Jure communi omnes Ecclesias per Orbem diffusas ad Romanam Ecclesiam pertinere. Hinc Benedictus XI. qui immediate Bonifacio in Pontificatu successit, anno MCCCIII. Constitutionem, & ipse dedit suam, quæ incipit, *Sancta Romana*, legiturque inter extravagantes Constitutiones communes ad Titulum, *De electione*, qua statuit, ne quatuor Patriarchalibus Sedibus vacantibus, Constantinopolitana scilicet, Alexandrina, Antiochena, & Hierosolymitana, Canonici earum providere Patriarchas auderent, inconsulto Romano Pontifice Maximo.

IV. Illud idem jus a laudatis Pontificibus assertum Clemens deinde Papa V. non immediatus Bonifacii VIII. successor, ut non recte ait Vanespen loco citato Cap. I. Num. XXVII. sed post Benedicti obitum, in ejus locum anno MCCCV. suffectus, etiam in Beneficiis ad collationem Ordinariorum spectantibus tanquam indubitatum Sedi Apostolicæ vindicavit in Clementina I. Tit. *Ut lite pendente &c.* Postquam enim declarasset, Beneficium extra Curiam vacans, ad provisionem Ordinarii spectare, hanc addidit Clausulam: *Salva tamen in præmissis omnibus Romani Pontificis potestate, ad quem Ecclesiarum, Personatuum, Dignitatum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum plena, & libera dispositio, ex suæ potestatis plenitudine noscitur pertinere*. Idem Pontifex rursus reservationem Beneficiorum apud Sedem Apostolicam vacantium renovavit in extravagante Constitutione III. *De præbendis*, ubi eam etiam clausulam addidit: *Hac reservatione nostra & Decreto ligari volumus ignorantes*.

V. Quantum querelarum effusum sit de reservationibus hisce Romanorum Pontificum in Concilio Viennensi Oecumenico, quod habitum fuit anno MCCCXI. egregie ostendit Thomassinus Parte II. *Disciplinæ*, Lib. I. Cap. XLIV. Num. I. ubi inter alia affert locum egregii Opusculi, & vere aurei, quod jussu ejusdem Clementis V. Gulielmus Durandus Episcopus Mimatensis publicavit, Conciliique Patribus obtulit; in eo enim varia capita continebantur, quæ emendatione egere viderentur. Verum utcumque elaboratum sit in ipso Concilio ad faciendam, temperandamque his malis medicinam, nihilo tamen minus in reservationibus Beneficiorum constans fuit Clemens, qui etiam Archiepiscopatum Cantuariensem reservavit sibi, vacantemque contulit anno MCCCXIII. eliminato eo, qui electus fuerat, ut testatur in sua Historia Valsingamus ad prædictum annum MCCCXIII.

VI. Successit Clementi V. anno MCCCXVI. Joannes XXII. isque non modo eandem reservationem renovavit in extravaganti Constitutione IV. citato

Digitized by Google

citato Titulo, *De præbendis*, sed insuper aliam addidit, quæ incipit, *Execrabilis*, Tit. eodem, ubi multa reservationum Capita complexus est. Is anno MCCCXX. cum reservasset sibi Episcopatum Vintoniensem tum vacantem, rescidit iccirco electionem factam a Monachis Pontificiæ reservationis minus observantibus, unumque e suis Clericis promovit, qui solemniter inauguratus fuit in Ecclesia S. Albani, quæ immediate suberat potestati Romanæ Sedis. Hunc Joannem XXII. vulgo existimant prima jecisse fundamenta Regularum Cancellariæ, quas ejus Successores publicarunt, auxeruntque usque ad Nicolaum V. a quo in eam, quæ nunc sunt, redactæ sunt formam; tametsi tum Sixtus V. tum Clemens deinde Papa VIII. aliqua addiderint, uti observat memoratus Vanespen Cap. IV. Num. IX. & X.

VII. Vestigia prædecessorum Pontificum sequutus Benedictus Papa XII. immediatus Joannis XXII. anno MCCCXXXIV. successor, publicavit mox anno MCCCXXXV. celebrem suam Constitutionem, *Ad regimen*, quæ extat inter extravagantes, Tit. *De præbendis*, quæque quamplurimas complectitur reservationes, cum veteres, tum novas. Reservat enim, ut idem Thomassinus notat, & cuique illam legenti patet, I. Episcopatus, Abbatias, & Beneficia prorsus omnia, quæ vacarint in Curia, aut intra duas dietas, seu morte, seu depositione, privatione, translatione, aut suspensione Consecrationis. II. Beneficia item omnia, quorum electiones, aut postulationes irritatæ fuerint, aut rejectæ, vel quorum resignationes admissæ. III. Quicquid Beneficiorum vacat morte Cardinalium, vel Romanæ Curiæ Officialium. IV. Abbatias, Prioratus, & alia eorum Beneficia, quibus Abbatias, vel Episcopatus confert Sedes Apostolica. V. Beneficia omnia quæ vacabunt, ut incompatibilia cum iis, quorum quis largitate Sedis Apostolicæ adeptus fuerat collationem, & pacificam possessionem.

VIII. Hæc Pontifex ipse Benedictus XII. in ea Constitutione sibi reservavit in omne Pontificatus sui tempus, eaque, ut laudatus Auctor autumat, rudimenta erant Regularum Cancellariæ, quarum secunda Pontifici reservat Ecclesias omnes Episcopales, & Abbatiales Christiani Orbis, quarum reditus superant ducentos florenos. Tertia reservat Dignitates omnes Cathedralium, quæ principem locum tenent post Episcopatum. Primas item Collegialium, Prioratus, aliasque Dignitates Conventuales. Inde est, ut ait Fagnanus in Cap. *Nullus*, *De electione*, quod in electionibus nullus est jam in Italia, & Hispania residuus locus, ubi hæ reservationes usu receptæ sunt. Octava reservat Pontifici octo menses, quatuor tantum Episcopis permittit ad nominationem omnium Beneficiorum. Hasce solet Pontifex Regulas promulgare immediate post suam Ordinationem, de iisque videri possunt, qui in eadem peculiares Tractatus scripsere, quos inter recensendus est Nicolaus Rigantius, cujus Opus posthumum ad Romanæ Curiæ utilitatem ejusdem ex fratre nepos Nicolaus Rigantius quantocius est editurus in lucem.

IX. Nequis vero iniquo ferens animo hujusmodi reservationes, perperam de Romanorum Pontificum actionibus suspicetur, observandum est cum Rainaldo, & Spondano ad annum MCCCXXXV. aliisque cordatis Scriptoribus, non alio incitamento eas reservationes ipsum Pontificem Benedictum XII. fecisse, quam, ut dignioribus quibusque, & aptioribus personis Episcopatus, & cetera Beneficia conferret, ut idem testatur in citata extravagante sua Constitutione, *Ad regimen*, dicens quod in desideriis gereret, *quod per suæ diligentiæ studium ad quarumlibet Ecclesiarum, & Monasteriorum regimina, & alia beneficia Ecclesiastica juxta divinum beneplacitum, & suæ intentionis effectum, viri assumantur idonei, qui præsint, ac prosint committendis eis Ecclesiis, Monasteriis, & Beneficiis prælibatis*. Certe magnam adhibuisse hunc Pontificem in conferendis Beneficiis cautionem, omnes uno ore ejus Vitæ Scriptores affirmant apud Pagium de Pontificum Vitis Tomo II. ubi ejusdem Vitam enarrat. Teste Oldrado insigni ejus ævi Jurisconsulto, solitus ille erat dicere, *nolle se lutum ornare*; & ut ait coævus ei scriptor Ptolomæus Lucensis in sexta illius Vita apud Baluzium, erat *adeo justus, & durus, ut Beneficia dispositioni Apostolicæ reservata vix conferre vellet, timens, ne conferret indignis*.

X. Eadem jam ante charitate enituit Bonifacius VIII. quippe qui non alio animo plures reservationes, & provisiones Episcopatuum, ac Beneficiorum in Regno Galliæ fecit, quam ut iis donarentur Viri pauperes, probi, ac literati. Id sane patet ex literis Cardinalium, quas anno MCCCII. in Gallias miserunt ad purgandum Bonifacium, quem Galliæ Barones literis suis ad Cardinales datis carpebant, styloque acriore plures illas provisiones pungebant. Extant hæ literæ Tomo IV. *Historiæ Universitatis Parisiensis*. Inter alia autem Cardinales in commendationem Bonifacii ajunt, neminem Prædecessorum Pontificum tanto incensum fuisse studio consulendi pauperibus Clericis, Doctoribus etiam Theologis provisum fuisse, quin & illis ipsis Clericis, qui Regum, Prælatorum, Magnatumque obsequiis affixi essent: *Quis Prædecessorum suorum formas providendi pauperibus Clericis plus extendit?* Et mox: *Ad pauperes Clericos parum se extendebat pietas Prælatorum &c.* Tum vero subdunt: *Exurgant Magistri in Theologia, quibus ipse in Parisiensi Ecclesia Canonicatus contulit, & præbendas &c.* Deinde hæc addunt: *De nonnullis vacantibus, & vacaturis Dignitatibus, Beneficiis, & Præbendis providit Clericis Regiis, Prælatorum, Ducum, Comitum, & Baronum &c.* Meminit Vanespen Parte II. Juris universi Ecclesiastici, Tit. XXIII. Cap. I. Num. XXVI. Epistolæ ipsius Bonifacii, qua ad eosdem Galliæ Barones respondens inter alia ait, ut conferantur inter se provisiones Præbendarum factæ a Rege, & Episcopis, & provisiones illæ factæ a Pontifice, & expendant, quæ magis in utilitatem Ecclesiarum, & Regni cedant.

XI Cautio Pontificum summa, ac diligentia in Beneficiis, & præsertim Episcopatibus Viris idoneis,



Digitized by Google

neis, ac probis conferendis, effecit quidem, ut reservationes ipsorum ad Concilium usque Basiliense magnos progressus fecerint. Verum cum post enatum schisma Pseudopontifices, ac præsertim Clemens VII. reservationibus abusi, Beneficia omnia dissiparent potius quam dispensarent, ut scilicet Principum, Magnatumque favorem, præsidiumque emercarentur, uti de ipso Clemente notat Rainaldus ad annum MCCCLXXIX. Num. xxx. hinc Pontificiæ reservationes inter abusus relatæ in Concilio Basileensi rescissæ fuerunt, sancitumque, ut inposterum electiones, & confirmationes fierent ex præscripta Canonum forma: *Ut electiones in Ecclesiis sine impedimento omnino fiant, quæ causa cognita juxta Juris communis dispositionem confirmentur*. Recurri tamen ait ipsum Concilium Sessione XXIII. ad Romanum Pontificem posse, ad confirmandas electiones etiam Canonicas, si quo casu ex iis aliquod dispendium Reipublicæ, vel Ecclesiæ immineret; si modo tunc confirmatione Romæ recusata, altera electio ad Capitulum referretur.

XII. Sed hæc Decreta nec diu, nec multis in locis obtinuere ex eoque tempore provisiones Episcopatuum pro locorum, Provinciarumque varietate variæ fuere. Per Italiæ maximam partem, ut de aliis Beneficiis sileam, Papa quidem Episcopatus confert quibus vult, modo extranei non sint, juxta concordata Romanos Pontifices inter & Principes inita. In Hispania, & Gallia, aliisque in Regnis Reges solent nominare Episcopos, qui tamen Episcopi dici nequeunt ante provisionem Papæ, qui etiam prius inspicere debet inquisitionis processum de vita, & honestate eorum, qui nominati sunt; estque hoc vestigium illius antiqui juris, quo, uti superius dictum fuit, Clemens Papa IV. aliique Summi Pontifices, reservationes Beneficiorum vacantium in Curia, & etiam extra, tuebantur, muniebantque, dum ajebant, Episcopatuum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum plenariam dispositionem ad Romanum Pontificem pertinere.

XIII. Ergo Cardinalis qui nominatum a Rege ad Episcopatum, Papæ proponit, ex stylo hodierno, si scilicet, uti dictum est, de Ecclesia spectante ad nominationem Regis agatur, est Cardinalis Protector illius Regni, qui una cum tribus aliis Cardinalibus, primo nempe Cardinali Episcopo, primo Cardinali Presbytero, & primo Cardinali Diacono processum ipsum inquisitionis examinaret. Tum in primo Consistorio fit nuda propositio Nominati ad Ecclesiam vacantem per Cardinalem Proponentem, diciturque *Præconizatio*; resolutione tamen dilata in alterum Consistorium, ut interea Pontifex, & Cardinales de persona promovenda melius se informare queant. Deinde in altero Consistorio idemmet Cardinalis Proponens præsentat promovendum, ac de omnibus, quæ statum Ecclesiæ, & qualitates promovendi spectant, Pontificem, & Cardinales informat, vocaturque Præsentatio hæc, *Propositio*. Omnibus absolutis, Pontifex colligit suffragia Cardinalium, & si dicant, Nominatum esse confirmandum, Pontifex ipse pronunciat ipsum Episcopum his plane verbis: *Auctoritate Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & nostra Ecclesiam N. de persona N. providemus, ipsumque illi in Episcopum præficimus, & Pastorem, curam, & administrationem ipsius eidem in spiritualibus, & temporalibus plenarie committendo*. Atque hæc provisionis forma imitatur aliqua ex parte naturam electionum, quæ olim in Concilio Metropolitani, & Suffraganeorum, flagitante Clero, ac Populo, suscipiebantur, atque idem jus prorsus tribuit, quod confirmatio.

XIV. Quæ hactenus diximus de hodierno stylo, exponit Lib. I. *Sacrarum Cæremoniarum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, Sectione X. Cap. I. ubi de Ecclesiarum provisione agit, Augustinus Patricius, Episcopus Pientinus, Romæ olim Apostolicarum Cæremoniarum Præfectus sub Pio II. aliisque Pontificibus Maximis, sic inquiens: *Cum autem provisiones Ecclesiarum Pontificalium, sive Monasteriorum occurrunt, Pontifex committit vivæ vocis oraculo alicui ex Cardinalibus, ut de opportunis legitime se informet, & deinde in secreto Consistorio referat. Cardinalis Commissarius primo diligenter inquirit de essentia, qualitate, & regione Ecclesiæ eo tempore vacantis, tum de veritate, & modo vacationis; demum de qualitate, & sufficientia providendi, seu confirmandi. Nam quædam Provinciæ habent privilegium a Sede Apostolica eligendi sibi Prælatos, cum illorum Ecclesiæ, sive Monasteria vacant; & tunc ultra prædicta, diligenter inquiretur, an electio fuerit Canonica, & Canonice facta: providendus autem ab ipso Pontifice nominatur, sive motu proprio, sive ad petitionem Principum, aut aliorum, & aliquando plures nominantur, & de pluribus exquiritur. Examinantur super præmissis testes medio juramento: recognoscuntur publica documenta, & aliæ scripturæ, & conficitur processus ordinarius: cum placuerit Summo Pontifici, Cardinalis Commissarius in secreto Consistorio refert publice omnia, quæ in processu continentur, summarie, simpliciter, ac dilucide processum ipsum in scriptis per scribam suum redactum secum habens. Pontifex relatione audita, exquirit primo vota Commissarii Proponentis, deinde Patrum sententias, & si suæ Sanctitati videbitur expedire, pronunciat in hanc formam, remoto e capite birreto, dicens videlicet:* Auctoritate Omnipotentis Dei &c. *Et sic dicens facit manu signum sanctæ Crucis*. Addit mox laudatus Auctor, quod ubi electio erit confirmanda, non dicit Pontifex: *Providemus; sed electionem de persona dilecti filii N. ad Ecclesiam N. factam confirmamus, & approbamus, præficientes eum illi Ecclesiæ in Episcopum*.

XV. Quæ norma tenenda sit in creatione Episcoporum, non uno in loco edixit Concilium Tridentinum, præsertim vero Sessione XXIV. Cap. I. Deinde vero cum Gregorius XIV. qui tanquam Episcopus Cremonensis ante Purpuræ Cardinalitiæ assequutionem, Concilio Tridentino interfuerat, ipsius Concilii sensuum conscius esset circa diligen-

tem

Digitized by Google

tem inquisitionem eorum, qui ad Ecclesias Cathedrales, vel Metropolitanas essent promovendi; hinc est quod ad Summi Pontificatus apicem evectus Constitutione sua VI. formam in hac inquisitione, atque examine præscripsit, tam scilicet circa doctrinam, quam circa vitam, & mores præficiendorum. Atque huic tandem sensui inhærens Clemens VIII. qui Gregorio immediate in Pontificatu successit, accuratissimum de Episcopis promovendis examen instituit, designatis Cardinalibus, Theologisque, & Canonistis peritissimis ad eos excutiendos, qui Episcopi inaugurandi sunt; *ut plane nullus*, inquit Cardinalis Baronius ad annum CCCXCVIII. *nisi bene diserto ad Episcopatum aditus patere sinatur, unde ambitiosus lugeat imperitus*.

XVI. Primum itaque a Clemente VIII. introducta est Congregatio, quæ dicitur Examinis Episcoporum, instituta anno MDXCII. teste Michaele Justiniano in additionibus ad Commentarium CXXXIX. Joannis Antonii Novarii super Bullarium, Parte I. quæque, ut ait Cardinalis de Luca in Relatione Romanæ Curiæ Discursu XXI. constat ex competenti Cardinalium numero, vario pro Papæ arbitrio, ac etiam ex aliquibus Prælatis, & Religiosis, qui sint Canonum, & Theologiæ professores, istique Examinatores dicuntur, quorum aliqui sunt fixi, nempe Rotæ Decanus, vel Vicedecanus, Vicesgerens, & Magister Sacri Palatii; alii vero Prælati, vel Religiosi assumuntur pro libito Papæ, distributis inter ipsos muneribus pro qualitate, seu professione examinandorum in propria professione, Canonum scilicet, seu Decretorum, & Theologiæ Scolasticæ, vel Moralis. Ad istam vero ultimam facultatem pro frequentiori praxi examen hodie restrictum videtur, cum ipsorum examinandorum optioni remissum sit, unam, vel alteram ex his facultatibus eligere.

XVII. Istud vero examen fieri solet ad interrogationem trium Examinatorum, duorum scilicet inferioris ordinis, & unius Cardinalis pro eo tempore, quod Papæ placeat. Peracto examine exquiritur per Papam votum Congregationis, an ille approbari, vel reprobari mereatur. Quod si aliquando contigerit, viros peritissimos, ac notoriæ doctrinæ ab illius magni consessus majestate territos intellectus offuscationem in eo actu pati, tunc licet ille tamquam idoneus non approbetur, admitti nihilominus solet ad novum privatum examen coram aliquibus Cardinalibus, vel eorum aliquo pro arbitrio Papæ. Cum viris primarii Ordinis, aliisque diu in Apostolicis Nuntiaturis, gravibusque muneribus versatis, servari is aliquando mos solet, ut Examinatorum consessui se præsentent, & examinandos exponant; non tamen hæc certa regula est, cum totum resideat in arbitrio Summi Pontificis.

XVIII. Excipiuntur tantummodo ab hoc examine S. R. E. Cardinales, qui Cathedralibus præficiuntur; quia scilicet, ut scite notat Fagnanus in Cap. *Nisi cum pridem* X. *De renunciatione*, Num. LXII. Summi Pontifices quam sollicitudinem universæ Ecclesiæ ex muneris sui officio debent, eam potissimum impendunt, ut lectissimos tantum sibi Cardinales asciscant ad præscriptum Concilii Tridentini Sessione XXIV. Cap. II. §. *Postremo*, & cum Cardinales assumti jam sint ad gradum Episcopis eminentiorem, ut definitur in Decretali Epistola, quam scripsit ad Archiepiscopum Cantuariensem Eugenius IV. dum præsideret Concilio Florentino, quæ incipit: *Non mediocri*, & habetur Tomo I. Bullarii; utique non egent novo examine ad inferiorem dignitatem, Cap. *Accepimus* XIII. *De ætate, & qualitate*, & ibi Glossa, verbo, *reputare*. Cum præsertim scientiam, & alias qualitates in promovendis ad Episcopatum præfinitas Concilium Tridentinum decernat etiam ad Cardinales pertinere, quorum consilio apud Sanctissimum Romanum Pontificem cum universalis Ecclesiæ administratio nitatur, nefas videri potest, non iis etiam virtutum insignibus eos fulgere, qui merito in se omnium oculos convertant, ut legitur in ejusdem Concilii Sessione XXV. Cap. I. §. *Quæ vero de Episcopis*. Atque huc confert quod notat Innocentius in Cap. *Cum venerabilis*, Num. VII. *De exceptionibus*, dicens, semel admissum ad aliquod officium, non posse in simili officio reprobari requirente eandem personæ idoneitatem. Et hac ratione Episcopi, qui ad aliam Ecclesiam transferuntur, huic examini non solent subjici.

XIX. Sed nec promovendi ad Patriarchales, Metropolitanas, vel Cathedrales Ecclesias, quæ sunt in partibus infidelium examinari solent, quia scilicet non habent quos doceant, Clero enim, & populo carent. Verum si contingat, ejusmodi Prælatos Titulares deputari in Coadjutores, vel Suffraganeos Episcoporum, tunc certe examinari debent, prout examinatus fuit die I. mensis Aprilis anni MDXCIX. S. Franciscus Salesius Coadjutor Granerii Episcopi, cui postea in Episcopatu successit. Examinatores ipsi, ubi Episcopi designati sunt, minime eximuntur, prout accidit Berlingerio Gypsio postea S. R. E. Cardinali, qui eadem die, qua uti Examinator alios examinavit, examinatus & ipse fuit ad Ecclesiam Ariminensem, ut testatur laudatus Fagnanus loco citato. Porro præter Cardinales eximuntur ab examinis onere Patriarchæ Veneti ex speciali privilegio Pauli V. contemplatione Reipublicæ eis concesso, uti constat ex Epistola Scipionis Cardinalis Burghesii ejusdem Pontificis nepotis data ad Berengarium Gypsium Episcopum Ariminensem, & tunc temporis Apostolicum Nuntium apud Venetos destinatum, quam refert Michael Justinianus in additionibus ad Commentarium CXXXIX. Joannis Antonii Novarii super Bullarium, Parte I.

XX. Cum autem promovendorum ad Episcopatus examen maximi momenti res sit, ad evitandas fraudes, eodem teste Fagnano in Congregatione examinis promovendorum ad Ecclesias Cathedrales habita die XVI. Maji anni MDCXXV. Urbanus VIII. decrevit, ut Examinatores non audeant propalare, nec ullo modo indicare examinandis ea, super quibus illos interrogare intendunt, & tam ipsi Examinatores, quam quicumque alii, qui examini intersunt in votis proferendis

Digitized by Google

dis omnino abstineant a quocumque temperamento, veluti quod examinati iterum revertantur, vel quod Vicarium a Sacra Congregatione approbatum secum ducant, aut quid simile, sed teneantur sententiam suam simpliciter, ac præcise proferre, an sibi videantur idonei secundum præsentem justitiam ad munus Episcopale subeundum.

XXI. Insuper ne vota etiam propria aut ea quæ gesta sunt in Congregatione publicentur, aut communicentur alicui, qui Congregationi interesse non solet, voluit idem Pontifex, ut tam S. R. E. Cardinales, quam ceteri Prælati ejusdem Congregationis juramentum præstent de servandis in hoc Decreto contentis sub pœnis & censuris incurrendis juxta stylum Sacræ Congregationis Sancti Officii hac sequenti formula pro Cardinalibus: *Ego N. miseratione Divina S. R. E. Cardinalis &c. tactis per me sacrosanctis Euangeliis coram propositis juro, ac promitto servare omnia contenta in præsenti Decreto Sanctissimi D. N. per me lecto sub pœna excommunicationis, a qua nonnisi a Sanctissimo D. N. absolvi possim. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta ejus Euangelia.* Pro Prælatis vero hæc est formula juramenti: *Ego N. &c. constitutus coram vobis, tactis per me sacrosanctis Euangeliis coram propositis juro, ac promitto servare omnia contenta in præsenti Decreto Sanctissimi D. N. sub pœna perjurii, & excommunicationis latæ sententiæ, a qua nonnisi a Sanctissimo absolvi possim. Sic me Deus &c.*

XXII. Servari autem hujusmodi juramentum ea religione consuevit, ut ne quidem in genere examinandis materia, super qua illis interrogari debent, ab Examinatoribus indicaretur. Quamobrem, ut memoratus Fagnanus notat, prorsus illiterati, & qui secundum Baldum post promotionem essent deepiscopandi, gravissimum hoc judicium subire, & tanto periculo se exponere non auderent, tanquam inhabiles repellentur, ut interdum contigit. At vero quamvis in Italia coram Romano Pontifice, atque memoratis Examinatoribus, Episcoporum examen rigide fiat, extra Italiam tamen, ac præsertim in Hispania, minime ea disciplina servatur; *quia*, ut ait Mauritius de Alzedo, *De Episcoporum præstantia*, Parte I. Cap. II. Num. XXIV. *non est admissum neque receptum Clementis VIII. Decretum, & sic de consuetudine non servatur, neque examinatur, qui præsentandus est. Nam cum semper a Consiliariis illi proponantur ad Episcopatus, qui doctrina, & sapientia potentes sunt, ac vita & moribus insignes, nihil aliud visum est esse necessarium.* Teste Cardinali de Luca citato loco, Num. VI. sunt quidem non pauci qui examen illud minime probant, quod duplex scilicet inferri dicatur injuria tam ipsi Pontifici eligenti, quam Curiæ Romanæ, imo toti Italiæ literarum floridissimæ, quod scilicet Itali, qui ad Episcopatus, & Archiepiscopatus assumendi sunt, atque per ipsum Papam eliguntur, paucis exceptis Ecclesiis, quæ sint ad Principum nominationem exponi debeant huic examini, quodque ab eo exemti sint illi aliarum Nationum ultra montes, qui ut plurimum per Principes seculares, vel Capitula eliguntur, aut nominantur.

XXIII. Quicquid sit de hac opinione, commendandum profecto examen est, tamquam veteri Ecclesiæ disciplinæ, ac priscis Conciliis consentaneum, uti ostendimus nostro I. Tomo Romani Pontificalis. Optandum plane illud, ut in creatione Episcoporum Decretum illud servetur, quod edidit Oecumenica Synodus Tridentina Sessione XXII. *De reformatione*, Cap. II. sic dicens: *Quicumque posthac ad Ecclesias Cathedrales erit assumendus, is non solum natalibus, ætate, moribus, & vita, ac aliis, quæ a sacris Canonibus requiruntur, plene sit præditus, verum etiam in sacro Ordine antea, saltem sex mensium spatio constitutus. Quarum rerum instructio, si ejus notitia nulla, aut recens in Curia fuerit, a Sedis Apostolicæ Legatis, seu Nuntiis Provinciarum, aut ejus Ordinario, coque deficiente a vicinioribus Ordinariis sumatur. Scientia vero præter hæc ejusmodi polleat, ut muneris sui sibi injungendi necessitati possit satisfacere. Ideoque antea in Universitate studiorum Magister, sive Doctor, aut Licentiatus in sacra Theologia, vel jure Canonico merito sit promotus, aut publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur.* Hactenus Concilii Tridentini Decretum.

XXIV. Multa, quæ in hoc Capite continentur de eorum dotibus, qui ad Cathedrales Ecclesias assumendi sunt, jam fuse explicuimus nostro I. Tomo Romani Pontificalis in Commentariis ad Titulum XIII. qui est, *De consecratione electi in Episcopum*, & in Commentariis ad Oecumenicas Synodos non uno in loco. Sed lubet nihilominus, hic quædam notare, ac primo quidem debere initiandum Episcopatu, præditum esse natalibus, idest, ex legitimo Matrimonio procreatum. Quamvis enim ex variis Canonibus a Gratiano in Distinctione LVI. allatis potuerint olim & quidem usque ad seculum X. ordinari qui ex justis nuptiis nati non erant, dummodo bonis essent moribus, nec vitia parentum sequerentur; seculo tamen XI. ea irregularitas cœpit non ex nota delicti, quod illegitimus non admisit, sed ex nota defectus, qui ad Ordines promoveri vetat, Cap. *Accedens* XIV. & ibi Doctores, *De purgatione Canonica*; juxta illud Deuteronomii Cap. XXIII. *Non ingredietur mansser*, idest, ex scorto natus, *in Ecclesiam Dei*. Sed cum illi ipsi Pontifices Alexander III. Innocentius III. Honorius III. eam exceptionem addiderint, ut illegitimi beneficia non obtineant, nisi ab Apostolica Sede dispensationem legitimationis accipiant, Cap. VII. XIV. & XVII. *De filiis Presbyterorum*; jam certe perperam Matthæus Parisius ad annum MCCXXXV. novum jus illud Gregorio IX. tribuit, ab eoque inventum ait, quod sciret, inde Curiæ Romanæ pro tali dispensatione multa emolumenta provenire.

XXV. Illegitimus licet Religiosis sit, tametsi per solemnem professionem capax fiat ad obtinendos Ordines sacros, excluditur tamen a *Prælaturis*, ex Concilio Pictaviensi relato in Cap. I. *De filiis Presbyterorum*, ubi expresse edicitur: *Prælationes vero nullatenus habeant*; & quidem indistincte

Digitized by Google

ſtincte ſive in eiſdem, ſive in aliis Monaſteriis, ſive in Eccleſia Seculari, ſive Regulari, ut poſt alios notat Fagnanus loco citato, ubi etiam addit, quod in illegitimis Regularibus ad Prælaturas, & Dignitates ſolus Papa diſpenſet: *Et ita Sacra Pœnitentiaria*, ait, *diſpenſat in utroque foro cum Regulari ad quaſcumque Dignitates, & officia ſuæ Religionis, quamvis conſueverit apponere clauſulam, nempe: Non tamen ad Generalatum*. Sane efficaciſſimus modus purgandi defectum natalium eſt ſubſequens Parentum Matrimonium, de quo in Cap. VI. *Qui filii ſint legitimi*, Alexander III. ita Exionenſi Epiſcopo reſcribit: *Tanta eſt vis Matrimonii, ut qui antea ſunt geniti, poſt contractum Matrimonium legitimi habeantur*. Ubi modus is deſit, opus eſt diſpenſatione Summi Pontificis, nec juvat ad obtinendum Epiſcopatum, quod quis reſcripto Principis legitimatus ſit, uti notant Doctores relati ab Alzedo, *De Epiſcopis*, Parte I. Cap. III. ubi etiam ait, legitimatum ad Epiſcopalem dignitatem, non cenſeri ad dignitatem Archiepiſcopalem diſpenſatum.

XXVI. Ad ætatem quod attinet, omiſſa varia ea in re diſciplina, quæ olim ſervata in Eccleſia fuit, ætas idonea eſt annus trigeſimus, & quidem completus ex Decreto Concilii IV. Oecumenici Lateranenſis relato in Cap. *Cum in cunctis*, VII. *De electione*, ubi Patres ita inquiunt: *Præſenti Decreto ſtatuimus, ut nullus in Epiſcopum eligatur, niſi qui jam triceſimum annum ætatis exegerit, & de legitimo Matrimonio ſit natus, qui etiam vita, & ſcientia commendabilis demonſtretur*. Vitæ probitas, ac ſcientia, duo ſunt, quæ ita connexa in Epiſcopo eſſe debent, ut ſi alterum deſit, ineptus omnino cenſeri debet ad obtinendum Epiſcopatum; *quia ſi Epiſcopi tantum ſancta ſit vita, ſibi ſoli prodeſt, ſic vivens; porro ſi & doctrina, & ſermone fuerit eruditus, poteſt cæteros quoque inſtruere, & docere ſuos, & adverſarios revincere, qui niſi refutati fuerint, atque convicti, facile poſſunt ſimplicium corda pervertere*. Verba ſunt S. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi Libro II. *De officiis Eccleſiaſticis*, Cap. V. ubi fuſe oſtendit, probitatem morum æque ac doctrinam in eligendo Epiſcopo requiri. Sed & videri poteſt S. Joannes Chryſoſtomus in aureis Libris, *De Sacerdotio*, quos nos peculiari opella Notis illuſtravimus, ut ſcilicet ad Sacerdotum omnium manus eſſet.

XXVII. Promoveri ad Epiſcopatum non poſſe, niſi quis diu in Ordinibus tum minoribus, tum ſacris ſit probatus, vetus eſt Eccleſiæ diſciplina, cujus teſtem habemus S. Syricium Pontificem Maximum, in Epiſtola I. Can. IX. & Innocentium Papam I. Epiſtola IV. ad Felicem Nucerianum Epiſcopum, Cap. V. & alios quorum loca explicuimus citato I. Tomo Romani Pontificalis. Ex Concilio Tridentino, uti ex recitato ejus Capite conſtat, qui ad Cathedralem Eccleſiam eſt aſſumendus, debet eſſe *in ſacro Ordine ſaltem ſex menſium ſpatio conſtitutus*. Verum Decreto hoc minime obſtante ſolet etiam in hoc Summus Pontifex diſpenſare; etenim hodierni Archiepiſcopus Beneventanus, & Auximanus Epiſcopus, vix Clericatu, Ordinibuſve minoribus inſigniti erant, ubi primum in in Antiſtites electi fuere. Exempla id genus non ita paſſim occurrunt in Annalibus Eccleſiaſticis, quod olim ſeverior eſſet & hac in re diſciplina Eccleſiæ, quæ tamen haud dubie aliquando diſpenſavit vel ob Eccleſiarum neceſſitatem, vel ob inſignes atque heroicas eorum, qui promovebantur, virtutes, uti de S. Ambroſio legitur, qui e laico homine ad Epiſcopatum Mediolanenſem aſſumtus fuit.

XXVIII. Quod promovendorum ſcientiam ſpectat, edicit Concilium Tridentinum in recitato ſuperius Decreto, ut Epiſcopatu initiandus, *antea in Univerſitate Studiorum Magiſter, ſive Doctor, aut Licentiatus in Sacra Theologia, vel jure Canonico merito ſit promotus, aut publico alicujus Academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur*. Utrum Theologos Canonici juris Conſulto præferendus ſit in electione ad Epiſcopatum, quæſtio eſt inter Scriptores, & ajunt, præferendum eſſe Theologum, ubi hæreſes pullulant, Canonici vero juris Conſultum, ubi hæreſis nulla graſſatur: puto equidem præferendum ſemper Theologum iis præſertim, qui ſolo nomine Canonici juris Conſulti cenſentur, quique in ſola praxi Eccleſiaſtici Fori, & in quarumdam formularum notitia verſati Vicarios Epiſcoporum in Dioeceſibus agunt, ut ita pecunia aucti Romæ deinde vivere poſſint, quouſque exactorum laborum merito ad Epiſcopatum perveniant.

XXIX. Requirit præterea Concilium Tridentinum, ut Regularis electus Epiſcopus *a Superioribus ſuæ Religionis ſimilem fidem habeat*, qua ſcilicet teſtentur, idoneum eſſe illum ad alios docendos. Sed nec ipſe Electus factam de ſe electionem approbare, ſeu acceptare poteſt, niſi de ſui Prælati licentia, Cap. *Si Religioſus*, Cap. *Nullus*, cum aliis concordantibus, *De electione* in VI. Cardinalis in Clementina pleriſque, §. *Nullus*, Tit. eodem. Superior, qui iſtam licentiam concedere poteſt, erit Generalis, ſeu Provincialis, vel alius Prælatus, qui in Religione ſuperiorem non recognoſcat, ut tradit Alzedus loco citato, ubi etiam notat, Presbyteros Societatis Jeſu ex peculiari voto non poſſe Epiſcopatum tametſi ultro oblatum acceptare, niſi Præpoſiti Generalis licentia intervenerit, quem poſſe ait etiam invitos compellere ad acceptandum Epiſcopatum. Sane quicquid Regularis antequam ad Epiſcopatum promoveretur, acquiſivit, ad Monaſterium pertinet, ex Conſtitutionibus Summorum Pontificum, quas innovavit Benedictus XIII.

XXX. Cum autem, ut Patres ajunt, iccirco eligantur Epiſcopi, ut ſint quaſi luminaria, & columnæ firmiſſimæ, quibus in Chriſto fundatis innitatur omnis multitudo credentium, jure ac merito Innocentius XI. vix renunciatus Pontifex Maximus die XXI. Septembris anni MDCLXXVI. Congregationem inſtituit pro electione promovendorum ad Epiſcopatus, ſive potius pro perquirendis eorumdem qualitatibus. Cui electioni tanto ſtudio incubuit, ut etiam in Bulla indictionis Jubilæi

Digitized by Google

bilæi universalis die IV. Decembris edita, etiam ob eam causam fidelium precibus se commendet: *Et quia præcipue Pastoralis nostri officii muneris partes sunt, omnibus Ecclesiis, quarum nobis divinitus commissa est sollicitudo, idoneos Præsules constituere, conjunctis precibus divinam majestatem precemur, ut Pastor æternus, qui vicariam sui potestatem in terris humilitati nostræ concedere dignatus est, tales nobis tribuat, conspirantibus etiam in idipsum illorum Principum religiosis studiis, quibus ex hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia personas idoneas ad Ecclesias Pastoribus viduatas, nominandi, vel præsentandi facultas concessa est, aut quorum pro ejusmodi supplicantium preces eadem Sedes exaudire consuevit, Ecclesiis universis Pastores præficere, qui & facti forma gregis, populum curæ suæ creditum non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis prospere dirigant, & Ecclesias sibi commissas uberibus pietatis incrementis locupletent.*

XXXI. Zelantissimi hujus Pontificis vestigia sequutus Sanctissimus Dominus noster BENEDICTUS XIV. statim & ipse ac renunciatus fuit peculiari Spiritus Sancti influxu Pontifex Maximus, memoratam Congregationem innovavit, de qua multa cum laude, ut par erat, mentionem fecimus nos in Epistola nuncupatoria ad eundem Pontificem, quam præfiximus Opusculo S. Joannis Chrysostomi de Sacerdotio, quod Notis illustratum initio anni MDCCXLI. publici juris fecimus, quia scilicet, ut ait Isidorus Pelusiota Lib. I. Epistola CLVI. ad Eustachium: *Nullum pectus hujus lectio penetravit, quod non divino amore sauciavit: venerandam quippe rem, atque aditu difficilem Sacerdotium esse demonstrat, ejusque rite administrandi rationem docet. Nam Dei arcanorum sapiens ille interpres Joannes, Byzantii Episcopus, atque adeo totius Ecclesiæ oculus, Librum illum tam subtiliter, & accurate concinnavit, ut omnes tam qui secundum Dei placitum, quam qui negligentes Sacerdotio funguntur, hic tum virtutes, tum reprehensiones suas repræsentatas inveniant.*

XXXII. Placuit hæc notare, ne illotis, ut dici assolet, manibus, Opus quod ad Episcopos pertinet, aggrederemur, primumque hunc nostri Cæremonialis Titulum, ubi Episcoporum promotionis fit mentio, sine aliquo præloquio enarraremus. Ob eandem etiam causam notandum itidem est, Consistorium, de quo §. hic noster mentionem facit, nihil aliud esse, docente Cardinali de Luca in Relatione Romanæ Curiæ, Discursu V. quam Congregationem, seu *adunantiam*, ut ajunt, quæ per Papam cum Collegio Cardinalium in forma Senatus in ejus Apostolico Palatio fit. Duplex autem est Consistorii species; aliud nempe extraordinarium, magisque solemne, quod præter Cardinales, alios admittit Prælatos, & Ministros, ac etiam Principum Oratores, aliosque Magnates, qui in Papæ Solio assistant, quod publicum dicitur; & quandoque cum Pontificalibus paramentis pro functionum diversa qualitate celebratur. Aliud vero ordinarium, quod in forma minus solemni fit cum solo interventu S. R. E. Cardinalium pro negociis pertractandis, quod secretum dicitur.

XXXIII. Quicquid sit de prima Consistorii specie, & de negotiis, quæ ibi tractantur, inter alias functiones, quæ in altera specie Consistorii aguntur, est provisio Ecclesiarum Patriarchalium, Metropolitanarum, & Cathedralium vacantium, de Prælato, seu Pastore. Est autem duplex ejus provisionis species, una scilicet Ecclesiarum Titularium tantum absque residentia, & administratione, & quia Diœcesis de facto occupata sit ab Infidelibus, Hæreticis, aut Schismaticis; & altera de Ecclesiis habentibus actualem jurisdictionem, & administrationem in Diœcesi Catholica. Prima species provisionum fit quidem solo nutu ac placito Papæ, cum quandam honorificam præeminentiam solum importare videatur, constituendo personam in ordine Pontificali absque alio Pontificalium exercitio jure proprio, sed solum jure alieno. Unde propterea de consuetudine Curiæ receptum est, ut per hujusmodi provisiones non resultet vacatio aliarum Ecclesiarum, ut in promotis ad Episcopatus actuales, absque dispensatione resultat, ut in Beneficiali materia docent passim Scriptores.

XXXIV. Ubi vero agitur de altera specie provisionum actualium, tunc prævia respectu Ecclesiarum Italiæ & Insularum adjacentium solemnitate examinis, de qua supra actum est; sive promovendus electus sit per Papam, sive per Capitulum, aut nominatum per Principem respective pro regionum diversis usibus, coram Cardinali ad id per Papam deputato per Notarium particularem his actibus generaliter designatum efformatur processus super vita, moribus, legitimis natalibus, ætate, gradu, aliisque necessariis requisitis pro Episcopatu, ac etiam super statu Ecclesiæ; istoque processu completo, uti etiam supra dictum est, idem Cardinalis in primo Consistorio facit Ecclesiæ, ac personæ providendæ præconizationem, tam oretenus in ipso Consistorio, omnibus Cardinalibus audientibus, quam cum memorialibus, seu brevibus informationibus die antecedenti transmissis per manus singulorum Cardinalium super omnibus, quæ in processu continentur, ac justificata sunt, ad effectum, ut in eo intermedio spatio usque ad alterum Consistorium extrajudiciales informationes per Cardinales haberi valeant super iis, quæ in contrarium eis obstare possint, atque de tempore propositionis opponi. In sequenti vero Consistorio idem Cardinalis proponit Papæ illam personam electam tamquam idoneam, ut eam Ecclesiæ viduatæ præficiat, atque nemine aliquid habente in contrarium Papa desuper in isto Consistorio interponit Decretum; ideoque ex tunc provisus obtinet ea quæ sunt jurisdictionis juxta ea quæ superius a nobis notata sunt.

XXXV. Quandoque etiam ubi agatur de provisione personarum conspicuæ, ac notæ qualitatis, ipsemet Papa propositionem facit, atque illico, si nil opponatur, fit Decretum absque necessitate præconizationis. Consistorialiter quoque providentur aliqua Monasteria Regularia, quæ propterea ab iis qui de beneficiis tractant Consistorialia

Digitized by Google

storialia nuncupantur. Ac etiam Coadjutoriæ cum futura successione tam Cathedralium, & Metropolitanarum, quam dictorum Monasteriorum Consistorialium. Sed & ubi agitur de Ecclesiis Metropolitanis, vel de aliquibus Cathedralibus, quibus congruit usus Pallii, tunc in altero immediato, vel mediato subsequenti Consistorio Pallium conceditur, ipsius provisi Procuratore supplicante, atque pro eo orante uno ex Consistorialibus Advocatis. Cum denique unumquodque eo modo, quo ligatum est, solvi debeat, hinc si provisus de aliqua Ecclesia Cathedrali, vel Metropolitana per dimissionem liberam, vel per translationem ad alteram liberari cupiat, id pariter in Consistorio sequitur per quandam speciem dissolutionis hujus Matrimonii spiritualis, prævio processu super justis causis, ac legitimis, ex quibus hujusmodi dissolutio petatur.

XXXVI. Hæc præmittere & operæ pretium, duxi, quo facilius intelligi queant ea nostri hujus §. I. verba, quibus dicitur, alicui Ecclesiæ Metropolitanæ Cathedrali, vel majori nonnisi a Summo Pontifice quempiam in Consistorio præfici; secundum enim hodiernam Ecclesiæ disciplinam a solo Papa omnes pene Orbis Christiani Episcopatus dispensantur, & unus ferme obtinet prisca ipse omnia Metropolitarum jura, ad quos spectabat suffraganeos suos Episcopos confirmare. Mutata itaque disciplina, & facta una ex majoribus causis, quæ Pontifici reservatæ sunt, Episcopatuum provisione, merito nostri §. hujus Rubrica inquit, quod, *cum primum aliquis certior factus fuerit, se alicui Ecclesiæ Metropolitanæ, Cathedrali, vel majori a Summo Pontifice in Consistorio præfectum, sive ille in Curia Romana degat, sive ab ea absens sit, statim curabit sibi amplam coronam in capite decenter formari.*

XXXVII. Curia Romana appellari cœpit Romana Ecclesia circa seculum Christi XII. cum hucusque instar aliarum Ecclesiarum dici soleret simpliciter *Ecclesia Romana*. In eam enim nominis mutationem quasi recens inductam invehitur Gerchus Præpositus Recherspergensis, S. Bernardo coævus in Expositione Psalmi LXIV. sive in Libro, *De corrupto Ecclesiæ statu*, ad Eugenium III. Papam, ubi inter alia hæc habet: *Neque vel hoc ipsum carere macula videtur, quod nunc dicitur Curia Romana, quæ antehac dicebatur Ecclesia Romana; nam si revolvantur antiqua Romanorum Pontificum scripta, nunquam in eis reperitur hoc nomen, quod est Curia, in designatione sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ rectius Ecclesia, quam Curia nominatur, quia nomen Curiæ, ut ante nos dictum est, a cruore derivatur, sive a curis, ut ait quidam, quia curarum genitrix, nutrixque malorum, injustos justis, inhonestos æquat honestis.* Extat is Liber Tomo V. Miscellaneorum Stephani Baluzii Pag. 63. In Clementina, *De sepulturis*, Cap. II. Curia ipsa Romana, *amplus alveus* appellatur.

XXXVIII. Sed quidquid sit de ea nomenclatura, ait §. nostri Rubrica, curandum esse novo Episcopo, ubi primum in Consistorio declaratus fuerit a Romano Pontifice Episcopus, sive ille in Curia Romana degat, sive ab ea absens sit, *sibi amplam coronam in capite decenter formari*. Corona hic ampla dicitur, cum, superiore tota capitis parte rasa, vel tonsa, oblongioris capilli circulus in modum coronæ relinquebatur juxta veterem Ecclesiæ morem, de quo Synodus IV. Toletana anni DCXXXIII. Can. XLI. sic ait: *Omnes Clerici, vel Lectores, sicut Levitæ, & Sacerdotes, detonso superius toto capite, inferius solam circuli coronam relinquant, non sicut hucusque in Galliciæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis, ut laici, comis, in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispania huc usque hæreticorum fuit. Unde oportet, ut pro amputando Ecclesiæ scandalo, hoc signum dedecoris auferatur, & una sit tonsura, vel habitus, sicut totius Hispaniæ est usus. Qui autem hoc non custodierit, Fidei Catholicæ reus erit.*

XXXIX. In hoc certe Canone multis præclaris fœto documentis nonnulla nobis sunt observanda cum eruditissimo Thomassino Parte I. *Disciplinæ*, Lib. II. Cap. XXXVIII. Docet enim I. eam fuisse Diaconorum, Presbyterorum, & Episcoporum tonsuram, quæ partem superiorem capitis totam aperiret: *detonso superius toto vertice*; idque solum relictum esse crinium, quod esset circuli instar, aut coronæ: *inferius solam circuli coronam relinquant*; & hæc quidem tonsuræ forma fuit, ac coronæ Clericalis. II. Clericos omnes a Lectoribus ad Episcopum usque, tonsuram eandem, atque coronam gestare debuisse. Jam enim Sacerdotum nomine Presbyteri, uti & Episcopi comprehendi cœperant, quemadmodum Lectorum voce inferius omnes Ordines videntur. III. usos semper esse Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos ejusmodi tonsura, & corona, qualis hic præscribitur, ipsos etiam Provinciarum omnium Hispaniæ Clericos inferiores, si Galliciam unam excipias, ubi Lectores, *prolixis, ut laici comis in solo capitis apice modicum circulum tonderent*. IV. denique ea re damnata, jussisque inferioribus Clericis eandem gestare tonsuram, & coronam, quam gestarent Episcopi, & Presbyteri, decretum esse a Synodo, ut pro hæreticis haberentur Clerici, qui in retinendo hæreticorum usu, ac more fuerint pertinaces.

XL. Constat itaque ex enarrato Canone Toletano, æqualem fuisse olim Clericorum, & Episcoporum tonsuram, ejusque amplitudinis, qualis est nunc Monachorum, Fratrumque complurium. Verum cum seculo XIII. corona in Clericis imminui cœperit, jussi sunt ipsi quidem deferre amplas coronas, sed Monachi amplissimas, Episcopi tamen haud Monachali dissimilem: *Clericus Cathedralis*, ait Synodus Montis-Pessulani anni MCCXIV. Can. IV. *vel conventualis Ecclesiæ, vel alius qui de beneficio vivit, talem Tonsuram ferat, quæ gradum non habeat, sed dirigatur in gyrum, ita quod capilli, qui propter inferiorem, & superiorem rasuram remanent, propter suam rotunditatem merito possint dici corona*. Tum Canone XXIII. jubet, ut ampliores Canonicis gestent Monachi coro-



Digitized by Google

coronas, nempe duorum, vel trium digitorum: *Canonici Regulares amplas coronas portent, & Monachi amplissimas. Itaque duorum digitorum vel trium amplius sit Monachis circulus capillorum.* Certe ad amplas Clericorum tonsuras, sive coronas alludere videtur Concilium Lambethanum anno MCCLXI. habitum, ubi privilegio Clericali excidere declarat, quicumque de ea erubescunt corona, quæ ejus imago veneranda est, quam Christus pro nobis gestavit, ut dedecus nostrum sua vestiret gloria: *Non erubescant*, inquit, *ipsius portare stigmata, qui pro eis spineam non dedignatus est portare coronam &c.*

XLI. Quod Episcopos spectat, ut alias omittam Synodos, Budensis anni MCCLXXIX. Can. I. ipsis præcipit, ut tonsuram circularem, & Monachali similem coronam gestent, tum ut exemplo suo reliquos Clericos non sola auctoritate urgeant ad Legum obsequium, tum etiam propterea quod Episcopatus supra Monachorum omnium Religiones longe præstantissima religione excellat: *Prælati coronam, & tonsuram patentibus omnino auribus circularem juxta Regularium, seu Religiosorum generalem consuetudinem approbatam, cum nulla Religio Pontificali religione sit major, de cetero deferant.* Porro seculo ipso XIII. jam ea disciplina invaluit, ut major, vel minor esset pro majoribus, vel minoribus Ordinum gradibus corona. Id enim jam constat ex Vorcestrensi Synodo anni MCCXL. Can. XXI. quo latiorem monet esse debere coronam Clericorum majoribus in Ordinum gradibus eminentium: *Ne comam nutriant, sed circulariter, & decenter tondeantur, coronam habentes decentis amplitudinis, secundum quod exegerit Ordo, quo fuerint insigniti.* Cum autem aliorum omnium amplissimus sit Ordo Episcoporum, merito jubet Rubrica nostri §. pristinæ Ecclesiæ disciplinæ concinens, ut qui ad Episcopatum promoti sunt, curent mox, *sibi amplam coronam in capite decenter formari.*

XLII. De tonsura, sive corona hac Clericorum, quam alii ab Apostolis, alii sexto tantum seculo introductam ajunt, fuse jam disseruimus nostro I. Tomo Romani Pontificalis ad Titulum III. ubi etiam varias ejusdem significationes morales ac mysticas ex antiquis Scriptoribus accurate descripsimus. Ne quid autem hoc loco desideretur, nonnullorum opiniones referam. Beda venerabilis censet præscriptam fuisse in memoriam spineæ coronæ, qua Christus Dominus Sacerdotii institutor redimitus est. Autumant alii, signum esse pœnitentiæ, antiquitus enim Pœnitentes solebant tonderi. Volunt aliqui, cæremoniam esse, qua docentur Clerici nuntium remittere seculari fastui, ac inanibus rerum fluxæ, ac labentis naturæ curis. Denique, ut alios omittam, qui varia de eo ritu opinantur, S. Isidorus Episcopus Hispalensis Lib. II. *De officiis*, Cap. IV. per eum ritum designari ait Regiam quidem, sed spiritualem dignitatem, qua Clerici, ac Sacerdotes in Ecclesia potiuntur: *Quod vero detonso capite superius, inferius circuli corona relinquitur, Sacerdotium, Regnumque Ecclesiæ in eis existimo figurari. Tiara apud veteres constituebatur in capite Sacerdotum. Hæc ex bysso confecta, rotunda erat, quasi sphæra media, & hoc significatur in parte capitis tonsa. Corona autem latitudo aurei est circuli, quæ Regum capita cingit. Utrumque itaque signum exprimitur in capite Clericorum, ut impleatur etiam quadam corporis similitudine, quod scriptum est, Petro Apostolo dicente:* Vos estis genus electum, Regale Sacerdotium.

XLIII. Præter amplam tonsuram, seu coronam, quam ubi primum aliquis certior factus fuerit, se alicui Ecclesiæ a Summo Pontifice in Consistorio præfectum, sibi in capite decenter formari curabit; *tunc & non prius*, inquit hic noster §., *super vestem inferiorem talarem, cum extra domum exibit, induet aliam vestem breviorem apertam, itaut per scissuras brachia extrahi possint, quod genus vestis Mantellettum vocant.* Præscribi a Synodis, ut talaris sit Clericorum vestis, quippe quæ gravitatem conciliet, & honestatem præseferat, jam fuse ostendimus nostro II. Tomo Conciliorum in Commentario ad Canonem XXVII. Synodi Trullanæ. Quod autem super vestem ipsam talarem, quæ, uti inferius dicemus, coloris violacei esse debet, indui jubetur novus Episcopus, ubi extra domum exibit, aliam vestem breviorem ab utroque latere apertam, quam *Mantellettum* vocant, præscriptum id etiam fuisse jam olim videtur Canone II. Concilii Budensis, anni MCCLXXIX. cui Philippus Legatus præerat Pontificius; in eo enim constitutum fuit, ut Episcopi in publicum procedentes, sive equo vehantur, sive pedibus, cappas rotundas ferant, sive mantello supra lineam vestem, idest, Rocchettum: *Prælati cum equitant, vel etiam in publico pedestres incedunt, habeant, & deferant camisias albas, sive rosetas, quas semper sub cappis, sive mantellis ante pectus, vel post collum hinc inde connexis deferant in publico &c.* Camisia ista alba, non aliud erat, quam ipsum Rocchettum, sive linea vestis, qua tum in Ecclesia, tum in Urbe ex præscripto Concilii IV. Lateranensis sub Innocentio Papa III. habiti anno MCCXV. ex Clericis promoti Episcopi uti debebant. Poterat autem illa non solum alba, sed & *roseta*, sive, ut loquitur non semel Anastasius Bibliothecarius, *rosata*, geri ab Episcopis, rosei scilicet coloris vestis; debebat tamen mantellum, quod supra ipsam lineam vestem gestabatur, ita fibulis esse connexum, ut undique quodammodo clausum esset.

XLIV. Ea Canonis interpretatio si forte alicui minus arrideat, puto equidem vix antiquius in sacris Canonibus inveniri posse monumentum, quod nobis aliquod Mantelletti vestigium exhibeat, ejus scilicet vestis tunica brevioris, quæ supra Rocchettum indui solet ab Episcopis, Abbatibus, Protonotariis Apostolicis, aliisque compluribus Romanæ Curiæ Prælatis. De ejus indumenti usu ita statuit in Concilio suo Provinciali II. Mediolanensi S. Carolus, Tit. III. Decr. XXXI. *Ut quod de Mantelletti usu alias Provinciali Synodo per nos decretum est exequutionem habeat, decernimus, ut nequivis alii, nisi Abbates, Referendarii, & Pro-*

Digitized by Google

*Protonotarii eo breviori utantur, quam tunica talaris interior sit*. Statuit præterea in Concilio Mediolanensi v. Provinciali, ut Episcopus in propria etiam Diœcesi, ne Cardinali S. R. E. cuiquam, ne Legato Pontificis, ne Visitatori Apostolico, ne Metropolitano se sistat, nisi Mantelletto vestitus, quo Rocchettum contegatur: *Si quando contigerit, vel Legatum Pontificium, vel Cardinalem S. R. E., vel Metropolitanum hujus Provinciæ adventare, aut divertere, in aliquam Provinciæ Diœcesim, aut in ea diutius etiam commorari, tunc Episcopus Diœcesanus, cum ei obviam prodit, aut congressum, colloquiumque cum eo habet, aut denique in ejus conspectu præsens, sive publice, sive privatim adest, ne Rochetum detectum ferat, sed superiori veste contegat*. Additque mox: *Eundem honorem tribuat, deferatve Apostolico suæ Ecclesiæ Visitatori, & illi item, qui in ea regione internuntius Apostolicus est*. Ut Mantelletti usum, legemque ex S. Carolo expositam Episcopis approbaret, approbarique, & executioni mandari curaret, jam longe ante S. Carolum Sixtus Papa IV. Legato suo, quem in Gallias anno MCDLXXXIII. misit, id mandaverat. Sed de his alias; innuimus id autem hoc loco, ut videas Mantelletti Episcopalis usum in usu fuisse Seculo xv.

XLV. Vestes tandem civiles scilicet, quibus indui debet novus Episcopus, hujusmodi erunt, *vel ex lana, vel ex camelotto coloris violacei, nullo autem modo sericæ*. Modestiam in veste Episcopis passim sacræ Synodi, ac sancti Patres inculcant, quod exemplo aliis ipsi esse virtutis debent, non vanissimæ superfluitatis. S. Chrysostomus quanto exarderet zelo adversus Episcopum, qui serico amictu uteretur, Homilia IX. in Epistolam Pauli ad Philippenses, his plane verbis palam fecit: *Dic, quæso, sericisne Sacerdos vestitur? Si id facit ego reprehendam, & non parcam, imo ipsum Sacerdotio quoque indignum dico: quomodo enim admonebit alios, ne superfluis vacet, cum seipsum ipse admonere nequeat?* Clericos æque ac Episcopos pœnis subesse Canonicis, si in veste pretiosa procedant, edixerunt jam olim Nicænæ II. Synodi Patres Can. XVI. *Omnis jactantia, & ornatus corporeus, est a Sacerdotali ordine & statu alienus. Eos ergo Episcopos, vel Clericos, qui se splendidis & insignibus vestibus exornant, se corrigere oportet; quod si in hoc permanserint, Epitimio tradantur*. Quid sit Epitimium diximus in Commentario ipsius Canonis Tomo nostro II. Conciliorum. Observandum autem in eum Canonem hic illud est, quod cum conviciis proscidissent Iconoclastæ Orthodoxos, qui vilem & modestum amictum induti erant, Patres Synodi iis patrocinati, ingenue professi sunt, hactenus semper Clericos mediocri veste usos, a sericis semper abhorruisse, & ab iis elegantioribus additamentis, quibus pretii, & splendoris non parum vestibus accedere existimatur: *Sed neque*, inquiunt, *ex sericis texturis vestem quis variatam induebat, neque apponebat variorum colorum ornamenta in summitatibus vestimentorum. Audierant enim ex Deisona lingua, quia qui mollibus vestiuntur, ii in domibus Regum sunt*.

XLVI. Quamquam vero in Concilio Narbonensi anni MDL. Can. XV. vetitæ sint sericeæ vestes præterquam Episcopis, Abbatibus, & summas quasque dignitates obtinentibus, Sanctus tamen Carolus sacrorum veterum Ecclesiæ rituum tenax, ac sanctorum Patrum, & Synodorum peritissimus iterum atque iterum in Conciliis suis serico prorsus Episcopos abstinere sanxit, pannisque pretiosis. In Concilio Mediolanensi I. anni MDLXV. de Episcopi vestitu loquens, postquam dixit, non debere eum profano ornatu, aut apparatu, sed Fidei, & vitæ splendore sibi auctoritatem quærere, ita subjungit: *Itaque in vestitu sericum non adhibeat: non pretiosis pellibus utatur*. Servatam fuisse adamussim ab ipso hanc disciplinam, testem habemus fidelissimum ejus vitæ Scriptorem Carolum a Basilica Petri Lib. VII. Cap. VI. ubi hæc habet: *Nullum sericum adhibuit indumentum; sed ejus generis tamen, quæ personæ convenirent*. Id quod etiam confirmat Giussanus in ejusdem Vita Lib. I. Cap. II. dicens: *Sericas abjecit vestes, & quicquid fastum, aut pompam sapiebat*. S. Caroli exemplum, ejusque Provincialis Concilii I. Mediolanensis Decretum sequutus inter alios est Joannes Baptista Foppa Archiepiscopus Beneventanus, qui in sua Beneventana Provinciali Synodo anni MDCLVI. Tit. III. memorati Mediolanensis Concilii Decretum Synodo suæ inseruit. Quamquam itaque Prælatis condonatum quandoque fuerit, ut sericea induerentur veste, ab ea tamen indulgentia procul omnino fuere tum Carolus ipse, tum Concilia ejus Mediolanensia, tum quoque Italicæ, ac Gallicanæ Synodi complures, quæ Mediolanensium placita religiosissime amplexatæ sunt. Burdigalensis Synodus anni MDCXXIV. Can. XIII. sericeis vestibus Clericis quidem omnibus interdixit sine ulla prorsus exceptione: *Cujuscumque dignitatis, status, & conditionis existant*. Sed tametsi hæc ita se habeant, in ejusque disciplina alia afferri possent testimonia, cum tamen in Urbe, ut scitissime observat Pax Jordanus Episcopus Libro I. Elucubrationum, Tit. XVI. Numero XV. sericæ vestes deferantur passim a Clericis, Episcopis, & Cardinalibus, Papa vidente, & non prohibente, satis videtur, posse affirmari, consuetudinem ipsam excusari, quamvis Jura sint in contrarium, ac præsertim noster hic præsens §. I., ubi sic ait: *Vestes autem hujusmodi erunt, vel ex lana, vel ex camelotto coloris violacei, nullo autem modo sericæ*.

XLVII. Cautum est itaque a nostro hoc I. §. ut vestes, quas assumere debet novus Episcopus, sint *coloris violacei*. Cæsar Cardinalis Baronius ad annum CCCXCIII. ex quodam S. Hieronymi loco in Epistola ad Nepotianum, *De vita Clericorum, & Sacerdotum*, qua illum monet, ut vestes pullas æque devitet ut candidas, Clericorum vestes violacei olim coloris extitisse colligit. Verum Baronium egregie refellit eruditissimus Antonius Caracciolus Clericus Regularis in Notis ad Constitutiones sui Ordinis Parte II. Cap. II. constanter affirmans, Clericos olim, atque etiam Episcopos atra veste incessisse, non cærulea. Nam cum



Digitized by Google

cum Sisinnius Novatianus Episcopus, teste Socrate Lib. VI. Cap. XX. albas vestes more, & astu suæ sectæ gestaret, atque hujus rei a quodam e Domo Arsacii Constantinopolitani Episcopi notaretur, respondit: *Tu prius dic mihi, ubi sit scriptum, Episcopum debere nigra veste uti?* Vellicans scilicet hoc responso Arsacium, ceterosque Episcopos Catholicos, qui nigras vestes gestabant. Sanctum Martinum Clericatu jam insignitum veste hispida, nigro, & pendulo pallio circumtectum fuisse, testis est Severus Sulpitius Dialogo II. Cap. IV. aitque alibi, etiam deinde factum Episcopum eandem vestium humilitatem servasse.

XLVIII. Quamquam vero pro certo minime affirmari possit priscis seculis Clericos ubique locorum atra veste incessisse, constat nihilominus prohibitum ipsis fuisse conspicuo habitu uti, ac præsertim purpurei coloris, uti addiscimus ex Synodo Narbonensi habita anno Christi DLXXXIX. Can. I. ubi Clerici ipsi purpureis uti vestibus vetantur, ut quæ vel Magistratibus magis consentaneæ sint, vel secularibus inani nobilitatis, & gloriæ jactantia tumentibus: *Hoc regulariter definitum est, ut nullus Clericorum vestimenta purpurea induat, quæ ad jactantiam pertinent mundialem, non ad religiosam dignitatem; ut sicut est devotio in mente, ita & ostendatur in corpore, quia purpura maxime laicorum potestate præditis debetur, non religiosis: Quod siquis non observaverit, velut transgressorem legis coercendum.* Ubi nota I. non ornandæ personæ causa uti purpura oportere Laicos, sed commendandæ dignitatis, ejusque potestatis, quæ a Principe in eos derivatur ad Reipublicæ regimen tutius, & religiosius. II. eos qui in dignitate Ecclesiastica sunt, modestia potius, quam pompa vestium spectabiles, & venerabiles fieri oportere, ut quam animo impressam gerunt virtutem, humilitatis, & paupertatis studio conjunctam, ea & in corpore elucescat: *Ut sicut est devotio in mente, ita & ostendatur in corpore.*

XLIX. Sequioribus seculis, ac præsertim post annum millesimum nulla videtur fuisse Clericis Episcopisve necessitas assumendi vestes nigri coloris; edicunt enim id solum Synodi, ac potissimum Lateranensis II. Oecumenica sub Innocentio Papa II. celebrata anno Christi MCXXXIX. ne ipsorum vestes sint scissura, aut colore notabiles: *Nec in superfluitate*, inquit, *scissura, aut colore vestium intuentium offendant aspectum Episcopi, & Clerici.* Idem iisdem verbis statutum rursus fuit in Concilio Remensi anni MCXLVIII. sub Eugenio Papa III. Can. II. In aliis Synodis illud diserte cautum est, tum ne plurium sint colorum vestes Clericorum, tum ne splendidiorum, præsertim vero ne rubei coloris sint, aut viridis: *Ut vestes Clericorum sint unius coloris*, edixit Concilium Londinense anno MCII. Can. X. In Concilio Lateranensi IV. Oecumenico, quod anno MCCXV. Innocentius III. celebravit, Can. XVI. præcipitur Clericis, ut *pannis rubeis, aut viridibus non utantur.* Id quod etiam edixit Coloniensis Synodus anni MCCLXXX. Can. I. Videri possunt aliæ de ea re Synodi apud Thomassinum Parte I. *Disciplinæ*, Lib. II. Cap. L. & LI. ubi inter alia notat, colore quidem viridi, rubeoque, & conspicuo quolibet alio uti quidem fuisse prohibitos, non Episcopos, sed quoslibet alios Clericos, quacumque illi demum dignitate fulgerent. Postquam enim Lateranensem Canonem superius recitatum retulit in laudata I. Parte Lib. II. Cap. L. Num. IV. ita statim subjungit: *Hæc ad Clericos spectabant tantum. Fas ergo erat Episcopis, veste in rubea ut essent, vel viridi.*

L. Puto equidem, ex quo Paulus Secundus Pontifex Maximus, uti varii Auctores referunt apud Macrium verbo, *Cardinalis*, trecentis fere ab hinc annis purpuream vestem, Mozzettam, & biretum rubri coloris Cardinalibus concessit, invaluisse consuetudinem, ut Episcopi, Metropolitæ, Primates, ac Patriarchæ ipsi colore nonnisi violaceo in vestibus suis uterentur. Hinc Paris de Crassis Lib. I. *De cæremoniis Cardinalium, & Episcoporum in eorum Diœcesibus*, Cap. XXXV. ad morem sui ævi spectans, floruit enim non multo post Pauli II. Pontificatum, de Prælatorum vestibus loquens, diserte ait, non posse ipsos alio colore uti in vestibus suis, quam violaceo: *Ipsi Prælati nullatenus rubeo colore, nec camelotto cujuscumque coloris uti possunt, nec debent. Color enim violaceus, sive cælestinus proprie Prælatis intra totum annum convenit, exceptis diebus supra enumeratis &c.* Anno MCDII. consuevisse aliquos saltem Episcopos violaceo in vestibus colore uti, non obscure innuit Chronicon Bergomense Guelpho-Ghibellinum auctore Castello de Castello apud Muratorium Tomo XVI. *Rerum Italicarum*, Pag. 927. ubi enarrans novi Episcopi Bergomensis ingressum, qui accidit anno ipso MCDII. die Dominico XXII. mensis Novembris, inter alia recenset vestes coloris violacei, quibus ille indutus erat, quæ una cum aliis pro more temporum atque locorum variis personis distributæ fuere: *Item data fuit chlamis, seu unum mantellum de panno pavonatio in dorso præfati Domini Episcopi Bartholomæo filio quondam Bigini de Archidiaconis, & erat valoris florenorum III. vel circa.*

LI. Erat forte hæc aliquorum consuetudo, nam alias si Cæremoniale hoc nostrum excipias a Clemente Papa VIII. Pontifice Maximo anno Christi MDC. editum, ac probatum, vix aliam Pontificis legem invenies, qua præscribitur, ut Episcopi vestes quotidianæ, seu civiles sint violacei coloris. Quamquam autem ex Decretis Romanorum Pontificum soli S. R. E. Cardinales rubeo Galero, ac habitu uti debeant, sunt tamen hodieque Episcopi nonnulli, qui vel privilegio gaudentes Pontificum, vel tenaces priscæ consuetudinis suarum Ecclesiarum, rubeo in vestibus suis colore utuntur, uti inter alios a laudato Macrio esse dicitur: *Aquileæ Patriarcha, qui purpureis vestibus, ac bireto, non autem galero tegitur; & in tempore, quo indui debet violaceis vestibus, fert tunc etiam biretum ejusdem coloris.*

LII. Novissime Clemens XI. Pontifex Maximus Constitutione sua LXXXVI. edita anno MDCCXVI. qua erigit Patriarchalem Ecclesiam Ulyssiponensem, inter

Digitized by Google

inter alia eximia privilegia, §. XXIII. singularem gratiam deferendi habitum purpureum adinstar Archiepiscopi Salisburgensis concessit. Ceterum Archiepiscopus Gnesnensis, Poloniæ Primas habitu & ipse purpureo more S. R. E. Cardinalium hodieque utitur ex antiqua, ut ajunt, insignis Ecclesiæ suæ consuetudine, quæ eximiis aliis prærogativis fulget, legatione præsertim Romani Pontificis, de quibus videri potest laudatus Thomassinus Parte I. *Disciplinæ*, Lib. I. Cap. XLV. & alibi. Solet tandem & hodie ex prisco pariter more Vercellensis Episcopus in quibusdam solemnitatibus purpureis indutus vestibus ire ad Ecclesiam, excepto pileolo, qui est nigri coloris.

## §. II.

Præsentes in Curia, induti, ut supra, quam primum poterunt, adibunt Summum Pontificem, & ei gratias agent de sua promotione, merita propria extenuando, & dignitatis gradum amplificando, seipsos, & Ecclesias ipsis commissas humiliter commendando, & tunc e Sanctitatis suæ manibus Rocchettum accipient, & post oscula pedum gratias agent. Visitabunt deinde singulos Eminentissimos S. R. E. Cardinales in eorum domibus, eisque officiose gratias agent, se, & suas Ecclesias illis commendando, & offerendo.

## COMMENTARIUS.

I. TEste Augustino Patricio Lib. I. *Rituum Ecclesiasticorum, sive sacrarum cæremoniarum sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, Cap. III. ubi agit de habitu, & prima visitatione Prælatorum, *pronunciatus in Episcopum, mox accipit Rochetum, & tondet caput, faciens sibi magnam coronam*. Nondum ergo labente Seculo XV. quo florebat Patricius, ea disciplina invaluit, ut novus Episcopus de manu Papæ Rocchettum acciperet. Induebat quippe ipsam lineam vestem domi suæ Episcopus, ibatque ad Pontificem primum, ac deinde ad Cardinales, ut de Episcopatu sibi collato gratias ageret. Sunt qui autumant, eum, qui in Episcopum electus, & confirmatus sit, ante Consecrationem, Rocchetto uti non posse, probantque ex Capite, *Clerici officia*, verbo, *Pontifices*, *De vita, & honestate Clericorum*, quia scilicet appellatione Pontificis non venit electus, & confirmatus in Episcopum, sed qui est jam consecratus, ex Glossa in Clementina II. *De celebratione Missarum*, notatque Panormitanus in Capite, *Eam te*, *De rescriptis*.

II. Affert hanc sententiam Riccius Tomo III. Praxis Fori Ecclesiastici, Resolutione CDXLI. Num. III. ut nimirum nequeat electus, & confirmatus in Episcopum, ante consecrationem, uti Rocchetto. Sed hæc opinio facile eliditur ex contrario usu cujus meminit Patricius, ac præsertim ex auctoritate nostri hujus §., ubi edicitur, electum in Episcopum, si præsens fuerit in Curia, *e Sanctitatis suæ manibus Rocchettum accipere*, absentem vero ea veste, aliisque superius memoratis seipsum in-

induere. Cæremoniale autem cum novum constituat jus in Ecclesia, utpote a Summis Pontificibus approbatum, nil plane obstat, siquid aliter in antiquis Canonibus præscriptum sit; nota enim est illa Juris Regula, quod Leges posteriores derogant prioribus. Hoc notato, ut reliquum explicemus ritum, qui in nostro §. præscriptus est, cæremoniam primæ hujus visitationis novi Episcopi luculenter describit idem Patricius, qui postquam dixit, promotum in Episcopum, mox Rocchettum accipere, ac tonsuram sibi amplam facere, de qua §. I. disseruimus, ita statim subjicit: *Et ut primum poterit indutus magna cappa, & sociatus ab amicis equitat cum Galero nigro Episcopali, primum ad Palatium Apostolicum, & agit gratias Summo Pontifici de sua promotione: deinde ad omnes Cardinales, quibus etiam agit gratias, quod promotionem suam benigne juverint, & in ea gratiose consenserint*; quia scilicet uti superius in §. I. dictum est, Pontifex nonnisi in Consistorio Cardinalium nominationem novi Episcopi ad Ecclesiam vacantem suffragiis suis comprobantium, Episcopum ipsum pronuntiat per ea verba, *Auctoritate Dei omnipotentis &c.*

III. Sed audiamus iterum laudatum Patricium, cæremoniam ipsam primæ visitationis, quam Summo Pontifici, ac S.R.E. Cardinalibus novus Episcopus facere debet, sic citato superius loco enarrantem: *Quando promotus intrat ad Pontificem, seu Cardinales, solent etiam admitti Prælati, & nobiles Curiales, qui eum deducunt, ut possint audire proponentem, & respondentem. Solent promoti agere gratias pro dignitate sibi commissa, merita sua extenuando, & dignitatis auctoritatem amplificando, Ecclesiam sibi commissam commendando, & se offerendo. Pontifex pro qualitate personæ respondet allegando merita promoti, vel intercessorum ejus; & monet, ut Ecclesiæ, ad quam promotus est, honori, & utilitati totis viribus insumbat. Cardinales plerumque solent respondere, quod ipsis non sunt agendæ gratiæ, sed Summo Pontifici, qui personam suam ad illam dignitatem promovere voluit; ad alia vero respondent secundum merita, & secundum proposita, laudando, monendo, & hortando, ut expedire judicaverint.* Morem hunc antiquum, ut nimirum Episcopi post eorum promotionem teneantur non modo Summum Pontificem, sed & S. R. E. Cardinales præsentes in Curia visitare, innovavit quidem, ac inviolabiliter servari mandavit Leo X. Pontifex Maximus in sua Constitutione VII. quæ incipit: *Supernæ dispositionis arbitrio*, edita anno MDXIV. quarto Nonas Maji, ubi inter alia hæc habet: *Promotus vero eosdem Cardinales, qui præsentes in Curia fuerint, ex antiquo more, consuetudineque laudabili quamprimum visitare teneantur: quem quidem morem, laudabilemque consuetudinem innovamus, ac inviolabiliter observari mandamus.*

## §. III.

Absentes vero seipsos Rocchetto, & vestibus, ut supra, induent, & gratiarum actiones, & Ecclesiarum suarum commendationis officium per literas tam apud Summum Pontificem, quam apud Eminentissimos Dominos Cardinales peragere studebunt; & si erunt in propria sua Diœcesi, vel Provincia, cum de eorum promotionem certum nuntium habuerint, utantur domi, & foris, loco Mantelletti, Mozzetta ejusdem coloris supra Rocchettum, & tam præsentes in Curia, quam absentes utantur, cum opus erit, galero nigro laneo, viridi serico ornato cum cordulis, ac floccis coloris viridis. Hæc quæ de vestibus diximus, Clericis, seu Presbyteris secularibus, seu Regularibus electis tantum conveniunt.

## COMMENTARIUS.

I. POsse Electos, & Confirmatos in Episcopos, tametsi consecrati non sint, ubi a Romana Curia absentes fuerint, *per seipsos Rocchetto, & vestibus, ut supra*, induere, jam contra quorumdam opinionem in Commentario præcedenti ostendimus, ex clarissimis Cæremonialis verbis, quibus ritus ipse non modo permittitur, verum etiam jubetur, uti addiscimus ex §. II. & III. præsenti, ubi etiam edicitur, ut statim ac certiores facti fuerint, se alicui Ecclesiæ Metropolitanæ, Cathedrali, vel majori in Consistorio præfectos fuisse, *gratiarum actiones, & Ecclesiarum suarum commendationis officium per literas tam apud Summum Pontificem, quam apud Eminentissimos Dominos Cardinales peragere studeant*. Alia omitto, quæ in hoc §. continentur, quod explicata abunde jam sint in Commentario superiori.

II. Unum hic addiderim, quod scilicet Ambrosianum Cæremoniale præscribit Lib. I. Cap. I. ut nimirum cum primum de electione Archiepiscopi Mediolanensis constiterit, *Summo etiam Pontifici per literas a Civitatis Præfectis Capituloque Metropolitanæ referantur gratiæ*. Præscribit tum quoque illud, ut jussu Vicarii Campanæ omnes Civitatis pulsentur, & Clerus Metropolitanæ in chorum conveniat, ubi Sede Archiepiscopali de more parata, *Te Deum laudamus*, a Musicis cantetur, & in fine oratio pro gratiarum actione ab Archipresbytero, tribusque diebus continuis subsequentibus Campanæ omnes Urbis festivo more pulsentur. Deinde ut indicatur solemnis processio totius Cleri Se-

Digitized by Google

Secularis, & Regularis, necnon Confratriarum, quæ ad gratias agendas pro beneficio Pastoris impetrato, a Metropolitana ad sancti Ambrosii majoris Basilicam solemni ritu habeatur.

III. Servandum hunc quoque esse ritum in aliis Ecclesiis, ut nempe cum primum de electione novi Episcopi nuntium certum habuerint, singuli Religiosi ad Ecclesiam Cathedralem accedentes, Deo gratias agant, & Hymnum, *Te Deum*, devote cantent, ex nostro Cæremoniali præscriptum est Lib. II. Cap. XXXVIII. in fine; postquam scilicet ante edixerit in §. XXVI. ut sepulto Episcopo, donec de novo successore provisum fuerit, preces ad Deum offerantur assiduæ pro opportuna novi Episcopi electione impetranda. Conveniens esse ait, ut singulis diebus, vel saltem semel in hebdomada Religiosi processionaliter ad Ecclesiam Cathedralem accederent, Litanias cantantes, & ibidem pias, & devotas orationes recitarent, cum Canonicis, & Clero ejusdem Ecclesiæ Cathedrali, ut Deus illis quam primum concedere dignetur novum, & bonum Pastorem, qui Ecclesiam regere, & animarum curam digne, & fructuose habere valeat, & possit. Sed de his suo loco fusius.

## §. IV.

Promoti vero ex Regulari Ordine non Clericali, non utuntur Rocchetto, sed retinent in vestibus colorem habitus suæ Religionis, & deferunt ubique Mozzettam ejusdem coloris, & biretum nigrum (galero tamen viridi, prout supradicti Clerici utuntur) sed Canonici Regulares utuntur etiam Rocchetto, prout ante promotionem ad Episcopatum utebantur in sua Congregatione, & colore violaceo; sed non Mozzetta, ut Presbyteri Sancti Spiritus, & militiarum S. Joannis, S. Jacobi, & aliarum; qui tamen sui Ordinis insignia in vestibus non deferunt, sed ejusdem Ordinis Crucem ad collum intus pendentem. Cum autem Episcopi nulli Regulari Ordini adscripti, seu ex Ordinibus militaribus assumpti, extra Dioecesim fuerint, Mozzetta supra Mantellettum utantur, ubi talis viget consuetudo.

## COMMENTARIUS.

I. PRomotos ad Episcopatum Monachos, ac Fratres non posse habitum suæ Religionis mutare, abunde jam demonstravimus Tomo II. Conciliorum in Commentario ad Canonem XXVII. Concilii IV. Constantinopolitani, Oecumenici VIII. ubi Patres ita edixerunt: *Illos autem, qui reverenter Monasticam vitam sectati sunt, & Episcopalem meruerunt honorem conservare schema, & amictum Monachorum indumentorum, & ipsam beatam vitam decernimus, & nullus omnino habeat potestatem deponere jam dictum schema propter typhum, & arrogantem voluntatem, ne per hoc inveniatur propriorum transgressor pactorum*. Fuit is sane mos Ecclesiæ pervetustus, ut Monachi Episcopi facti habitum Ordinis sui nequaquam mutarent, uti in memorato Commentario a nobis ostensum est auctoritate Innocentii Papæ I. & exemplis complurium Sanctorum veterum Monachorum, qui in Episcopatu vitam æque ac Monasticam vestem retinuere. Certe de S. Jacobo Episcopo Nisibeno scribit in Monastica Historia Theodoretus, Cap. I. quod *nec cibum mutavit, nec vestitum*. Eodem teste Auctore, Cap. V. S. Aphtonius nescio cujus Civitatis Episcopus *Sedem adscendit Pontificalem, nec pallium mutans adsceticum, nec tunicam caprarum e pilis contextam, cibisque eisdem utens, quibus ante Episcopatum vescebatur*. De Matthæo tandem Cluniacensi Monacho, quem Honorius II. Papa Episcopum Cardinalem Albanensem creavit, ita scribit Petrus venerabilis Abbas Cluniacensis Lib. II. *De miraculis*, Cap. XIV. *Provectus ad sublimem Pontificalis Ordinis gradum, nihil de Monacho quorumdam more dimisit, sed sicut de magno Martino legitur, eadem in corde ejus humilitas, eadem in vestitu ejus vilitas*.

II. Usum hunc antiquissimum confirmavit anno MCCXV. Lateranensis IV. Synodus Oecumenica Can. XVI. quo jubentur Monachi ad Episcopatus apicem evecti habitum ut gestent monasticum, ceteris vero Episcopis admonitis, ut ne in publicum prodeant umquam, nisi cum superindumentis lineis, idest Rocchettis, sicut in Ecclesia: *Pontifices autem in publico, & Ecclesia superindumentis lineis omnes utantur, nisi Monachi fuerint, quos oportet deferre habitum Monachalem*. Ubi nota, non agi in recitato Canone de colore vestis, sed de veste ipsa Monastica, quam retinere debent Monachi, licet ad Episcopatum provecti sunt: *Quos oportet*, inquit, *deferre habitum Monachalem*. Hanc esse genuinam Lateranensis Canonis interpretationem, addiscere etiam licet ex Londinensi Synodo anni MCCLXVIII. ubi Can. V. ita statuit: *Specialiter indicimus iis, qui de Monasteriis, vel de aliis regularibus locis in Episcopos sunt assumti, vel de cetero assumentur, suum deferant habitum Regularem, ne Religionem præcedentem dignitas excludere videatur, quam sibi debent vinculo individui fœderis copulare*. Statimque subjicit: *Quibus etiam districtius inhibemus, ne utantur pannis, aut pellibus, aut aliis ornatibus ab Ordine, sive a Regula sua priori discrepantibus in colore: sed in talibus statutum Concilii generalis satagant observare*. Concilium generale cujus

Digitized by Google

cujus hic meminit Londinensis Synodus, est memoratum IV. Lateranense Concilium Oecumenicum. Notatu autem dignum est, quod in recitato Londinensi Canone observat Thomassinus Parte III. *Disciplinæ*, Lib. II. Cap. I. fœdissime eum scilicet hallucinari, qui hoc Canone Londinensi id cum præscribi sibi fingeret, ut Episcopi Regulares in veste sint ejusdem coloris cum habitu suo priori monastico; nec enim ea postrema clausula jam de veste agit, sed de pannis, pellibus, aliisque adjactitiis ornamentis Episcopalibus, quæ jubet Canon ejusdem coloris esse cum veste Monastica; alioqui Canon unus idemque secum colliderétur ipse, quodque prius adstruxisset, postea diruerat, Canonique Lateranensis Concilii adversaretur, quem tamen confirmatum voluit, ubi ita edixit: *Sed in talibus statutum Concilii generalis satagant observare*.

III. Luculentius hæc plane constant ex iis, quæ fuse diximus nostro Tomo II. Conciliorum in Canonem XXVII. Concilii VIII. Oecumenici, ubi inter alia recensuimus Canonem XVII. Concilii Saltzburgensis, quod habitum fuit anno MCDXX. In eo enim expresse vetantur Episcopi ad Episcopales obeundas functiones, uti Regularium ministerio, qui dum Episcopali ordinatione inaugurarentur, monasticas abjecerant vestes, nisi eas rursus induerent: *Nullus Suffraganeorum nostræ Provinciæ in sua Diœcesi ad exercendum ea, quæ Episcopalis Ordinis existunt, tales Titulares Episcopos admittat, nisi habitum suæ Religionis manifeste deferent*. Vult quidem ut ipsum sui Ordinis habitum gestent, alias enim eos inquit, in grave scandalum, flagitiumque proruere, & in ipsa excommunicationis vincula: *In animæ suæ periculum, & plurimorum scandalum, sicque excommunicationis sententia innodantur*. Porro, ut ex recitato superius Canone Londinensi constat, dedecoratum iri quodammodo Episcopatum nonnulli existimabant, si cum humili veste Pontificium decus sociaretur; ideoque non pauci e Fratribus præsertim mendicantibus ad Episcopatum promoti religiosa indumenta deponebant; quæ tamen ex veteri Ecclesiæ disciplina, & ex duorum præsertim generalium Conciliorum præscripto, nempe Nicæni II. & Lateranensis IV. deferre jugiter tenebantur. Est enim religiosa vestis veluti tessera quædam complectendarum virtutum omnium Monasticarum, quæ cum Episcopalibus functionibus nullatenus pugnant, uti inter alios docet Theologorum omnium Princeps S. Thomas Aquinas II. II. Quæstione CLXXXV. Articulo VIII.

IV. Quamquam vero multa alia afferri possent, quibus magis magisque ea disciplina probari queat, ut Episcopi nimirum ex Ordine Regulari assumpti proprium suæ Religionis habitum deferre teneantur, nihil tamen hodie ad rem facerent, cum nostro Cæremoniali illud satis jam visum fuerit, si Episcopi ex Monachis assumpti vestis suæ olim Monasticæ colorem servent: *Promoti*, inquit, *ex Ordine Regulari non Clericali, non utuntur Rochetto, sed retinent in vestibus colorem habitus suæ Religionis, & deferunt ubique Mozzettam ejusdem coloris*. Standum sane hodie est Cæremonialis præscripto, quod a Pontificibus Maximis, a Clemente VIII. primum, tum ab Innocentio X. novissime vero a sanctæ memoriæ Benedicto XIII. peculiaribus Constitutionibus comprobatum est. Mirari autem satis nequeo, quod in Comitiis Cleri Gallicani anno MDCLXV. decretum fuerit contra nostri Cæremonialis præscriptum, ut inter Galliæ Episcopos distinctio illa non vestis solum, sed & coloris penitus tolleretur. Verba Decreti apud laudatum Thomassinum hæc sunt: *Ut omnes Prælati nulla distinctione, nulla exceptione in veste violacea irent, ut Majestatem Regiam una invisérent, & venerarentur, etiam qui ex Regularibus Ordinibus vocati sunt ad Episcopatum, ut una ab omnibus forma teneatur*. Sed quicquid sit de hujusmodi Cleri Gallicani Decreto, tenenda est hodie omnino Regula illa a nostro Cæremoniali præscripta, ut nimirum Fratres, ac Monachi creati Episcopi sui Ordinis habitum gestent, aut certe colorem.

V. Jam non posse Episcopo ex Monachis, vel Fratribus Mendicantibus assumtos uti Rocchetto, vel habitum Monachalem dimittere, cautum est ex laudata superius Synodo IV. Lateranensi, Can. XVI. docentque passim Theologi æque ac Canonici Jurisconsulti, S. Thomas II. II. Quæstione CLXXXV. Articulo VIII. Angelus, & Silvester in Summa verbo *Ordo*, & verbo *Religio*, VI. Num. X. Cardinalis in Clementina I. *De statu Monachorum*, Num. IX. aliique plures, quos refert Sanchez in Summa *De Religione*, Tomo III. Lib. VI. Cap. VI. Sunt & ejus odinionis nonnulli, nempe Cardinalis ipse in Clementina I. Tit. cit. Jason in Lege *Ingressi* Cod. *De sacrosanctis Ecclesiis*, Num. XVI. laudatus Silvester verbo *Religio*, VII. & inter alios Surdus, *De alimentis*, Tit. VIII. Privilegio LXXIX. Num. IX. ut asserant, excommunicationem ab Episcopo Regulari incurri, si habitu suæ Religionis dimisso, Rocchetto induat. Sed contrarium alii tenent, quos etiam sequitur Sanchez loco citato. Barbosa vero in pastorali Tit. I. Cap. IV. Num. XVII. & Fuscus *De Visitatione*, Lib. II. Cap. XV. Num. XI. ajunt peccare illum graviter, licet excommunicationem minime incurrat. Quicquid sit de iis Doctorum sententiis, quod Prælati Regulares Rocchettum deferre nequeant, nisi ex tali Ordine fuerint, qualis est Canonicorum, & Clericorum Regularium, cui illud competat, non modo sacri Canones, & nostrum hoc Cæremoniale, sed & Sacra Rituum Congregatio coram Alexandro VII. Pontifice Maximo die XXVII. Septembris anni MDCLIX. decrevit §. IX.

VI. Quod Canonicos Regulares spectat, morem fuisse antiquum, ut ipsi in Episcopos promoti uterentur habitu, & colore, quo ex veteri consuetudine alii Clerici sæculares creati Episcopi utebantur, addiscere licet ex Constitutione XXXIV. Leonis Papæ X. edita die prima Septembris anno MDXIX. directa ad Zachariam Episcopum Sebastensem Canonicum Regularem S. Augustini, atque ipsius Pontificis Prælatum domesticum, extatque Tomo I. Bullarii Romani; & verba sunt ista:

Digitized by Google

ista: *Dudum cum ad Ecclesiam Sebastensem a nobis de venerabili Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio promotus esses in Pastorem, dubitatum fuit a nonnullis, an tu, qui Ordinem Canonicorum Regularium S. Augustini expresse professus fueras, in habitu, & coloribus, Prælatis secularibus de jure, vel consuetudine permissis incedere posses, prout incedebas; & cum quæstio hujusmodi ad nos perlata fuisset, Nos causam ipsam mature determinare desiderantes, venerabili Fratri nostro Nicolao Episcopo Albanen. tunc tit. S. Priscæ Presbytero Cardinali de Flisco nuncupato, vivæ vocis oraculo commisimus, ut super hisce diligenter informaret, & demum nobis referret. Cum autem præfatus Nicolaus Episcopus nobis retulerit, de antiqua consuetudine in pluribus locis etiam in Romana Curia, ubi Pontifex residet, receptum fuisse, ut Canonici Regulares hujusmodi in Episcopos promoti tam in Capella nostra, quam extra utantur habitibus, & coloribus, quibus utuntur alii Clerici seculares in Episcopos promoti: Nos præterea juxta relationem nobis factam, ut præfertur, fraternitati tuæ vivæ vocis oraculo concessimus, ut habitus, & colores, quos dicti Clerici seculares in Episcopos promoti, tam in Capella nostra, quam extra gestant, gestare posses, & ita etiam tenore præsentium, auctoritate Apostolica de novo concedimus, in contrarium non obstantibus quibuscumque. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 1. Septembris, anno millesimo quingentesimo decimo nono, Pont. nostri anno septimo.* Ante Leonem X. consuevisse Canonicos Regulares ad Episcopatum promotos Rocchetto uti, quem alias in sua Religione gestabant, testis est luculentissimus Augustinus Patricius lib. 1. *Sacrarum Cæremoniarum*, Cap. 111. ubi postquam dixit, promotos ex Religione Episcopos uti priori habitu pro Rocchetto, hanc statim clausulam subjicit: *Nisi sint Canonici Regulares, qui illo utuntur in sua Religione.*

# C A P. II.

*Procuranda ab Archiepiscopo, & Episcopo ante accessum ad suam Ecclesiam. Quæ in itinere præstanda. Significandus ejus adventus Vicario, Capitulo, & Magistratui Civitatis. Quæ præparari debeant pro ejus ingressu. Quo ordine processio peragenda. Ritus possessionis in Ecclesia capiendæ. Recessus ab Ecclesia ad Ædem Episcopalem. Quid præstandum, si transeat per insignem locum suæ Diœcesis, vel in eo hospitetur.*

## §. II.

Accessurus Episcopus ad suam Diœcesim, vel Archiepiscopus ad suam Provinciam, ante accessum poterit aliquas gratias, seu facultates a Sanctissimo Domino nostro Papa obtinere, præsertim Indulgentiam plenariam pro populo suæ primæ Missæ adfuturo. Insuper præparabit quæ in itinere, & ingressu usui esse poterunt; ut vestes Episcopales ordinarias, Cappam Pontificalem violacei coloris, seu, si Regularis fuerit, coloris habitus sui; Galerum Pontificalem cordulis, ac floccis sericis coloris viridis ornatum; equi etiam, sive mulæ ornamenta opportuna; item libros necessarios, ut inter ceteros, Pontificale Romanum, & hoc Cæremoniale, ac paramenta etiam sacra, quæ pro ingressu erunt necessaria, idest Pluviale album cum Stola, & Mitra pretiosa, Amictum, Albam, Cingulum, Crucem pectoralem, & Annulum, nisi ea ad majorem commoditatem a propria Ecclesia sumere velit. In discessu recitabit in Ecclesia, si commode fieri poterit, saltem minus antequam equum ascendat, cum suis Clericis, & familiaribus Itinerarium; idemque observabit quotidie mane post Missam, antequam equum ascendat, quandiu erit in itinere; & si erit Archiepiscopus, quamprimum suam Provinciam intraverit, faciet ante se deferri Crucem per aliquem ex suis Capellanis, imagine sanctissimi Crucifixi ad se versa; & sibi occurrentes subditos, qui genuflectere debent, signo Crucis super illos facto, benedicet, atque ita etiam faciet Episcopus, cum suam Diœcesim intraverit.

## COMMENTARIUS.

I. QUo ritu olim novi Episcopi ad Ecclesias suas primum accederent, atque exciperentur, jam fuse explicuimus nostro Tomo 111. Romani Pontificalis ad Titulum xx. qui inscriptus est: *Ordo ad recipiendum processionaliter Prælatum, vel Legatum*. Rubrica hujus §., itemque Ambrosianum Cæremoniale a Federico Cardinale Borromæo, Me-



Digitized by Google

Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopo editum Libro I. Cap. I. ait primum, esse in Episcopi potestate, ut accessurus ad suam Diœcesim, a Summo Pontifice petat *aliquas gratias seu facultates, præsertim indulgentiam plenariam pro populo suæ primæ Missæ adfuturo*. Quia scilicet, tametsi Episcopi soli ipsi sint Ordinarii indulgentiarum ministri, non tamen plenarias, seu quæ totam pœnam peccato debitam relaxant, concedere possunt; est enim id soli Romano Pontifici reservatum, ex sacris Canonibus, quia solus ipse est totius Ecclesiæ caput, & plenitudinem potestatis jure divino habet.

II. Cum itaque Episcopis ex Canone LXII. Oecumenicæ Synodi IV. Lateranensis aliquam tantum partem pœnæ peccato debitæ, unius scilicet anni in dedicatione ipsa alicujus Ecclesiæ, & quadraginta dierum in aliis festivitatibus, aut causis, indulgere permissum sit, iccirco recurrendum est illis ad summum Pontificem, obtinendæ gratia indulgentiæ plenariæ pro populo, qui suæ primæ Missæ interfuerit. Verba Canonis Lateranensis hæc sunt: *Decernimus, ut cum dedicatur Basilica, non extendatur indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive a pluribus Episcopis dedicetur; ac deinde in anniversario dedicationis tempore, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat. Hunc quoque dierum numerum indulgentiarum literas præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet causis aliquoties conceduntur.*

III. Solicitus in obtinendis a summis Pontificibus plenariis indulgentiis, ac gratiis tum pro sua propria Mediolanensi, tum pro totius suæ Provinciæ Ecclesiis, fuit præ omnibus quidem S. Carolus, ut multis argumentis docent in ejus Vita Petrus Giussanus, & Carolus a Basilica Petri, quorum alter Lib. III. Cap. IV. loquens de ejus reditu ab Urbe Mediolanum, sic inter alia inquit: *Calculos ad precandum Pontificis auctoritate sacros, id quod pro salute gregis semper solebat, attulit innumerabiles, quamquam pauci pro Mediolanensium pietate visi sunt. Sacra septem insignium Ecclesiarum Urbis indulgentiæ divinæ munera obtinuit, in totidem Mediolani Ecclesiis collocanda. Quæ res fecit, ut quæ veteres Ecclesiæ, locis, & rebus Mediolani erant cultu dignissimæ, negligentia vero Sacerdotum, & aliorum pene derelictæ, rursus piæ multitudinis frequentia, cultuque præcipuo celebrarentur.* Obtinuisse præterea Carolum a Summo Pontifice, ut Mediolanensis Provinciæ suæ Episcopi in articulo mortis constitutis Episcopali sua benedictione plenariam peccatorum indulgentiam largiri valerent, testatur memoratus Gussanus Libro VIII. Cap. XIV.

IV. Obtentis a Pontifice gratiis, plenariisque indulgentiis, si quis tamen ab ipso novus Episcopus petierit: *præparabit*, inquit mox §. noster, *quæ in itinere, & ingressu* (suæ civitatis) *usui esse poterunt, ut vestes Episcopales ordinarias, Cappam Pontificalem violacei coloris, seu, si Regularis fuerit, coloris habitus sui, Galerum Pontificalem cordulis, ac floccis sericis coloris viridis ornatum &c.* Concinit his Cæremoniale Ambrosianum Lib. I. Cap. I. ubi ita ait: *Insuper præparanda curabit, quæ in itinere, & in ingressu usui esse poterunt, nimirum vestes Episcopales ordinarias, Cappam Pontificalem, Pileum Pontificalem, equum, & mulam, ornamentaque opportuna, ut infra.* Et mox: *Paramenta etiam sacra pro ingressu infra, suo loco disposita, sericum pro sella in Ecclesia operculum, ut infra, Crucem Archiepiscopalem, ceteraque insignia; etsi erit Cardinalis, reliqua omnia, quæ ad dignitatis ordinem, rationemque spectare cognoverit.* Nonnulla hic habes, quæ in nostro §. desiderantur, præsertim de eo quod monet, ut præparentur scilicet illa, quæ ad dignitatem Cardinalitiam spectant, ubi scilicet Episcopus sit Cardinalis.

V. Sed ut explicemus singula, Cappæ nomen quæ genus est vestis Ecclesiasticæ, occurrit passim in Synodis, & apud Scriptores, qui de re vestiaria sacra scripserunt. Quamvis autem multifariam accipiatur; in nostro hoc tamen §. accipitur pro Capppa illa magna, seu longa cum capucio, pellibus, vel serico secundum temporum exigentiam subsuto, qua utuntur Episcopi, ideoque *Pontificalis*, sive *Episcopalis* appellatur: *Cappam Episcopalem*, inquit S. Carolus in Concilio Mediolanensi IV. Provinciali de Episcopis loquens, *cum in Ecclesia, vel ad divina officia, vel ad conciones, vel ad sacras lectiones, vel ad alias ejusdem generis actiones accedunt, omnino induant.* Meminit & ejus Cappæ Augustinus Patricius Lib. III. *Sacrarum cæremoniarum sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, Cap. VI. de habitu Prælatorum differens, ubi inter alia ait, Prælatos extra Ecclesias suas non uti Cappa ampla, nisi in Romana Curia, cum adsunt sacris, sive profanis, vel publico consistorio cum Pontifice in ejus Capella. Porro, ut docet Rupertus in Cap. I. Apocalypsis, Cappa significat Sacerdotalis dignitatis eminentiam. Caudæ longitudo denotat quod usque ad diem extremum judicii sit dignitas Sacerdotalis duratura: defertur tamen hæc cauda sub brachio involuta, & plicata, quia dignitas Ecclesiastica manifestari non debet, nisi urgente necessitate ad Dei honorem, & animarum salutem. Pellis, quæ in collo ejusdem, & circa pectus subacta est, Prælatum meminit peccatorem esse, vel ob mortis memoriam.

VI. Cappa magna non modo Episcopi, & Cardinales, verum etiam in plerisque Cathedralibus Canonici, imo & Beneficiati in Basilicis Urbis, ac alicubi quoque utuntur. Differt vero Beneficiatorum Cappa a Cappa Canonicorum in colore pelliceæ, nam illa est cinericii quidem coloris, hæc vero candidi armellini. Erat antiquitus Canonicorum Cappa nigri coloris instar Capparum Religiosorum, ex parte anteriori aperta, & unita solum inferius eo modo quo a Nicolao Papa III. anno MCCLXXVIII. edita constitutione, quæ bona, ritus, & ornamenta Basilicæ Vaticanæ spectant, refertur: *Statuimus*, inquit, *quod omnes Basilicæ Canonici in Ecclesia, & in Choro, quando divina Officia celebrantur, ac etiam aliis horis, præsertim in publico, cum est ibi advenientium multitudo, habitum habeant uniformem; a Vigilia scilicet omnium Sanctorum usque ad Sabbatum san-*

Digitized by Google

*sanctum superpelliceas lineas deferant*, *cappas nigras de sagia simplices*, *vel si voluerint*, *foderatas a cingulo*, *vel circa ex parte inferiori fixas inferius*, *& apertas*. Testatur Turrigius de Cryptis Vaticanis secundæ editionis, Vaticanæ Ecclesiæ Canonicos tempore etiam Innocentii III. Cappam nigri coloris detulisse, Cappaque violacea tandem cum pelle donatos ipsos, ac Beneficiatos fuisse a Nicolao Papa V. anno MCDLIV. Notat autem post Turrigium Macrius in suo Hierolexico verbo *Cappa*, Beneficiatos præter differentiam pellicæ coloris, deferre Cappam undequaque clausam, ac solum anterius apertam, ut possint manus emittere ad instar Cappæ Advocatorum Consistorialium almæ Urbis, & Rocchettum gerere sine Manicis.

VII. Fuse de hac Canonicorum veste agit eruditissimus Petrus Morettus, de re rituali optime meritus, in sua Disceptatione Epistolari, *De ritu variandi chorale indumentum &c.* ubi inter alia Num. LXIX. docet, Cappa magna, seu ampla superioribus seculis ornari consuevisse Cardinales, Episcopos, & forsan alios insignes Prælatos. Pluribus ab hinc seculis gaudent Capparum privilegio complurium Cathedralium æque atque Collegiatarum Ecclesiarum Canonici; & quod notatu dignum est, Pisis Canonici ex immemorabili privilegio Cappam rubeam tempore hyberno, & Mozzettam ejusdem coloris supra Rocchettum in æstate deferunt; quod privilegium a Pio Papa IV. anno MDLX. confirmatum fuit, ut idem testatur Macrius, qui etiam addit, eadem gaudere prærogativa viginti Mediolanensis Cathedralis Canonicos, Cardinales appellatos, Canonicos quoque insignis Ecclesiæ Capuanæ in aliquibus solemnitatibus peculiari privilegio rubras Cappas deferre. Sunt & alii qui his adjungi possent, quosque in dies etiam donari Mitra videmus, atque aliis honorificis prærogativis, quibus olim communi jure Episcopi soli potiebantur. Quicquid autem sit de hujusmodi privilegiis, quod habitum Prælatorum Religiosorum spectat, non omittendum hoc loco est quod scribit Augustinus Patricius Lib. III. *Sacrarum Cæremoniarum*, Cap. VII. ubi hæc habet: *Prælati ex Ordinibus Mendicantium vadunt cum suo habitu etiam in Cardinalatu*, *nisi quod sunt ampliores*, *& lanæ magis preciosæ*. *Ex Monasticis autem utuntur Cappa ampla colore nigro cum pellibus nigris*.

VIII. Præter Cappam, de qua hucusque loquuti sumus, recenset mox noster §. inter vestes ordinarias Episcopales, quæ in itinere, & ingressu suæ Civitatis usui esse possunt Episcopo, *Galerum Pontificalem cordulis*, *ac floccis sericis coloris viridis ornatum*. Galerus, seu pileus civilis, quo hodie laici æque, ac sacri homines fere omnes ad tegendum caput utuntur, vix olim in usu fuit. Ad injurias Cæli arcendas eo primi, & majori urgente necessitate usi milites sunt. A militibus exortus galeri usus, eadem, ut reor, nominis origine, ac galea ipsa, e felium videlicet pellibus, quæ Græce ita dicuntur, manavit postea in laicos omnes, quos imitantes Clerici, galero & ipsi uti cœpere, sed primum ruri tantum, inde & in urbe, renitentibus licet Conciliis, ne ad militaria aliquando & indumenta, & studia Clerus omnino desciscceret. Hinc ne Galero Clerici, quem vernacule dicimus capellum, non solum in Ecclesia, sed in urbe etiam, nisi, ubi jure muniendum est caput contra aeris intemperiem, uterentur, cautum est in Concilio Remensi anni MDLXXXIII. his verbis: *Galero nunquam quidem in Templis*, *in plateis vero*, *& viis publicis*, *nisi propter aeris intemperiem non utantur*. In Concilio Mechlinensi, quod anno MDLXX. habitum fuit, jubentur Clerici majorum Ordinum, ut in publico *pileum Sacerdotalem* (idest birretum quadratum) *& vestem gestent talarem*. Synodus Bituricensis anni MDLXXXIV. Tit. XXV. mandat quoque Clericis ipsis, ut *pileum quadratum*, *sive birretum semper gerant in Ecclesia*, *& extra Ecclesiam*, *nisi quoties Cæli injuria urgebit*.

IX. Notat denique Thomassinus Parte I. *Disciplinæ*, Lib. II. Cap. LI. in Mediolanensibus primum S. Caroli Conciliis distinctionem galeri, & birreti, atque capitii occurrere. Capitia, inquit, Clericis, Laicisque communia fuerunt capitum integumenta in usu civili. Paulatim sejungi cœpit hæc appendix panni, quæ fluebat in humeros; cumque enim jam rarius laici, Clericive alii adhiberent, sola contenti parte ea, qua tegebatur caput, hinc insigne quoddam concinnatum est dignitatis, & Parochis, Doctoribusve attributum. Galerum laici ipsi in urbibus gestare cum cœpissent, quamvis id jamdiu munimentum fuisset capitis, quo uterentur ruri tantum adversus aeris vim, & crebras Cæli injurias; tum enim ut avocarentur Clerici ab hac secularium levitate, atque innovatione, jussi sunt in urbe uti birreto, ut prius, non Galero. Hinc, ut alia omittam, in Concilio Turonensi anni MDLXXXIII. cautum legimus, ut Clerici *birretis*, *non vero galeris*, *præsertim in Ecclesia utantur*. In Concilio Tolosano anni MDXC. decretum est, ut *nusquam aut in Ecclesia*, *aut per Urbem absque quadrato birreto Clerici conspiciantur*, *nisi aut duriori frigore*, *aut ferventiori æstu*, *aut nimboso aere &c.*

X. Hæc Clericos spectant; quantum autem ad Episcopos attinet, non modo permissum est ipsis, verum & præceptum, ut præsertim dum equitarent, Cappas, & Pontificios pileos deferrent: *Statuimus*, inquit Concilium Palentinum anni MCCCXXII. Can. VI. *ut Episcopi*, *& superiores Prælati succas lineas in publico*, *& cum eos equitare contigerit*, *nullatenus tabardos*, *sed Cappas*, *& capellos suæ dignitati deferant congruentes*. Pileo etiam Pontificio eos uti sanxit Concilium Parisiense anni MCDXXIX. dum per urbem equitant, qui Ecclesiæ Romanæ mos est. Pileus, & Galerus ruber quamvis ex Innocentii IV. Decreto Cardinalibus equitaturis tributus sit, ut meminissent, si res ferret, occumbendum sibi esse pro Ecclesia, & cervices gladio subjiciendas (acris enim persecutio a Federici II. Imperatoris malignitate exorta Ecclesiam infestabat, nec deerat Martyrii occasio) constat nihilominus, aliquos



Digitized by Google

Antiſtites poſt memoratum Innocentii Decretum, id genus pilei ſibi arrogaſſe, uti liquet ex alio Pauli II. Decreto, & pœnis in delinquentes ſtatutis, teſte Platina in Vita ipſius Pauli Papæ II.

XI. Ex noſtro Cæremoniali viridis Galerus, cordulis ſcilicet, ac floccis fericeis viridis coloris ornatus ſolis Epiſcopis tributus eſt, itaut in Clero Chriſtiano hæc ſit nota gradus in religione ſublimioris, ſicut Petrus Bellorius notavit Lib. III. *Obſervationum*, Cap. XXIV. apud Turcas viridem tiaram eſſe majoris religionis inſigne, nec caligarum, aut veſtium viridium uſum ulli concedi præterquam iis inter ipſos nobilioribus, qui ad Mahumetem genus ſuum referre poſſint. Nolo ego ex adeo cænoſa ſcrobe haurire uſum Chriſtianum hac in parte vigentem; ſed malim dicere cum eruditiſſimo Raynaudo in Libro, *De Pileo & cæteris capitis tegminibus*, Sectione XIII. viridem colorem admonere vigentis ſtudii, quod vividum ſit, nec marceſcat; ſicut plantæ quandiu virent, vigent; nec vel a calore, ſub nube tabeſcunt; vel ab uligine nimia putreſcunt. Quid, ſi etiam viror, qui in herbis nota eſt propagationis juxta illud Geneſis I. *Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen*, commoneat, qui ejus coloris galerum præferunt, non eſſe illis otiandum, ſed eorum eſſe propagare ſobolem ſanctam Deo in agro Eccleſiæ. Viderint vero quibus, ut ejuſdem Raynaudi verbis utar, venuſtas muneris Epiſcopalis arridet, ne ſignificatum ſit illis, hunc eſſe virorem mox exiccandum. Sicut corporea pulcritudo mox marcens caducitate fœni virentis mox exiccati adumbratur in Scripturis, ut perpulcre proſequitur S. Ambroſius Lib. III. *Exameron*, Cap. VII.

XII. Ait præterea noſter hic præſens §. ut *equi etiam, ſive mulæ* (quam ſcilicet aſcenſurus eſt Epiſcopus ad ſuam Dioeceſim pergens) *ornamenta opportuna* præparentur; quæ nempe a faſtu, & ſeculi pompa aliena ſint; probro enim illud non ſemel Epiſcopis vertit S. Bernardus, quod equos ipſos ſuperfluis, & perridiculis onerent ornamentis, cum interim cibo, & veſtitu neceſſario pauperibus non adeſſent. Legenda eſt integra S. Abbatis Epiſtola XLII. ad Henricum Archiepiſcopum Senonenſem, ubi inter alia illæ adverſus Epiſcopos vaniſſimæ ſuperfluitatis inſtrumento, ac ſupellectile laſcivientes pauperum ejulationes recenſentur: *Jumenta gradiuntur onuſta gemmis, & noſtra non curatis crura nuda caligulis? Annuli, catenulæ, tintinnabula, & clavatæ quædam corrigiæ, multaque talia, tam ſpecioſa coloribus, quam ponderibus precioſa, mulorum dependent cervicibus; fratrum autem lateribus nec ſemicinctia miſerantes apponitis?* Qualis debeat eſſe ornatus equi, mulæve Epiſcopalis, docet S. Carolus in Concilio I. Provinciali Mediolanenſi anni MDLXV. Cap. XVII. ubi prohibita Epiſcopis ſunt calcaria, & fræna auro oblita, ephippia etiam qualiacumque, niſi ex corio, vel lana: *Ne mulæ, aut equi Epiſcopalis ſtragulum, & ornamentum ex villuto, aut ſerico, ſed ex corio factum, aut lana adhibebit. Ephippiis, aut calcaribus, aut frænis inauratis non utetur.*

XIII. Equone, an mula utendum ſit Epiſcopo iter agenti, tametſi arbitrio ipſius relinquat hic noſter §. dicerem tamen, honorificum magis fore, ſi mula uteretur, exemplo S. R. E. Cardinalium, qui antiquæ majeſtatis ſtudioſi, rituumque priſcorum tenaciſſimi, non equos, ſed mulas quidem conſcendunt, ubi illis equitandum eſt. Reges olim mulam aſcendiſſe, non equum, liquido conſtat ex ſacris literis, præſertim vero ex Lib. III. Regum, Cap. I. Verſiculo XXXIII. *Dixit Rex David: Imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam, & ducite eum in Gihon.* Et Verſiculo XXXVIII. legimus, quod *impoſuerunt Salomonem ſuper mulam Regis David, & adduxerunt eum in Gihon, & cecinerunt buccina, & dixit omnis populus: Vivat Rex.* Cur in pompis miniſterio potius mularum, quam equorum uterentur, rationem docet eruditiſſimus Vincentius Riccardus Clericus Regularis in Commentario ad IX. Orationem S. Procli, quia ſcilicet mulæ gradario, & leniori, ac ſtatario potius greſſu progrediuntur, non concito curſu, ſed regia fere quadam gravitate tractim pedes in terris figunt, & ſine ulla ſuccuſſatione Seſſoris ſedato niſu veſtigia imprimunt. Celebris eſt ea in re Homeri locus, de Nauſiaca regio cultu urbem ingreſſura ſic ajentis: *At ubi ſic faſſa eſt, pellucido percuſſit flagello mulas, quæ celeriter fluvii fluenta linquunt; perbelleque currunt, gradario inceſſu terram premunt. At illa bene regebat eas, quo pariter ſequerentur & pedites.*

XIV. Ob id etiam, ut inter alia ſcite obſervat laudatus Riccardus, cum Reliquiæ Sanctorum tranſportabantur, mularum humeri deſerviebant, quo ſedate, ut par eſt, regia quadam majeſtate ferrentur. Teſte Niceta Philoſopho in Oratione de inventione, & allatione Reliquiarum S. Protomartyris Stephani apud Lippomanum Tomo VI. ad diem XI. Auguſti, *Pius Conſtantinus Imperator juſſit S. Pontifici, ut cum Clero, & Populo ſancto Stephano Protomartyri iret obviam, & cum omni honore, & adoratione Sanctum in Regiam adducerent. Præcedens ergo Juliana* (erat hæc uxor Alexandri, qui Eccleſiam in honorem ſancti Protomartyris ædificaverat) *cum eum tranſmiſiſſet, duxit ad id, quod dicitur Staurion; unde cum mulas currui junxiſſent, & ſanctum loculum ei impoſuiſſent, ſic loculum tulerunt in Regiam.* Et mox: *Currum itaque trahebant mulæ: acriter autem currum traxerunt animalia, donec venerunt in locum, qui nominatur Conſtantinianus. Cum illic vero eſſent perinde, ac ſi violento retinerentur vinculo, tranſire non potuerunt; inſtantibus autem aurigis, & flagellis ea aſpere conſcindentibus, manſerunt nihilo ſecius immobilia. Hæc celeriter nuntiantur ſanctiſſimo Imperatori Conſtantino. Is vero ſtatim mittit alias duodecim mulas, utpote quod primæ trahebant, non poſſent currum amplius ducere.* Diodorus etiam Siculus Lib. XVIII. agens de illo magno apparatu, quo Alexandri Magni cadaver ducebatur, tradit ſexaginta quatuor mulis proceritate & robore electis tractum feretrum, ac ſi ingenti ponderis onus feren-

Digitized by Google

ferendum foret, seu potius, ut magnus etiam mortuus in pondere haberetur.

XV. Notat & alia memoratus Auctor, quibus luculenter ostendit mularum usum esse antiquissimum, & quidem etiam ubi triumphus aliquis ageretur. Abhorruit tamen ab ea pompa S. Cælestinus V., qui cum in Eremo degens electus esset Pontifex Maximus, invitusque acceptasset Pontificatum, nequaquam induci potuit equo vehi, vel mula; sed humili asello sedens Aquilam perrexit, ut ornamenta Pontificalia susciperet, asini fræna Carolis, Patre, ac Filio, Regibus Siciliæ & Hungariæ tenentibus, teste Jacobo Cardinali Gajetano his versibus.

*Intumidus vilem Murro conscendit asellum,*
*Regum fræna manu dextra lævaque regente*
*Pontificis.*

Eosdem Reges, & Cardinales, qui accurrerunt, Cælestinum ab eo demissionis Christianæ consilio revocare frustra conatos esse narrat Petrus Cardinalis de Alliaco in ejusdem Pontificis Vita Lib. II. Cap. XI. his verbis: *Cum audita ejus electionis fama, Reges Siciliæ, & Hungariæ veloci cursu ad eum pervenissent, & relicta cella ad Monasterium Sancti Spiritus cum eis descendisset, & peractis ibi aliquot diebus ire Romam disponeret, non magnum equorum apparatum, sed parvum asellum sibi adhibere præcepit. Quod Reges admirantes, ac alii Cardinales viæ ejus comitantes vestigia suadebant, ne hanc Ecclesiæ Dei inferret injuriam. Sed ab incepto humilitatis proposito eum frustra conantur abstrahere; nam usque ad Civitatem Aquilæ super asellum sedens honorabili, ac innumerabili turba comitatus accessit. Hoc autem ab eo factum est, non quidem superba singularitate, quasi alios, qui aliter fecerant reprobare voluerit, sed singulari humilitate, qua a sanctæ rusticitatis Monastica consuetudine nec facile, nec cito evelli potuit.* Explicat postea Petrus ipse de Alliaco causas, quibus moventur Summi Pontifices ad externam pompam patiendam.

XVI. Consuevisse olim Romanos Pontifices in variis functionibus Ecclesiasticis, & præsertim cum primum Summo Pontificatu inaugurati erant, solemni cum pompa, & equitatu, ad Lateranensem Basilicam procedere, docent passim Ordines antiqui Romani, præsertim XIII. Auctore Cencio, & XIV. Jacobo Gaetano auctore, apud eruditissimum Joannem Mabillonium Tomo II. Musæi Italici, quod nos non semel laudabimus. Uti instrui Pontificis equus soleret, Romanus ipse Ordo XIII. Num. IX. ita exponit: *Papa equitat equum magnum phaleratum, & coopertum tantum ex parte posteriori, & de scarleto; in parte vero anteriori non coopertum.* Hunc autem pertinuisse olim ad Senatores Urbis, ipse edicit Ordo Romanus XIV. auctore Gaetano Cap. XXII. *Item notandum, quod Senatores postquam Dominus Papa de equo falerato descendit juxta sedem stercorariam, ipsum equum recipiunt, & adducunt.*

XVI. Is abusus recipiendi equum super quo equitabat Pontifex, cum coronatus in Basilica Vaticana pergebat deinde ad Lateranensem adeo Seculo XV. invaluit, ut Pontifices vitæ etiam periculum subirent. Ita enim Lib. II. Commentarii de rebus gestis sub Pio II. scripti a Joanne Gobellino, & aucti postea, editique a Francisco Band. Piccolomineo Pag. LVIII. legimus: *Pius II. Pontifex Maximus Romæ coronatus est apud Basilicam S. Petri III. nonas Septembris anno salutis quinquagesimo octavo supra mille quadringentos, petiitque ipsa die Lateranum solemni pompa, quo in loco vix necem evasit inter eos, qui propter equum, quo insederat* (erat enim primo occupantis) *gladiis decertabant: servatus est divina ope.* Ad evitandum periculum Sixtus IV. die XII. Septembris anno MCDLXXXIV. processurus ad Lateranum *cum pervenisset juxta Ecclesiam S. Clementis, descendit de equo, & ascendit sedem, in qua.... dimisso baldachino portatus est. Quod factum est pro eo quod in Laterano pro equo Pontificis habendo, & Baldachino, quæ Romani sibi deberi prætendunt, tanta insolentia, & impetu fieri solent non sine Pontificis periculo; ad id evitandum, quod Pontifex sic portaretur, ordinatum fuit.*

XVII. Narrat hæc Joannes Burchardus Sedis Apostolicæ tunc temporis Cæremoniarius apud Leibnitzium Volumine II. Codicis Juris Gentium, ubi etiam mox ita subdit: *Sed non minus periculum exinde evenit, nam Soldati, qui Pontificem portabant, & alii socii sui circa eos existentes, tanto furore Pontificem portarunt, quod Pontificis receptio in Ostio, sive porticu Lateranensi, & ejus locatio in sede stercoraria, & jactus pecuniarum fieri non potuerunt.* Et paulo post: *Perventi ad Altare majus, Papa descendit de sede, quam Soldati vi rumpentes, & lacerantes sibi vendicarunt.* Non ergo solus equus rapiebatur, sed & Sedes, ac Baldacchinum, & cetera hujusmodi, quæ in ea functione usui erant Pontifici. Celebrem de equo controversiam, super quo Episcopus insederat, dum rediret e consecratione in suam Civitatem, inter Episcopum Mutinensem, & Canonicos acriter agitatam, narrat ex veteribus monumentis Ughellus Tom. II. *Italiæ sacræ*, in Episcopis Mutinensibus, Num. XXXI.

XVIII. Mediolani quoque anno MCCCXXXIX. oborta lis est inter Advocatos, & Confanonerios; contendente utraque cognatione, ad se pertinere jus deducendi Archiepiscopi; & lucrandi equi ipsum devehentis. Tradit id quidem Gualvaneus de la Flamma in Opusculo de rebus gestis Azonis Vicecomitis apud Clarissimum Muratorium Tomo XII. Rerum Italicarum, sic inquiens: *Facta est controversia inter Advocatos, & Confanonerios, quis equum Archiepiscopi habere debuerit. Et quia Jura antiqua super hoc clara non inveniebantur, Joannes Vicecomes Episcopus Novariensis, Ecclesiæ Mediolanensis Conservator ordinavit, quod Advocati ipsum conducerent per frenum, peditando usque ad Ecclesiam majorem. Inde usque ad sanctum Ambrosium conduceret Confanonerii, & equus Archiepiscopi pendente quæstione in deposito positus fuisset.* Ita quoque & alibi, ac præsertim Bergomi quando novus Episcopus urbem ingrediebatur, equus, in quo is advehebatur, in potestatem veniebat

Digitized by Google

niebat *parentelæ de Advocatis*, *qui debent habere secundum antiquam consuetudinem*; ut Auctor est Castellus de Castello in Chronico Bergomensi apud eundem Muratorium Tomo XVI. Rerum Italicarum: Archidiaconorum vero familiæ dabatur Episcopi *chlamis*, *seu mantellum de panno pavonatio*: Familiæ de Trenis *calcaria Episcopi ejusdem*.

XIX. Quod juris de ipso equo alibi fuit certis Familiis, nam Mutinæ Bulugolensibus, Florentiæ Vicedominis fuit, teste Ferdinando del Migliore in Florentia illustrata, sed ita ut Ephippium, & frenum equi Episcopalis traderetur Familiæ del Bianco, qua sublata, idem jus in nobilem Strozziorum familiam translatum est, qui tubis sonantibus, sacrum hoc trophæum ad suas Ædes transferebant, expositumque ad senestras honoris causa diu servabant. Equus Episcopi, statim ac ille descenderat, in jus cedebat Abbatissæ Monasterii Florentini sancti Petri Majoris, quam in solemni illo processu Episcopus sacrabat, sive, ut olim vulgo dicebatur, annulo desponsabat. Describit hanc cæremoniam Italice Petrus Ricordatus Monachus Cassinensis in Historia Monastica Romæ anno MDLXXV. impressa, quam nos in Commentario sequenti referemus.

XX. Amputarunt profecto eas lites, & populi insolentiam soliti rapere equum non sine sessoris periculo, uti de Pio II. dictum est, religiosi Episcopi illi, qui in eximiæ suæ humilitatis indicium, pedibus, & quidem nudis ad Episcopalem Civitatem suam pergebant. Ejus rei praxim docent nos primum Acta S. Adalberti Episcopi Pragensis, nam Moguntiæ consecratus, ubi *ventum est ad sanctam Civitatem Pragam .... ibi novus ille Pontifex vincula pedum solvens, nudo pede intrat urbem*. Similia leginus in Vita S. Otthonis Babebergensis Episcopi apud Surium die II. Julii: *Cum civitati*, inquit, *Babebergensi appropinquaret ad demonstranda veræ humilitatis, & invictæ magnitudinis exempla, equo, cui insidebat, se se excutiens, & calceamentum solvens, nudipes intrat urbem*. Ita etiam S. Heribertus Coloniam (uti Auctor ejus vitæ refert) consecrandus ejus urbis Archiepiscopus accedens, *pallio missionis Apostolicæ præmisso, discalceatusque lento pede sequutus est, cum frigus hyemale pro tempore calceatis quoque permolestum esset*. Alia id genus exempla inferius referemus, non committendum vero, ut prætereat nos hoc loco illaudatus, quod de quodam Dominicano Fratre sui Ordinis narrat Cantipratanus Lib. II. *Apum*, Cap. LVII. qui Pœnitentiarius primo Romani Pontificis, postea Episcopus Bosniæ creatus, parochias suas perlustrabat pedibus, comitantibus Fratribus Ordinis sui: cui etiam cum essent octo millia marcarum annui redditus, nec familiæ sumtus faciebat nisi tenuissimos, ut ne equum quidem aleret, sed asellum, qui libros, & sacram supellectilem suam vectaret.

XXI. Porro Libri ab Episcopo ad suam Civitatem accessuro, ex præscripto nostri hujus §. deferendi, sunt quidem nostrum hoc ipsum Cæremoniale, & Pontificale Romanum, quibus Gastaldus in sua Cæremoniarum praxi Lib. I. Sectione X. Cap. VII. Num. II. addit etiam Missale, & Rituale. Deferenda sunt quoque *paramenta sacra*, *quæ pro ingressu erunt necessaria*, *idest Pluviale album cum Stola*, *& Mitra pretiosa*, *Amictus*, *Alba*, *Cingulus*, *Crux pectoralis*, *& annulus*, *nisi ea ad majorem commoditatem a propria Ecclesia sumere velit*. Quibus adde Crucem Archiepiscopalem, si de Archiepiscopi ingressu agatur, vel etiam de Episcopi, si eo privilegio utatur, itemque alia, quæ ad Cardinalitiam dignitatem spectant, si Episcopus sit Cardinalis, clavam scilicet argenteam, & cetera hujusmodi.

XXII. Post hæc ait noster §. recitandum esse in discessu a novo Episcopo in Ecclesia si commode fieri poterit, sin minus antequam equum ascendat cum suis Clericis, & familiaribus Itinerarium, idemque ipsi esse observandum quotidie mane post Missam, antequam equum ascendat, quandiu in itinere erit. Itinerarium hic nihil aliud sunt, quam orationes, vel preces, quæ ab iis, qui se alicui itineri committunt, recitari solent, quæque a Cantico Zachariæ vulgo incipiunt, uti videre est in fine Breviarii Romani, ubi Itinerarium ipsum descriptum legitur. Plura de eo Ritu diximus nos nostro Tomo III. Romani Pontificalis ad Titulum XIX. Ritum ipsum religiose inter alios sanctissimos Præsules servavit semper S. Carolus Borromæus, qui ut testatur in ejus Vita Giussanus Libro VII. Cap. II. in itinere constitutus, vel si navigio veheretur, flexis genibus cum suis recitabat Itinerarium, Litanias, & preces quasdam pro defunctis: quin & ipsos nautas instruebat, ut simul ac solverent navim, orationem Dominicam, salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum dicerent, eosque ad Litanias cum aliis respondere docebat. Solitos fuisse & ipsos Romanos Pontifices, ubi Roma ad aliquem locum pergerent, Itinerarium primo recitare, docet nos Augustinus Patricius Lib. IV. *Sacrarum Cæremoniarum*, Sectione XII. Cap. III. *Antequam*, inquit, *discedat Pontifex e camera sua*, *dicet has orationes*. In viam pacis, salutis, & prosperitatis dirigat Dominus gressus nostros, & Angelus suus bonus comitetur nos ad dirigendos pedes nostros in viam pacis, ut cum salute, & gaudio eamus, & revertamur ad propria. *Postea dicitur totus Psalmus: Benedictus Dominus Deus Israel &c.* Porro cum multa in itinere occurrere possint pericula, recte instituit Ecclesia Itinerarium, ut illud recitantibus, prosperum iter largiatur Deus.

XXIII. Præscribit tandem Rubrica nostri hujus §. ut cum primum Archiepiscopus provinciam suam intraverit, faciat ante se deferri Crucem, per aliquem e suis Capellanis, Imagine Crucifixi ad se reversa, & sibi occurrentes subditos, qui genuflectere debent, signo Crucis super illos facto, benedicat; atque ita etiam faciat Episcopus cum suam ipse Diœcesim intraverit. De Cruce Archiepiscopali, ejusque origine, atque aliis illud privilegium Archiepiscopi spectantibus fuse diximus jam nostro Tomo I. Pontificalis Romani ad Titulum XIV. dicemusque etiam nonnulla mox inferius. Quod autem Episcopalem benedictionem spectat, ut

Digitized by Google

ut alia omittam, quæ in nostris ad ipsum Pontificale Commentariis diximus, statutum est quidem in Concilio Ravennate anni MCCCXIV. Can. VI. ut quoties Episcopi per urbis vicos progrederentur, vel ruri in suæ finibus Diœceseos, campanula præiret, qua monerentur omnes, ut adproperarent, & ad eorum benedictionem suscipiendam genua flecterent: *Campanas pulsari faciant, ita quod populus audire possit, & exire, & genuflectere ad benedictionem suscipiendam.*

XXIV. Monendos esse ab Episcopo subditos, ut genuflexi Episcopalem benedictionem accipiant, edicit inter alias Beneventana Provincialis Synodus XIV. a Vincentio Maria Cardinale Ursino qui postea fuit Benedictus XIII. Pontifex Maximus celebrata anno MDCXCIII. Tit. X. Cap. IV *Cum filius*, inquit, *recipiens benedictionem, debeat prius Patri facere obsequium, Episcopi populum suum opportune moneant, ut sibi occurrentes genuflectant, benedictionem accepturi, protestantes, quod non genuflectentibus non benedicent, ut, qui elongatam a se viderint benedictionem, tandem aliquando morem gerant.* Tametsi autem facultas sit Episcopo eunti per Diœcesim, benedicendi populum suum, tamen Concilio Avionensi anni MCCCXXVI. Can. XLVI. placuit, ut Episcopi extra Diœcesim etiam suam benedictiones hujusmodi fundere possent, dum ne in Civitatbus Metropolitanis, Arelate, Aquis, Ebroduno, aliisve locis, ubi adesset Episcopus Diœcesanus: *Item statuimus, quod quilibet Archiepiscoporum prædictorum, & singuli Episcopi Provinciarum nostrarum, dum equitabunt per dictas Provincias, possint etiam in alia Diœcesi dictarum Provinciarum populum benedicere, ut ex hoc populi devotio augeatur, & etiam in Diœcesi Arelatensi, Aquensi, Ebrodunensi, tamen prædictis Civitatibus duntaxat, exceptis semper Civitatibus, & locis aliis, in quibus alter ex nobis dictis Archiepiscopis, vel Diœcesanis præsens esset.*

XXV. Sed hoc peculiare statutum est, ex sacris enim Canonibus, & Romanorum Pontificum Constitutionibus cautum fuit, ut nonnisi in sua Diœcesi, benedicendi populo Episcopi, & in Provincia præferendæ Crucis jure Archiepiscopi potiantur. Ut enim alia loca omittam, ubi Gregorius IX. Pontifex Maximus jus illud Gnesnensi contulit Arciepiscopo anno MCCXXXVIII. ita quidem eidem scripsit apud Rainaldum, ad ipsum annum Num. LXI. *Considerans diligenter, quod in Cruce Domini nostri Jesu Christi te oportcat gloriari, pie desideras salutiferæ Crucis vexillum ante te facere, de nostra licentia bajulari, qui Crucis mortificationem jugiter in tuo corpore debes pro divini nominis amore portare. Nos igitur attendentes, quod non sunt tibi armaturæ cælestis insignia deneganda, qui contra persecutores Ecclesiæ certamine incessanter labores, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut per tuam Provinciam ante te ferri facias Crucis signum, nisi cum Apostolicæ Sedis Legatus in Polonia fuerit constitutus.* Ubi nota I. qua mente, quo studio, quo fervore animi incalescere debent Pontifices, quando Crucem sequuntur præviam, ut nimirum inimicas Crucis cupiditates omnes debellent, utque Crucis, & Christianæ pietatis causam infracto semper pectore tueantur. II. Romanorum nonnisi peculiari Pontificum privilegio seculo XIII. Crucis ante se præferendæ facultate donatos fuisse Archiepiscopos. III. ea uti debuisse ipsos facultate in sua Provincia. IV. non potuisse eo uti privilegio, ubi Apostolicæ Sedis Legatus aderat.

XXVI. Extat in Clementina II. quæ incipit *Archiepiscopo, De privilegiis*, Decretum in Concilio generali Viennensi editum, quo Crux supponitur Archiepiscopis omnibus in promiscuo usu fuisse. Clemens enim V. Pontifex Maximus ejus Decreti Auctor, qui floruit initio Seculi XIV. id eis etiam largitur, ut in exemtis etiam Provinciæ suæ locis eo utantur jure, sicuti & benedicendi populis, & Pontificali cum pompa Mysteria celebrandi: *Archiepiscopo*, inquit, *per quævis loca exemta suæ Provinciæ facienti transitum, aut ad ea forsan declinanti, ut Crucem ante se libere portari faciat, benedicat populo, divina officia privatim, vel publice ibidem audiat, & ea etiam in Pontificalibus celebret, & faciat in sua præsentia sine Pontificalibus celebrari, quovis privilegio contrario non obstante, sacro approbante Concilio præsentis Constitutionis serie duximus concedendum.* Et mox de Episcopali benedictione loquens, ut nimirum possint Episcopi in exemtis suæ Diœcesis locis populo benedicere, aliaque peragere, ita subjicit: *Simili modo concedimus Episcopo, ut in locis eisdem suæ Diœcesis, possit populo benedicere, audire divina officia, & ea etiam celebrare, & in sua præsentia facere celebrari: sic tamen quod prætextu concessionis hujusmodi in locis ipsis exemtis, vel circa hoc privilegiatis nullam aliam jurisdictionem idem Archiepiscopus, vel Episcopus exerceat, vel personis exemtis, vel privilegiatis molestiam inferat, vel gravamen, nullumque exemtioni, vel privilegiis eorundem aliud præjudicium generetur, nec ipsis Archiepiscopo, vel Episcopo jus aliud quomodolibet acquiratur.*

XXVII. Porro de iis, quæ facere possit, vel non possit Episcopus, sive Archiepiscopus in locis exemtis, duas ex hac Clementina Constitutione regulas addiscere licet. Prima est affirmativa, possunt enim Episcopi in Diœcesi, & Archiepiscopi in Provincia in locis exemtis sine ulla exemtorum licentia uti insignibus Pontificalibus, & exercere ea, quæ sunt honoris, & præeminentiæ Episcopalis, & Archiepiscopalis, aliaque etiam, quæ non habent mixturam, ut ajunt, jurisdictionis, vel officii. Altera est negativa, non enim in hujusmodi locis exemtis sine facultate exemtorum valent illi exercere, quæ jurisdictionis contentiosæ, vel etiam voluntariæ sunt; sed neque ea, quæ sapiunt superioritatem, vel habent quid jurisdictionis adnexum; uti passim tradunt Doctores in dicta Clementina, *Archiepiscopo*, ubi post Glossam videri possunt Ancharanus Num. VI. & VIII. Imola Num. IV. & X. Abbas, & alii, inter quos plura scitu digna observat Stephanus Gratianus Tomo III. *Disceptationum forensium*, Cap. CDLXVII. Ce-

Digitized by Google

Ceterum intra Provinciam etiam in locis exemtis, dubitari posset de locis nullius Diœcesis, quæ in ipsa extant Provincia. Verum cum exemtus locus, & nullius pro eodem a Doctoribus accipiatur, concludi merito potest, posse Archiepiscopum & in locis nullius præferri sibi facere Crucem, & populo benedicere. Vide Erasmum Cochier, *De jurisdictione Ordinarii in exemtos*, Parte II. Quæstione I. Barbosam, *De potestate Episcopi*, Parte III. Allegatione LXXX. Gonzalez ad Regulam VIII. Cancellariæ, Glossa XLIII. Num. CLXXXII. & alios apud Ventrigliam, *De jurisdictione Archiepiscopi*, Cap. XVII.

XXVIII. De prælatione Crucis cum initio hujus Seculi in sacra Concilii Congregatione controversia agitaretur inter Cardinalem Morigiam Episcopum Papiensem, & Monachos Carthusianos, an videlicet occasione accessus ad illorum Ecclesiam pro visitanda quadam Confraternitate Laicorum in eadem erecta, posset præfatus Dominus Cardinalis Episcopus sibi præferri facere Crucem, quam adinstar Archiepiscoporum ex Apostolico indulto erigere poterat, proposito Dubio, *An Eminentissimo Episcopo Papien. licuerit in suo accessu ad Carthusiam Papiensem occasione revisionis eleemosynarum ingredi erecta Cruce Ecclesiam, & Monasterium ejusdem Carthusiæ in Casu*; eadem Sacra Congregatio respondit die VII. Decembris anni MDCCVII. *Affirmative quoad Ecclesiam*; *& Negative in Casu, de quo agitur quoad Monasterium*. Quia scilicet, ut ait Scarfantonus ad Ceccoperium, Lib. I. Tit. VII. tunc in Monasterio ipso nec jurisdictionem, nec aliquam functionem Pontificalem exercere debebat, ut eidem necessarius esset usus elevationis Crucis.

XXIX. Quod hactenus de prælatione Crucis Archiepiscopalis etiam in locis exemtis ac nullius, quæ in Provincia extant, dictum est, habet etiam locum in facultate benedicendi populo juxta textum superius recitatum ex Clementina Constitutione, quæ incipit, *Archiepiscopo*. Potest itaque Archiepiscopus, sive Episcopus non modo in Provincia, & Diœcesi, sed & in locis earum exemtis populo benedicere, etiamsi ipse populus exemtus sit, ut declarat Vitalianus in dicta Clementina, Num. VII. & non tantum benedictione ordinaria, & simplici, sed etiam solemni per illa verba, *Sit nomen Domini benedictum*, uti dicit Glossa ibidem verbo, *benedicat*. Porro autem quod extra Provinciam, vel Diœcesim nequeat Archiepiscopus, vel Episcopus iter agens benedictionem populo impertiri, notant passim Auctores Canonici Gratianus Tomo III. *Disceptationum Forensium*, Cap. CDLXVII. Num. LVIII. Hieronymus Venero Lib. IV. *Examinis Episcoporum*, Cap. XVII. Num. XIX. Ugolinus, *De officio, & potestate Episcopi*, Parte II. Cap. III. & alii. In Concilio Beneventano V. anni MCCCXXXI. quod sub Monaldo I. Monaldesco Archiepiscopo celebratum est, Cap. LIII. vetatur inter alia omnino Episcopo in aliena Diœcesi benedicere, aliosque Episcopales actus exercere sub pœna decem unciarum præter illam quæ a Jure statuta est: *Quod si contrarium fecerint in præmissis, vel aliquo præmissorum, præter pœnam a Jure statutam, vice qualibet, & actu transgressionis prædictæ, solvant in contrarium facientes nostræ Curiæ, seu dictorum Episcoporum suffraganeorum nostrorum uncias decem convertendas in utilitatem nostræ Curiæ, seu Ecclesiæ Beneventanæ, aut illi Ecclesiæ, cui erit injuria arrogata*.

XXX. Ratio cur Episcopi per alienas Diœceses iter agentes nequeant populis benedictionem impertiri, ea profecto est, quod hujusmodi benedictio, per quam venialia peccata dimittuntur, quæ nisi per Superiorem dimitti nequeunt, Cap. *Quod autem, De pœnitentiis &c.* est actus jurisdictionis, & superioritatis, quæ extra propriam Diœcesim ab Episcopo exerceri nequit; uti communiter Doctores tradunt. Quod autem per Episcopalem benedictionem peccata venialia deleantur, est communis Doctorum sententia in Clementina II. *De privilegiis*. Et ut alios omittam, idipsum docent Hostiensis in Summa ad Titulum, *De pœnitentiis &c.* Henriquez Lib. IV. Cap. XV. Paludanus in IV. Sententiarum, Distinctione XVI. Quæst. I. Articulo II. Valentia, Bonacina, Suarez, Reginaldus, & alii; qui etiam omnes eandem facultatem benedictioni Abbatis benedicti tribuunt; sed de his videri potest Tamburrinus Tomo I. *De jure Abbatum*, Disputatione XX. Quæstione VII. per totum. Sed de his iterum atque iterum alias. Notandum hic vero illud superest, consecratum extra Ecclesiam suam Episcopum proficisci quam primum teneri ad suam Diœcesim, & officium sibi commissum suscipere, & si in Romana Curia fuerit electus, non debere ullo modo sine literis Apostolicis proficisci, sicut & Prælatis ceteris præcipitur a Bonifacio VIII. in Extravaganti Constitutione, quæ incipit, *Injunctæ, De electione*, inter communes, ubi inter alia ita ait: *Præsenti perpetuo valitura Constitutione sancimus, ut Episcopi, & alii Prælati, Superiores, necnon Abbates, Priores, & cæteri Monasteriorum regimina exercentes, quocumque nomine censeantur, qui apud dictam Sedem promoventur, aut confirmationis, consecrationis, vel benedictionis munus recipiunt, ad commissas eis Ecclesias, & Monasteria absque dictæ Sedis literis hujusmodi eorum promotionem, confirmationem, consecrationem, seu benedictionem continentibus accedere, vel bonorum Ecclesiasticorum administrationem recipere non præsumant, nullique eos absque dictarum literarum ostensione recipiant*.

XXXI. Meminit ejus Constitutionis inter alios Panormitanus in Cap. *Qualiter, De electione*, dicens, quod nullus antequam habeat literas Apostolicas super sua promotione, debet administrare, nec debet recipi ab Ecclesia tamquam Prælatus, & quod alias recipientes, & receptus incurrunt pœnas in ipsa Constitutione contentas, in Episcopos quidem, ut sit irritum, & inane quicquid fecerint; in Canonicos vero, & Clericos, qui ipsos sine hujusmodi literis admiserint, vel ipsis paruerint, ut tandiu sint a Beneficiorum suorum perceptione suspensi, donec Apostolicæ Sedis gratiam meruerint obtinere. Docent & hæc passim Ca-

Digitized by Google

Canonici Juris Consulti, tum in Commentariis ad ipsam Bonifacii VIII. Constitutionem, tum in tractatu de Episcopis, ubi Joannes Bertachinus Parte I. Lib. IV. expresse ait, non posse Episcopum ab Urbe discedere, & ire ad suam Dioecesim sine licentia Papæ. Jure Hispanico, antequam novus Episcopus ad Ecclesiam, ad quam promotus est, accedat, debet Regiam Majestatem visitare, ac revereri, & in recognitionem præsentationis gratias agere, uti ex L. III. Tit. III. Lib. I. tradit Alzedus, *De præcellentia Episcopalis dignitatis*, Parte I. Cap. III. Num. X. & Cabrera in Vita Philippi II. Regis Hispaniarum Lib. XI. Cap. XI. ubi ait, ita eam Legem servatam fuisse ab ipso Rege, ut nulli unquam permitteret novo Episcopo a Curia Regali discedere, nisi sua jam osculata manu.

XXXII. Antequam ab Urbe discedat, servandus & ille est novo Episcopo ritus, quamvis nulla de eo in nostro Cæremoniali mentio habetur, ut nimirum juxta antiquum, ac recentiorem ab omnibus servatum morem, post consecrationem suam Encyclicam pastoralem Epistolam ad gregem suum scribat. Ejus rei exemplum legere est apud Ughellum Tomo III. Italiæ Sacræ in Episcopis Senensibus Num. LIX. ubi agit de Jacobo Ægidio de Malavoltis ad Episcopatum Senensem a Gregorio Papa XI. anno MCCCLXX. Avenione subvectum die XXIV. Januarii; cujus literæ hæ sunt.

*Magnificis, & excellentissimis Dominis, & amicis meis prædilectissimis Dominis ..... defensoribus ..... Capitaneo populi civitatis Senarum.*

Magnifici, & singularissimi Domini, & amici mei prædilectissimi. Notum dominationi, & amicitiæ vestræ facio per præsentes, quod audita creatione Sanctissimi Patris, ac Beatissimi Domini nostri Gregorii Papæ Undecimi, atque negotiis Lucanorum infirma, & bona dispositione dimissi, pro ipsorum etiam Lucanorum opportunitate Dominum nostrum præfatum humiliter visitaturus iter arripere die XIII. hujus mensis, & dum hodie applicuissem prope burgum Urgonis per quinque leuguas ab Avinione Civitate distantem, per quamplures Dominorum meorum literas de Avinione mihi portatas hujusmodi nova certa qualiter externa die, quæ fuit dies veneris XXIV. mensis Januarii in Consistorio consueto de consensu omnium Reverendissimorum Patrum Dominorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium nemine discordante, idem Dominus noster promovit me minimum servum suum licet immeritum & indignum ad regimen vestræ Senensis Ecclesiæ, præficiendo eidem Ecclesiæ me in Episcopum & Pastorem, quod utique licet importabilis sit vi gravaminis, ex eo tamen consolationis tantæ mihi existit, quanto per amplius video hoc non mei procuratione, non meis meritis, non meis virtutibus, sed solum ex divinæ dispositionis misericordia, & Apostolicæ Sedis gratia tam libera processisse. Hæc utique Magnifici Domini vobis scribo, sciens pro firmo, quod de iis, & aliis meis honoribus, qui certissime vestri sunt; lætamini, & gaudetis, asserens dominationi vestræ totis præcordiis mentis meæ, atque totà cordis intentione, attentans per viscera misericordiæ Jesu Christi, quod fidelissimam, & constantissimam intentionem habeo, totis sum dispositus viribus, omni sum usque ad mortem dispositione paratus pro pace, & tranquillitate Civitatis nostræ, pro civium omnium unitate, pro statu perpetuo Senensis populi, atque vestro, divina operante, & administrante misericordia operari: hoc pro firmo experientia docente videbitis, & quod iste Beatissimus Dominus noster Papa me minimum servum suum non de novo, sed a diu speciali devotione, quatenus omne suum posse in spiritualibus, & temporalibus sit dispositus semper ad conservationem vestri regiminis, atque status. Lætemini igitur, & confortari dignemini in Domino Jesu Christo, quod Pastorem habetis, quamvis minus idoneum, tamen ab eo vobis traditum tamquam ad boni conservationem status, ad exaltationem quoque, & incrementum Senensis Ecclesiæ ardentissimum, & fidelem, quam Ecclesiam meam, & me ipsum indignissimum sponsum suum, per merita intemeratæ Virginis Matris nostræ, vestræ dominationis protectionis, & brachiis strictissimis cordis mei precibus recommendo. Altissimus statum vestrum semper in statu felici dignetur per sui misericordiam incolumem conservare. Datum in dicto Burgo Urgonis die Sabbati XXV. Januarii manu propria. Vester charissimus, & devotissimus civis Jacobus Ægidii de Malavoltis, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia electus vestræ Ecclesiæ Senensis totum seipsum &c.

XXXIII. Hactenus laudati Episcopi literæ, qui Avenione inauguratus fuit, Senasque reversus die XIX. mensis Junii solemni pompa obtenti Episcopatus possessionem iniit, populo Senensi præ lætitia gestiente. Sed brevis fuit ea lætitia, siquidem, ut idem Ughellus tradit loco citato, defunctus est anno MCCCLXXI. die VIII. mensis Novembris, moriensque cum magnum æs alienum contraxisset, ita duros expertus est creditores, ut defunctum nulla habita ratione dignitatis Episcopalis etiam ponerent sequestro, donec Ægidio patre redimente cadaver supremo officio demandaretur. Puto equidem eam disciplinam, qua Episcopi hodie recens Romæ ordinati Pastorales literas de sua electione, & cura pastorali ad Ecclesias suas dirigunt, a Romanorum Pontificum more fuisse acceptam, quippe qui ex pervetusto Romanæ Ecclesiæ ritu initio Pontificatus solent Encyclicas literas mittere, quibus Catholicum gregem electionis suæ certiorem faciunt, ejusque orationibus se commendant. Extant variæ de ea re S. Gregorii Papæ literæ Lib. I. suarum Epistolarum. Legenda autem ejus Epistola XXIII. ad quatuor Orientis Patriarchas data, ubi agit de onere pastorali nuper sibi imposito, in qua etiam prope finem hæc inter alia scribit: *Fratres sanctissimi per venturum Judicem rogo, per multorum millium Angelorum frequentiam, per Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in Cælis, sub hoc pastoralis curæ onere labescentem orationis vestræ intercessione me adjuvate, ne suscepta me pondera ultra vires premant.*

XXXIV. Ex Cæremoniali Ambrosiano Lib. I. Cap. I. inter alia Archiepiscopus adhuc absens deligit Prælatum aliquem Mediolani degentem, qui suo nomine possessionem acquirat Archiepiscopatus, cui mandatum procuræ transmittit; quo accepto, Prælatus, monito Capituli Præfecto, statuta die Rocchetto, & Mantelletto indutus, si eis uti potest, accedit, cum Ordinariis Canonicis cappis rubei coloris indutis, omnes præcedens ad chorum Ecclesiæ Metropolitanæ, adsuntque Officiales omnes chorales, & alii de more, ubi precatione soluta ante Altare, sedet in Cathedra in plano Chori a parte Euangelii disposita; Ordinarii vero sedent in sedilibus, quibus sedere consueverunt, dum conciones habentur. Omnibus sedentibus, Cancellarius Archiepiscopalis recipit de manu prædicti Prælati literas Apostolicas, quas stans aperto capite in gradu Altari contiguo legit alta voce, omnibus audientibus, præcipue autem tribus pluribusve testibus ex Nobilioribus, qui adsunt.

XXXV. His lectis deducitur Prælatus a Magistro Cæremoniarum ad Altare, quod in medio, in cornu Epistolæ, & Euangelii osculatur; deinde recedens ad Sedem Archiepiscopalem panno serico albo, & umbella solita stratam, in ea sedens aliquantulum quiescit; moxque per Ecclesiæ ambitum incedit, & tandem cum Ordinariis se in Sacristiam recipit, ubi eo præsidente Capitulum de more habetur, in quo Ordinarios aliquo temporis spatio alloquitur nomine etiam Archiepiscopi, cujus singularem in eos voluntatem exprimere conabitur. Absoluto Capitulo, Ordinarii illum usque ad Ecclesiæ januas sequuntur, ipse vero ad Archiepiscopale Palatium se confert, ubi fores aperit, & claudit, ad aulam superiorem ascendit, Archiepiscopalis Fori administros convocat, omniaque, & singula in mandatis contenta exequitur.

XXXVI. Hactenus Cæremoniale Ambrosianum de ratione adipiscendæ possessionis Archiepiscopatus Mediolanensis per Procuratorem. Ex quo etiam addiscere licet, qui ordo servandus in capienda possessione aliorum Episcopatuum, quem quidem ordinem, ac ritum ex recitato Ambrosiani Cæremonialis testimonio, nonnullis mutatis, ut scilicet aliis Ecclesiis convenire possit, in sua Cæremoniarum Praxi Lib. I. Sectione X. Cap. VI. Num. II. egregie describit Castaldus. Cæterum tametsi multis ab hinc seculis, Episcopi qui apud Apostolicam Sedem promoventur, confirmanturque, ante consecrationem, possessionem Ecclesiarum suarum capere, & ea quæ sunt jurisdictionis exercere possint, nequeunt tamen hæc agere, nisi prius Apostolicæ Sedis literas promotionem, confirmationem, consecrationemve continentes obtinuerint; uti ex Constitutione Bonifacii VIII. sancitum est, quæ refertur in Extravagante, *Injunctæ*, *De electione*, cui praxis hodierna conformis est, & uno consensu Canonistæ tradunt.

XXXVII. Sciendum hic illud est, quod hodie obtinet jure Decretalium, ut promotus in Episcopum, confirmatusve, ut verus Pastor Ecclesiæ habeatur, possitque omnia, quæ jurisdictionis sunt, tanquam Episcopus exercere, alienum videri omnino a primitivæ Ecclesiæ disciplina, secundum quam nec Romanus Pontifex tametsi legitime electus pro Romano Pontifice olim ante suam ordinationem reputabatur. Etenim electus anno DCCLII, die VI. Martii Stephanus vulgo dictus secundus, qui ante ordinationem suam obiit, inter Pontifices numeratus non fuit per Anastasium Bibliothecarium, nec alium quemquam ante Baronium, qui ceteros ejusdem nominis uno deinceps gradu submovit; & quem alii omnes appellant secundum, ipse facit tertium, & sic consequenter, uti notavit Daniel Papebrochius in suo conatu Chronico historico ad Vitam hujus Stephani; qui una observat, idipsum liquere ex electione Presbyteri Petri post mortem Joannis V. quæ sine dubio legitima fuit, quippe a Clero præcipue pendens, neque per militarem tumultum irritabilis, nusquam tamen ille inter Pontifices numeratur, quia numquam processum est ad ejus ordinationem.

XXXVIII. Spectant hæc antiquum morem, nam alias Decretalium jure, uti dictum est, & communi Doctorum sententia, verus Pastor, & Episcopus per confirmationem, sive provisionem Summi Pontificis constituitur; omnisque cura Pastoralis, & Episcopalis plenarie ei competit, eamque tamquam Episcopus, & Ordinarius Ecclesiæ Pastor potest administrare.

## §. II.

**Cum autem erit unius diei, vel bidui spatio propinquus propriæ Civitati, significabit Vicario suo, & Canonicis, ac Capitulo, necnon Magistratui, & Officialibus Civitatis diem, & horam sui ingressus, ut possint omnes se præparare, ut ei obviam eant, eumque debito honore prosequantur; præmittet etiam aliquem ex suis, qui Clerum, & alios, ad quos spectat, admoneat, ut processionem habendam in hujusmodi ingressu indicent. Præparari faciant Baldachinum in porta Civitatis, & deputari, qui illud portent supra Episcopum. Vias etiam, per quas eundum erit, mundari, ac floribus, vel frondibus conspergi in signum lætitiæ curent.**

## COMMENTARIUS.

I. TEneri Episcopum creare sibi Vicarium generalem in temporalibus atque spiritualibus, cujus ope sufficere valeat oneri Episcopali, & solutus Ecclesiastici fori curis, lectioni, orationi, & prædicationi verbi Dei intentius vacet, docent passim Canonici Juris Consulti,

Digitized by Google

ſulti, & inter alios Dadinus Altaſerra Lib. VII. *De juriſdictione*, Cap. IV. Licet enim cauſari poſſit Epiſcopus, ſe non egere Vicario, quod diu ipſe non modo in variis Tribunalibus Procuratorem ad lites, ſed & complurium Præſulum Vicarium egerit; convenit nihilominus, ut factus ipſe Epiſcopus onus cum alio partiatur, ne Eccleſiaſtica ſolicitudo ulla in parte deficiat. Erant olim quidem Vicarii nati Epiſcoporum Archidiaconi, qui tamen cum ſua abuterentur poteſtate, ac juriſdictione, inſurgerentque etiam non ſemel adverſus ipſos Epiſcopos, ad eorum deprimendam audaciam cœperunt jam Seculo XIII. Epiſcopi Vicarios generales, Officiales, & Decanos rurales inſtituere. Eligendum eſſe ab Epiſcopo in Vicarium Generalem Clericum Secularem idoneum, non vero Regularem, edixit jam Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſita in Motulana VIII. Maji MDCXV. imo in Regnis Hiſpaniarum non poſſe in Generalem Vicarium eligi, niſi qui eſt in Ordine Sacerdotali conſtitutus, deciſum eſt ab Urbano VIII. in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Decet Romanum*, edita XVI. Decembris MDCXXIII. cujus meminit Barboſa in Tractatu, *De Canonicis*, Cap. XLII. Numero LIV.

II. Juxta hodiernam diſciplinam ſolet ordinatus Epiſcopus ſtatim in ſua Epiſcopali Civitate, antequam ipſe ad illam pergat, Vicarium conſtituere, qui olim etiam dicebatur *Officialis*, ac *Miſſus*. Vicario huic, & Canonici, ac Capitulo, necnon Magiſtratui, & Officialibus Civitatis diem & horam ſui ingreſſus ex præſcripto noſtri hujus §. ſignificare debet Epiſcopus, ubi ſcilicet unius diei, vel bidui ſpatio propinquus erit propriæ Civitati; ut nimirum poſſint omnes ſe præparare ad eundum ei obviam, ipſumque honore debito proſequantur. Ex Cæremoniali Ambroſiano Lib. I. Cap. I. ubi ſtatuta dies ingreſſui dicata appropinquarit, quæ debet eſſe dies feſtiva, Vicarius Generalis illam Clero, & Populo ſcriptis indicit, quo frequentius poſſint ad celebrem hanc actionem convenire; modum præterea conveniendi, & in proceſſione pſallendi præſcribit in hanc ſequentem, vel non diſſimilem (*a*) formam.

III. Præmittendum etiam ait noſter §. ab Epiſcopo aliquem familiarem, *qui Clerum, & alios, ad quos ſpectat, admoneat, ut proceſſionem habendam in hujuſmodi ingreſſu indicent*. Eſt is ſane antiquus mos, cujus inter alios meminit pius æque ac doctus Prædicatorum Ordinis pervetuſtus ſcriptor Humbertus de Romanis Lib. II. *De modo prompte cudendi ſermones*, Tractatu II. Cap. XXVI. ubi poſtquam initio dixit, moris eſſe apud devotos Chriſtianos, *quod Prælatum ſuum, quando omnibus aliis expeditis, primo venit ad Eccleſiam, vel Civitatem ſuam, recipiant, & hoc cum gaudio, & non ſolum cum gaudio, ſed & cum magno honore*; ita ad Capitis ejus calcem ſubjicit: *Et nota, quod hujuſmodi honorificam receptionem Prælati non ſolum uſus habet, ſed dictat & ratio, etiam approbat Scriptura divina. Unde ad Philippenſes II.* ait ſcilicet Apoſtolus: *Excipite Epaphroditum cum omni gaudio in Domino, & ejuſmodi cum honore habetote*.

IV. Multis in eo Capite probat Humbertus, exhibendum a populo, præſertim vero a Clero eum honorem Epiſcopo ſuo primum Civitatem ſuam ingredienti, propter excellentiam ſtatus, cui ſemper honor debetur, magis autem propter Paterni-



(*a*) Formula ab ipſo Cæremoniali Ambroſiano præſcripta hæc eſt: Domenica che ſarà alli .... del .... Monſignor Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo N. Arciveſcovo farà la ſua ſolenne entrata in queſta Città, & ſicome egli ſe ne viene con paterno zelo, per non ſparagnar a fatica alcuna, acciò tutti inſieme con lui vivendo nella via di ſalute, ci guida come buon Paſtore al Paradiſo, così noi dovemo incontrarlo, & riceverlo con quell'affetto figliale, che ricerca da noi l'amor grande, che S. S. Illuſtriſſima porta a queſta ſua Chieſa. Onde ſe bene non par neceſſario eſſortarvi, che ſia con frequenza incontrato, & ricevuto, tutta via per non mancare all'officio noſtro, havemo voluto con queſta darvi gl'infraſcritti avvertimenti, che ſerviranno a tutta queſta Città, e per ringraziamento a Dio Benedetto del dono concedutoci, & per tante proteſte a S. S. Illuſtriſſima della volontà, & prontezza, ch'havemo non ſolamente di riceverlo come Padre, & Paſtore, ma di godere longo tempo della di lui bontà, doctrina, & ſpirito.

Prima dunque ordiniamo, che in ciaſcuna Chieſa sì de Regolari, come de Secolari, non però di Monache, ſi ſuonino queſti tre giorni immediati inanzi alla ſua entrata tutte le campane da feſta, & Sabbato ſera al tocco delle campane del Duomo, in tutte le Chieſe anco di Monache ſi ſuoni un ſegno alla diſteſa per lo ſpatio di un hora al meno.

Domenica dopo Veſpero ſi ſuoneranno tutte le campane della Città alla diſteſa finche durerà la proceſſione da S. Euſtorgio al Domo.

Ciaſcuno poi del Clero Secolare, & Regolare, & anco Scole, & Confratrie de diſciplini, ſi troveranno con ſuoi habiti ſoliti in Domo per la proceſſione, cioè li Secolari a hore ..... & alle ..... il Clero tutto, da dove proceſſionalmente ſi partiranno per incontrare Monſignor Illuſtriſſimo, oſſervando l'ordine dell'andare, e del ſtare, che gli ſarà preſcritto.

Nella proceſſione del ritorno da S. Euſtorgio ſin al Domo, ciaſcuno Capitulo, Convento, & Scuola doverà cantare in canto fermo, o figurato, come le ſarà più commodo gl'infraſcritti Cantici, & Salmi, per lo che haveranno ſeco i ſuoi Breviarii, & Officii a ſufficienza.

Cant. Benedictus Dominus Deus Iſrael &c. Pſ. 28. Afferte Domino Filii Dei &c. Pſ. 20. Domine in virtute tua lætabitur Rex &c. Pſ. 44. Eructavit cor meum verbum bonum &c. Pſ. 65. Jubilate Deo omnis terra &c. Pſ. 80. Benedixiſti Domine terram tuam &c. Pſ. 94. Venite exultemus Domino &c. Pſ. 95. Cantate Domino canticum novum, cantate Domino &c. Pſ. 97. Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia &c. Pſ. 102. Benedic anima mea Dominum &c. Pſ. 148. Laudate Dominum de cælis &c. Pſ. 149. Cantate Domino canticum novum, laudatio ejus &c. Pſ. 150. Laudate Dominum in ſanctis ejus &c. Pſ. 116. Laudate Dominum omnes gentes Pſ. 19. Exaudiat te Dominus &c.

Non manchi poi ciaſcuno di procurare, d'eſſer preſente a queſta celebre attione con tutta quella quiete & ordine, che ſia poſſibile. Dall'Arciveſcovato &c.

Digitized by Google

ternitatem, quæ specialiter honorem requirit, ac potissimum propter Christum, cujus vicem gerit. Valere autem hujusmodi honorem ad Dei benedictionem acquirendam, egregie laudatus Auctor ostendit ex illo Ecclesiastici loco, Cap. III. *Honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio illius in novissimo*. Exempla ejus honoris ab initio Christianæ Religionis a Fidelibus exhibiti Prælatis suis, addiscimus plane ab Apostolo in Epistola ad Galatas, Cap. IV. quibus ita ait: *Non respuistis me, sed sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum*; itemque ex Actis Vitæ S. Joannis Euangelistæ, in quibus ait ipse Humbertus legi quidem, quod *occurrit ei omnis populus, exultantes, & dicentes*: Benedictus qui venit in nomine Domini.

V. His verbis exceptum fuisse Christum Hierosolymis a turbis, vestimenta etiam sua in illius obsequium, ac ramos de arboribus in via sternentibus, docet nos in Euangelio suo S. Matthæus, Cap. XXI. *Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via: alii autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via: turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna Filio David: benedictus qui venit in nomine Domini*. Forte Christi exemplo Hierosolymam ingredientis, statuit noster hic §. præsens, ut viæ etiam, per quas eundum erit in occursum Episcopi, mundentur, ac floribus, vel frondibus in signum lætitiæ conspergantur, & quidem ad Christi exemplum, cujus vice, & legatione Episcopi in terris funguntur. Can. *Omnis*, VII. Quæstione I. Can. *In novo*, Distinctione XXI. Ex quibus locis Joannes Bertachinus, *De Episcopis*, Parte I. Lib. IV. ait, quod *sicut Domino nostro Jesu Christo, cum viveret in humanis, & ingrederetur Hierusalem tamquam Sacerdos, & Propheta magnus, obviavit populus, & pueri cum palmis olivarum, sternentes vestes in terra, ut super eis graderetur Dominus noster, ita & Episcopis honor est exhibendus, qui Christi legatione funguntur*. Hunc honorem exhibitum fuisse Pontificibus passim in Urbium, atque insigniorum locorum ingressu, testantur passim Ecclesiastici annales. Teste Nicolao de Curbio in Vita Innocentii IV. apud Muratorium Tomo III. Rerum Italicarum, *ubi ad Januensium notitiam est deventum, quod per eos esset Summus Pontifex transiturus, per totam maritimam, stratas ipsi præparare fecerunt, vias planari, & pontes pariter resarciri non sine magnis sumtibus, & expensis. Cum vero transiens per Sutiam, & Viginti-miliam Civitates, Januam devenisset, ordinatis processionibus accuratis, & solemnibus laudibus, coopertisque plateis, & viis Civitatis pictis tapetibus, & aliis variis indumentis diversimode variatis, aliisque pluribus ornatum, & decorem præstantibus, occurrentes ei extra Civitatem cum tripudio, & exultationis gloria susceperunt &c.*

VI. Itaque mos est antiquus, ut non solum in signum lætitiæ in adventu Pontificis ad aliquem locum, ac præsertim Episcopi ad Ecclesiam suam, viæ, ac plateæ, per quas ipse est transiturus, floribus, vel frondibus, ramisve palmarum conspergantur, & variis etiam elegantibus vestibus, ac tapetibus cooperiantur. Quo amoris, & observantiæ significatione, quoque apparatu a Mediolanensibus fuerit exceptus S. Carolus ipsorum Antistes, ubi primum Mediolanum venit, paucis innuit ejus Vitæ Scriptor Carolus a Basilica Petri Lib. I. Cap. VIII. *Singulari demum, & pene incredibili amoris, & observantiæ significatione civis & Pastor exceptus est a Mediolanensibus suis: præcipua namque lætitia quædam, atque hilaritas ejus adventus, ingressusque tempore, in omnium vultu, atque ore versari videbatur; ac memini me tum adolescentulum audisse, qui eo Civitatem ingrediente prædicarent, alterum Mediolanensibus Ambrosium advenisse. Urbem ingressus est die Dominico* IX. *Kal. Octob. anni a sal. M. D. LXV. cum* XXVI. *ætatis annum ageret. Triumphales portas, symbola, elogiaque honorificentissima, ac viarum ornatus, non est opus explicare*. Pauca sunt quidem, quæ laudatus Auctor oculatus ejus ingressus testis scribit, sed paucis illis sat nobis solemnissimam pompam significat, qua ex veteri disciplina Episcopi primum ad Ecclesias suas pervenientes excipi solent, præsertim Archiepiscopi Mediolanenses, uti constat ex Cæremoniali Ambrosiano Lib. I. Cap. I. ubi inter alia præscribit, ut *Præfecti Civitatis hoc etiam tempore curent fieri apparatus, vias mundari, frondibus, floribusque vestiri, prout & temporis ratio, & Pastoris dignitas postulat, eorumque erga Archiepiscopum pietas suppeditabit*.

VII. Celebre & illud est, quod de eo ritu enarrat in Vita Beati Alexandri Saulii Alariensis primum, tum Papiensis Episcopi Joannes Augustinus Gallicius Lib. II. Cap. XXI. ubi pompam primi ejus ingressus in Civitatem Papiensem oratorio stylo describit: *Quis stratas fronde, ac multiplici flore vias, aulæis pretiosis vestitos parietes, picturarum compositas scenas, elogio & carmine vario emblemata disposita, arcus in triumphalium morem passim excitatos, & quicquid in publica hilaritate excogitare valet genius certantium populorum*? Ait mox, eam pompam erudite eleganterque in sua expressisse Iconographia Antonium Mariam Speltam, & Henricum Farnesium, additque tum demum quod notandum hic censeo, nempe, sanctissimum Antistitem inter tot celebres glorias, ac triumphos, mulo descendentem in aream Templi, repentino afflatu correptum, repentinisque lacrymis obrutum, ad circumstantes conversum ita exclamasse: *O fugaces pompas! O breves seculi honorificentias! Non ante sol compleverit annuum orbem, quam in lugubrem tragediam mutentur ista festa gaudia, ista pompæ magnificentia*. Quibus verbis obitum suum ante anni metam subsequuturum prædixit. Hæc autem nos iccirco notavimus, ut hoc exemplo discant Episcopi, ubi solemni cum pompa excipiuntur, non intumescere; memores ritus, qui servari solet in coronatione Summi Pontificis, quippe qui dum ad Vaticanam Sancti Petri Basilicam defertur, Cæremoniarum Magister ante ipsum immediate præcedit cum duabus arundinibus,

Digitized by Google

dinibus, super alteram stupam, super alteram vero candelam ardentem portans, & cum Pontifex Capellam S. Gregorii exierit, Cæremoniarius ad eum conversus ignem stupæ admovet, & genuflexus alta voce dicit: *Pater sancte, sic transit gloria mundi*; quod tertio facit distincto æquali spatio, antequam perveniant ad portam Capellæ.

VIII. Obiter hisce notatis, quæ etiam a nostro instituto non sunt penitus aliena, est plane antiquus ritus, ut Episcopus tali honore excipiatur, eique etiam adeo debitus, ut Baldus, qui obiit anno MCDXX. in Cap. *Licet causam* IX. *De probationibus*, Num. VI. diserte dixerit, possessorio agi posse, ut Episcopus cum olivarum palmis, aliisque id genus recipiatur: *Talis honorantia*, inquit, *bene potest vindicari, & agi possessorio, verbi gratia, ut subditi vadant obviam Episcopo processionaliter, vel cum palmis olivarum, & ipsum recipiant honorifice in Encæniis, & similibus secundum consuetudinem illius Ecclesiæ super istis honorantiis*. Quicquid sit, ritus iste excipiendi Episcopos solemni cum pompa, ornandique vias arcubus triumphalibus, & alia honoris indicia exhibendi ipsis, cum primum Civitates suas ingrediuntur, acceptus videtur ab antiquis Romanæ Ecclesiæ cæremoniis, quibus ex præscripto Ordinum Romanorum, quos affert Mabillonius Tomo II. Musæi Italici, Summi Pontifices post suam ipsorum ordinationem honorabantur, quum scilicet solemni cum processione, & equitatu per vias egregie ornatas a Basilica Vaticana ad Lateranensem deducebantur; ut inter alios testatur Ordo Romanus XIV. auctore Jacobo Gaetano Cap. XXII. ubi ita inquit: *Item notandum, quod a sancto Petro ad Lateranum fiunt Domino Papæ arcus triumphales, & Clerici Romani occurrunt eidem induti in via sacra ubicumque possunt, cum thuribulis, & incenso; & in renuntiatione dantur Romanis pro arcubus triginta quinque libræ; & Clericis pro thuribulis* XIII. *libræ, & dimidia*.

IX. De honore arcuum jam olim Summo Pontifici exhibito post suam inaugurationem, non uno in loco loquitur Romanus Ordo XII. Auctore Cencio, præsertim Num. XXXII. ubi ita ait: *Missa autem celebrata revertitur*, Papa, *ad palatium coronatus cum processione, & honore arcuum, repræsentatione Legis a Judæis, & thuribulorum a Clericis Romanis &c.* Et paulo inferius: *Universæ etiam scholæ palatii Clericis Romanis pro thuribulis, Judæis pro repræsentatione Legis, Laicis Romanis pro arcu tale presbyterium datur, & taliter, qualiter datur in coronationibus aliis Domini Papæ*. Opus egregium, ac vere aureum, *De Presbyterio*, tres in partes distributum edidit Romæ non ita pridem Vir Clarissimus sua insigni eruditione tum profana, tum sacra paucis comparandus, Petrus Morettus insignis Basilicæ S. Mariæ Transtyberim Canonicus, in quo multa lectu, ac scitu digna curiosus sacræ Romanæ antiquitatis inveniet, & inter alia eximias pecuniarum largitiones, quas Summi Pontifices in sacris functionibus, quæ per annum occurrunt, ac præsertim in solemnitate possessionis Basilicæ Lateranensis, ad quam solemni cum pompa processione, & equitatu deducebantur, facere olim consueverant; constat enim ex laudatis locis, & ex aliis multis, qui afferri possent, non modo cives Romanos, & Clericos, sed & Judæos ipsos eximiam liberalitatem Papæ fuisse expertos.

X. Ad arcus quod attinet, puto equidem cum laudato Moretto Parte III. memorati Operis, *De Presbyterio*, Sectione VII. §. XII. ob brevitatem temporis, qua confici necessario debebant iis pares fuisse erigi solitis etiamnum per occasionem popularium festivitatum, videlicet compactis ex trabibus undique florum, viridantium foliorum, tabellarum, & auricalchi in bracteas concisi ornamento circumamictis. A Laicis illos erectos citati Ordinis Romani locus expresse testatur, qui etiam probabiliter artium professores erant. Servatum hunc ritum in solemni inauguratione, seu coronatione Bonifacii Papæ VIII. quum pompa maxima, more Majorum, ad S. Petrum, & ad Lateranum contendit, addiscimus ex poemate Cardinalis Cajetani Stephanesii, quod insertum est a Bollandianis Tomo IV. mensis Maji die XIX. Pag. 470. ubi inter alia ita Vates historicus populi obsequium describit.

. . . . . *Populus lustraverat Urbem*
*Arcubus in morem veterem, qua tendere mos est,*
*Atque frequens Patrem currens stipabat eunitem.*

Meminit & horum arcuum Ordo Romanus XIV. in Cap. De officio Senatorum Urbis, inquiens: *Item notandum, quod a S. Petro ad Lateranum fiunt Domino Papæ arcus triumphales &c.* Hunc honorem exhibitum Alexandro Papæ VI. cum scilicet solemni equitatu die XXVII. Augusti anno MCDXCII. ad Lateranensem processit Basilicam, non obscure innuit Petrus Delphinus Lib. III. Epistola XXXVIII. *Via omnis, per quam equitavimus*, ait, *pannis erat contecta, ac variis triumphantum similitudinibus ornata, pendentibus distichis, aulæis &c.* Hodie in Campo boario pone hortos Farnesianos sua impensa solitus est arcum construere Parmæ ac Placentiæ Dux, ipsorum hortorum possessor, non uno titulo Apostolicæ Sedi obstrictus.

XI. Neque demum ad calcem hujus Commentarii silendus est mos ille Romanæ Ecclesiæ vetustus, ubi scilicet ordinati Presbyteri solemni etiam cum pompa ad Titulos suos, sive ad Ecclesias quibus in ordinatione fuerant affixi, deducebantur, uti constat ex Ordine IX. Romano Num. III. *Expletis omnibus Missa completa stant Regiones paratæ ad singulos Titulos pertinentes cum candelabris, & thuribulis, ut proprium suscipiant Sacerdotem*. Et mox postquam dixit, donari ipsos a Pontifice Sacerdotalibus indumentis, ministeriis Missæ, auro, vel argento, vino, frumento, & oleo, ita statim subjicit: *Egredientes autem de Basilica sancti Petri præcedent unumquemque vel triginta candelabra cum thuribulis*. Et paulo post: *Plateæ autem Civitatis, unde transituri sunt, coronantur auro, & palliis, & cum tanta gloria ad statutos Titulos deducunt*; regiones scilicet Urbis suum proprium Sacerdotem: qui etiam, ut idem tradit Ordo Romanus, sedebat *super equum album, præcedens-*

Digitized by Google

*cedensque, & subsequens populus canebat ei laudem*. Habes hic brevi oratione descriptam solemnem Presbyterorum deductionem ad suos Titulos, ut vel inde intelligas quanta fuerit olim Majorum nostrorum religio non modo erga Episcopos, verum & simplices Sacerdotes.

## §. III.

Die præstituta, Canonici, & Capitulum cum toto Clero debent processionali ritu proficisci extra portam Civitatis, & prope illam consistere; Magistratus vero, & Officiales cum civibus, & populo Episcopo in porta excipere: Episcopus interim in aliquo Sacello, seu honesto, & convenienti loco, parum distante a porta Civitatis, descendet de mula, vel equo, ac deposito itinerario habitu, induet Cappam Pontificalem, iterumque ascendet mulam ornatam Pontificalibus ephippiis, & stragula violacei coloris, ac Galerum Pontificalem solemniorem in capite geret, atque ita equitabit, suis familiaribus, & domesticis ipsum comitantibus usque ad portam Civitatis, ubi descendens e mula, genuflectet super tapete stratum, & pulvinum ibidem paratum, & devote osculabitur Crucem sibi per digniorem ex Capitulo Pluviali albo indutum oblatam. Mox surgens, in aliquo Sacello, vel loco ad id parato accipiet, deposita Cappa, paramenta sacra, videlicet, Amictum, Albam, Cingulum, Crucem pectoralem, Stolam, & Pluviale album, ac demum Mitram pretiosam, atque annulum, & conscendet equum serico albo undique tectum, & decenter ornatum.

## COMMENTARIUS.

I. Episcopo Civitatem suam ingredienti debere Clerum, & Populum obviam ire, & honorifice eum suscipere, jam superius probatum est ex Bertachino in Tractatu, *De Episcopis*, Parte I. Lib. IV. & Baldo in Cap. *Licet causam*, *De probationibus*, quibus addi possunt Camillus Borellus in Summa Decisionum Tit. VI. Num. VIII. Petrus Suberri, *De cultu vineæ Domini*, Parte I. Cap. III. Michael Timotheus in Practica visitandi Lib. II. Cap. V. Maynardus Decisione Tholosan. V. Mauricius de Alzedo, *De præcellentia Episcopalis dignitatis*, Parte I. Cap. V. Vincentius de Franchis Decisione CCLIII. & alii. Esse hunc antiquissimum tum Latinæ, tum Græcæ Ecclesiæ ritum, addiscimus plane ex S. Augustino, qui in Epistola CCIII. inter honores seculi Episcopis exhiberi solitos refert *Sanctimonialium occursantium, atque cantantium greges*. Teste S. Gregorio

gorio Nazianzeno in Oratione funebri de S. Athanasio Episcopo Alexandrino, redeunti illi Alexandriam occurrerunt quidem Alexandrini variis agminibus per sexus, ætates, & artes divisis. Etiam Episcopi ubi ad alienas civitates pergebant, susceptos fuisse ipsos ab illarum Episcopis cum solemni Cleri processione, docet nos Sozomenus Lib. VIII. *Historiæ*, Cap. XIV. ubi ait, S. Epiphanio Constantiæ Cypri Episcopo Constantinopolim adventanti solemni cum processione Cleri occurrisse S. Joannem Chrysostomum, qui tum Ecclesiæ Constantinopolitanæ præerat: *Joannes ingredientem* (Epiphanium) *totius Cleri processione veneratus est*.

II. Ex hoc pio veterum fidelium libero erga Episcopos suos obsequio, factum illud deinde est, ut quod olim erat liberæ voluntatis, quædam veluti obligatio evaserit. Hinc Veglensis Episcopus apud Innocentium III. Lib. IV. Epistola II. contendit, se a quibusdam Clericis cum processione recipiendum. Gradensis quoque hodie Venetus Patriarcha idem adstruit contra Abbatem S. Georgii in Cap. ult. *De causa possessionis & proprietatis*. Eoque tandem devenerunt Episcopi, ut eum honorem sibi vendicare cœperint in signum subjectionis, & jurisdictionis, uti ex eodem Innocentio Papa III. constat in Cap. *Auditis* XV. *De præscriptionibus*. Cui addi potest quod ante Innocentium ipsum scriptit ad annum MCLXIII. Matthæus Parisius: *Eodem anno*, inquit, *Clarembaldus S. Augustini electus benedictionem a Thoma Cantuariensi Archiepiscopo accipere quærebat, sed in sua Ecclesia, & sine processione, ut suspicio subjectionis inposterum prorsus ademta esset*. Forte ad tollendam eam subjectionis suspicionem Canonici S. Martini Turonensis, jam olim illud privilegium obtinuere, ut solos Summum Pontificem, Christianissimum Galliarum Regem, & Archiepiscopum Turonensem processionaliter recipere tenerentur, ut testatur Hildebertus Cœnomanensis Episcopus in Epistola sua XVIII. ad Urbanum II. Pontificem Maximum. Franciscus Roye Lib. I. *De juribus honorificis in Ecclesia*, Cap. VII. ex Prælatorum ambitione ait putasse facile Principes insignem illam esse notam sui Principatus, & Imperii, siquidem in suis etiam Civitatibus processionaliter reciperentur. Verum nonnisi temere is Auctor ambitionis arguit Episcopos, quippe qui ex ritu Ecclesiæ pervetusto sanctissimorum Episcoporum exemplis comprobato cum processione excipiuntur, imitantes etiam Christum Dominum Sacerdotii institutorem, quem S. Bernardus Sermone I. in Ramis palmarum, ait in ipsis palmarum ramis processionis gloria honoratum fuisse.

III. Veteribus exemplis lubet hic nonnulla recentiora adjungere, quibus ritum in §. hujus nostri Rubrica præscriptum magis magisque explicemus, ritum scilicet, qui processionem spectat Cleri, ac Populi, & præsertim nobilium, qua Episcopus ad Ecclesiam suam veniens excipi debet. Testis est Auctor Vitæ Alexandri Papæ III. apud Muratorium Tomo III. *Rerum Italicarum*, Pagina 457. quod ubi is Pontifex e Galliis Romam rediit, *mane facto Senatores cum nobilibus, & magna Cleri, & Populi multitudo ex Urbe sibi honorifice occurrerunt, exhibentes sibi tamquam animarum suarum Pastori obedientiam debitam, & consuetam reverentiam, & exinde cum ramis olivarum usque ad portam Lateranensem cum omni gaudio, & lætitia conduxerunt. Ibique totius Urbis Clerus de more solemniter indutus ejusdem Pontificis jam diu desideratum præstolabatur adventum. Ibi convenerant Judæi ex more Legem suam deferentes in brachiis; ibi concurrerant signiferi cum bandis, stratores, Scriniarii, Judices cum Advocatis, & non modica ejusdem populi multitudine. Quid plura? Inchoata Processione decora, & concrepantibus undique altisonis vocibus, cum tanta gloria, & exultatione deductus est ad Patriarchium S. Salvatoris, & Lateranense Palatium, cum quanta nullus a longe retro temporibus recolitur fuisse receptus*. Acta sunt hæc, ut idem Auctor subjungit, anno MCLXV. IX. Kal. Decembris Pontificatus vero ipsius Papæ anno VI.

IV. Multa sunt, quæ hic observemus, ac I. Senatores cum nobilibus, & magnam Cleri, & populi multitudinem Pontifici Urbem ingredienti honorifica processione occurrisse. II. in ea processione adhibuisse ramos olivarum juxta ritum, de quo in Commentario ad præcedentem §. mentionem fecimus. III. *totius Urbis Clerum de more solemniter indutum* eidem occurrisse Pontifici ad portam usque Lateranensem, ubi ipsius jamdiu desideratum præstolabatur adventum. IV. convenisse ibidem Judæos *ex more Legem suam deferentes in brachiis*. Meminere non uno in loco ejus Judæorum moris antiqui Romani Ordines a Mabillonio edito Tomo II. Musæi Italici, itemque Cæremoniale Papæ Auctore Augustino Patricio Lib. I. Sectione II. Cap. III. *De consecratione benedictione, & coronatione simul Romani Pontificis*, ubi inter alia ritum ipsum ita describit: *Cum Pontifex pervenerit ad Montem Jordanam, Judæi illi obviam eunt, genuflexi Legem Pontifici offerunt, lingua Hebraica Legem laudantes, & hortantes Pontificem, ut illam veneretur. Pontifex illis auditis in hanc sententiam respondet*: Sanctam Legem, Viri Hebræi, & laudamus, & veneramur, utpote ab Omnipotenti Deo per manus Moysi Patribus vestris tradita est: observantiam vero vestram, & vanam interpretationem damnamus, atque improbamus; quia Salvatorem, quem adhuc frustra expectatis, Apostolica fides jampridem advenisse docet, & prædicat Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus per omnia secula seculorum. *Sed quoniam nonnunquam accidit, ut Judæi populi multitudine opprimantur, solent aliquando impetrare pro eorum securitate, ut hoc faciant super antemurali Arcis Sancti Angeli in angulo ad viam, qua itur ad palatium*. Juxta ritum Ordinis Romani XII. Auctore Cencio Seculo XII. exaratum, Numero LVI. Judæi repræsentabant Domino Papæ in die coronationis suæ Legem in Via, & ei faciebant laudes, & tres libras, unam piperis, & duas libras de cinnamomo afferebant ad Cameram.

V. Sed

Digitized by Google

V. Sed ut cetera explicemus, quæ in descripta superius Alexandri III. Papæ Vita narrantur, de ejus ingressu ad Urbem, & de solemni pompa qua ad portam Lateranensem exceptus fuit, ait memoratus Auctor ejusdem Vitæ, ad portam ipsam Lateranensem convenisse *signiferos cum bandis, Stratores, Scriniarios, Judices cum Advocatis, & non modica ejusdem populi multitudine*. Signiferi sunt qui banda ferebant, idest vexilla, alioque nomine *banderari* appellati, ut in Itinerario Gregorii Papæ XI. *Currebant*, inquit, *banderarii Romani, velut dementes tubis clangentibus*. Qui hic *banderarii* dicuntur, alibi appellantur *bandarenses*, & *bandonarii*, uti videre est apud Carolum Dufresne in suo Glossario, & in Ordine Romano XIV. Auctore Jacobo Gaetano, Num. XX. ubi agit de ordine processionis, qua novus Papa ad Ecclesiam Lateranensem ducebatur: *Primo*, inquit, *præcedit equus Domini Papæ faleratus: secundo vadit Subdiaconus cum Cruce: tertio duodecim bandonarii cum duodecim vexillis rubeis &c.* erant ii duodecim Capitanei regionum Urbis, uti addiscere licet ex Vita laudati Gregorii Papæ XI. apud Bosquetum Pag. 225. Porro Scriniarios, Advocatos, Judices, aliosque complures suum in ea processione habuisse locum, Romanus ipse Ordo XIV. testatur loco citato.

VI. Clerum æque, ac populum, Magistratumque, ac nobiles solemni cum pompa, & lætitiæ indiciis Pontifici consuevisse occurrere, docet nos eadem Alexandri III. Papæ Vita apud Muratorium memorato Tomo III. *Rerum Italicarum*, Pag. 457. ubi agens de tertio Alexandri reditu Romam, ita inquit: *Exierunt obviam sibi in longum Clerus Romanus cum vexillis, & Crucibus, quod nulli Romanorum Pontificum recolitur factum; Senatores, & Magistratus populi cum concrepantibus tubis, nobiles cum militia in apparatu decoro, & pedestris populositas cum ramis olivarum laudes Pontifici consuetas vociferans*. Ejusmodi processionis honorem exhibitum fuisse Pontificibus, ubi per alia loca trasibant, docet nos Vita Innocentii Papæ IV. auctore Nicolao de Curbio, qui loquens de reditu ipsius Pontificis a Concilio Lugdunensi ad Urbem, sic inter alia inquit: *Deinde per terram venit Marsiliam, ubi multa magnificentia est susceptus a civibus civitatis. Et tam Burgundi, quam Provinciales, undecumque transitus erat ipsius Summi Pontificis, occurrebant undique de civitatibus, & viculis, atque villis. Multitudo quoque Clericorum, Religiosorum, laicorum, mulierum pariter & puerorum cursitabant irruentes in ipsum, si quo modo possent contingere aspectum ipsius Domini, & cum hymnis, & laudibus suspiciebant eundem*.

VII. Jam non modo Clericos, ac viros tum Religiosos, tum Laicos, verum etiam & mulieres, & parvulos ordinata processione occurrisse Pontifici, ex eadem Innocentii IV. Vita addiscimus; hæc enim de illius adventu Mediolanum ait: *Seorsum Clericis Civitatis processionaliter ordinatis, seorsum popularibus viris, seorsum mulieribus, seorsum pariter parvulis resonantibus Deo, & Christo ejus, lætati lætitia inenarrabili in aspectu, & præsentia tanti Patris. Erat enim ipsorum talis, & tanta processio, quod numquam talis a seculis audita fuit, vel visa. Nam Religiosorum, & aliarum Ecclesiasticarum personarum, usque ad* XV. *millia ascendebat. Aliorum namque tanta erat populi multitudo, quod decem milliarium spatium occupabat*. Et non multo post de ejusdem Pontificis adventu Romam differens, ubi processionem illi occurrentem narrat, mulieres etiam recenset: *Egrediens de Assisio cum tota Curia ad Urbem Romam per Narniam, & Sabinam est reversus: ubi occurrit ei Senator cum Populo Romano extra Civitatem, & ordinatis processionibus solemnibus Religiosorum, Clericorum virorum, & mulierum eundem Dominum cum ingenti lætitia susceperunt*. Est antiquus ritus, nam, uti superius notatum est initio hujus Commentarii, S. Augustinus in Epistola CCIII. inter honores seculi Episcopis exhiberi solitos refert, *Sanctimonialium occurrantium, atque cantantium greges*.

VIII. Ex Rubrica hujus nostri §. Canonici quidem, & Capitulum cum toto Clero seculari scilicet & regulari, ut est consuetudo omnium Ecclesiarum, debent processionali ritu proficisci extra portam Civitatis, & prope illam consistere: *Magistratus vero, & Officiales cum Civibus, & populo Episcopum in porta excipere*, quia scilicet, ut in §. sequenti habetur, Magistratus primum Baldachini hastas deferre debet, sub quo Episcopus equitabit. Idipsum jam ante edixit Pontificale Romanum in ordine ad recipiendum processionaliter Prælatum, vel Legatum: *In porta autem Urbis consueverunt Magistratus illius obviare Legato, vel Prælato primo intranti, ac illum benigne suscipere, & associare, ac baldachinum super eum deferre*. Sed de hac cæremonia infra in Commentario ad sequentem §. In præsenti admonendum est illud, quod ait Cæremoniale Ambrosianum Lib. I. Cap. I. nempe die primi solemnis ingressus Archiepiscopi Mediolanensis, debere Gubernatorem, Senatum, Magistratum, & Officiales cum civibus, & populo obviam procedere Archiepiscopo extra portam Civitatis, qui interim ubi ad portam Civitatis usque ad Burgum Trinitatis extra portam Ticinensem pervenerit, ibi in aliquo convenienti loco, deposito itinerario habitu, induet Cappam Pontificalem, tum ascendet mulam ornatam Pontificalibus ephippiis, & stragulo communi, ac Pileum Pontificalem solemniorem in capite geret, atque ita equitabit, suis familiaribus, aliisque ipsum comitantibus usque ad portam Civitatis.

IX. Consentanee ad hunc nostrum §. subdit etiam mox laudatum Cæremoniale Ambrosianum: *Hic vero descendens de mula genuflectet super tapete stratum, & pulvinum paratum, & devote osculabitur Crucem sibi per digniorem Capituli oblatam; mox surgens procedet ad Ecclesiam S. Eustorgii, ubi debent esse præparata omnia necessaria, videlicet, sedes, & umbella Archiepiscopi in cornu Euangelii, Baldachinum deferendum in processione, equus albus stratus albis sericeis stragulis, & reliquis insignibus pro ingressu, loca disposita pro*

Digitized by Google

*pro Gubernatore, Senatu, & Magistratibus. In januis prædictæ Ecclesiæ excipitur a fratribus, procedit ad Altare, ubi postquam oraverit, benedicit paramenta*, quia scilicet tunc primum usui ejus solemnitatis confecta, *quibus mox deposita Cappa induitur, videlicet, Sandaliis, Alba, Cingulo, Amictu, Cruce pectorali, Stola, Pluviali, Mitra, Chirotecis, & Annulo Pontificali*. Hujusmodi paramenta ex ejusdem Cæremonialis præscripto alba esse debent, & ex tela sericea argentea, iisque *indutus sedet in Sede prædicta, donec a Jurisconsulto ex Confanoneriis habetur brevis oratio in laudem ipsius Archiepiscopi, prius recognita ex præscripto Concilii*.

X. His tandem peractis in Ecclesia S. Eustorgii, Archiepiscopus inde egreditur; & paratus, ut supra, ascendit equum phaleratum, & stratum, adjuvantibus Confanoneriis, qui huic actioni ex consuetudine, & privilegiis intersunt serico rubro induti, ut idem Cæremoniale Ambrosianum inquit; cui quidem concinit quod de S. Carolo in ejus Vita scribit Carolus a Basilica Petri Lib. I. Cap. VIII. *E Basilica Regum, quæ nunc Eustorgiana est, de more, Mitra, & ceteris Pontificalibus indumentis ornatus prodiit: albo equo, stragulis coloris ejusdem sericis adhibitis, insidebat: Confaloneriæ familiæ, cujus illud est jus, & institutum, nobiles viri rubeo, & splendido vestitu pedites eum cingebant; sericum umbraculum itidem album sublime super eum ferebant*.

XI. Is plane est ritus insignis Ecclesiæ Mediolanensis in novi sui Archiepiscopi ingressu servatus, qui hodieque magna etiam cum pompa peragi solet; sed ut ritum §. hujus nostri enarremus, dum Clerus excepturus Episcopum, extra portam Civitatis proficiscitur, & prope illam consistit; Magistratus vero, & populus, qui Baldachini hastas deferre, (nisi uti dictum est peculiarium familiarum jus erit illas gestare) & eum comitari debet, in porta expectat, Episcopus interim in aliquo Sacello, seu honesto, & convenienti loco parum distante a porta Civitatis, descendet de mula, vel equo, ac deposito itinerario habitu, induet Cappam Pontificalem, iterumque ascendet mulam ornatam Pontificalibus ephippiis, & stragula violacei coloris, ac Pileum Pontificalem solemniorem in capite geret, atque ita equitabit, suis domesticis ipsum comitantibus usque ad portam Civitatis, ubi descendens e mula, genuflectet super tapete stratum, & pulvinum ibidem paratum, & devote osculabitur Crucem sibi per digniorem ex Capitulo Pluviali indutum oblatam.

XII. Ita sane Rubrica nostri hujus §. quam totidem pene verbis legere etiam est non modo apud Bauldryum, & alios passim Auctores, qui de primo accessu Episcopi, vel Archiepiscopi ad suam Ecclesiam disserunt, verum apud laudatum Cæremoniale Ambrosianum. Porro, quod Archipresbyter, qui sit prima Dignitas, debeat in primo ingressu Episcopi accipere Pluviale, & Crucem osculandam porrigere, versiculos, & orationes super ipsum cantare, & alias functiones facere, quæ ex Regula nostri Cæremonialis ad primam Dignitatem, vel digniorem de Capitulo pertinent, edixit jam Sacra Rituum Congregatio die XXX. Januarii MDCXVI. apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. XXII. Num. IX.

XIII. Peracta hac functione, & deosculata Cruce per dignorem de Capitulo oblatam, *mox surgens Episcopus, in aliquo Sacello, vel loco ad id parato, accipiet, deposita Cappa, paramenta sacra, videlicet, Amictum, Albam, Cingulum, Crucem pectoralem, Stolam, & Pluviale album, ac demum Mitram pretiosam, atque annulum, & conscindet equum serico albo undique textum, & decenter ornatum*. Praxis ejus ritus constat ex Cæremoniali Ambrosiano, & ex Vita S. Caroli superius laudatis, itemque ex ritu ab Urbano VI. Pontifice Maximo olim servato, qui, ut testatur Theodorus Niemus apud Pagium in Vita ipsius Urbani Num. IV. ubi is spretis Cardinalium monitis, & invito Carolo Dyrrachino Constantinopolim peracturus, Aversæ propinquaret, *cum prope quandam Capellam pulcram, & novam juxta viam publicam ab ista parte Aversæ consistentem quasi per medium milliare Italicum perveniret, descendit de equo, & se Pontificalibus vestibus adornavit*. Et mox: *Vestitus equum rursus ascendit &c.*

XIV. Album equum egregie tunc consuevisse Pontifici aliquam Urbem ingredienti a primoribus exhiberi, docet nos Felix Contelorius, qui itinera Martini Papæ V. describens, ubi loquitur de pompa solemni, qua is Pontifex Florentiæ exceptus fuit: *Die*, inquit, *septima Februarii Mantua egreditur, ac in Monasterio S. Salvi prope Florentiam advenit, ubi Capitanei partis Guelphæ album equum serico rubro tegmine coopertum cum frænis auro argentoque lucentibus obtulerunt. Hinc ad S. Gallum obviam habuit delectos Reipublicæ Florentiæ Primates &c.* Ornatu rubri coloris tectum fuisse equum, quo summi olim Pontifices ad Lateranum deducebantur, Romani Ordines referunt, quos in suo Museo Italico Tomo II. Clarissimus Mabillonius descripsit. Sed hæc prærogativa est Summi Pontificis, ceteri enim Episcopi primum violacei coloris stragula, tum vero, ubi Pontificalibus induti sunt vestibus, coloris albi utentur, uti in nostro hoc §. præscribitur, & in Cæremoniali Ambrosiano, ac in Vita S. Caroli habetur, quorum loca supra attulimus, nisi tamen Episcopus sit Cardinalis, qui etiam rubei coloris stragula utetur, ut ex eodem Cæremoniali addiscimus.

XV. Id enim privilegii habuere Cardinales a Paulo Papa II. qui, ut Augustinus Patricius in suo Cæremoniali Lib. III. Sectione III. Cap. V. ait: *instituit, quod Cardinales bireto rubro uterentur, & super equis, sive mulis, rubris stratoriis*. Ante Paulum II. equorum ornamenta, quibus Cardinales insidebant, fuisse albi coloris, docet nos Epistola Cardinalis Pilei de Prata Archiepiscopi Ravennatis ad Ludovicum Flandriæ Comitem die XV. Decembris data Tomo IV. Spicilegii Dacheriani Pag. 306. ubi describens pompam coronationis Urbani VI. ejusque ad Lateranum processus, qui accidit anno MCCCLXXVIII. sic inter alia inquit: *Eum coronatum Pontificalibus indutum ipsi Do-*



Digitized by Google

*Domini Cardinales Pontificaliter induti cum equis albo panno coopertis .... conduxerunt*. Erat enim is ritus præscriptus ab Ordinibus antiquis Romanis, inter quos decimus quartus auctore Gaetano, Cap. xxxv. de ornatu equorum Cardinalium, & Prælatorum in ea processione loquens, ita inquit: *Quilibet Cardinalis, & Prælatus cum omni ornatu equitabit equum coopertum panno albo*.

XVI. Servandam vero esse eam consuetudinem, ut cum novus Episcopus solemni processione, ac pompa prima vice Civitatem suam ingreditur, Priores, Antiani, vel Consules mulam ejus, vel equum cordulis ad frænum alligatis pedites ipsi deducant, decidit jam Sacra Rituum Congregatio die II. Martii anni MDCXIII. in Terraconen. sequenti Decreto: *Narratum est, solitum esse in primo ingressu Archiepiscopi Terraconen. Civitatis, Consules ejusdem Civitatis pedites, quasi in subjectionis, & obsequii signum, equum, seu mulam, in qua sedet Archiepiscopus, cordulis ad frenum alligatis manu deducant, & ut ipse Archiepiscopus cum sua Cruce more Archiepiscopali in Civitatem ingrediatur, quod obsequium licet tribus Archiepiscopis proxime præteritis præstitum sit, moderno nunc præstare dicti Consules recusant eo sub prætextu, quod olim bonæ memoriæ Eminentissimus D. Cardinalis Servant ejusdem Civitatis Archiepiscopus, qui non tanquam Archiepiscopus, sed potius tanquam Cardinalis in dictam Civitatem ingressus fuit, ex quo solo actu, licet consuetudo sit in contrarium, Consules prædicti prætendunt, ut modernus Archiepiscopus nunc eodem modo in Civitatem prædictam sine Cruce ingrediatur, prout ingressus fuit dictus Cardinalis Servant, vel si Crucem deferre voluerit, prætendunt, ut is, qui Crucem portat, pedes, sicut ipsi Consules, incedere debeat, & quatenus equitare voluerit, tam longe a persona Archiepiscopi distet, ut non dignoscatur; Crucem illam esse signum Archiepiscopi, & jurisdictionis, quod an conveniat, & in quo loco Crux Archiepiscopalis deferenda sit, in dicto primo ingressu, modernus Terraconensis Archiepiscopus a Sacra Rituum Congregatione declarari petiit, quæ quidem Sacra Rituum Congregatio consuetudinem servandam esse respondit, cum sit conformis Regulæ Libri Cæremonialis in Capite*, De primo ingressu Episcopi, vel Archiepiscopi ad suam Diœcesim, vel Provinciam, *Crucem vero deferendam ab aliquo Archiepiscopi Capellano equitante immediate ante personam Archiepiscopi, inter quam, & Archiepiscopum nullus omnino esse debet, nisi solæ Dignitates, & Canonici Ecclesiæ Metropolitanæ, quatenus Archiepiscopo obviam veniant, juxta formam dicti Libri Cæremonialis, quam omnino esse servandam in casu proposito eadem Sacra Congregatio censuit, & declaravit die II. Martii MDCXIII.*

XVII. Affert hoc Decretum in suo Lyceo Ecclesiastico Cap. II. §. IV. Num. III. Julius Cæsar Ricciardellus, mirumque videri possit, quod Hispani Consules Terraconenses illud obsequium Archiepiscopo suo præstare dedignarentur, cum alias ipsi olim Reges habenas equi, quem conscendebant Episcopi, manu tenerent, ut docet Thomassinus Parte II. *Disciplinæ*, Libro III. Cap. LXIII. & alibi. Porro vel ante annum Christi millesimum, ea multis in Ecclesiis invaluit consuetudo, ut recens consecrati Episcopi cum primum accederent ad matricem, seu Cathedralem Ecclesiam, nobiliorum virorum humeris deportarentur, uti patet ex historia Episcoporum Antissiodorensium Cap. XXII. ubi Germanus delatus dicitur, *humeris Religiosorum ad aulam primicerii Martyrum Christi Stephani*. In eadem historia Cap. L. de Heriberto, qui DCC. circiter ab hinc annis floruit, dicitur, quod *in die ordinationis suæ secundum Ecclesiasticam consuetudinem Cathedræ innixus Episcopali ad sancti Protodiaconi matrem sedem nobilium humeris deportatus est*. Quinam essent illi nobiles, discimus plane ex Cap. LXVII. nempe, *Comes Antissiodorensis, Baro de Donazio, Dominus de Thocejo, Dominus de S. Verano in Pusain*.

XVIII. Hunc eundem ritum in omnibus passim Galliarum Ecclesiis viguisse, patet ex gestis Guillelmi Majoris Andegavensis Episcopi, ex Metropoli Turonensi Joannis Maan, ex historia Ecclesiæ B. Mariæ Carnotensis auctore Sebastiano Rovillard, aliisque; vigetque etiam nunc in Aurelianensi, ut testatur Edmundus Martene Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. VIII. Articulo X. Num. XIX. ubi etiam ex antiquo Rituali Svessionensi ordinem ad suscipiendum novum Pontificem scribit, in quo inter alia legitur, quod *elevatur Episcopus cum Cathedra, ut ad majorem Ecclesiam deferatur a quatuor casatis majoribus, Comite videlicet Svessionensi, Domino Petrefontis, Domino Montis Mirelli, Domino Basochæ, Clero pompatice præcedente &c.* Hujusmodi exemplis plenæ sunt Ecclesiasticæ Historiæ.

## §. IV.

Ordo autem procedendi erit. Equitabunt primo Cives omnes, deinde Familiares Episcopi, tum Magistratus, & Officiales Civitatis, Barones, & Principes, si qui aderunt; mox Clerus omnis pedibus incedens, præcedente sua Cruce, quem Cantores subsequentur, cantantes ut in Pontificali Romano. Post hos Canonici, & Capitulum Ecclesiæ, &, si fuerit Archiepiscopus, antecedat Crux Archiepiscopalis, inter quam, & Archiepiscopum nemo erit, nisi Dignitates, & Canonici. Demum Archiepiscopus, seu Episcopus Mitratus equitabit sub Baldachino, quod portabitur primo loco per Magistratum Civitatis, deinde per nobiles Cives usque ad Ecclesiam,

Digitized by Google

ſiam; ſive per eos, quibus ex conſuetudine, vel ex privilegio id convenit. Ipſe Epiſcopus memor erit populo manu dextera aperta, & extenſa frequenter benedicere, ſignum Crucis faciens. Poſt Epiſcopum equitabunt Prælati ſiqui erunt, & reliqui Togati.

## COMMENTARIUS.

I. RItum eſſe antiquum, ut ſolemni cum proceſſione tum Clericorum, tum Religioſorum, Laicorum etiam, feminarum, ac parvulorum, Epiſcopi, præſertim cum primum ad Civitates ſuas pervenirent, exciperentur, jam ſuperius abunde demonſtratum eſt: quo autem ordine olim procederetur, nihil certi definire auſim ob variam variarum Eccleſiarum conſuetudinem. Certe ubi Martinus Papa V. ſolemni cum pompa ingreſſurus erat Florentiam, teſte Contelorio, qui ipſius Pontificis itinera deſcripſit, ac præſertim pompam, qua in ipſa Civitate exceptus fuit, *præcedebat Civitatis Clerus ſolemni cultu Reliquias deferens, ſubſequebantur cives, Equites, Judices, cæteraque nobilitas: hinc Crux Pontificia, & Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum deferebatur. Poſt Cardinales Pontifex medius inter Cives nobilitate præſtantes ætate fervidos, inceſſu graves, vultu decoros, veſtitu ſplendidos, capite laureatos, olivam manu deferentes equitabat*. Olivarum ramos in ſolemni Pontificum ingreſſu ad aliquam Civitatem adhiberi olim ſolitos, jam ſupra non uno in loco a nobis fuit oſtenſum ex variis Auctoribus, & ſolidis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumentis.

II. Porro longe diverſus ab eo huc uſque deſcripto eſt ordo procedendi in hoc §. noſtro præſcriptus: *Equitabunt*, inquit, *primo Cives omnes*; ii ſcilicet qui volunt, ſeu debent juxta varium locorum morem, ac conſuetudinem, quæ in hujuſmodi præſertim functionibus ſemper eſt attendenda: *Deinde Familiares Epiſcopi, tum Magiſtratus, & Officiales Civitatis, Barones, & Principes ſiqui aderunt*; & ſi ſcilicet ita illis collibuerit, niſi ad equitandum antiqua Civitatis ſuæ conſuetudine teneantur: *mox Clerus omnis pedibus incedens, præcedente ſua Cruce*: Clerus ſcilicet primum Regularis, ſi ea eſt loci conſuetudo, tum deinde ſecularis. Receptum enim communiter eſt, non debere in Proceſſionibus Regulares miſtim incedere cum Clericis ſecularibus, ſed diſtincte, ac ſeorſim, prius nempe Regulares, ac deinde ſeculares, uti dictum eſt, docentque paſſim Canonici Juriſconſulti, inter quos Barboſa, *De officio & poteſtate Epiſcopi*, Allegatione LXXVIII. Num. XXXV. & in Tractatu, *De Canonicis*, Cap. XVI. Num. XXXIX. Sperellus Deciſione CLXXIX. Num. XIX. & ſeqq. Tomo II. & luculenter Rota in Oppiden. Proceſſionum XVIII. Maji MDCXLVI. coram Veroſpio impreſſa apud Pignatellum Conſultatione XXVI. Tomo IV. in qua Deciſione fuit reprobata tranſactio inita cum Clero loci Terræ Novæ, ac Monachis Cœleſtinis, ſuper modo incedendi in Proceſſionibus, in qua conventum fuerat, ut Clericus ſecularis incederet a dextris, Monachus vero a ſiniſtris ejuſdem Presbyteri, & hoc non ſolum, quia Clericorum cœtus uti dignitate præſtantior, ac tempore antiquior Ordine Monachorum in publicis actibus, & Eccleſiaſticis functionibus illum præcedere debet, Can. *Legi* XXXVI. Can. *Aliarum* CVI. Quæſtione I. Gloſſa in Cap. *Religioſo* XXI. *De ſententia excommunicationis*, Rota Deciſione CCXIV. Num. IV. Parte IV. Tomo I. cum aliis in dicta Oppiden. Proceſſionum §. I. verum etiam quia miſtus inceſſus, ſeu ſeſſio perſonarum diverſæ profeſſionis, & habitus reprobatur a jure, ut præter adducta in laudata Oppiden. Textus eſt in Clementina I. *De electione*.

III. Hæc itaque eſt regula præcedentiæ in Proceſſionibus Eccleſiaſticis, in quibus uterque Clerus, vel alter etiam ex eis intervenit, ut minus digni antecedant, & digniores ſubſequantur, neque ſufficit ad tribuendam debitam præcedentiam corpori dignori, ſi illi de corpore magis digno incedant a dextris, illi vero de corpore minus digno a ſiniſtris, ut pluries declaravit Sacra Rituum Congregatio teſte Thomaſio, Tractatuum variorum Tit. *De præcedentia*, Num. CDXXVIII. & Joanne Jacobo Scarſantonio in ſuis ad Ceccoperium animadverſionibus Lib. I. Tit. XVI. ubi alios citat, egregieque quæſtionem hanc explanat. Ratio autem eſt, quia æqualis inceſſus in eadem ſcilicet linea arguit æqualitatem dignitatis, ex Geminiano in Cap. *Ut Apoſtolicæ*, Num. II. *De privilegiis*, in VI. Gratiano Deciſione CCL. Num. L. & Rota Deciſione DCVII. Num. XII. & ſeqq. coram Merlino. Quod ſane non debet admitti quando concurrit Clerus ſecularis, & Regularis, ſed ad hoc ut ſecularis utpote dignior ſuam habeat præeminentiam ſuper Regularem, neceſſe eſt, ut iſte progrediatur, & ille ſubſequatur, cum talis modus procedendi, vel ſedendi in eminentiori ſede ſolum arguat præcedentiam ex traditis per Caſſaneum in Catalogo Gloriæ Mundi Conſideratione XII. Parte I. Et licet reguletur etiam præcedentia tribuendo digniori latus dexterum, & minus digno latus ſiniſtrum, hoc ſolum attenditur, & procedere poteſt, quando agitur de præcedentia inter perſonas particulares, vel inter membra alicujus corporis, non autem quando agitur de regulanda præcedentia inter perſonas duorum, vel plurium corporum, quo caſu non ſufficit, quod perſonæ de corpore magis digno tribuatur manus dextera, ſed neceſſe eſt, quod omnes perſonæ de corpore digniori ſine ſciſſione, aut diviſione, & miſtione extraneorum præcedant perſonas de corpore minus digno. Rota coram Coccino Deciſione MCMXXIII.

IV. Longum eſſet, ſi in hoc Commentario luberet innumeras pene quæſtiones diſſolvere, quæ Præcedentiam ſpectant, conſulendi plane ſunt, qui

qui peculiares Tractatus de ea edidere; nonnulla nos recensuimus, quod ferre minime valeamus, quod in quibusdam locis Regni Neapolitani, & aliarum etiam Italiæ Provinciarum, is hodieque vigeat abusus, ut ad tollendas lites, quæ ex præcedentia oriri possunt, Religiosi unius Ordinis, cum alterius Ordinis Religiosis in pari linea incedant. Sunt qui hunc morem laudant, quem tamen ego abusum atque corruptelam dixerim, utpote redolentem speciem quandam monstruositatis, admittendo confusionem personarum habitu difformium; ridiculum enim est videre in pari linea binos procedere in sacris Processionibus Dominicanos, & Capuccinos, vel alios Ordinis Minorum S. Francisci, sive de Observantia, sive Conventualium. Sane in Patria mea quæ est Paula in Provincia citerioris Calabriæ, Dominicani sacris Processionibus minime intersunt, quod Fratres Eremitarum S. Augustini diu ante ipsos in prædicta Civitate fundati cedere eis locum nolint; licet enim de jure præcedentia ad Dominicanos spectaret, quod eorum Ordo prius probatus fuerit a Summis Pontificibus, quam Ordo Eremitarum S. Augustini; cum tamen hodie recentioribus Romanorum Pontificum Constitutionibus præcedentia reguletur ex prioritate fundationis Monasteriorum, non vero institutionis, vel approbationis Ordinum Religiosorum, hinc multis in locis, Fratres Minimi, & Capuccini præcedentiam habent super alios antiquiores Religiosos, Dominicanos scilicet, & Conventuales, quia scilicet illorum Monasteria prius fundata fuere.

V. Sed ut ordinem nostræ Rubricæ prosequamur, Clerus omnis pedibus debet incedere, *præcedente sua Cruce*. Ritus præferendæ Crucis in Processionibus Ecclesiasticis est plane antiquissimus, de eoque jam alibi disseruimus. Quod Regulares Cruces suas deferre debent cum velo, seu pallio appenso, non autem discooperta, ut Crux sua a Clero Seculari defertur, decisum est a Sacra Rituum Congregatione in Neapolitana die XIV. Januarii anni MDCXVII. ut inter alios testatur Gavantus in Rubricas Missalis Parte I. Tit. XIX. Num. III. ubi ait id fieri ad indicandam subjectionem, & inferioritatem Cleri secularis, eadem scilicet ratione, qua baculo Abbatiali appenditur velum, seu sudarium nodo ejusdem ad differentiam Baculi Episcopalis; quod notatur in Actis Ecclesiæ Mediolanensis, *De supellectile Ecclesiastica*, Lib. II. & mulieri datur velamen supra caput subjectionis indicium sub Viro, ut docet Apostolus in Epistola I. ad Corinthios, Cap. XI. Porro is ritus deferendi Crucem in Processione jam ante annum CCCXCVIII. teste Baronio ibidem, in usu fuit, & imago Christi terga debet vertere Clero sequenti, quasi Christus præire videatur; nisi sit Crux Archiepiscopalis, in qua imago Crucifixi respicit Archiepiscopum, ut non uno in loco, ac præsertim in hoc §. præscriptum est; quia scilicet *est insigne ipsius*, ut habetur infra Cap. XV. §. II. Id quod etiam procedit si inter Crucem, & Archiepiscopum incedant Canonici, uti scite notat Gavantus loco citato contra recentiores quosdam, qui distingunt in Cruce Archiepiscopali, quando immediate præcedit Archiepiscopum, & quando Canonici præcedunt eundem post ejus Crucem.

VI. Clerum omnem pedibus in ipsa processione incedentem præcedente sua Cruce ex nostra hac Rubrica *Cantores subsequentur*, *cantantes ut in Pontificali Romano*; nempe Parte III. in ordine ad recipiendum processionaliter Legatum, vel Prælatum, ubi hæc cantanda Antiphona tono II. præscribitur: *Sacerdos & Pontifex, & virtutum opifex, Pastor bone in populo sic placuisti Domino*. Vel hoc Responsorium tono VIII. cantandum: *Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo. * Ideo jurejurando fecit illum crescere in plebem suam. ℣. Benedictionem omnium gentium dedit illi, & testamentum suum confirmavit super caput ejus. * Ideo. Gloria Patri *. Ideo.* Hæc sunt quæ Romanum Pontificale in ipsa processione a Cantoribus canenda præscribit, tametsi Castaldus in sua Cæremoniarum Praxi Lib. I. Sectione X. Cap. VII. Num. X. Romanum citans Pontificale cantandas inquiat *Antiphonas*, *Psalmos*, *& Hymnos*; cum alias cuique legenti pateat, nullam in ipso Romano Pontificali fieri mentionem Psalmorum, & Hymnorum. Non negaverim tamen, quin ritus sit antiquus excipiendi Episcopum cum Psalmodia, & Canticis, uti constat ex Vita S. Porphyrii, quem Constantinopoli reducem Cives Majumæ, & Gazenses, teste ejus vitæ Auctore Marco Diacono, apud Surium die XXVI. Februarii, *exceperunt cum Psalmodia*. Porro Cardinalis de Aragonia in Alexandri Papæ III. Vita de tertio ejusdem Romam reditu loquens, ait, quod *exierunt obviam sibi in longum Clerus Romanus cum vexillis, & Cruçibus..... Senatores, & Magistratus cum concrepantibus tubis, nobiles cum militia in apparatu decoro, & pedestris populositas cum ramis olivarum laudes Pontifici consuetas vociferans*. Videsis, quæ de hoc ritu diximus Tomo III. Romani Pontificalis ad Titulum XX. qui est ad recipiendum Processionaliter Prælatum, vel Legatum, in Commentario ad §. I. & duos sequentes.

VII. Cantores in prædicta processione sequuntur *Canonici*, *& Capitulum Ecclesiæ*, in habitu scilicet Canonicali, juxta ritum Ecclesiæ antiquum, cujus meminit Cardinalis de Aragonia in Vita Alexandri Papæ III. apud Clarissimum Muratorium Tomo III. *Rerum Italicarum*, Pagina 457. ubi ait totius Urbis Clerum *de more* solemniter fuisse indutum, quum ipsum Pontificem e Galliis Romam redeuntem cum omni gaudio, & lætitia excepit. *Et si fuerit Archiepiscopus*, sive etiam Episcopus, qui præferendæ sibi Crucis privilegio gaudeat, *antecedet Crux Archiepiscopalis, inter quam, & Archiepiscopum nemo erit, nisi Dignitates, & Canonici*. Plura de Cruce Archiepiscopali diximus jam Tomo I. Romani Pontificalis ad Titulum XIV. *De Pallio*, in Commentario ad §. VIII. Demum ut noster is inquit §.: *Archiepiscopus, seu Episcopus Mitratus equitabit sub Baldachino, quod portabitur primo loco per Magistratum Civitatis, deinde per nobiles Cives usque ad*

Digitized by Google

*ad Ecclesiam, sive per eos, quibus ex consuetudine vel ex privilegio convenit*. Concinit hisce Decretum sacræ Rituum Congregationis in Montis Pelusii die v. Julii MDCIII. cujus mentionem faciunt Joannes-Maria Novarius in Lucerna Regularium, verbo, *Baldachinum*, Num. III. Lezana Tomo III. sub eodem verbo, Barbosa in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. LIII. Num. IV. statuit namque, Baldachinum a propriis personis, quibus de jure, consuetudine, vel privilegio competit, non autem ab eorum substitutis esse deferendum.

VIII. De jure Magistratum Civitatis præferendum esse in deferendo Baldachini hastas Nobilibus in solemni novi Episcopi ingressu, & processione ad Ecclesiam, decisum jam fuit in sacro Neapolitano Consilio die XIX. Junii anni MDLXXXI. ut testatur doctissimus Vincentius de Franchis ejusdem sacri Consilii Consiliarius, ac Præses, Decisione CCLIII. ob eam scilicet rationem, quod Episcopus, qui sub Baldachino recipiendus est, ipsius est Civitatis Episcopus, & propterea per ipsam Civitatem recipi debet, quæ in spiritualibus eidem obedire tenetur, & cum Civitas per ipsum Magistratum, ejusque Officiales repræsentetur, secundum Glossam in Rubrica Codicis, *Quæ sit longa consuetudo*, merito per Magistratum recipiendus est, cui propterea omnis præeminentia tribuenda est, præcipue, quia Civitates reguntur per Officiales, & Electos Nobiles, ex quibus generaliter una cum popularibus Magistratibus componuntur, & consequenter tam Nobiles, quam populares absque eo quod nemo lædatur, specialiter sub nomine Magistratus hujusmodi honore fruuntur; & hæc præeminentia distribuitur, & singulis participatur per omnium tam Nobilium, quam etiam ceterorum de populo repræsentationem, quam Magistratus facit.

IX. Causam huic Decisioni dedit, quod cum in Civitate Castri maris de Stabia novus Episcopus esset recipiendus, contendebant Nobiles Civitatis prædictæ ad ipsos spectare Baldachini hastas deferre, tum quia in honoribus, ceteris paribus, ii præferuntur popularibus, §. I. & §. finali, in Auth. *De defensoribus Civitatum*, ubi Glossa in verbo, *Nobiliores*, & docet Tiraquellus in celebri Tractatu, *De nobilitate*, Cap. XX. in principio; tum quia in Festo sanctissimi Corporis Christi, & in diebus Jovis, & Veneris majoris Hebdomadæ Nobiles ipsi Baldachini hastas deferunt in vim Decreti sacri Consilii Neapolitani lati inter Clericos prædictæ Civitatis, & Nobiles super judicio intentato virtute Capitulorum Regni, ob eamque causam, si eo tempore eas deferunt, multo magis, ajebant, debere ipsos easdem deferre in ingressu Episcopi, argumento Authenticæ, *Multo magis*, Cod. *De sacrosanctis Ecclesiis*; tum denique, quod in Civitate Neapolis, quæ est caput Regni, cujusque exemplum aliæ Regni Civitates servare debent, hastas Baldachini in novi Archiepiscopi ingressu Nobiles Sedilis Capuani deferunt juxta Decretum in Regio Neapolitano Collaterali Consilio latum die X. Februarii anno MCDLIV. ut ait Aloysius Riccius in additione ad ipsam Decisionem CCLIII. Vincentii de Franchis.

X. Sed hæc minime obstant, nam primo Civitas repræsentatur per Syndicum, & Electos, & per Consilium, ex quibus una cum popularibus Magistratus componuntur, & consequenter tam Nobiles, quam populares sub nomine Magistratus hujusmodi honore fruuntur, uti superius dictum est. Quod autem secundo loco allegabatur de Decreto sacri Neapolitani Consilii, quo Nobiles Castri maris in Festo Corporis Christi, & in die Jovis, ac Veneris Hebdomadæ Sanctæ hastas Baldachini deferunt, nihil plane officit, tum quia Decretum ipsum loquitur tantum in diebus prædictis, & in eis est servandum, cum sit stricti juris, L. I. Cod. *Si plures una sententia &c.* tum quia fundatum est in consuetudine, quæ & ipsa stricti juris est, & non extenditur, L. I. §. *Siquis hoc*, ff. *De itinere actuque privato*, Felinus in Capite *Auditis*, *De præscriptionibus*, Num. V. & non extenditur de uno ad alium casum, secundum Glossam in L. I. Cod. *Quæ sit longa consuetudo*; tum demum quia in festivitatibus in Decreto contentis homines Civitatis deferunt hastas Baldachini, ut singuli, non autem ut repræsentantes Civitatem, & quando ut singuli, procedit dispositio Textus dicti §. I. & §. fin. in Auth. *De defensoribus Civitatum*.

XI. Ad exemplum, quod attinet Civitatis Neapolis, est illa particularis consuetudo, quæ in honorantiis, & prælationibus attenditur, ut dicit Baldus, in Cap. *Licet causam*, *De probationibus*, & Gratianus Disceptatione CVI. Num. VIII. Hinc, ut dictum est supra, in primo S. Caroli ingressu ad Urbem Mediolani, Confanoneriæ familiæ Nobiles rubeo, & splendido vestitu pedites eum cingebant, sericumque umbraculum itidem album sublime super eum ferebant. Est enim ejus familiæ jus, & privilegium, ut Auctor laudatus Vitæ S. Caroli tradit, & docet etiam Cæremoniale Ambrosianum Lib. I. Cap. I. ex cujus etiam præscripto quotquot viri in ea gente numerantur, ad Archiepiscopum novum deducendum accersuntur; nam singuli, ut testatur inter alios Doctissimus Muratorius Tomo V. *Antiquitatum medii ævi*, Dissertatione LXIII. Pag. 302. tunc rubris omnibus vestibus induti, tam Seculares, quam Ecclesiastici, pars equum Antistitis regunt, pars hastilia Umbellæ deferunt, quam & subinde lucrantur, reliqui vero præcedunt.

XII. Ut cæremoniæ istæ ab ipsa familia exhibeantur, edicit memoratum Cæremoniale Ambrosianum loco citato his verbis: *Octo ex Confanoneriis, pedites, induti, ut supra*, idest serico rubro, *Baldachinum sericeum album ex octo hastis inargentatis super Archiepiscopum deferunt capite aperto: reliqui vero Confanonerii pedites capite aperto inserviunt pro parafrenariis, ex quibus nonnulli prædicti equi frænum leniter ducunt. Ante omnes vero Confanonerios pedites præcedunt tres ex eadem familia in equis considentes, induti sericeis, videlicet Sacerdos medius cum vestibus talaribus, Miles a dextris, Jurisconsultus cum*

*Toga*

Digitized by Google

*Toga Doctorali a sinistris: ii autem sunt capite aperto, & omnes consueverunt esse circiter viginti quinque, sicque incedunt toto processionis cursu.* Fuit & aliis in locis hæc prærogativa deducendi novum Episcopum ad Cathedralem Ecclesiam certis quibusdam familiis data, quæ tamen vel extinctæ sunt, vel si vigent, aliqua ex causa, quam ignoro, prærogativam illam amiserunt, quam tamen, uti notatum est, adhuc post temporum, ac rerum vicissitudines nobilis familia Confanoneria Mediolani retinet.

XIII. Nobilem hanc Confanoneriam familiam Advocatiali quoque titulo, atque officio olim donatos, Mediolanensi Ecclesiæ suam operam præstitisse, cognomen ipsum indicare videtur. Nam, ut scitissime observat laudatus Muratorius loco citato, Confalonerios, sive Confanonerios, appellatos credere par est, quod Confanonem, hoc est, Vexillum Archiepiscopi antiquitus in bello, atque in solemnitatibus gestarent: quæ prærogativa, uti idem Auctor superius tradit, Advocatis Ecclesiarum deferri consuevit. Idem dicendum de Confaloneriis Ticinensibus, & Placentinis. Addubitari tamen potest, num eodem munere, quo nunc funguntur Confanonerii Mediolanenses, aliæ ante eos familiæ fungerentur, an vero & illis suus esset locus in famulitio Archiepiscopi, diversaque ratio officii. Sed de hac re legendus Muratorius citato loco, ubi varias conjecturas, ac vetera monumenta affert.

XIV. Sed ut ceteros nostræ Rubricæ Ritus persequamur, post Episcopum tandem equitabunt, Prælati siqui erunt, & reliqui Togati, ipse vero *Episcopus memor erit populo manu dextera aperta, & extensa frequenter benedicere, signum Crucis faciens.* De Episcopali benedictione non modo in Commentariis ad Romanum Pontificale disseruimus, sed & etiam infra dicemus. Certe ubi Alexander Papa III. tertio Romam rediit, testatur Cardinalis de Aragonia in ejus Vita apud Muratorium Tomo III. *Rerum Italicarum*, Pag. 457. quod *præ nimia multitudine ipsius vestigia deosculantium albus palafredus ambulare vix poterat, & sessoris dextera in dandis benedictionibus nimium laborabat*. In Concilio Ravennate anni MCCCXIV. Can. VI. statutum est, ut quoties Episcopi per Urbis vicos progrederentur, vel per rura incederent suæ Diœceseos campana præiret, qua monerentur omnes, ut adproperarent, genua flecterent, & Episcopali benedictione donarentur: *Campanas pulsari faciant, ita quod populus audire possit, & exire, & genuflectere*. Hodie is servatur ritus, ut quum Episcopi per suam Diœcesim incedunt, cum proximi alicui sunt Ecclesiæ, hujus statim Campanæ pulsantur.

XV. Quantum olim Reges ab Episcopis benedici se averent, narrat Edinerus in Vita Sancti Anselmi Cantuariensis Antistitis, ubi ait, accersitum illum a Rege fuisse, antequam mare trajiceret, ut ei benedictionem impertiret: *Paucis diebus interpositis, mandatur ad curiam ire Anselmus, Regem mare transiturum sua benedictione prosequuturus.* Solemnis ea erat benedictio, cujus formam ritumque idem Scriptor depromit: Cum enim acriter altercati essent Rex, & Anselmus de Ecclesiæ libertatibus, Romam proficisci constituit Anselmus, percontatusque est Regem an benedici a se more solito abnueret; assentiente autem illo, ut sibi benediceret, S. Episcopus mox ei elata manu benedixit: *Ad dexteram Regis ex more assidens ait*: Ego Domine, ut disposui, vado, sed primo meam benedictionem vobis, si non abjicitis, dabo. *Quam cum ille se nolle abjicere responderet, conquiescentem Regem ad hoc levata dextera benedixit, sicque relicta Curia, Cantuariam venit.* Ubi nota obiter, morem jam olim fuisse, ut Episcopi ad dexteram Regis assiderent.

XVI. Ingratum forte Lectori non erit ex Cæremoniali Ambrosiano ordinem solemnis processionis accipere, qui in novi Mediolanensis Archiepiscopi ingressu summa cum pompa, majestate, atque equitatu fieri solet. Etenim ubi paratus ille Pontificalibus indumentis equum phaleratum, & stratum ascendit, interim Notarius Metropolitanæ Ecclesiæ accipit Crucem Archiepiscopalem, & equum ascendit, eam ante Archiepiscopum ferens, medius inter duos alios Officiales, quorum alter Lector videlicet a dextris, Mitram pretiosam, alter vero Mazaconicus a sinistris Baculum Pastoralem defert, ceteris omnibus equis insidentibus cum suo habitu chorali, & velum collo gestantibus, quos etiam præcedit familiaris Archiepiscopi, si sit Cardinalis, cum matia, & alii cum aliis insignibus Cardinalaribus, ut in ordine processionis infra dicetur. Atque ita statim octo ex Confanoneriis pedites induti vestibus rubris Baldachinum sericeum album deferunt capite aperto, uti superius dictum est.

XVII. Omnibus ita dispositis, processio Cleri, quæ tempore opportuno ab Ecclesia Metropolitana ad sanctum usque Eustorgium pervenerat, rursus ad eandem Metropolitanam regreditur. Chorus Metropolitanæ, postquam Archiepiscopum prædicta ratione dispositum respexerit, canit Psalmum: *Ecce Sacerdos &c.* ut in Pontificali. Et sequitur processio hoc ordine.

Muli cum sarcinis, & operimentis, quibus infixa sint insignia Archiepiscopi.

Insigne Mediolanensis sancti Ambrosii Patroni.

Duo sarcinarii, seu valisarii cum sarcinis insignibus Archiepiscopi ornatis.

Cives omnes, qui Archiepiscopo occurrerunt.

Familia Archiepiscopi, & Fori Archiepiscopalis in habitu itinerario.

Decuriones Civitatis, Comites, & Marchiones, aliique Nobiles.

Mula Pontificalis pannis violaceis strata, vel rubeis, si sit Cardinalis.

Tum pauperes S. Celsi, & S. Martini.

Confratriæ, & Scholæ Disciplinatorum.

Clerus universus tum Regularis, tum Secularis cum habitu chorali, Crucibusque suis ordinariis in processionibus solemnibus.

Veglones, & Vegloniss æ cum sua Cruce, Clerici omnium Collegiorum, & Seminarii, Capellani, Cantores, Parochi, Lectores, Mazaconici, & No-

Digitized by Google

Notarii duo prædicti Beneficiati, Crucem Archiepiscopalem, & Mitram deferentes. Duo Parafrenarii cum baculis cum insignibus Archiepiscopi depictis, si sit Cardinalis.

In reditu ad Metropolitanam Capitulum incedit post Crucem Archiepiscopalem, quod tamen adhibet Crucem pretiosam Capitularem dum ad portam Civitatis processerat, quam etiam osculandam præbuerat Archiepiscopo; & hæc reportatur ad Ecclesiam ab Ostiario.

Sequuntur igitur Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri cum Tunicellis, Dalmaticis, vel Planetis pretiosis pro distinctione præbendarum. Ad sinistram partem Capituli incedunt sex Tubicines Communitatis cum tubis argenteis.

Post Capitulum incedunt tres illi Nobiles Confanonerii, videlicet, Sacerdos, Miles, & Jurisconsultus, de quibus supra diximus. Magister Cæremoniarum Metropolitanæ equo insidet, & omnia disponit. Sequuntur alii Confanonerii prædicti pedites inservientes, ut supra. Ipsum autem Archiepiscopum sequitur Beneficiatus, qui Baculum pastoralem, ut supra, defert.

Tandem incedit Archiepiscopus indutus, ut supra, equo albo, & phalerato insidens, subtus Baldachinum a Confanoneriis prædictis delatum, & populo manu dextera aperta, & extensa frequenter benedicit, signum Crucis faciens.

Post Archiepiscopum sequitur Gubernator, si adest. Tum Episcopi, qui adsunt, in equis, vel mulis stragulo communi ornatis, Rocchetto, & Mantelleto induti, vel etiam Mozzeta supra Mantelletum, si ita annuerit Archiepiscopus. Pileo item utentur supra biretum. Prælati item in habitu suo, & Pileis, ut supra, similiter in equis.

Sequitur deinde Senatus, Magistratus, ac reliqui Togati omnes in equis.

Interim canuntur a Clero omnia, ut supra, pulsanturque omnes Campanæ Civitatis. Atque ita proceditur usque ad Atrium Ecclesiæ Metropolitanæ.

XVIII. Hactenus Cæremoniale Ambrosianum, cujus reliquum ritum in ea functione servandum infra opportuniori loco in calce sequentis Commentarii referemus. Placuit autem integrum ipsum ritum describere, quod in eo multa sint quæ & nostri Cæremonialis ritum illustrant, & Ecclesiæ Mediolanensis majestatem indicant; tum vero præsertim, quod Cæremoniale ipsum Ambrosianum, vel in insignibus publicis Bibliothecis Urbis desideretur, vixque illud repererim in Bibliotheca eruditissimi Patris Cajetani Merati Clerici Regularis.

## §. V.

Ante portam Ecclesiæ Episcopus descendet ex equo super tapete stratum ibidem extensum, & retenta Mitra capiet Asperforium de manu dignioris de Capitulo antedicti, ut supra induti, quo se, & alios asperget aqua benedicta, incipiendo a digniore: ac ministrante eodem, qui Asperforium, obtulit, naviculam, imponet in thuribulum, quod aliquis Acolythus tenet, thus cum benedictione; tum prædictus dignior ex Capitulo accipiens thuribulum de manu Acolyti, stans facta prius profunda capitis inclinatione ante Episcopum, thurificet illum stantem cum Mitra triplici ductu thuribuli; & præcedentibus Clero, Canonicis, & Dignitatibus, atque hymnum, *Te Deum laudamus &c.* cantantibus, ad Altare Sanctissimi Sacramenti, si est aliud ab Altari majori, consistet ibi Episcopus, & remoto tunc baldachino, deposita Mitra per aliquem Capellanum, aut Canonicum, si sit ante Sanctissimum Sacramentum, etiam clausum in tabernaculo, & facta genuflexione usque ad terram ante ipsum Sanctissimum Sacramentum, genuflectet, & iterum super pulvino ibidem parato in genuflexorio, & orabit; deinde surget, & facta iterum reverentia cum genuflexione Sanctissimo Sacramento, accipiet Mitram, & accedet ad Altare majus, ubi ante infimum gradum, deposita Mitra, faciet Cruci super Altare positæ reverentiam, caput profunde inclinando; deinde genuflectet super pulvino, & genuflexorio ibi parato, & orabit; & interim ille dignior, ut supra indutus, accedet ad Altare, & in cornu Epistolæ in anteriori parte super suppedaneum, stans quasi versus orantem Episcopum, finito hymno, *Te Deum laudamus &c.* cantabit ex libro super Altare posito Versiculum, *Protector noster &c.* & alia prout in Pontificali Romano. Post orationem Episcopus surget a Faldistorio, & facta Altari reverentia, accepta Mitra, ibit ad Sedem suam Pontificalem, in qua sedens recipiet omnes Dignitates, Canonicos, & alios de Capitulo ad osculandum manus, Cantoribus interim Antiphonam, vel Psalmum aliquem cantantibus, vel Organista Organum pulsante. Deinde accedet Episcopus ad Altare, quod, deposita Mitra ante infimum gradum, & facta iterum Cruci reverentia, in medio osculabitur, & cantata prius Antiphona sancti Tituli Ecclesiæ, cum suis Versiculo, & Responsorio a Choro, vel

Can-

Digitized by Google

Cantoribus, cantabit ipse in cornu Epistolæ orationem ejusdem Sancti; qua finita accipiet Mitram, ad medium Altaris revertetur, & dabit benedictionem solemnem cantando, prout inferius habetur, Cap. xxv. Lib. I. *De forma dandi benedictionem solemnem &c.* eo modo, quo datur in fine Missæ.



## COMMENTARIUS.

I. UBi tandem Episcopus ad portam Ecclesiæ pervenit, ait is §. noster, quod *descendet ex equo super tapete stratum ibidem extensum, & retenta Mitra capiet aspersorium de manu dignioris de Capitulo antedicti ut supra induti*, Pluviali scilicet albo, & detecto capite, uti edicitur in Pontificali Romano, Parte III. in ordine ad recipiendum processionaliter Prælatum &c. *quo se & alios aspergat aqua benedicta, incipiendo a digniore*. Unum est, in quo nostra hæc Cæremonialis Rubrica a Pontificali discrepat, ex cujus præscripto Aspersorium quidem offertur Prælato, seu Legato, qui excipitur, postquam ingressus est portam Ecclesiæ, *Cum Prælatus*, inquit, *seu Legatus descenderit, & intrat portam majoris seu principalis Ecclesiæ, Prælatus Ecclesiæ, seu majorem dignitatem habens..... offert illi aspersorium cum aqua benedicta &c.* Ex nostra autem Rubrica aperte constat, eam functionem faciendam esse ante portam Ecclesiæ. Quicquid sit, discrepantia est levis momenti, servarique potest & in hac re peculiarium Ecclesiarum consuetudo.

II. Ad ritum aquæ benedictæ quod attinet, cautum est ex ms. Vaticano Gulielmi Durandi Codice Pontificali, ut postquam Prælatus, vel Legatus qui excipitur, genuflexus osculatus est Crucem, seu Sanctorum Reliquias, tunc surgat, eique a Prælato, vel eo absente, a Majore ipsius Ecclesiæ, ad quam Legatus, vel Prælatus pervenit, oblato hyssopo cum aqua benedicta, *se & circumstantes aspergat*. Ex pervetusto Svessionensi Codice Rituali tempore Nivelonis Episcopi exarato, quem in calce hujus Commentarii integrum referemus, aqua benedicta, sicut & Euangelii Codex in processione, quæ obviam ibat Episcopo ad Ecclesiam venienti, deferebatur, eaque ipse ab aliquo Episcoporum, qui forte a Provincia acciti processioni intererant, ad portam Civitatis aspergebatur, Subdiacono deinde aperiente ei Euangelium, quod mox osculabatur. Moris fuisse antiqui, ut Episcopis tanquam præconibus verbi Dei cum sacris Euangeliorum Codicibus occurreretur, jam nos abunde ostendimus Tomo III. Romani Pontificalis Tit. xx. in Commentario ad §. I. & duos sequentes.

III. Uterque ritus excipiendi Episcopum cum aqua scilicet benedicta, & Codice Sancti Euangelii constat quoque ex antiquis Farfensis Monasterii Consuetudinibus, ex quibus cautum est, ut statim ac in Monasterio fuerit nuntiatus Episcopi adventus, *annuat Prior, vel ille, qui ordinem tenuerit, fratribus si in claustro non loquitur, ut adunentur cuncti in Ecclesia, & revertantur in cappis omnes, & infantes in albis: deinde accipiant conversi aquam sanctam, Crucem,*

*duo*

Digitized by Google

*duo candelabra*, *& textus Euangelii*, *& eant cum silentio*, *dent ei aquam sanctam*, *&c.* Legere est hunc locum antiquarum Consuetudinum Monasterii Farfensis apud eruditum Edmundum Martene Lib. v. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. xv. Num. vi. Plura de antiquo benedictæ aquæ usu tum in Benedictionibus, tum in Processionibus Ecclesiasticis jam nos explicuimus in Commentariis ad Romanum Pontificale.

IV. Quod nostram Rubricam hanc spectat, describenda hic sunt varia Sacræ Rituum Congregationis Decreta, sed primo notandum est illud quod iterum, atque iterum Sacra ipsa Rituum Congregatio statuit, jus scilicet porrigendi, & dandi asperforium cum aqua benedicta Episcopo accedenti ad Cathedralem Ecclesiam privative in omnibus functionibus spectare ad primam Dignitatem, vel Canonicum digniorem de Capitulo ipsius Ecclesiæ Cathedralis, ut in Salamantina die xvi. Julii anni MDCV. in Sarzanensi xii. Martii anni MDCXII. in Arben. xx. Decembris anni MDCXXVIII. & in aliis plurimis. Porro debet quidem Canonicus primus Presbyter Episcopo asperforium cum aqua benedicta ministrare, si præbendæ scilicet sint distinctæ; si vero non sint distinctæ, tunc prima Dignitas, vel primus Canonicus in ordine id facere debet juxta Decretum memoratæ Sacræ Congregationis in Placentina die xix. Maji anni MDCVII.

V. Sed hæc aliaque multa quæ afferri possunt Decreta, locum habent, uti notatum est, ubi Episcopus ad Cathedralem Ecclesiam accedit, vel quando capitulariter, & cum indumentis Canonicalibus proceditur ad Ecclesias quascumque Diœcesis, ut eadem Sacra Rituum Congregatio decidit in Lauden. die xviii. Januarii MDCLIII. nam alias Episcopo ingredienti aliquam Ecclesiam suæ Diœceseos, licet associatus sit a Dignitatibus, & Canonicis suæ Cathedralis, debet porrigi ipsum asperforium a digniori illius Ecclesiæ, ad quam accedit Episcopus, non autem a Dignitatibus, & Canonicis Cathedralis eum associantibus, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis in Turritana die xiv. Januarii MDCXXXII. Rursus ingredienti Episcopo in Ecclesiam Religiosorum porrigendum est asperforium per digniorem illius Monasterii, non autem per aliquem e Canonicis, qui Episcopum associaverint, juxta aliud Decretum in una Civitatis Castelli die xiv. Junii anni MDCXLVI.

VI. Si veterem disciplinam spectemus, aquæ benedictæ asperfio non fuit jam primitus instituta, ut per eam honor alicui deferatur, uti constat ex precibus, quæ in ipsa benedictione aquæ recitari solent; verum receptus est hodie mos tametsi non ita antiquus, ut dum aliquibus cum aliqua prærogativa porrigitur, nota honoris sit, juribusque honorificis annumeretur. Abusus autem ille est, quod quidam, qui juribus ipsis honorificis gaudent, non contenti, si aqua benedicta separatim, & ante alios laicos cum quadam honoris nota aspergantur, renuunt ab ipso Sacerdote aspergi, voluntque omnino sibi aspergillum porrigi, ut ipsimet se ipsos aspergant. At vero cum ex antiquo usu aqua benedicta juxta Ecclesiæ præscriptum per asperfionem dari a Sacerdote consueverit, isque ritus in omnibus etiam Ritualibus libris sit probatus juxta illum Psalmi L. Versiculum, *Asperges me hyssopo*, *& mundabor &c.* quem etiam inter aspergendum decantari jubet Ecclesia, non immerito Episcopi quidam zelosiores se Patronis quibusdam Ecclesiarum, & Toparchis, Baronibusque opposuerunt, contendentes, Ecclesiam quidem honorifica jura non improbare, sed esse cum ea moderatione exhibenda, ut ritus, & cæremoniæ ab Ecclesia pie sanctæque instituti non evertantur.

VII. Hanc in deferendis juribus honorificis mentem Ecclesiæ pernoscens Camusius Episcopus Grationopolitanus in ordinationibus Synodalibus Tit. v. Articulo vi. interdixit omnibus Parochis, eorumque Vicariis dare aquam benedictam *ad manus laicis cujuscumque conditionis fuerint*, *ne quidem Ecclesiasticis*, *nisi Episcopis*; iisque injungit illam dare dumtaxat *per asperfionem etiam Toparchis locorum*, *quibus eam dabunt separatim*, *& eorum familiæ*, *cum fuerint in suis sedibus*, *aut scamnis*, *nec ante*, *nec post asperfionem*, *ullam faciant ipsis Toparchis inclinationem*. Teste Zegero Bernardo Vanespen Parte II. Juris Ecclesiastici Tit. xxv. Cap vii. cum in Diœcesi Mechlinensi idipsum quidam Toparchæ prætenderent, Alphonsus de Berghes Archiepiscopus Mechlinensis edito Decreto idem Parochis, aliisque Sacerdotibus injunxit; voluitque juxta præceptum Pontificalis, omnibus, excepto solo Episcopo, aquam benedictam per asperfionem dari. Imo cum quidam Toparcha non contentus prærogativa separatæ asperfionis, contenderet sibi porrigi aspergillum ad manum, ipsumque Parochum dare illum recusantem ad Parlamentum Parisiense evocaret, ubi intervenit Cleri Gallicani Syndicus, asseruitque quæstionem esse de Rituum, & Cæremoniarum observantia, ideoque remittendum esse Actorem ad Episcopum suum Ordinarium, qui erat Tolosanus; remissus illico fuit a Parlamento, eaque remissione sat ostendit Regius Senatus, se nolle Actorem in jure honorifico tueri cum immutatione Rituum Ecclesiasticorum, uti rem narrat laudatus Vanespen, & ante eum Carolus Fevretius Lib. iv. Cap. ix. Num. v.

VIII. Et sane cum hæc aquæ benedictæ asperfio sit quædam species benedictionis, superbiam profecto sapit, eam nolle Toparchas, Baronesque laicos accipere a Sacerdote, qui ad benedicendum ab Ecclesia specialiter ordinatus, & constitutus est, juxta illud Romani Pontificalis ad Titulum, *De ordinatione Presbyteri*, effatum: *Sacerdotem oportet offerre*, *benedicere &c.* Ceterum quia Episcopus in ordine Hierarchico est Presbytero superior, ipsamque plenitudinem Sacerdotii possidet, conveniens haud est, ut ipse a Presbytero benedicatur, quia juxta Apostolum in Epistola ad Hebræos Cap. vii. *sine ulla contradictione*, *quod minus est*, *a meliore benedicitur*. Atque ideo recte cautum est, ut Episcopus Ecclesiam in-

ingrediens, capiat aspersorium de manu dignioris de Capitulo, quo se, & alios aspergat aqua benedicta, incipiendo scilicet a digniore, ut ait hic §. noster.

IX. Ubi Episcopus accepto aspersorio, se, & alios asperſit, *ministrante eodem, qui aspersorium obtulit, naviculam, imponet in thuribulum, quod aliquis Acolythus tenet thus cum benedictione*; ut scilicet, *tum prædictus dignior ex Capitulo accipiens thuribulum de manu Acolythi*, sive de manu Sacerdotis, ut ait Romanum Pontificale, *stans, facta prius profunda capitis inclinatione ante Episcopum, thurificet illum stantem cum Mitra triplici ductu thuribuli*. Adhibitum jam primis Christi seculis fuisse etiam in Episcoporum adventu thuris suffitum, docet nos Epistola S. Cyrilli Alexandrini ad Clerum, & Populum suum Alexandrinum, ubi inter alia sic inquit: *Neque his contenti, nos quoque ubi primum ex Ecclesia egressi fuimus s cum facibus, & tædis, usque ad diversorium deduxerunt. Erat enim vespera: multa passim lætitia, multa etiam luminaria accensa, itaut nonnullæ quoque mulieres thuribula gestantes antecederent nos*. Ubi nota, una cum thuris suffitu adhibitas fuisse etiam faces in adventu Episcopi a populorum pietate. Id quod testatur etiam Cedrenus in Leone Armenio, ubi ait, quod cum Proconessum exilio deportaretur Nicephorus Constantinopolitanus, Monasterii magni agri Præfectus, eum navigio prætervehi sentiens, revelante Numine, eundem cum suffitu, & cereis, aliisque cæremoniis prosequutus est. Inter alia honoris indicia novo Episcopo exhibiti, cereos etiam fuisse adhibitos candelabris affixos, non obscure innuit Rituale antiquum Svessionense.

X. Constat & ex Ordinibus antiquis Romanis, & ex Vitis Romanorum Pontificum adhibita passim fuisse thuribula a Clericis Romanis in solemni ipsorum Pontificum deductione ad Lateranum. Certe de Innocentio III. ita ejus Acta referunt apud Virum Clarissimum Petrum Morettum, *De Presbyterio*, Parte III. Sectione IV. Num. XII. *Processit solemniter coronatus per Urbem a Basilica S. Petri usque ad Lateranense Palatium, comitante Præfecto, & Senatore, cum Magistratibus, & Nobilibus Urbis, multisque Capitaneis, & Consulibus, & Rectoribus Civitatum. Coronata est tota Civitas, & Clerus cum thuribulis, & incenso, populus autem cum palmis, & floribus, utrimque cum hymnis, & canticis &c.* Accidit id anno MCXCVIII. Festo die Cathedræ S. Petri; idemque ritus servatus etiam legitur in aliorum Pontificum processu ad ipsam Basilicam Lateranensem. Etenim, omissis aliis, de Bonifacio VIII. ita scribit in suo Poemate Cardinalis Cajetani, ubi Cleri obsequium erga ipsum Pontificem hisce versibus narrat.

*Occurrunt ad Festa viri vexilla ferentes*
*Ecclesiæ de sorte Dei, qui nomine Clerus*
*Dicitur, in partes varias redolentia thura*
*Obtulit, atque focis signatis, pectore formam*
*Accepit, psallente choro, dum flexilis unda*
*Arrigitur fumi, spiratque vaporibus aer.*

XI. Fuit mos itaque, ut non modo ubi perveniret ad Basilicam Pontifex thurificaretur, sed etiam per vias a Romanis Clericis, qui in occursum ipsius equitantis ruebant. Id quod etiam Cæremoniale vetus Romanum Gregorii Papæ X. præscribit Num. XI. apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici: *Omnes Ecclesiæ Urbis ei obviant honorifice cum processione, & veniunt omnes Clerici induti cum Crucibus, Vexillis, & Thuribulario, & capsa cum thure, & quælibet Ecclesia occurrit ipsi Papæ cum thuribulo, & ipsa capsa, & idem Dominus Papa de thure cum cochleari in thuribulo ponit, & illi Papam cum eo incensant, & faciunt ita omnes Ecclesiæ*. Ubi nota, positum fuisse thus in thuribulis a Pontifice, quem deinde per vias Clerici universarum Ecclesiarum Urbis thurificabant. Datum fuisse Clericis ipsis Presbyterium a Pontifice *pro thuribulis*, pro obsequio scilicet illi exhibito, non uno in loco Ordines antiqui Romani testantur. Vide & Ordinem Romanum XIV. Auctore Jacobo Gaetano, Cap. XXII. ubi inter alia ait, datas fuisse ipsis Clericis Romanis pro thuribulis tredecim libras, & dimidiam. Sed de hisce largitionibus legendus est egregius Tractatus, *De Presbyterio*, quem omnigena eruditione refertum doctissimus Moretus edidit.

XII. Suum etiam obsequium exhibuisse Papæ in ea processione ad Lateranum Fratres Ordinis Prædicatorum, eique solemniter indutos occurrisse *cum Cruce, incenso, & aqua benedicta*, atque illum processionaliter, ac reverenter, *Te Deum laudamus*, decantando, ad suam Ecclesiam recepisse, ubi præter alias cæremonias, a Pontifice, & solemnis benedictio dabatur, & Presbyterium, idest, quædam pecuniæ largitio, Cardinalibus, & Prælatis, qui illam in Mitra recipiebant, & deosculabantur genu Pontificis, docet nos laudatus Ordo Romanus XIV. Cap. XLI. eundemque ritum tradunt alii Ordines Romani posteriores, ac unus præsertim ms. Codex Membranaceus penes Virum Clarissimum Philippum Piersanctem Apostolicarum Cæremoniarum Magistrum, Sacrorum Rituum, & totius Ecclesiasticæ Antiquitatis studiosissimum indagatorem.

XIII. Una cum thure adhibitum quoque fuisse Euangelii Codicem, & aquam benedictam, ubi scilicet a Monachis Episcopus excipiebatur, tradunt antiquæ Farfensis Monasterii Consuetudines, quas affert Martenius in celebri Opere suo, *De antiquis Monachorum ritibus*; sed ut ritum nostrum magis magisque enarremus, de ipso thuris usu in adventu Epscopi celebre extat testimonium in ms. Pontificali Gulielmi Durandi, ubi ita præscriptum legimus: *Thus benedictum in thuribulo ponendum: quo facto idem Prælatus, vel Major Ecclesiæ incensat illum solum, & dat illi Euangelium ad osculandum*. Thurificandum tunc esse Episcopum cum triplici ductu expresse edicit hic §. noster; estque regula variis Sacræ Rituum Congregationis decisionibus probata, thurificationem scilicet cum triplici ductu thuribuli solum Episcopo convenire, ut in Entomilien. die XI. Decembris MDCIV. & in una Civitatis Ducalis XI. No-

Digitized by Google

Novembris MDCXIV. apud Barbosam, *De Canonicis*, Cap. XXXIV. Num. VI. ubi etiam Num. XXVIII. subdit, in absentia Episcopi thurificationem ipsam cum triplici ductu convenire Celebranti, probatque ex alio ejusdem Congregationis Decreto in Patavina plebis sacci IX. Maji MDCVI. Neque omittendum hic aliud Decretum in Oscen IV. Maji MDCXIII. quo edicitur, thurificationem non deberi Episcopo a Canonico genibus flexis, sed stante, facta scilicet prius & post profunda capitis inclinatione ab illo, qui thurificat, uti alibi dictum est. Ceterum quomodo thurificandus Episcopus sit, ubi adsunt Cardinales, & Legati a Latere, infra suo loco dicetur.

XIV. Mos etiam alicubi viget, ut novo Episcopo in limine Ecclesiæ claves argenteæ tradantur, uti addiscere licet ex Vita Beati Alexandri Saulii Alerienſis primum, ac deinde Papienſis Episcopi, in qua ejus Auctor Joannes-Augustinus Gallicius Lib. II. Cap. XXI. ubi solemnem ejus primi ingressus pompam in Ecclesiam Papiensem describit, inter alia inquit: *In limine Basilicæ oblatas a Præposito claves argenteas ditionis suæ sceptra capessivit*. Est ritus a Cæremoniali Romano acceptus, ex cujus præscripto novo Summo Pontifici Basilicæ Lateranensis possessionem capienti: *Prior Ecclesiæ Lateranensis genuflexus dat ferulam in manu in signum correctionis, & regiminis, & claves ipsius Basilicæ ac Palatii Lateranensis, in signum potestatis claudendi, & aperiendi, ligandi, atque solvendi*. Vide Ordinem Romanum XIV. Jacobi Gaetani Cap. XLV. & Augustinum Patricium Lib. I. Sectione II. Cap. III.

XV. Ad ritum nostrum quod spectat, cæremoniis superius explicatis peractis, & procedentibus Clero, Canonicis, & Dignitatibus, atque Hymnum, *Te Deum laudamus &c.* cantantibus, ad Altare Sanctissimi Sacramenti, si est aliud ab Altari majori, consistet ibi Episcopus, & remoto tunc Baldachino, & deposita Mitra per aliquem Capellanum, aut Canonicum, pro more scilicet Ecclesiarum, ac facta genuflexione usque ad terram, genuflectet iterum super pulvino ibidem parato in genuflexorio, & orabit. De Hymno, *Te Deum laudamus &c.* quem vulgo sancto Ambrosio, & sancto Augustino tribuunt, jam fuse diximus in nostris ad Pontificale Romanum Commentariis; consuevisse & illum cani, ubi novus excipiebatur Episcopus, docet nos Pontificale Gulielmi Durandi, Rituale antiquum Svessionense, Cæremoniale Ambrosianum, & alii tum prisci, tum recentiores Codices Pontificales, qui & eum ritum ab antiquis Ordinibus Romanis desumsere, inter quos Ordo XII. Auctore Cencio ejus Hymni non semel meminit decantari soliti in solemni inauguratione Summi Pontificis, præsertim, ubi Ecclesiam Lateranensem intraverat, uti ibidem videre est Num. LXXXIV.

XVI. Ejusdem meminit ritus Cæremoniale Gregorii X. Num. XI. ex cujus tamen præscripto, Ecclesiam ingresso Pontifice, coram ipso Cardinales Presbyteri in medio Ecclesiæ cantabant primum: *Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui*; quo cantato deducebatur ad Altare, ibique orabat, dum interim Canonici canebant, *Te Deum laudamus*. Ex Cæremoniali vero Augustini Patricii Lib. I. Sectione II. Cap. III. *Canonicis præcedentibus, & cantantibus*, Te Deum laudamus, *Pontifex cum Cardinalibus intrat Ecclesiam, & ante Altare majus supra faldistorium procumbens, aliquantulum orat &c.*

XVII. Ad genuflexorium qualificatum quod attinet, instructum scilicet pulvinaribus, & tapetibus, est jus honorificum, quo in Ecclesia sua proprius Episcopus gaudet. Nam alias Sacra Rituum Congregatio in Veliterna die VI. Septembris anno MDCXCVIII. qualificatum genuflexorium denegavit etiam Episcopo Titulari Suffraganeo Cardinalis Decani in eadem Civitate Veliterna, teste Monacello in Formulario Tomo II. Tit. III. Formula II. Num. XIII. ubi ait, quod disputato inter alia sequenti secundo Dubio, *An eidem Suffraganeo debeatur genuflexorium cum strato, & pulvinaribus ad orandum &c.* respondit illa: *Ad secundam in voto Magistri Cæremoniarum*. Votum autem referente laudato Monacello, Num. XIV. *erat negativum, nempe genuflexorium cum strato, & pulvinari non deberi Suffraganeo, sed pulvinar super genuflexorio nudo*.

XVIII. Non posse Episcopum sibi pulvinar, & pannum sternere, & sic orare in Ecclesiis alienæ Diœcesis, pluribus docet Pignattellus Tomo III. Consultatione LIII. quia scilicet ea honorificentia reservata est proprio Episcopo ratione suæ jurisdictionis, eamque ob causam declaratum sæpe fuisse ait a Sacra Rituum Congregatione, præsertim in Policastren. die XXI. Augusti anni MDCIV. *Episcopo extra suam Diœcesim, & in loco, in quo non habet jurisdictionem, non convenire ea quæ proprio Episcopo in sua Ecclesia, & Diœcesi debentur*. Sed celebre est Decretum illud, quod in re, de qua agimus, eadem Sacra Rituum Congregatio edidit in Jaden. die XIII. Octobris anni MDCCVIII. ubi ita inquit: *Episcopus in aliena Ecclesia non potest sibi pulvinar, & pannum coloris violacei sternere*. Competit ergo genuflexorium qualificatum, cum strato scilicet, & pulvinari Episcopo in Ecclesiis propriæ suæ Diœcesis, non vero alibi.

XIX. Facta oratione in ipso genuflexorio ante Altare, ubi extat Tabernaculum cum Sanctissimo Sacramento, surget Episcopus, & facta iterum genuflexione usque ad terram eidem Sanctissimo Sacramento, capiet Mitram, & procedet ad Altare Majus, ubi ante infimum gradum, deposita Mitra, ut supra, Cruci Altaris faciet reverentiam profundam; genuflectet deinde, & orabit super pulvino, & alio genuflexorio, ut mos est, ibidem parato; interim vero dignior ille, ut supra, indutus, accedit ad Altare, & in cornu Epistolæ in anteriori parte super suppedaneum, stans quasi versus orantem Episcopum, sed conversus paululum ad cornu Euangelii, ut notat Bauldryus, finito Hymno, *Te Deum*, detecto capite, cantabit ex libro super Altari posito, *Protector noster &c.* ut in Pontificali Romano, & in



Digitized by Google

Pontificali Gulielmi Durandi Codice, quem nos Tomo III. nostri Romani Pontificalis descripsimus ad calcem Tituli XX. qui est, *Ordo ad recipiendum processionaliter Prælatum, vel Legatum*, Pagina 215. & seq. itemque in Ordine Romano XII. cujus locum supra attulimus.

XX. Post orationem Episcopus surget, & facta Altari reverentia, sumta Mitra, ibit ad Sedem suam, ubi sedens recipiet omnes Dignitates, Canonicos, & alios de Capitulo ad osculum manus, Cantoribus interim Antiphonam, vel Psalmum aliquem cantantibus, vel Organista Organum pulsante. Esse autem antiquum morem, ac ritum, ut Episcopi, ubi primum ad Ecclesias suas consecrati accederent, Canonicos ad osculum reciperent, constat ex literis Innocentii Papæ III. ad Herveum Trecensem Episcopum relatis in Cap. *Dilecto* XXV. *De Præbendis, & Dignitatibus*, ubi sic inter alia scribit: *Tu quoque cum ad eandem accessisti Ecclesiam consecratus, dictum Cellerarium cum Canonicis aliis ad osculum recepisti, cum tamen tunc temporis nonnisi Canonici ad osculum admittantur*. De variis osculorum generibus agit in Commentariio laudati Capitis Emmanuel Gonzalez Num. VI. Non enim evidenter constat, quale fuerit osculum, cujus in eo Capite meminit memoratus Pontifex Innocentius.

XXI. Notandum tamen hoc loco quod ait Antonius Genuensis in Praxi Archiepiscopalis Curiæ Neapolitanæ, Cap. LXXXV. Num. XVII. solos nempe Canonicos debere Episcopum recipere ad osculum ex memorato Capite, *Dilecto*; cumque aliquando dubitatum fuisset, an etiam alii Beneficiati ad ipsum osculum deberent admitti in adventu scilicet Archiepiscopi Neapolitani, retulisse sibi Carolum Baldinum Archiepiscopum Surrentinum eo tempore Canonicum Ecclesiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ, hebdomadarios ipsos, sive Beneficiatos fuisse exclusos, & dictum, id tantum Canonicis competere, tanquam membris, & fratribus Episcopi. Porro etiam Papa S. R. E. Cardinales veluti Fratres, & tanquam sui corporis membra ad manus sub auriphrygio, ceteros vero Prælatos ad pedis osculum admittit, uti docet Augustinus Patricius Lib. I. Sectione II. Cap. III.

XXII. Peracta functione, qua Dignitates, & Canonici, & alii de Capitulo, ut hic §. noster ait, ad osculum manus novi Episcopi admittuntur; tradit Castaldus in sua Cæremoniarum Praxi Lib. I. Sectione X. Cap. VII. Num. XVII. quod si aliquis sermonem est habiturus de beneficio recepti Pastoris nomine Civitatis, atque Capituli, Episcopus ei gratias agens, breviter respondere poterit; & si placuerit, suggestum ascendens, gravi sermone populum de sua electione monebit, de pastorali cura, & de sollicitudine Episcopo necessaria, & quomodo tenetur Pastor bonus animam pro commisso sibi grege ponere, operam suam omnibus promittens, obedientiam exigens ab ipsis, quo ad viam salutis, & optatum portum cunctos dirigere possit, seipsum, & Ecclesiam eorum tandem orationibus commendans. Varia argumenta habendæ concionis in solemni receptione prima electi, & confirmati, vel consecrati Episcopi videri possunt apud Humbertum de Romanis, Lib. II. Tractatu II. *De modo promte cudendi sermones*, Cap. XXVI. Hoc Opus apprime utile, quod rarum factum esset, Notis illustratum, & ab innumeris pene erroribus, quibus scatebat, expurgatum, jam nos anno MDCCXXXIX. Romæ in lucem edidimus.

XXIII. Sermonem habitum in novi Episcopi receptione tradit Castellus de Castello in Chronico Bergomensi Guelpho-ghibellino ad annum MCDIII. apud Muratorium Tomo XVI. *Rerum Italicarum*, Pag. 935. ubi hæc habet: *Die Dominico dicti anni*, XI. *Martii Reverendissimus in Christo Pater, & Dominus, Dominus Frater Franciscus de Regatiis de Cremona ætatis annorum* XXVIII. *ut dicitur, & de Ordine Fratrum Minorum intravit in Urbe Bergamo honorifice equester pro Episcopo Bergomensi, & sociatus de toto Clero Bergomi, & aliis Nobilibus ejusdem in Ecclesia Domini S. Vincentii celebravit unam Missam tantum, & solummodo in verbis, propter brevitatem temporis; & sermocinatus fuit per Magistrum Sacræ Theologiæ licentiatum Dominum Fratrem Jacobum de Urio Ordinis Prædicatorum*. Ubi nota, non modo habitum sermonem, sed celebratam etiam fuisse *unam Missam tantum, & solummodo in verbis*: idest, Missam siccam, quæ caret consecratione, & sumtione Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, ideoque appellata etiam jejuna, de qua fuse agit doctissimus Meratus in suis additionibus ad Gavantum Parte I. Num. LXXX. editionis Romanæ Pag. 80. & 81.

XXIV. Celebre est & illud monumentum, quod de solemni cantata Missa, & habito sermone idem Chronicon Bergomense tradit ad annum MCDII. ubi describit solemnem ingressum Francisci de Sanctis Episcopi Bergomensis, apud laudatum Muratorium, Pag. 927. *Die Dominico*, inquit, XXII. dicti Novembris, *Reverendus Pater Dominus Franciscus de Landis de Pisis honorifice intravit Bergomum pro Episcopo, scilicet cum vestimentis ornatis, & debitis ad faciendam intratam, & cum Mitra in capite, & cum palliis super caput* (idest Baldachino) *signando, & cum toto Clero Bergomi, & cum tubis pulsantibus, eundo primitus ad Ecclesiam S. Vincentii, ubi cantata fuit una solemnis Missa ad Altare majus ipsius Ecclesiæ; & ibidem Dominus Reverendus Mamfredus fecit unum pulcrum sermonem in præsentia totius Cleri Bergomi, & quamplurium Nobilium de Suardis, de Coleonibus, & multorum aliorum popularium Bergomi*. Erat ritus in aliis etiam Ecclesiis servatus, ut tunc Missa etiam ab Episcopo celebraretur post exactas alias cæremonias in ea functione haberi solitas, & post decantatam Tertiam, ut docet Rituale Svessionense his verbis: *Deinde cantatur Tertia. Interim Episcopus præparet se ad Missam, quæ secundum casum diei cantatur*.

XXV. Finito sermone, siqui habitus fuit, vel ab Episcopo, vel ab aliquo Civitatis, vel Capituli nomine, uti dictum est, *accedet Episcopus ad Altare, quod, deposita Mitra ante infimum gra-*

Digitized by Google

*gradum*, *& facta iterum Cruci reverentia*, *illud in medio osculabitur*, *& cantata prius Antiphona sancti Tituli Ecclesiæ cum suo Versiculo*, *& Responsorio a Choro*, *vel Cantoribus*, *cantabit ipse in cornu Epistolæ stans orationem ejusdem sancti*: *qua finita*, *accipiet Mitram*, *& ad medium Altaris revertetur*, *& dabit benedictionem*, *prout inferius habetur Cap.* XXV. *Lib.* I. De forma dandi benedictionem &c. *eo modo*, *quo datur in fine Missæ.* Hactenus §. noster. Quantum autem ad ritum cantandi laudes in honorem Sanctorum Ecclesiæ Titularium, atque eorum, quorum Reliquiæ in Ecclesia quiescunt, celebre habemus testimonium in laudato Svessionensi Rituali. Quod autèm ad dandæ benedictionis pertinet ritum, quemadmodum & Indulgentiæ populo largiendæ, idem in Ordinibus antiquis Romanis occurrit, præsertim vero in XIV. Auctore Jacobo Gaetano, ut vel inde intelligas, quod iterum, atque iterum, sexcentiesque nos repetemus, Ritus pene omnes Pontificales, ac Cæremonias ab Ecclesia Romana fuisse acceptos, uti in decursu hujus Operis, ubi se se dabit occasio, luculentissime demonstrabimus.

XXVI. Quo ritu ac forma in suo primo ingressu ad Ecclesiam Cathedralem, danda est ab Episcopo benedictio, tradit nostrum Cæremoniale infra citato Cap. XXV. §. VII. ubi edicitur, simili modo, ac datur in fine Missæ, dandam tunc esse Episcopalem benedictionem per ea scilicet verba: *Sit nomen Domini benedictum*; & juxta ritum ibidem descriptum, in quem nos plura scitu digna notavimus. Plane hic non omittendum, quod de recens consecrato per Metropolitam, aut Patriarcham Episcopo scribit in Libro, *De sacris Ordinationibus*, Simeon Archiepiscopus Thessalonicensis: *Populus*, inquit, *accedens*, *atque etiam Clerici sacrati osculantur Ordinati manum*, *& benedicuntur*, *qui cum fide concurrunt*. *Cum enim sit recens ordinatus*, *totus est purgatus*, *atque illuminatus*, *gratiaque in hac nova consecratione abundantius ab iis suppeditatur*, *qui eam superne acceperunt*. *Neque etiam tunc benedicere prohibetur*, *licet alterius sit Urbis Episcopus*, *cum hujus rei ut recens ordinatus potestatem habeat*. Ubi nota, apud Græcos recens ordinatum Episcopum non modo in sua Ecclesia, sed etiam extra territorium suum populo ad ipsum confluenti, ex peculiari scilicet Græcæ Ecclesiæ ritu benedictionem impertiri. Ceterum quod ab hospite S. Epiphanio Salaminæ Episcopo, Hierosolymitanus, & quod a reduce post exilium S. Fulgentio Episcopo Ruspensi, ut in ejus Vita legitur, Cap. XXIX. Carthaginensis populus solemnem benedictionem petierit, adscribi debet admirandæ istorum Præsulum sanctimoniæ, tametsi Epiphanius non evaserit Joannis Hierosolymitani Episcopi invidiam.

XXVII. De impertienda Indulgentia post datam benedictionem in ipso primo novi Episcopi ingressu, tametsi in hoc præsenti §. nulla mentio fiat, diserte tamen & hoc cautum est ex memorato Cap. XXV. §. IX. his verbis: *In primo vero ingressu Episcopi*, *vel Archiepiscopi ad Civitatem*, *vel oppida suæ Diœcesis*, *aut Provinciæ publicatur*, Indulgentia scilicet quadraginta dierum, *per unum ex illorum Ministris*, *seu Beneficiatis Ecclesiæ*, *alta voce dicendo*: Reverendissimus in Christo Pater, & Dominus N. Dei, & Apostolicæ Sedis gratia hujus sanctæ N. Ecclesiæ Episcopus dat & concedit omnibus hic præsentibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ consueta. Rogate Deum pro felici statu Sanctissimi Domini nostri N. Divina providentia Papæ N. dominationis suæ Reverendissimæ, & sanctæ Matris Ecclesiæ.

XXVIII. Si vero Episcopus esset S. R. E. Cardinalis hanc aliam formam pronunciabit Minister ex ejusdem §. IX. præscripto: *Eminentissimus*, *& Reverendissimus in Christo Pater*, *& Dominus*, *Dominus N. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis N. & Episcopus N. dat & concedit omnibus hic præsentibus centum dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ consueta &c.* Ubi nota, quadraginta dies Indulgentiæ concedi ab Episcopo non Cardinali de jure communi, ut in Cap. *Cum ex eo* XIV. *De pœnitentiis*, *& remissionibus*; centum vero dies ab Episcopo, si sit S. R. E. Cardinalis, nisi plures dies, vel annos concedendi habeat facultatem a Summo Pontifice. Ipsi enim Summo Pontifici pleno, & perfecto absque limitatione humani juris largiri Indulgentias competit, cum ipse sit totius Ecclesiæ caput, ac proinde per universam Ecclesiam tanquam totam sibi subjectam, eas elargiri possit; ceteris autem Episcopis jure quidem divino non competit, nisi in subditos, idest particularem suam Ecclesiam, humano autem jure ad certum modum secundum limitationem Canonum, præsertim Canonis LXII. Concilii IV. Lateranensis sub Innocentio III.

XXIX. Licet autem certum sit, potestatem conferendi Indulgentiam ad eos tantum spectare, qui jurisdictionem habent Ecclesiasticam, nempe ad Summum Pontificem, & Episcopos, & ex privilegio, vel consuetudine etiam ad alios; quæri nihilominus posset, quænam jurisdictio requiratur. Nam Durandus ait requiri potestatem Ordinis, & Jurisdictionem in foro interiori, ac proinde solos Sacerdotes posse Indulgentiam conferre; quia, inquit, Indulgentia est absolutio a pœna remanente post absolutionem culpæ, ideoque eandem requirit potestatem, quam absolutio a culpa, videlicet potestatem Ordinis Sacerdotalis. Multa in eandem sententiam affert Joannes Wesselus, & inter alia argumenta, quod olim electus, & confirmatus Episcopus ante consecrationem non administrabat præsertim spiritualia.

XXX. Verum hæc sententia neque in Scholis, neque Ecclesiæ consuetudine recepta est; nam & electi Episcopi & confirmati, tametsi nondum ordinati; similiter & Legati Sedis Apostolicæ non presbyteri Indulgentias conferre solent. Unde patet ad conferendas Indulgentias, sicut ad excommunicandum necessario requiri jurisdictionem in foro exteriori, non autem necessario in foro interiori. Proinde poterit Papa, vel Episcopus Indulgentias concedere etiamsi nondum sit sacris Ordinibus insignitus, ut docet S. Thomas in IV. Sententiarum Distinctione XX. Quæstione I. Articulo

Digitized by Google

culo IV. Quæstiuncula II. eumque sequuntur Bellarminus, Estius, & alii omnes, qui etiam uno consensu docent, non posse Episcopum, nisi suis subditis Indulgentiam largiri ex Cap. *Quod autem, De pœnitentiis &c.* Plura de Episcopali benedictione dicemus infra Cap. IV. in Commentario ad §. I. itemque rursus & de Indulgentia longe fusius in Commentariis ad Caput XXV.

XXXI. Ceterum ubi Romanus Pontifex recens ordinatus possessionem solemni cum pompa capiebat Basilicæ Lateranensis, teste inter alios Romano Ordine XIV. Jacobi Gaetani, non modo benenedictionem per ea verba, *Sit nomen Domini benedictum*, & Indulgentiam populo largiri solitus fuit, sed & pecuniam multam, uti etiam superius notatum est; eamque munificentiam experiebantur etiam Prælati, & Cardinales, qui ad ipsum tandem sedentem in Sede accedentes, ab eodem & ipsi flexis genibus pecuniam accipiebant in Mitras: *Ipse Dominus Papa sedens in sede, & quilibet Cardinalis, & Prælatus extracta sibi Mitra, deferens eam in manu, vadit coram eo, & flexis genibus tenebit Mitram apertam ante Papam, qui ponit in illam pecuniam, quam præsentabit ei in uno bacili Camerarius, prout in libro Cameræ invenitur. Et illi qui recipiunt pecuniam in Mitra, deosculabuntur genu Domini Papæ*; uti laudatus Ordo inquit Cap. XLI. Ex Cæremoniali Augustini Patricii Lib. I. Sectione II. Cap. III. Cardinales quidem duos aureos, & duos grossos argenteos; Prælati vero unum aureum, & unum grossum accipiebant.

XXXII. Alieni omnino ab hac Romanorum Pontificum munificentia sunt hodie plerique Episcopi, qui vel in primo ad suam Diœcesim ingressu a subditis ipsi suis pecuniam accipiunt, quam vocant *subsidium charitativum*, cujus prætextu non semel etiam subditos ipsos durioribus exactionibus vexant; cum alias ex Decreto Sacræ Congregationis negotiis Episcoporum & Regularium præpositæ die XXIV. Maji anni MDLXXXIII. Subsidium charitativum non debeat excedere expensas factas in Bullis expediendis, uti videre est apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum, Collectan. DCXXXVII. Num. I. Laudandi sane Episcopi non pauci, quos novi, qui non sine Cleri, ac Populi ædificatione ab exigendo charitativo subsidio abstinuere; super omnes autem commendandus est zelus nostri Gulielmi Sirleti S. R. E. Cardinalis, quippe qui creatus anno MDLXVIII. Episcopus Scylacensis in Epistola pastorali, (*a*) quam ad Ecclesiam suam scripsit, inter alia protestatus

(*a*) Quis & qualis fuerit noster Cardinalis Sirletus suo tempore per antonomasiam, *Sapientissimus Calaber*, appellatus, ubi alia deessent elogia clarissimorum virorum, satis docet ejus marmoreum Epitaphium, quod legitur Romæ in Ecclesia S. Laurentii in Pane & Perna, ubi sepultus fuit. Est enim hujusmodi, ut ego hoc loco describo.

GVLIELMO. SIRLETO. CARDINALI. STILI. IN CALABRIA. NATO
HVIVS. ECCLESIAE. PRESB. S. SEDIS APOST. BIBLIOTHECARIO
HEBRAICAE. GRAECAE. LATINAEQ. LINGVAE PERITISSIMO
HVMANARVM. DIVINARVMQ. DISCIPLINARVM. SCIENTIA. CLARO
ERVDITORVM. ET PAVPERVM. PATRONO. AC PARENTI BENEFICENTISS.
OB PROBITATEM EIVS. PIETATEMQ. SINGVLAREM. A PIO IIII. PONT. MAX.
SACRO. INSTANTE. COLLEGIO. CARDINALI CREATO
VIXIT ANN. LXXI. OBIIT ANN. MDLXXXV.

Quod Epistolam spectat, quam ad Scylacenses Italice scripsit, dignam censuimus illam hoc loco describere; est enim pastorali zelo referta, & amore erga gregem suum. Hæc ejus verba: *Figli, e fratelli carissimi. La vostra lettera delli 23. di Giugno in risposta alla nostra, mi ha dato grandissima consolatione, e insieme animo di sperare sempre meglio delle RR. VV. che si hanno a portare in quel modo, che si conviene a buoni Sacerdoti, e Chierici, acciò li Laici possano regolare con la buona, e honesta vita vostra, tutte le attioni loro, pensando, che portandosi bene il Clero, può esser causa, che il popolo attenda alle opere virtuose, & alla salute: come per il contrario è ruina di molti coll'esempio, e vita mala. Sicchè le persone Clericali hanno a render conto a Dio Benedetto in due modi. Primo della loro vita mala: appresso dello scandalo, che danno col loro esempio pessimo. Sicchè mi rallegro di vedervi ben disposti a far quel che l'officio, e debito vostro richiede. Spero che la buona opinione, che havevo di voi, ogni dì si confermerà con li fatti. Quanto al costume, che dite, esser di dare il caritativo sussidio alli nuovi Prelati, e che per questo desiderate eseguire quanto vi sarà imposto, ringratio assai le RR. VV. dell'offerta, e prontezza di animo; e quanto a questa parte non voglio, che in alcun modo si parli, perche se a quella Chiesa* (loquitur de Ecclesia S. Marci in Calabria, ad quam a S. Pio V. anno MDLXVI. fuerat promotus, & a qua etiam oblatum sibi charitativum subsidium recusavit) *alla quale io ero forastiero, non ho voluto consentire, che mi dassero cosa alcuna, quanto meno devo patire, che la mia Madre non habbia a sentire gravezza della nostra promotione alla sua cura? Ho detto Madre, perche essendo nato io in Guardavalle, la quale, come minima parte della Diocesi di Squillace e mia Padria, e figliuola della detta Diocesi, ragionevolmente son anche io figliuolo. E perche è piaciuto al Signore, che da figliuolo sia fatto Padre, tanto più devo procurare la utiltà de' figliuoli, per far quel che dice l'Apostolo con queste parole*: Non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. *Desidero di guadagnar voi, non le cose vostre, per dir col medesimo Apostolo*: Non quæro, quæ vestra sunt, sed vos. *Prego la Majestà Divina, che mantenghi, che possa dire*: Ego autem libentissime impendam, & superimpendam ipse pro animabus vestris. *Il sussidio dunque caritativo sarà, che siate ubbedienti alli Canoni, e Decreti de' Sacri Concilj, e specialmente a quello di Trento, attendendo alla honestà Clericale, la quale non solo si mostra coll'habito conveniente, ma ancora colle parole, con l'atti, e gesti, e sopratutto con la vita buona, acciò li laici vedendo le nostre buone opere glorifichino il Signore. Mi persuado che in Squillace il Clero non sia come hoggidì in molti altri luoghi disordinato circa il mangiare, lussuriare, circa i giuochi, false comedie, & altre brutte usanze. Quando questo fosse, bisogna lasciare tutte queste dishonestà, e simili opere vane: perche altrimenti saremo sforzati metter mano alli rimedj, che sono necessarj, e pensiamo di dare ancor noi il caritativo sussidio per la salute dell'anime. Ma spero non bisognerà, essendo tanto ben disposte da se stesse le RR. VV. all'esecutione dell'officio loro, e la Misericordia divina le concederà che possano essere buoni figlioli, e a me buon Padre a lode e gloria sua, e salute nostra. Da Roma* 10. *Luglio* 1568. *Il vostro Vescovo, e Pastore. Il Cardinal Sirleto.*

Digitized by Google

ſtatus eſt, nolle ſe charitativum ſubſidium accipere, quod alias ultro Scylacenſes ei offerebant, quia ſcilicet, ut in ea Epiſtola pientiſſimus Præſul ex Apoſtolo inquit, *non debent filii parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis*; nec quærere debet Epiſcopus ea quæ ſua ſunt, ſed gregem ipſum juxta illud ejuſdem Apoſtoli effatum, qui ſacros Antiſtites docens, ait: *Non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos*. Celebrem hanc Sirleti Epiſtolam una cum aliis S. Caroli ad eum datis Epiſtolis noviſſime publica luce donavit conterraneus meus Vir clariſſimus Thomas Aceti in ſuis ad Gabrielem Barrium, *De antiquitate, & ſitu Calabriæ*, Annotationibus Pag. 258. & ſeqq.

## §. VI.

Deinde facta prius Cruci reverentia, aſſumta Mitra, ſi eſt Archiepiſcopus, vel alius Crucem ante ſe habens, & apud Sedem ſuam depoſitis paramentis, & aſſumta Cappa procedet ad locum ſuæ habitationis, quem dignior ille de Capitulo, dimiſſo Pluviali, & alii Canonici in habitu Canonicali comitentur, ſi habitatio erit contigua, vel vicina Eccleſiæ; ſi vero diſtantior, uſque ad portam ipſius Eccleſiæ. Quod ſi adeſſet aliquis magnus Princeps, qui vellet Epiſcopum uſque ad portam hoſpitii comitari, debebit Epiſcopus aliquantulum reſiſtere, non tamen hujuſmodi obſequium, & pietatis officium omnino recuſare, præſertim ſi habitationis locus non multum diſtet, ſed ei pro tali humanitate gratias agere.

## COMMENTARIUS.

I. DAta ſolemni benedictione, promulgatiſque Indulgentiis, ac facta debita Cruci reverentia, aſſumit mox Epiſcopus Mitram, quam una cum aliis ſacris veſtibus apud Sedem ſuam deponit; aſſumtaque Cappa, ac Bireto, & ſi eſt Archiepiſcopus, vel alius qui præferendæ ſibi Crucis privilegio gaudeat, Crucem ante ſe habens, procedet ad locum ſuæ habitationis; quem dignior ille de Capitulo, dimiſſo Pluviali, & alii Canonici in habitu Canonicali comitentur, ſi habitatio erit contigua, vel vicina Eccleſiæ; ſi vero diſtantior, uſque ad portam ipſius Eccleſiæ. Porro deberi eam Epiſcopo aſſociationem a Canonicis, etiamſi domus non ſit contigua Eccleſiæ, dummodo non multum diſtet, declaravit non ſemel Sacra Rituum Congregatio, nempe in Oſcen. die XVI. Maji MDCI. & in Colimbrien. VI. Julii MDCII. & etiamſi diſtet per ſpatium ſexaginta paſſuum, qui habentur pro modico ſpatio, ut eadem Congregatio cenſuit in Theatina XIV. Novembris MDCII. & in Tiphernaten. V. Julii MDCIII. imo etiamſi diſtet per ſpatium centum paſſuum, & per centum ſexaginta paſſuum ſpatium, ex ejuſdem Congregationis Decreto in Eluen. X. Januarii MDCIV. & in Terracinen. XX. Auguſti MDCXXII. ſi Palatium Epiſcopi ſit longe diſtans, tunc quidem debet Epiſcopus ab aliquo aſſociari ad hoc deputato prope Eccleſiam, vel ad atrium uſque, vel ſcalas ipſius Eccleſiæ, ut eadem Congregatio in dicta Oſcen. decidit, teſte Barboſa, *De Canonicis*, Cap. XXXII. & in Summa Apoſtolicarum Deciſionum Collectan. XCIX. ubi ipſa Sacræ Rituum Congregationis Decreta recenſet.

II. Præter Canonicos, qui uti dictum eſt, Epiſcopum ad habitationem ſuam Cappa indutum pergentem, comitari in habitu Canonicali debent, *ſi adeſſet aliquis magnus Princeps, qui vellet Epiſcopum uſque ad portam hoſpitii comitari, debebit Epiſcopus aliquantulum reſiſtere, non tamen hujuſmodi obſequii, & pietatis officium omnino recuſare, præſertim ſi habitationis locus non multum diſtet, ſed ei pro tali humanitate gratias agere*. Concinit his Cæremoniale Ambroſianum, ubi inter alios Ritus, quos ad ſequentis Commentarii calcem deſcribemus, ita inquit: *Tandem exutus in ſede paramentis, Cappam induit; quod faciunt pariter Canonici Ordinarii, & orat in faldiſtorio procumbens ante Altare, & cantantibus organis, præcedenteque Clero Metropolitanæ, & prædictis Confanonerii ſectantibus, procedit ad Archiepiſcopale palatium, exiens per portam majorem Eccleſiæ. Ubi ſi Gubernator, Senatus, & alii Nobiles voluerint ad Palatium uſque eum comitari, debebit Archiepiſcopus aliquantulum reſiſtere, non tamen hujuſmodi obſequii, & pietatis officium omnino recuſare; atque eis poſtea pro tali humanitate gratias aget*. Reverentiam Epiſcopo exhibendam ab ipſis Principibus, Regibuſque, atque Imperatoribus, docent paſſim Sacri Canones, Sancti Eccleſiæ Patres, atque innumera pene exempla piiſſimorum veterum Imperatorum, qui Epiſcopos ſummo honore proſequi conſuevere. S. Ignatius in Epiſtola VII. ad Smyrnenſes ait, nihil eſſe honorabilius Epiſcopo in Eccleſia, & primum honorem deberi Deo, ſecundum Epiſcopo, tertium Regi. Regibus quoque Epiſcopos anteferunt S. Gregorius Nazianzenus in Oratione ad Cives timore perculſos, S. Ambroſius, *De dignitate Sacerdotali*, Cap. II. S. Chryſoſtomus Libro III. *De Sacerdotio*, & Homilia IV. in Cap. VI. Iſaiæ; imo Homilia LXXXIII. in Matthæum etiam Diaconos anteponit Regibus. Addunt autem Epiſcopum tanto eſſe majorem Rege, quanto ſpiritus carne, cælum terra, aurum plumbo.

III. Multa ſcitu digna de honore Epiſcopis exhibendo, diximus jam in Commentario ad Canonem XIV. Concilii IV. Conſtantinopolitani, Oecume-

Digitized by Google

cumenici VIII. est sane celebris Canon XV. Concilii II. Matisconensis, anni DLXXXV. *Statuimus*, inquit, *ut siquis secularium quempiam Clericorum honoratorum in itinere obviam habuerit, usque ad inferiorem gradum honoris veneranter, sicut condecet Christianum, illi colla subdat, per cujus officia, & obsequia fidelissima Christianitatis jura promeruit. Et si quidem ille sæcularis equo vehitur, Clericusque similiter, secularis galerum de capite auferat, & Clerico sinceræ salutationis munus exhibeat. Si vero Clericus pedes graditur, & secularis vehitur equo sublimis, illico ad terram defluat, & debitum honorem prædicto Clerico sinceræ charitatis exhibeat, ut Deus, qui vera charitas est, in utrisque lætetur, & dilectioni suæ utrumque adsciscat.* Honorati Clerici in recitato Canone ii dicuntur, qui ad majores Episcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus Ordines promoti sunt, de quibus agunt Synodus Matisconensis I. anni DLXXXI. & Arvernensis. His porro honore n, & reverentiam deferri Matisconensis quidem Canon præcipit, non tam, ut inde Clerici superbiant, quam ut inde in Deum major gloria redundet.

IV. Longe ante hunc Canonem qualis fuerit Imperatoris Constantini erga Episcopos observantia, enarrat Eusebius Episcopus Cæsariensis in ejus Vita Lib. I. Cap. XXXV. his verbis: *Imperator Episcopos, licet homines fuerint ipsius formæ habitu ad speciem abjecti, ab eo tamen non ejus generis existimati sunt; sed quia non hominem, qui sub adspectum oculorum cadit, sed Deum ipsum, qui in eorum animis insidebat, considerare visus est, illos suæ mensæ effecit participes.* Quod ipsum in Ecclesiastica historia testatur Theodoretus Libro I. Cap. XI. Dignum notatu est quod de Theodosii Imperatoris obsequio erga S. Ambrosium Mediolanensium Episcopum scribit in ejus Vita Paulinus Presbyter: *Christianissimus Imperator provolutus pedibus Sacerdotis testabatur, meritis, & orationibus ejus se esse servatum.* Olim quod non solum Romano Pontifici, verum etiam ceteris Episcopis pedes pii fideles deoscularentur, docet nos S. Hieronymus, qui in Epistola ad Joannem Hierosolymæ Episcopum, de S. Epiphanio Episcopo, ita scribit: *Nonne ad eum omnis ætatis, & sexus turba confluebat pedes deosculans?* Fuit olim adeo familiare hoc obsequium Episcopis exhibitum, ut inter rationes, ex quibus Veronenses Ratherium Episcopum suum dicerent Episcopatu indignum, hæc etiam recensetur: *Pedem si vult aliquis osculari illius, cum magno eum repellit clamore.* Eo honore abusi aliquando Episcopi occasionem dedere Isidoro Pelusiotæ, ut Lib. V. Epistola LXXXIX. ad Eusebium Presbyterum scriberet: *Nimius Episcopis per Regum pietatem exhibitus honor enervat eos, deliciarumque, & epularum materiam suppeditat.*

V. Reliquum est, ut, quod superius polliciti sumus, describamus in calce hujus Commentarii ordinem suscipiendi novum Episcopum ex Rituali Svessionensi, & ex Cæremoniali Ambrosiano, sed lubet primum hic adnotare curiosum ritum & scitu dignum, qui antiquitus, & ad nostra fere tempora agebatur in Etruria, hoc est Florentiæ, & Pistorii; quum primum consecrati Episcopi ad possessionem Cathedræ suæ deducebantur. Ergo ubi novus Pistorii Episcopus Civitatem primum ingrediebatur, universo Clero, ac Populo stipatus solemni pompa ibat ad Templum Sanctimonialium Sancti Petri Majoris. Spectabatur ibi paratus dapsilis lectus, quem sedis loco petebat Antistes. Tum Abbatissa, quæ effracto claustri muro in sacram Ædem cum universis Monialibus prodierat, ad sinistram Episcopi & ipsa super lectum assidebat, exinde a Præsule ejusdem Abbatissæ digito annulus pretiosus inferebatur, desponsantis ad instar, & pastoralis etiam baculus dexteræ illius paulisper dimittebatur. Atque his peractis procedebat ad Cathedrale Templum Episcopus, Abbatissa regrediente cum suis Virginibus ad consueta penetralia Cœnobii. Constant hæc quidem ex Libro manu exarato, qui in Archivo Pistoriensis Episcopatus asservatur cum hoc Titulo: *Liber Collationum Beneficiorum Ser Donati de Politis, ab anno MDXLIV. ad MDLXXV.* ubi Pag. 323. cæremoniæ novo Episcopo adhibendæ narrantur, quasque ad calcem hujus paginæ in Nota (*a*) curiosus Lector ad sui eruditionem leget, quemadmodum etiam in alia Nota (*b*) ritum, qui Florentiæ servabatur, ubi novus itidem Epi-

(*a*) Verba quibus eæ cæremoniæ in ipso Libro referuntur, hæc sunt: *Giunto all'antiporto della Città il Vescovo, accompagnato da tutto il Clero Regolare, e Secolare, e da tutti i Magistrati, scavalca, & sopra un tapeto s'inginocchia, e adora la Croce, quale gli porge il Preposto della Cattedrale. E fatto questo, il Vescovo domanda, se v'è la famiglia de' Cellesi. E subito tutti i Cellesi, quali saranno ivi preparati, si fanno avanti, e posti ginocchioni, si levano in piedi; e quello, a cui è da loro ordinato, dice alcune parole, e gli baciano la mano. Dipoi rimonta sulla mula, e in mezzo a' Cellesi entra sotto il Baldacchino, e li giovani de' Cellesi vanno alla staffa, e seguita la processione dentro alla Città con li Priori, Magistrati, inverso San Pier Maggiore. Arrivato alle scalette della Chiesa, si cava i guanti di seta, e la mula co i guanti pigliano i giovani de' Cellesi deputati. Il Vescovo accompagnato da' Cellesi entra in San Pietro Maggiore, ove si pone a sedere nella sedia per lui preparata; e la Badessa, e le Monache vengono a baciargli la mano. Fatto questo, il Vescovo si ritira appresso il Letto quivi preparato, e postosi a sedere, viene la Badessa, quale fatta la debita riverenza, ancor lei siede da mano sinistra, e dal Vescovo riceve l'anello in dito, e di poi il Pastorale in mano con quelle parole, che parrà a sua Signoria Reverendissima.* Hactenus cæremoniæ Pistorii servatæ, dum novus Episcopus suum faciebat ingressum, ex quibus etiam multa addiscimus in confirmationem complurium rituum, & cæremoniarum, quas nos in Commentariis præsentis Capitis II. explicuimus.

(*b*) Cæremonia ingressus novi Archiepiscopi Florentini ita quidem a Ricordato describitur: *Poichè voi siete entrato in San Pier Maggiore, io voglio dirvi una ceremonia, che usa questo Monasterio, ogni volta, che un nuovo Arcivescovo entra in Firenze a pigliare il possesso dell'Arcivescovato. La qual ceremonia non s'usa, cred'io, in altro luogo, salvo che in Pistoja in un Monasterio medesimamente del nostro Ordine, e detto ancora di*

Digitized by Google

Episcopus ad Monasterium primum pergebat sancti Petri Majoris, ibique Abbatissam desponsabat, teste Ricordato Monacho Cassinensi in Historia Monastica Romæ anno MDCLXXV. impressa Pag. 368.

VI. Forte ipsi etiam severi Lectores ea monumenta legentes antiquæ consuetudinis riserint, eamque iccirco tandem sublatam putarint, quod vulgi dicteriis facile pateret. At vero in eo ritu nihil improbandum fuisse ait Clarissimus Muratorius Tomo v. *Antiquitatum medii ævi*, Dissertatione sexagesima sexta, Pag. 508. verique videri similius inquit, ipsum ritum ea sola de causa in desuetudinem abiisse, quod novi Episcopi tam solemnem ingressum non amplius usurpent. Nam notum est, Virginibus etiam sacris conferri, & Benedictinis præcipue solere, ad significandum eas nubere Christo. Atque is ritus multis olim in locis frequentabatur, imo adhuc ab Episcopis peragi solet ex præscripto Romani Pontificalis, uti videre est Parte I. ad Titulum XIX. *De consecratione Virginum*, ubi nos plura in ejus Commentariis notavimus. Sed & Venetiis hodie solet Dux primo die mensis Maji stipatus Senatoribus rubro habitu indutis ad Monasterium, quod dicitur Virginum, pergere, ubi audita Missa, quæ Pontificaliter celebratur, tendit deinde ad cratem in inferiori parte Ecclesiæ sitam, ibique Abbatissam Baculum Pastoralem in manu habentem sibi desponsat, duosque annulos in digitum ejus immittit, alterum pulcro saphiro insignitum, imagine alterum S. Marci ornatum, tum vero deinde eam amplectitur; ut tradunt Bonannus Parte II. Ordinum Religiosorum, & Helvolt in sua Historia ejusdem argumenti Tom. III. Cap. VII. Pag. 53. editionis Parisiensis anni MDCCXV.

VII. Tota itaque ritus illius deformitas, qui Florentiæ, & Pistorii in novi Episcopi ingressu servabatur, in lecto præparato sita erat, super quem sedisse dicuntur Episcopus, & Abbatissa. Verum scite notat idem Muratorius, a recentioribus, qui numquam spectaculo interfuere, hoc non satis rite traditum, affirmatumque fuisse. Non lectum, sed *un Palco*, idest tabulatum in Templo præparatum fuisse tradunt alii Scriptores ab ipso Muratorio laudati Dissertatione LXIII. Stratum paratum in Templo fortasse legebatur in antiquis Monasterii, aut Episcopii Ritualibus: quam vocem nonnulli interpretati sunt pro *Lecto*, quum tabulatum quoque significare potuerit. Quicquid sit, idem quoque Florentinorum Ritus fuse descriptus legitur in Cæremoniali manu exarato, cui Titulus, *Il Bullettone*, in Archivo Archiepiscopatus Florentini, & in eorundem Florentinorum Præsulum Chronologia a Cerrachino edita anno MDCCXVI. Florentiæ.

VIII. Sed age describamus nunc ordinem, quo ex Rituali Svessionensi tempore Nivelonis scripto novus Episcopus suscipiebatur, uti apud Martenium legitur Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. VIII. Articulo X. post Numerum XIX. Ita autem inquit: Ornata Ecclesia omnimodis cortinis, & palliis, Altarique vestito utensilibus suis; post Primam pulsetur novies major Campana. Congregato itaque tam omni Clero, quam Populo, eat Processio ordinate ad S. Petrum de calce, Clericulis in albis præferentibus aquam benedictam, Candelabra, Thuribula, Cruces; Subdiacono induto solemnibus indumentis, Alba videlicet, & Tunica ferente Euangelium, cum Subdiaconis congregationalibus similiter paratis, quos ceteri omnes in cappis de pallio subsequentur. Et cum perventum fuerit ad S. Petrum, expectetur ibi Episcopus, quousque ad portam Civitatis pervenerit. Quo adveniente, exeat processio illuc obviam ei, & statim aspergatur ab aliquo Episcoporum aqua benedicta; Subdiaconus quoque aperiat ei Euangelium, quod cum salutaverit cum pacis osculo, incipiat cantare, *Deum time*. ℣. *Observa*. Et sic redeat processio ad S. Petrum, pulsatis signis ipsius Ecclesiæ.

IX. Parata autem ibi (verba sunt ejusdem Ritualis) Cathedra Episcopali ante Altare, finito prædicto ℟. ponat Archidiaconus Remensis Episcopum novum in Cathedra, incipiatque, *Te Deum*. Quo finito, præfatus Archidiaconus dicat. ℣. *Protector noster aspice Deus*. Unus ex Coepiscopis, *Oremus*. *Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia &c.* Deinde elevatur Episcopus cum Cathedra, ut ad majorem Ecclesiam deferatur a quatuor casatis majoribus, Comite videlicet Svessionensi, Domino Petrefontis, Domino Montis Mirelli, Domino Basochæ, Clero pompatice præcedente, Cantore incipiente. ℟. *Honor virtus*. ℟. *Trinitati*. Accedente autem processione ad Claustrum, omnia matris Ecclesiæ signa pulsentur. Intrante vero processione, duo Presbyteri cum duobus thuribulis exeant obviam processioni, & Episcopo, & statim fiat statio in medio Ecclesiæ. Cantor quoque incipiat Antiphonam,



*di San Pietro. E m'è venuta voglia di dirlo, perche la Famiglia degli Strozzi interviene a tal ceremonia, come udirete in quella di Pistoja la nobil Casa de' Cellesi. Quando fa l'entrata il nuovo Arcivescovo lo va ad incontrare tutto il Clero, e Magistrati, e così accompagnato s'invia sopra una Chinea a S. Pietro. Et ivi giunto, smonta, e subito dagli uomini della Famiglia Strozzi, e non da altri, sono saccheggiati i fornimenti della Chinea, che sono ricchissimi, & ella così nuda resta alle Monache di S. Pietro suddetto. Smontato l'Arcivescovo entra nella Chiesa, incensato, & asperzo d'acqua benedetta da' Preti, lì perciò apparecchiati, essendo poi aspettato dall'Abbadessa, e da tutte le Monache sopra un Palco benissimo parato presso l'Altare Maggiore. Saglie in su quello, e fatta un'Orazione, si pone a sedere sopra ricca sedia, e preso un'anello d'oro, lo mette in dito all'Abbadessa, alla quale è tenuta la mano, e il dito da uno de' più vecchi della Parrocchia, e data la Benedizione al Popolo, e la perdonanza, se ne va al nuovo Palazzo, dove ella li manda a donare un letto con tutti i suoi finimenti di gran valuta.* Ita Ricordatus, ex quo etiam addiscimus, I. nobilem & antiquam Cellesiorum familiam eodem jure, ac privilegio potitos Pistorii, quo Strozzii Florentiæ, II. ornamenta Episcopalis ad ipsos pertinuisse, qui privilegium habebant deducendi Episcopum in primo ingressu ad suam Civitatem; id quod nos superius jam fuse ostendimus.

Digitized by Google

nam, *Pax æterna*. Qua finita intret processio chorum. Episcopus vero a casatis reliquis cum cathedra usque ad sedem suam defertur, in qua ab Archidiacono Remensi ponitur, a quo incipitur, *Te Deum*. Quo finito, Cantor ℣. *Protector noster*, ut supra; Collectam, ut supra; *Omnipotens*. Postea Archidiaconus Remensis ducat Episcopum ad signa Ecclesiæ, bajuletque ei unum ex funibus signorum, quod Episcopus statim debet pulsare; sic enim de Ecclesia investietur. His igitur peractis, Cantor incipiat Antiphonam, *Laudem dicite*. ℣. *Lætamini*; oratio de gloriosa, & de sanctis requiescentibus dicitur a Decano, *Propitiare*. Deinde cantatur Tertia. Interea Episcopus præparet se ad Missam celebrandam, quæ secundum casum ejus diei cantatur.

X. Ecce hic novi ritus in novi Episcopi ingressu ad Ecclesiam suam, quorum aliquos in Commentariis nostris notavimus. Ad Ambrosianum autem Cæremoniale quod attinet, præter Ritus superius a nobis descriptos in Calce Commentarii §. IV. qui scilicet usque ad atrium Metropolitanæ Ecclesiæ servantur, hi alii deinde subjiciuntur.

Archiepiscopus, & alii descendunt de equis, & medius inter duos assistentes, videlicet Archidiaconum, & primum Diaconum incedit ad januas Ecclesiæ ibique porrigente Archipresbytero aspersorium, se ipsum, Gubernatorem, & alios omnes aspergit; & postea eodem Archipresbytero naviculam ministrante, & Subdiacono hebdomadario thuribulum, benedicit, & imponit incensum. Tum ab eodem Archipresbytero stante incensatur triplici thuribuli ductu, & mox præcedentibus Canonicis Metropolitanæ, sequentibusque aliis, ut supra, & Confanoneriis ipsum stipantibus, Baculum pastoralem gerens, vadit ad Altare majus, populo semper benedicens, non sine organorum, & Cantorum decora, pia, gravique modulatione. Deposita Mitra, procumbens, in faldistorio orat ante Altare, ceteris omnibus interim in suis locis æque depositis. Tunc Archipresbyter in cornu Altaris Epistolæ versus ad Archiepiscopum genuflexum, ut supra, cantabit de Libro Pontificali versiculos, preces, & orationes, ut in eo, *De ordine recipiendi processionaliter Prælatum, vel Legatum*. Finitis precibus, & orationibus prædictis, Archiepiscopus medius inter prædictos Assistentes deducitur a tribus supradictis Nobilibus Confanoneriis ad osculandum Altare in medio, in cornu Epistolæ, & in cornu Euangelii, & tandem ad sedem Archiepiscopalem progreditur, ad quam Confanonerii ex consuetudine, & privilegiis accedunt: qui postea genuflexi coram eodem Archiepiscopo, in cujus gremio tenetur Textus Euangeliorum ab Assistentibus, juramentum fidelitatis (*a*) præstant in hanc sequentem verborum formulam, videlicet.

Nos N. & N. & N. nobiles Confanonerii, tanquam scutiferi, & vassalli Ecclesiæ Mediolanensis ab hac hora in antea fideles, & obedientes erimus Beato Ambrosio, sanctæque Mediolanensi Ecclesiæ, & vobis Reverendissimo D. N. Archiepiscopo. Non erimus in consilio, auxilio, & consensu, vel facto, ut vitam, aut membrum perdatis, seu capiamini mala captione, aut contra vos violentæ manus quomodolibet ingerantur, vel injuriæ aliquæ inferantur, quovis colore, Archiepiscopatum Mediolanensem, & Regalia sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ defendemus omni conatu nostro, Jura, honores, & auctoritatem sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ conservari, augeri, & promoveri curabimus. Non erimus in consilio, seu in tractatu, in quibus contra vestram Reverendissimam Dominationem, vel eandem Ecclesiam Mediolanensem aliquod sinistrum personæ, juri, honori, statui, & potestati machinatum fuerit. Quod si talia a quibuscumque tractari, vel procurari noverimus, id pro nostra industria impediemus, & quanto citius poterimus, vobis significabimus, aut alteri, per quem possit ad vos notitia pervenire. Sic nos Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Euangelia. Quo juramento præposito, supremus Cancellarius a Magistro Cæremoniarum deductus, in medio plano Chori primum Altare, tum Archiepiscopum veneratus, stans versus ipsum Archiepiscopum, qui eundem salutare debet capitis inclinatione, brevissimam habet orationem, qua Deo in primis gratias agit de beneficio recepti Pastoris, eidemque Archiepiscopo etiam nomine Catholicæ (*b*) Majestatis se affuturum in omnibus pollicetur. Cui Archiepiscopus gratias agendo brevi respondere poterit. Postremo Diaconus hebdomadarius inchoat Hymnum, *Te Deum laudamus*, quem Cantores perficiunt. Et interim Archiepiscopus recipit omnes ad osculum pacis, ut infra. Gubernatores, & Episcopos ad osculum oris tantum existens in sua sede cum Mitra; & paululum ad istos consurgens. Quo Hymno, & osculo absoluto, cantatur a duobus choris, videlicet Lectorum, & Mazaconicorum alternatim Psal. de B. M. V. sine *Gloria Patri*, & ab Archiepiscopo ante Altare oratio in tono de eadem: qui deinde ascendens ad osculandum Altare in medio sine Mitra, conversus ad Crucem ante illum per Notarium Beneficiatum oblatam solemni ritu adstantes benedicit: *Sit Nomen Domini &c.* Et indulgentiam suam promulgari mandabit per Archipresbyterum sub præscripta forma verborum, ut infra, *De officio Archipresbyteri*.

De prædictis autem omnibus, tum de juramento a Confanoneriis præstito, & aliis singulis Cancellarius Archiepiscopalis adhibitis testibus publicum conficit instrumentum.

XI. Atque hæc sunt, quæ in Cæremoniali Ambrosiano leguntur de solemni ingressu Archiepiscopi Mediolanensis ad Ecclesiam suam. Placuit autem ea hoc loco describere ad eorum eruditionem, qui Ritus Ecclesiæ Mediolanensis ignorant.

§. VII.

(*a*) Est hoc juramentum fidelitatis simile illi, quod nos explicuimus Tomo I. Commentariorum ad primam partem Romani Pontificalis Tit. XIII. §. VIII.

(*b*) Alludit ad Regem Hispaniarum, qui tempore, quo hoc Cæremoniale editum fuit in lucem, dux erat Mediolanensium.

Digitized by Google

## §. VII.

Si contingeret, dum Episcopus ad suam Civitatem proficiscitur, transire per aliquem locum insignem suæ Dioecesis, vel in eo hospitari, & Clerus, ac Magistratus ejus loci eum honorare cupiant, permittet quidem, ut & obviam eant, etiam extra locum, & eum comitentur usque ad Ecclesiam primariam ejus loci, & facta ibi oratione, usque ad locum, ubi hospitaturus est, non mutato habitu itinerario, sed nulla fiet processio.

## COMMENTARIUS.

I. ANtequam Episcopus in sua Ecclesia Cathedrali ritu, ac processione solemni prima vice suscipiatur, non debet ex hujus Rubricæ præscripto solemniter ingredi alia loca sua Dioeceseos, si per ea transire contigerit; quod si forte dum ad suam Civitatem procedit, per insignem aliquem suæ Dioecesis locum transire, vel in eo hospitari contingat, & Clerus, ac Magistratus ejus loci ei obviam ire, ipsumque cum honore suscipere cupiant, & comitari usque ad Ecclesiam, permitti id eis quidem ab Episcopo potest, modo nulla fiat processio, & itinerarius habitus minime ab Episcopo ipso mutetur. Idipsum etiam præscribit Cæremoniale Ambrosianum Lib. I. Cap. I. ubi post ceteros ritus, quos jam descripsimus nos ad calcem Commentarii superioris, hæc habet: *Porro Archiepiscopus antequam prædictum ingressum solemnem faciat, si contigerit prius transire per Civitatem Provinciæ, vel oppidum suæ Diœcesis, permittet quidem, ut sibi obviam veniant incolæ illius loci, ipsumque comitentur usque ad Ecclesiam in habitu tamen itinerario; sed interim nulla fiet processio*; quia scilicet is honor reservatus est sponsæ suæ, quæ est Ecclesia Cathedralis.

## §. VIII.

Quando vero Episcopus post ingressum in Civitatem propriam, voluerit alias Civitates, vel oppida insignia suæ Dioecesis visitare, conveniens erit, ut prima vice recipiatur cum sacra Cleri Secularis, & Regularis processione. Ipse vero non erit Mitra, & Pluviali indutus, sed equitabit super mulam ornatam Pontificalibus ephippiis, cum Cappa, & Galero Pontificali, & offeretur ei in porta Crux osculanda, & alia omnia fient etiam in Ecclesia, prout de Civitate propria, & primaria suæ Dioecesis dictum fuit.

## COMMENTARIUS.

I. UT cæremoniæ servandæ sint in susceptione Metropolitani, aut Episcopi, necnon Legati, seu Nuncii Apostolici Civitatem, aut oppidum aliquod insigne visitandi gratia ingredientis, tradit quidem ex libro Pontificali Felicianus Fuschus Comensis Episcopus, Lib. II. Tit. I. Videri etiam possunt, quæ jam diximus nos nostro Tomo III. Romani Pontificalis, Tit. XXI. qui inscriptus est, *Ordo ad visitandas Parochias*. Ex nostro hoc §. quando Episcopus post ingressum in Civitatem propriam, prima vice alia loca insignia suæ Dioecesis ingredi voluerit, *conveniens est, ut cum sacra Cleri Secularis ac Regularis processione recipiatur; ipse vero non erit Mitra, & Pluviali indutus, sed equitabit super mulam ornatam Pontificalibus ephippiis*, gestabitque Cappam, & Galerum Pontificalem. In porta Civitatis offeretur ei a majori Dignitate Crux exosculanda, aliaque omnia fient, prout in ingressu Civitatis jam dictum est.

II. Hactenus Rubrica hujus §. attendenda tamen est semper laudabilis, ac vetus consuetudo locorum; nam alias quoad Processiones insolitas, & extraordinarie ab Episcopo indictas, Regulares accedere non tenentur, prout censuit Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpretum in Anagnina Processionis XIX. Decembris MDCLXII. in qua fuit resolutum, Episcopum Anagninum, occasione suæ primæ visitationis, primique ingressus in terram Carpineti plenariam Indulgentiam Apostolica auctoritate publicaturum non potuisse particulari edicto cohibere Regulares ad accedendum ad Processionem ad hunc effectum indictam sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, de qua Angelus a Lantusca in suo Theatro Regulari verbo, *Processio*, Num. IV. & Panimolle Decisione LXXXIV. Adnotatione I. Num. XLVIII.

III. Sed quicquid de ea re sit, idem quod hic Rubrica nostri §. tradit etiam Cæremoniale Ambrosianum Lib. I. Cap. I. his plane verbis: *Post ingressum vero prædictum*, primum scilicet solemnem factum ad Civitatem, & ad Ecclesiam, ubi est Cathedra Pontificalis, *si visitabit loca, & oppida suæ Diœcesis, conveniens erit, ut prima vice recipiatur cum Processione Cleri. Ipse vero non erit Mitra, & Pluviali indutus, sed equitabit*



Digitized by Google

*sedens super mula ornata, ut supra, cum cappa, & Pileo. Præfertur Crux, & alia, ut supra.* Porro Crux præfertur, quia memoratum Cæremoniale Ambrosianum loquitur de Archiepiscopo Mediolanensi, qui ut ceteri Metropolitæ eo privilegio potitur. Alii enim Episcopi, nisi ea speciali prærogativa eis a Summo Pontifice concessa, non possunt sibi præferri facere Crucem, ut jam alibi notavimus.

# C A P. III.

*Vestes Archiepiscopi, & Episcopi in sua Provincia, & Diœcesi violaceæ sint ex lana, sive ex camelotto, quibus superinduet Rocchettum, & Mozzettam. Domi iisdem vestibus utendum. In Congregationibus Concilii Provincialis, tam Metropolitanus, quam Episcopi provinciales Mozzettam cum Rocchetto discooperto utuntur. Vestes laneæ nigri coloris in Adventu, & a Septuagesima per totam Quadragesimam, exceptis diebus solemnibus commendantur. Cappa sit lanea, & coloris violacei, & aliquando ex camelotto ejusdem coloris. Cappa Episcoporum Regularium sit coloris suæ Religioni convenientis. Galeri Episcopalis forma, & color. Vestes Episcopi itinerariæ.*

## §. I.

Episcopus postquam ad suam Diœcesim, & Civitatem, & Archiepiscopus ad suam Provinciam pervenerit, uti poterit vestibus violaceis, sive laneis, sive ex camelotto superinduta super Rocchettum Mozzetta. Et domi eodem utentur habitu, saltem dum fit aliqua congregatio coram ipso Episcopo, vel Ordinandorum examen, vel aliquid simile, ac etiam quoties erunt congregationes coram Metropolitano, dum celebratur Concilium Provinciale, quo habitu, scilicet Mozzetta cum Rocchetto discooperto in dictis congregationibus utetur, tam ipse Metropolitanus, quam alii Episcopi Provinciales, qui ibidem pro Synodo celebranda convenerunt.

## COMMENTARIUS.

I. QUamquam de indumentis Episcopi abunde superius jam dictum fuerit, notandum hic illud est, quod ad nostri Cæremonialis præscriptum docent passim Canonici Juris consulti, aliique Scriptores, uti posse Episcopum in sua Diœcesi, atque Archiepiscopum per

Digitized by Google

per totam Provinciam suam vestibus violaceis superinduta super Rocchettum discoopertum Mozzetta, & ipsa quoque violacei coloris. Ut enim alios omittam, videri possunt Barbosa, *De jure Ecclesiastico*, Lib. I. Cap. VII. Castaldus in praxi Cæremoniarum Lib. I. Sectione X. Cap. X. Ugolinus, *De officio, & potestate Episcopi*, Parte I. Cap. III. Sed audiendus est præ omnibus S. Carolus, qui in Concilio suo I. Mediolanensi anni MDLXV. Cap. XVII. de Episcopi vestitu loquens, postquam edixit, ut *Episcopus lineam tunicam, quam Rochetum appellant, ex Decreto Innocentii III. in Concilio generali* (Lateranensi IV. quod nos superius recitavimus) *in Ecclesia, & in publico habeat*; ita statim subjungit: *Sine talari tunica, quæ ad collum adstricta sit, ac Mozzetta, neque ex cubiculo exeat, neque quemquam, nisi ex familia admittat, neque eum vestitum ante noctem, vel nisi dimissis omnibus, deponat.*

II. Ergo non modo potest, verum etiam debet Episcopus, & non solum in Ecclesia, atque in publico, sed & domi præscriptis vestibus uti, tunica scilicet talari violacea, Rocchetto, ac Mozzetta; adeo ut vetitum illi omnino sit absque ipsis indumentis e cubiculo exire, aliquemve admittere; eamque disciplinam tanti esse momenti idem sanctus Carolus arbitratus est, ut in Concilio Provinciali IV. Mediolanensi anni MDLXXVI. Parte III. Constitutionum, §. I. Decretum illud in Concilio Mediolanensi I. editum iterum renovarit, sic dicens: *Vestitu utantur ad Concilii Provincialis I. præscriptum, talari scilicet tunica collo adstricta, Rocheto, & Humerali indumento, quam Mozzettam dicunt, itaut ne domi quidem in ullius conspectu se exponant, nisi Episcopali vestitu induti.* Quam ejus disciplinæ tenax Carolus ipse fuerit, docet nos ejus vitæ Auctor Carolus a Basilica Petri Lib. VII. Cap. V. *Episcopali veste linea*, inquit, *humerorumque amictu etiam domi semper indutus erat, ad personæ dignitatem servandam, nam & domicilium suum locum publicum ducebat; suosque ibi volebat, ut in publico, versari. Itaque mane antequam ea indumenta sumsisset, neque in exterorum conspectum veniebat; & neminem, nisi intimum patiebatur intromitti.* Consona hæc quidem sunt recitatis Conciliorum Provincialium Mediolanensium I. & IV. Decretis, quæ egregia illa ratione nituntur, quam laudatus Auctor Vitæ S. Caroli innuit iis verbis: *ad personæ dignitatem servandam.*

III. Debet autem Episcopus in Ecclesia præsertim, & in publico uti habitu suo ordinario, nec absque illo exire domo, Cap. ultimo, *De vita, & honestate Clericorum*, Can. *Episcopus*, Can. *Sine ornatu*, Can. *Præcipimus*, XXI. Quæstione IV. Ugolinus, *De officio Episcopi*, Cap. III. & passim Doctores. Censetur autem habitus ordinarius vestis oblonga talaris violacei coloris, superindumentum lineum vulgo *Rocchettum* (nisi sit Regularis, qui, uti dictum superius fuit, deferre debet habitum suæ Religionis) & Mozzetta ejusdem coloris cum veste, si sit in Diœcesi: extra illam vero Mantellettum, quod est brevioris vestis genus apertum, & scissuras habens, per quas brachia extrahuntur. Sed de his alias jam dictum fuit; non est autem hic omittendum, quod scribit Pax Jordanus Episcopus Lib. I. *Elucubrationum*, Tit. XVI. Num. XVI. *Digni sunt*, inquit, *reprehensione, qui exeunt domo cum vestibus communibus, nam extra sine lineis prohibentur exire juribus supracitatis.* Alludit ad Canones, quos paulo superius innuimus, quibus addi potest constitutio Provincialis Concilii Aquensis anni MDLXXXV. ubi Patres ad Titulum, *De Episcopis*, postquam dixerunt, quod alias S. Carolus jusserat, ut Episcopus non profano ornatu, aut apparatu, sed fidei, & vitæ splendore sibi auctoritatem quærat, ita mox subjiciunt: *In publicum etiamsi non extra ædium Episcopalium fines proditurus est, tunicam lineam, quam Rocchettum vocant, semper induat cum Mozzetta ex Innocentii III. Decreto.*

IV. Id præterea quod jam in sua Mediolanensi IV. Provinciali Synodo habita anno MDLXXV. Parte III. Constitutionum §. I. S. Carolus edixerat, ut nimirum Episcopi *Rochetum etiam & Mozetam induant cum per Diœcesim iter faciunt; interiorem vero tunicam breviorem, ac Mantellum viatorium adhibeant licet*; iisdem plane verbis confirmavit laudata in Galliis celebrata Synodus Aquensis, tametsi Decretum ipsum nonnihil moderata sit, ubi ita addidit: *Cum vero animi relaxandi gratia extra civitatem exit (quod non ita sæpe facere debet) Rochetum poterit ad libitum deponere.* Notanda sunt illa verba: *Quod non ita sæpe facere debet.* Nefas enim Episcopo est, neglecto grege, quem verbo, & exemplo assidue pascere debet, relaxandi animi gratia, amenarum villarum secessui bonam anni partem impendere. Vitium hoc plane fuit Julii Papæ III. qui, uti post Panvinium tradit Spondanus ad annum MDLI Num. IV. *Cum externa quæque parum curans, fruendo potius, quam regendo Pontificatui incumberet, totusque esset in extruenda elegantissima ad voluptuarios secessus extra Portam Flaminiam Villa Julia, cujus insanire studio videbatur, conviviis potius, quam publicæ procurationi vacabat. Qui si vitæ, quam privatus egerat, institutum constanter in Pontificatu servasset, multa quæ eo tempore depravata erant, fuissent haud dubium in meliorem formam restituta.*

V. Porro cum ex §. hujus nostri Rubrica perspicue præscribatur, posse Episcopos in tota sua Diœcesi, uti Rocchetto, & Mozzetta, isque sit ordinarius, ac præcipuus eorum habitus, ut inter alios notarunt Castaldus in Praxi Cæremoniarum Lib. I. Sectione X. Cap. I. Num. II. & Cardinalis de Luca in Relatione Romanæ Curiæ Discursu III. Num. XII. soluta est ea difficultas an Episcopus liceat illa deferre insignia suæ dignitatis in locis exemtis. Licet enim Regulares, eorumque Monasteria sint ab Episcopali jurisdictione exemta, non sequitur exinde, quod ipsa Territorium separatum a Diœcesi Episcopi constituant; sed quamvis exemta, sunt vere ac proprie de illius Territorio, ac Diœcesi, cum exemtio naturam loci non immutet, Cap. *Cum Episcopus*, & ibi-

Digitized by Google

ibi Geminianus, Num. III. *De officio Ordinarii* in VI. Rota coram Millino Decisione XLVIII. Num.II. & seqq. Gratianus Disceptatione CDLXVII. fere per totum, Gonzalez ad Regulam VIII. Cancellariæ, Glossa XLIII. Num. CLXXXVII. Ob id itaque quoties Episcopi ad dicta Monasteria, sive Ecclesias accedunt, non est cur debeant deponere prædicta insignia suæ dignitatis, cum reperiantur in sua Diœcesi, in qua pro illorum libero usu habent juris assistentiam in hac Cæremonialis Rubrica; quinimo propter quandam habitualem jurisdictionem Episcopis olim competentem tam circa loca, quam circa personas Regularium, juxta Textus in Can. *Qui vere*, XVI. Quæstione I. Can. *Abbates*, XVIII. Quæstione II. & in Cap. III. ibique Glossa, *De religiosis domibus*; iisdem licet Episcopis in locis exemtis ea omnia peragere, ac exercere, quæ honorem, ac prærogativam dignitatis concernunt; ac quod majus est simplici gestatione Mozzettæ, possunt & ipsi ibidem Episcopalem Cathedram erigere, benedictionem solemnem populo impertiri, cæterasque Pontificales functiones peragere, ut sancitum est non semel a Sacra Rituum Congregatione, & tradunt Gavantus verbo, *Baldachinum*, Barbosa in Summa Apostolicarum Decisionum, Collectan. LIII. Gratianus Disceptatione CDLXVII. Cardinalis de Luca, *De jurisdictione*, Discursu XXXV. Num. V. & seqq. ubi etiam ait, ipsos etiam Abbates Regulares, Pontificalium usum habentes, in reverentiam antiquæ subjectionis Episcopo præsente Cathedram ascendere non posse, sed illam Episcopo cedere teneri.

VI. Ratio præmissorum jam in eo consistit, quia per eam Insignium gestationem, seu exercitium Episcopalium functionum, quod solum honorem, ac prærogativam dignitatis Episcopalis respicit, nullatenus violata remanet exemtio iisdem Regularibus competens, ut docet laudatus Gratianus; quamvis secus esset, quoties Episcopi in locis exemtis exercere vellent ea, quæ contentiosam jurisdictionem involvunt, quæ sane citra exemtionis jacturam, & præjudicium in illis exerceri non possunt, Cap. *Cum Episcopus*, *De officio Ordinarii* in VI. Gratianus, & Cardinalis de Luca locis citatis. Ubi non agitur de contentiosa jurisdictione exercenda in locis exemtis, jam impediri nequaquam potest Episcopus, quo minus suis dignitatis Insigniis utatur, quoties ad Monasteria, seu Ecclesias Regularium accedit. Unde cum quæstio orta esset inter Patres Dominicanos Civitatis Pistoriensis, sub quorum cura extant duo Monialium Monasteria, & Episcopum super modo explendæ visitationis Clausuræ eorumdem Monasteriorum ad mentem Sacrorum Canonum, ac præsertim Concilii Tridentini, an nimirum liceret Domino Episcopo ingredi septa Monialium induto Rocchetto, & Mozzetta, refente Joanne Jacobo Scarfantonio in suis ad Ceccoperium animadversionibus Lib. I. Tit. VII. prædicta controversia amicabiliter fuit composita per recessum ab eadem factum per Patres Dominicanos, qui agnoscentes bonum jus D. Episcopi, consenserunt, ut juxta solitum expleretur visitatio, prout sequutum fuit, ipso Scarfantonio tamquam Canonico visitatore associante Episcopum visitantem Rocchetto, ac Mozzetta indutum.

## §. II.

Eodem quoque habitu Episcopus indutus erit, quoties per Civitatem, & terras, seu oppida suæ Diœcesis incedet. Sed habenda est distinctio temporum; nam in Adventu, incipiendo a Septuagesima, per totam Quadragesimam, item in omnibus Vigiliis, quibus jejunatur, & in quatuor temporibus (exceptis his, quæ incidunt post Pentecosten) ac sextis Feriis totius anni, differens erit vestium gestatio. Quia tunc Episcopum decet uti vestibus laneis, & nigri coloris, excipiendo tamen aliquot dies, & quibus signum mœstitiæ ostendi non debet; videlicet a die Nativitatis Domini, & per totam Octavam Epiphaniæ; a die Dominicæ Resurrectionis, usque ad Dominicam Trinitatis; item per Octavas Festorum SS. Sacramenti, Assumtionis gloriosæ Virginis Mariæ, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, Titularis Ecclesiæ Cathedralis, & sancti Patroni Civitatis, ac Dedicationis propriæ Ecclesiæ; item in anniversariis electionis, & consecrationis ipsius Episcopi; die adventus alicujus magni Principis; vel cum celebratur aliqua publica lætitia: in aliis vero Octavis, ut Nativitatis gloriosæ Virginis, S. Joannis Baptistæ, S. Laurentii, dies tantum Octavarum excipiuntur: similiter omnia Festa duplicia, quæ per annum incidunt extra Adventum, Septuagesimam, & Quadragesimam; sed Annunciationis Festo, etiamsi infra Quadragesimam occurrat, vestibus violaceis uti debent. Hæc quæ dicta sunt, circa vestes quotidianas observanda sunt.

## COMMENTARIUS.

I. QUod hic fuse Cæremoniale nostrum de Episcopalium quotidianarum vestium usu, nigri, vel violacei coloris præbit, brevi exponit Synodus IV. Provincialis Mediolanensis a S. Carolo anno MDLXXVI. habita, Parte III. Constitutionum, §. I. his verbis: *Sexta*

Digitized by Google

*Sexta quoque Feria, tum præterea in vigiliis, in Adventu, in Quadragesima vestitum induant nigro colore, iis diebus exceptis, quibus ex ritu Ecclesiæ, nullum mœstitiæ signum vestibus ostendere debent: aliis autem, violacei coloris vestimenta adhibeant.* Porro autem licet in editis Cæremonialibus Episcoporum Libris ante hujus Cæremonialis editionem Benedicti XIII. Pontificis Maximi auctoritate probatam anno III. sui Pontificatus, nulla prorsus mentio fiat de Festo Annuntiationis Deiparæ, quo etiamsi infra Quadragesimam occurrat, vestibus violaceis uti debent Episcopi, non autem nigris, cautum tamen jam fuerat Decreto Sacræ Rituum Congregationis die VIII. Januarii, anni MDCCIX. debere Episcopos violaceis uti vestibus in die ipsa Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, quando in Quadragesima occurrit, excepta tamen Hebdomada Majori, & Feria VI. non vero eo die, in quem prædictum Festum transfertur in Quadragesima.

II. Quamquam vero tum nostrum Cæremoniale, tum memorata IV. Mediolanensis S. Caroli Provincialis Synodus, aliæque complures diserte præscribant, ut in Adventu, Quadragesima, quatuor temporibus, vigiliis, & sextis feriis, in quibus Eminentissimi Domini S. R. E. Cardinales deposito rubro, utuntur violaceo indumento, Episcopi violaceum deponant, & nigrum induant, minime is hodie Romæ ritus servatur; Episcopi enim, ut ipsemet vidi tum Romæ, tum alibi in Italia violaceo semper utuntur habitu, ubi nimirum cum tunica talari, & mantelletto incedunt. Sed & testatur Pax Jordanus Lib. I. *Elucubrationum*, Tit. XVI. Num. XV. suo etiam ævo idipsum servatum fuisse in Romana Curia, imo cum ea de re consuluisset Cæremoniarum Magistros, audiisse ab ipsis, ejus mutationem coloris minime amplius in usu esse respectu Episcoporum, sicut nec etiam servatur occasione luctus propinquorum, vel aliorum, excepto Papa, quo defuncto, niger quidem ab Episcopis adhibetur color in vestibus usque ad electionem Successoris. Quamquam hodie Sacerdotes, & ceteri inferiores Clerici in morte suorum, imo & illorum, quorum famulitio erant addicti, lugubres vestes induant, velumque nigrum oblongum in pileo gestent, vetant id iis nihilominus Sacræ Synodi, præsertim Toletana anni MCDLXXIII. ubi sub gravium pœnarum interminatione prohibiti sunt *in sacris Ordinibus constituti, vel Beneficiati*, vestibus indui ad luctum destinari solitis.

III. Cum tandem in hoc §. Festorum duplicium mentio fiat, quibus violaceo habitu debet Episcopus uti, tametsi ipsa occurrant in feriam sextam, aliaque tempora, quibus uti alias deberet vestibus nigris, notandum hic breviter est, Festa duplicia, auctore Durando Lib. VII. Cap. I. Num. XXXI. ita dici, *quod Responsoria tam majora, quam brevia, & versus a duobus cantantur, & omnia incipienda, a duobus incipiuntur, & quia Antiphonæ in Matutinis, & Vesperis duplicantur, dicunt enim complete*, hoc est integre, *ante Psalmum & post*. Durando adstipulantur Glossa in Cap. *Gloriosus, De Reliquiis, & veneratione Sanctorum*, Gavantus in Rubricas Breviarii, Sectione III. Cap. II. Num. II. & inter alios Guyetus in sua Heortologia, sive, *De Festis propriis &c.* Lib. II. Cap. IX. Quæstione II. Duplex officium dicitur, ad quod duo olim una eademque die fierent officia, ut asserunt Joannes Fronto, & Grancolas in Breviarium Romanum, Cap. XLIV. sed quod certis diebus in uno eodemque officio, ad majorem solemnitatem, eædem bis, ante videlicet, & post Psalmum decantarentur Antiphonæ, aut quod Responsoria brevia, aliaque ejusmodi ab uno alias in aliis officiis inchoari solita, a duobus inchoarentur. Atque ex hac constituta duplicium officiorum ratione facile est æque semiduplicium, ac simplicium originem, ac formam uno simul tramite deducere. Sed de his vide laudatum Guyetum loco citato, Quæstione II. & seqq.

## §. III.

Quoad Cappas vero, quibus Episcopi in propriis Ecclesiis utuntur, id erit observandum, ut regulariter sint laneæ, & violaceæ, & non alterius coloris. In solemnioribus tamen Festis, quæ in Rubricis Breviarii primæ classis vocantur, demto triduo ante Pascha, poterit Episcopus uti etiam Cappa ex camelotto coloris violacei, nullatenus alterius coloris, quibus quidem Cappis pelliculæ circa collum, & pectus de more consutæ sint; quæ deinde Vigilia Pentecostes, seu pro diversitate locorum citius, aut tardius, prout Episcopo opportunum videbitur, præintimatis etiam Canonicis, qui Cappis utuntur, quo die mutari debeant, removentur, & loco pellicularum sericum rubrum apponitur. Canonici vero regulariter in Ecclesiis, ubi illis utuntur, eas deponunt, & loco earum assumunt Cottas supra Rocchettum.

## COMMENTARIUS.

I. CAppam, qua utitur Episcopus in propria Ecclesia, & in Capella Papali, confectam esse oportere ex lana violacei coloris, & quidem in hyeme vestibus albis suffulta, in æstate vero serico rubeo, atque in solemnioribus Festis ex camelotto, exceptis Prælatis

Digitized by Google

tis Regularibus, ex Monachorum, vel Mendicantium Ordine assumtis, qui non mutant colorem sui habitus, sed in Ecclesia propria uti debent Cappa coloris suæ Religioni convenientis, pelle, seu serico ejusdem coloris suffulta, diserte in hoc, & sequenti §. Cæremoniale asserit, & post ipsum Castaldus in Praxi Cæremoniarum Lib. I. Sectione X. Cap. I. Campanile in diversorio juris Canonici, Rubrica IX. Cap. V. sub Numero III. Versu, *Mantellettus*, circa medium, & alii, inter quos Joannes Baptista Ventriglia in Libro, *De jurisdictione Archiepiscopi*, Cap. XXIII. Num. II. ait, Cappa uti posse Archiepiscopum per totam suam Provinciam juxta formam Cæremonialis; sive enim Cappa sit insigne denotans jurisdictionis exercitium, sive solam dignitatem, competere debet illius usus, ut mox subdit laudatus Auctor, Archiepiscopo in Provincia sua, ad dicta per Tamburrinum, *De jure Abbatum*, Tomo I. Disputatione XXI. Quæstione II. Num. I. & II.

II. Est & illud hic notandum de Cappæ usu, quod tradit Cæremoniale Ambrosianum Lib. I. Cap. II. quod est de vestitu Archiepiscopi, & Episcoporum ad Urbem divertentium: *Quotiescumque*, inquit, *utitur habitu nigri coloris, ut supra, & Cappa est induendus, conveniens erit, ut ea sit lanea, videlicet ex sarza: aliis vero diebus, cum induit habitum violaceum, sit ex cameloto*. Et mox de Cappa Archiepiscopi Cardinalis loquens, hæc subdit: *Archiepiscopus, si fuerit Cardinalis, quo tempore Archiepiscopus, sive etiam Episcopus, non Cardinalis vestitu nigro utitur, ipse violaceum induat; reliquis vero diebus semper rubrum: Cappam vero ex lana adhibet tempore Passionis Domini nostri*. Consona profecto hæc sunt Rubricæ nostri hujus §. in quo edicitur, I. ut Cappæ quibus regulariter in suis Ecclesiis Episcopi utuntur, *sint laneæ, & violaceæ, & non alterius coloris*. II. in solemnioribus Festis, quæ in Rubricis Breviarii *primæ classis* vocantur, demto triduo ante Pascha, posse Episcopum uti etiam Cappa ex camelotto *coloris violacei, nullatenus alterius coloris*.

III. Sunt quippe Duplicium Festorum alia primæ classis, alia secundæ, & alia per annum quæ dicuntur majora, itemque alia quæ minora appellantur. Primæ, & secundæ classis Duplicia nescio an ante S. Pium V. usus esset in Breviario, nam ut scite observat Guyetus in sua Heortologia Lib. II. Cap. IX. Quæstione III. nec in Romano, sive ms. anni MDXIX. sive editionis annorum MDL. & MDLV. nec in ullo alio Diœcesis alicujus proprio ejusmodi nomenclatura invenitur. Ut ut sit, quod ad Romanum attinet Breviarium, in prædictis exemplaribus sola erat inscriptio Duplicium majorum, & minorum, quæ alias Durandus Lib. VII. sui Rationalis Cap. I. Num. XXXI. *Duplicia in totum, & duplicia simpliciter* vocat. At cum ea nomenclatura non sufficeret ad exprimendam variam Festorum inter se dignitatem, ac præstantiam, Duplicium majorum in novo Pii V. Breviario duæ sunt constitutæ classes, vocabulo bene Latino, adeout, sicut Urbem Livius Lib. I. scribit a Servio Tullio in quinque classes pro census ratione fuisse divisum, sic Festa illa majora, pro sua quæque dignitate, ac jure vario in duas classes distributa fuere, primam videlicet eorum, in quibus quorumcumque aliorum Festorum occurrentium nulla fit commemoratio; secundam eorum, in quibus simplicium fit quædam commemoratio, sed in Laudibus tantum. Alia sunt præterea singulorum privilegia, sed in his duobus stabilita est istorum ab illis specifica, ut ita dicam, differentia.

IV. Notat hæc eruditus Guyetus, & quicquid sit de Duplicibus secundæ classis, Festa primæ classis duplicia, quibus, *demto triduo ante Pascha, poterit Episcopus uti etiam Cappa ex camelotto coloris violacei, nullatenus alterius coloris*, ex Breviario Romano hæc sunt: *Nativitas Domini; Epiphania Domini; Pascha Resurrectionis, cum tribus antecedentibus, & duobus sequentibus diebus; Ascensio Domini; Pentecostes, cum duobus sequentibus diebus; Festum Corporis Christi; Nativitas S. Joannis Baptistæ; Festum Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli; Assumtio Beatæ Virginis. Festum Sanctorum omnium; Dedicatio propriæ Ecclesiæ; Patronus, vel Titulus Ecclesiæ*. Quicquid autem sit de numero Festorum Duplicium secundæ classis, de quibus agere nostrum non est institutum, id tamen unum notabimus, quod tradit Gavantus in Breviarii Rubricas Sectione III. Cap. II. Num. III. in recognitione Breviarii facta a Clemente Papa VIII. ad majorem distinctionem instituta fuisse Duplicia majora, & minora per annum, de quibus omnibus videri possunt Gavantus ipse, Guyetus, Meratus, & alii qui ipsas Breviarii Rubricas enarrant.

V. Cappa ex camelotto, qua uti potest Episcopus in Festis Duplicibus I. classis, dicitur illa quæ confecta est quidem ex camelorum pilis, leniter atque eleganter contextis, nam alias Monachi olim hujusmodi vestes ex asperis scilicet camelorum setis confectas, ut corpus affligerent, soliti erant deferre, ut testatur Severus Sulpitius in Vita S. Martini, Cap. VII. ubi describens Ordinem Monasticum ab ipso institutum, ita inquit: *Plerique camelorum setis vestiebantur; mollior ibi habitus pro crimine erat*. Ejusmodi veste usum fuisse eundem S. Martinum tametsi Episcopum, tradit in ejus Vita Paulinus his versibus:

*Multis vestis erat setis contenta cameli,*
*Quæ levibus stimulis vigiles contegeret artus,*
*Excludens tenuem compuncta carne soporem,*
*Mollia ne fluxum nutrirent mollia corpus,*
*Lasciva & tenui vestis fluctaret amictu.*

VI. Sed ut de Cappa dicamus, cujus in hoc nostro §. fit mentio, de qua alias superius loquuti jam fuimus, sive lanea illa sit, sive ex camelotto, ex recepto a pluribus seculis Ecclesiæ ritu, debet ipsa pelliculis, vel serico rubro juxta temporum distinctionem circa collum, & pectus esse subsuta, ob insignia scilicet mysteria, quæ in ea distinctione continentur, quæque erudite, ac fuse explicat Doctissimus Morettus in celebri illa peculiari Disceptatione, quam edidit Romæ MDCCXXXII. *De ritu variandi Chorale indumentum in solemnitate*

Digitized by Google

*tate Paschali apud Clerum Basilicarum Urbis usitato*; ubi acriter, sed recte admodum tamen contendit, mutationem Cappæ fieri debere Sabbato Sancto ad primum *Alleluja*, quia scilicet ita Majores nostri statuere, tum ad significandam Paschalis temporis lætitiam, ejusque sacramenta; celebramus siquidem tunc inter alia memoriam redemtionis nostræ, Christi, ac nostræ resurrectionis, liberationis a servitute, & transitus a culpis, & tenebris, ad remissionem, & lumen gratiæ; tum etiam ad renovationem morum, & innocentiam, uti docent varii ritus, & consuetudines eo tempore servari soliti, qualis est inter alios mos immutandi habitum Neophytorum, & Clericorum.

VII. Neque vero obstat §. hujus nostri Rubrica, quæ nihil profecto aperte jubet de mutatione Capparum facienda *in Vigilia Pentecostes, seu pro diversitate locorum, citius, aut tardius &c.* solum enim narrare videtur, qui fuerit usus diversarum Ecclesiarum tam circa tempus, quam circa modum ipsius mutationis, quia scilicet, ut idem laudatus Auctor observat, ubi hunc §. nostrum elucidat, novos non dubie prævalentes ritus adoptavit Cæremoniale juxta auream illam prudentiæ regulam, quam sic exprimit Mabillonius Cap. XXI. Commentarii prævii ad Ordines Romanos Tomo II. Musei Italici Pag. CXLII. *Ubi regnant antiqui ritus, hi constanter retinendi; ubi novi præ antiquis prævaluerint, antiquos laudare decet, novos non rejicere*. Mere tamen descripsit, nec aperta jussione inculcavit verosimiliter, ut constanter retineretur, ubi regnaret antiquus Paschalis ritus, qui fugere non poterat Viros eruditissimos componendo Cæremoniali huic Codici adhibitos a Romanis Pontificibus Maximis.

VIII. Et quidem, quando Cæremoniale conditum est, tametsi propagatus jam esset per Latinam Ecclesiam mos, ut mutatio illa fieret, & præcipue deponerentur penitus a Canonicis violaceæ, nigræque Cappæ laneæ, albæque assumerentur lineæ vestes pro arbitrio, seu juxta majorem, minoremve rigorem aeris; est tamen nova disciplina, & novissimis temporibus adinventa, tolerabilis tantum, ne turbaretur Ecclesiarum tranquillitas. Nam disciplina vetustior, generalis, approbata a Moderatoribus Christianæ Reipublicæ, & non sine speciali mystica significatione instituta, uti superius notatum fuit, jubebat ejusmodi depositionem, assumtionemque peragi omnino, non attenta prorsus ulla aeris opportunitate sub ipsis Festi Paschalis initiis. Quæ omnia latissime probat Moretus eruditissimus in citata Disceptatione, *De ritu variandi chorale indumentum &c.* atque in addendis ad eandem vulgatis anno MDCCXLI. in calce eximii Operis, *De Presbyterio*.

IX. Libenter autem memorato Auctori adhæreo. Etenim quid probabilius, imo certius, quam illustriores Clericos priscæ ætatis, non in Paschate, non in Pentecoste, aliove posteriori tempore depositis suboscuri coloris Planetis lanels, quas Venerabilis Servus Dei doctissimus Cardinalis Thomasius Pag. 18. Præfationis ad Antiphonarium, & Responsoriale Romanæ Ecclesiæ, doctissime comparat Cappis Cardinalium, & Canonicorum Basilicarum Urbis, cœpisse gestare ad Ecclesiasticas functiones candida, tum serica, tum linea indumenta? Hoc insinuant Ordines Romani a Mabillonio editi, hoc Patres allegati in laudata toties Disceptione, *De ritu variandi &c.* §. XXVI. & seqq. Quid exploratius, quam talem consuetudinem fuisse olim communem in Ecclesia Latina? Testes antiquæ Constitutiones Canonicorum Regularium, usus incliti Ordinis Prædicatorum, & qui proximius rem tangunt, mores Ecclesiarum Italiæ, Galliæ, Belgii, Germaniæ, Hispaniæ, ac majoris Britanniæ, quin etiam Pontificiæ Capellæ in eadem opella §. XV. & seqq. annotati. Quid evidentius, quam eandem pervetustam generalem consuetudinem ab Ecclesiæ Præsidibus fuisse approbatam?

X. Certe qui percurrerit quæ indicavimus loca, inveniet non semel ad testatam in iisdem praxim confirmandam, urgendamve, intercessisse gravissimam Episcoporum, Conciliorum, ac Summorum Pontificum auctoritatem. Est enim ea mutatio res plena mysterii, ad repræsentandam scilicet lætitiam Paschalis celebritatis, ejusque varia sacramenta, quorum etiam vel ipsæ Constitutiones Lateranensis Ecclesiæ a Petro Cardinale S. Mariæ novæ, Archipresbytero, & Commendatario ejusdem Basilicæ, confectæ, atque deinde a Gregorio Papa XI. approbatæ, meminere, ubi in Rubrica I. §. XIV., ita inquiunt: *In vigilia Paschæ statim quando* Alleluja, *verbum lætitiæ decantatur, exuant nigras cappas, luctuosa pœnitentiæ tempora designantes, & superpellicea, seu albas cottas induant supernæ vitæ gaudia designantes, usque ad Festum Sanctorum omnium illa, seu illas deferentes cum almutiis supradictis*. Legere est hasce Constitutiones Tomo II. Musei Italici in Appendice III. ad Libellos Romani Ordinis, Pag. 576. & seqq.

XI. At vero tametsi quæ hactenus diximus satis nos edocent, qualis fuerit jam olim, & quæ hodieque esse debeat ea in re disciplina, nihilominus jam fere omnes Ecclesiæ novitium morem adoptarunt. Si causam quæras, non aliam fortasse probabiliorem excogitare poteris præter studium propriæ commoditati indulgendi, non huic tantummodo institutioni exitiale, sed & aliis sacris antiquis Ecclesiæ ritibus, quos ad Fidelium ædificationem Ecclesia Spiritu Sancto edocta, ejusque Præsules instituere. Ut ut sit, certe Romæ Clerus insignis Basilicæ Sanctæ Mariæ transtyberim custodit hactenus illibatum primogenium usum, hoc est, Celrus ille non attendens frigoris, calorisque gradus, prænunciato *Alleluja* in Missa sanctioris Sabbati, Cappas deponere, Cottasque supra Rocchettum assumere pergit, atque in his perstat ad momentum usque per Lateranensium statutorum verba superius allata indicatum. Id quod summe laudabile esse fateatur oportet, quicunque cultor est venerandæ antiquitatis, & minime ignorat, quantum Romana Ecclesia abhorrere consueverit novationes in sacris Ritibus, eas præsertim, per quas detrahi quidpiam reverentiæ vide-



Digitized by Google

videretur Paschali omnium maximæ solemnitati. Legatur Epistola Siricii Papæ ad Himerium Tarraconensem Episcopum, Cap. II.

XII. Reliquum est, ut duo adnotemus, unum est, quod Episcopi Cappam, alterum quod Cappas Canonicorum spectat. Episcopo quamvis summa semper exhiberi debeat a Canonicis reverentia, sciendum tamen, quod in sua Ecclesia Cappa utitur, & cum illa sedet, divinis Officiis assistens, censuit tamen Sacra Rituum Congregatio in Lauden. die IV. Aprilis anni MDCXX. non esse laudabilem consuetudinem, ut caput ei tunc aperiatur operiaturque ab altero ex Diaconis assistentibus, sed ut biretum ipsum ipsemet sibi Episcopus extrahere debeat. Affert hoc Decretum Barbosa in Tractatu, *De Canonicis*, Cap. XXXIII. Num. XXVI. & XXVII. ubi alias ejusdem Congregationis Decreta recenset, nempe in una S. Martini Terræ Carreti Thelesinæ Diœcesis die XXII. Decembris MDCXXIX. & in Jsernien. XXI. Augusti MDCXXXII. quibus expresse edicitur, *neque Dignitates, neque Canonicos assistentes Episcopo teneri illi caput tegere, & detegere, quando assistit divinis cum Cappa, & bireto*. Sed & S. Carolus in Concilio Mediolanensi IV. Provinciali ad Titulum, *De verbi Dei prædicatione*, de Episcopi vestitu agens in concione habenda, illud plane statuit, ut si Cappa Episcopali, & Stola potius, quam Pluviali, & Mitra uti maluerit, Diaconi, qui illi assistunt, *non sacro Diaconali Amictu, sed & ipsi, & alii Ministri Superpelliceo, aliove sui Canonicatus, Dignitatisve in Chori Officiis insigni induantur*.

XIII. Ad Canonicorum Cappas quod attinet, notanda tandem sunt illa §. nostri verba, quibus, Cappas, quæ ex recentiori Ecclesiæ disciplina, in Vigilia Pentecostes, seu pro diversitate locorum citius, aut serius mutantur, id non debere suo ipsorum arbitrio fieri, sed *prout Episcopo opportunum videbitur, præintimatis etiam Canonicis, qui Cappis utuntur, quo die mutari debeant*. Ex quo addiscimus, non esse ex Cæremoniali omnino extinctum veterem ritum mutandi Cappas Sabbato Sancto, sed arbitrio & prudentiæ Episcopi relinqui, quem non puto, ubi justa causa non adsit, a prisco, & probato Ecclesiæ instituto recedere, & pati venerandos ritus in pessum ire, quos nostri Majores instituere.

## §. IV.

Ceterum quod dicitur de hujusmodi Episcoporum habitu, tam Capparum, quam cæterarum vestium, non est intelligendum de Episcopis Regularibus, qui non mutant colorem sui habitus, neque induunt Rocchettum, sed in Ecclesia propria, uti debent Cappa coloris, suæ Religioni convenientis, pellibus, aut serico laneo ejusdem coloris suffulta. Excipiuntur ab hac regula Clerici Regulares, & uti dictum est Cap. I. Lib. I. Canonici Regulares, qui Rocchetto utuntur, & colore violaceo, ut & Presbyteri S. Spiritus, & militiarum S. Joannis, S. Jacobi, & aliarum.

## COMMENTARIUS.

I. ITerum atque iterum jam dictum fuit, eos qui ex Regularibus Ordinibus promoti sunt, juxta antiqua Patrum Decreta non modo colorem, sed & habitum ipsum suæ Religionis deferre debere, locoque Rocchetti in divinis Officiis Superpelliceo uti. Hodie ex nostri Cæremonialis præscripto, uti etiam supra notatum est, sat eis est, si colorem Religioni suæ convenientem in Cappa aliisque Episcopalibus indumentis servent. Excipiuntur tamen ab hac regula Canonici, & Clerici Regulares cujuscumque Ordinis, itemque Presbyteri Sancti Spiritus, & ex Militiarum Ordinibus assumti, puta S. Joannis, S. Jacobi, & id genus aliis, qui in habitu, & colore violaceo cum aliis Episcopis convenientes Rocchetto etiam utuntur. Nam, ut scite inquit Castaldus in sua Cæremoniarum Praxi, Sectione X. Cap. I. Num. IV. illa mutatio vestium non est ratione status, sed ratione habitus suæ Regulæ, quam sunt professi, & ideo cum isti tantum in statu a Clericis sæcularibus differant, conveniunt cum illis in habitu.

## §. V.

Omnes autem tam sæculares, quam religiosi Episcopi galero utuntur, a parte exteriori nigro, cui ab interiori sericum coloris viridis suffulciatur, & floccis sericeis viridibus, ab eo pendentibus. Galerus quoquo duplicis formæ habendus est, alter quo in solemnioribus equitationibus utuntur, ejusdem formæ, præter colorem, quo Eminentissimi Cardinales Pontificaliter equitantes uti consueverunt; alter simplicior: uterque ex lana, ac serico viridi exornati.

## COMMENTARIUS.

I. QUamquam, uti supra notatum est Episcopi Regulares, ex Monachis scilicet, & Fratribus mendicantibus assumti ab aliis in vestium colore differant, conveniunt tamen in capitis operimento, bireto scilicet, ac pileo laneo nigri coloris. Pileus ipse duplicis

Digitized by Google

plicis formæ erit; alter nempe, quo in ſolemnibus equitationibus utitur, ejuſdem formæ, quas Domini Cardinales Pontificaliter equitantes uti conſuevere; alter vero ſimplex, uterque tamen ab exteriori ex lana nigra, ab interiori vero ſerico coloris viridis ſuffultus, & cordulis viridis coloris exornatus, additis etiam ſolemniori floccis ſericeis viridibus ab eo pendentibus, ut ſcite notat Caſtaldus in Cæremoniarum Praxi Libro I. Sectione X. Cap. I. Num. VII. Cæremoniale Ambroſianum Lib. I. Cap. II. ubi de veſtitu Archiepiſcopi, & Epiſcoporum ad Urbem divertentium agit, de Pileo ſic inquit; *Cum opus erit, utetur pileo nigro laneo, ſerico viridi ſuffulto, cum cordulis, & floccis coloris viridis, eoque paſſim ſupra biretum cum extra domum pedeſter per Urbem procedet*. Porro notat Clariſſimus Joannes Marangonius in Vita, quam Italice ſcripſit de Servo Dei Patre Bonſignorio Cacciaguerra, Cap. XVIII. Pag. 66. conſueviſſe medio Seculo XV. Presbyteros omnes ita incedere, pileum ſcilicet ſuper biretum geſtantes, quem cordulis ab eodem pendentibus ſub mentum ligabant inſtar Prælatorum Romanæ Curiæ, qui in ſolemnibus equitationibus eodem modo geſtare pileum ſolent, ut ego Romæ non ſemel vidi.

## §. VI.

**Extra Dioeceſim, & Eccleſiam ſuam Epiſcopi non utuntur Cappa, præterquam in Romana Curia, cum in divinis, Pontifice Maximo, vel ſacro Cardinalium Collegio præſente aſſiſtunt. Dum iter agunt, utuntur brevioribus veſtibus cum manicis ſub genu per palmum, vel ultra protenſis, coloris temporum diverſitati convenientis, uti ſupra explicatum fuit; circa collum vero faſciam ſericam coloris nigri, latitudinis duorum palmorum, vel circa, longitudinis fere ad menſuram veſtium pendentium habere conſueverunt. In Dioeceſi autem, vel Provincia, Mozzetta ſuperinduenda eſt ſine prædicta faſcia.**

## COMMENTARIUS.

I. NOnnulla de Epiſcopali Cappa jam diximus ſupra Cap. II. in Commentario ad §. I. S. Carolus in Concilio Mediolanenſi IV. Provinciali, anni MDLXXVI. Parte III. Conſtitutionum, ubi de Epiſcoporum veſtitu diſſerit, de Epiſcopali Cappa ita inquit: *Cappam Epiſcopalem, cum in Eccleſia, vel ad divina officia, vel ad conciones, vel ad ſacras lectiones, vel ad alias ejuſdem generis actiones, accedunt, omnino induant*. Cappa uti non poſſe Epiſcopum, niſi in propria ſua Eccleſia, ac Dioeceſi, & in Romana quoque Curia, docet Auguſtinus Patricius Lib. III. *Sacrarum Cæremoniarum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ*, Cap. VI. *Prælati*, inquit, *extra Eccleſias ſuas non utuntur Cappa ampla, niſi in Romana Curia, cum adſunt ſacris, ſive profanis, vel publico Conſiſtorio cum Pontifice in ejus Capella*. Tum addit: *Cappas tamen non capiunt, neque deponunt intra cancellos Capellæ, neque in prima, aut ſecunda camera paramenti, ſed extra, ubi voluerint; ſic etiam ſacras veſtes*. In propria Dioeceſi, imo etiam in aliena, ubi quis tamen eſſet adminiſtrator Epiſcopus, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis in Sarſinaten. die XXII. Auguſti, anni MDCCXXII. in Reſponſione ad Dubium VIII. & IX. cum ad Cathedralem pergit Eccleſiam, poteſt proprio arbitrio ſumere Cappam magnam, vel in ædibus ſuperioribus, vel in ingreſſu Eccleſiæ, vel Presbyterii; & decet, quod accedentem ad Eccleſiam omnes Canonici excipiant in ædibus Epiſcopalibus, non vero ſoli tres, aut quatuor ad portam Eccleſiæ. Vide Urſayam Tom. I. *Diſceptationum*, Parte I. *Diſceptatione* II. ubi ea recenſet Sacræ Congregationis Decreta.

II. Dum iter agunt Epiſcopi, ex more antiquo, & præſcripto noſtri hujus §. *utuntur brevioribus veſtibus cum manicis ſub genu per palmum vel ultra protenſis, coloris temporum diverſitati convenientis*. Et mox: *Circa collum vero faſciam ſericam coloris nigri latitudinis duorum palmorum, vel circa, longitudinis fere ad menſuram veſtium habere conſueverunt*: Epiſcopi ſcilicet Eccleſiaſticæ diſciplinæ cuſtodes, & qui ad ſacrorum Canonum tramitem mores componunt, nam alias tum ſacræ Synodi, tum ſancti Scriptores non ſemel contra Epiſcopos invecti fuerunt, quod more Principum, & militiæ Ducum incederent. Petrus Bleſenſis, ut alios omittam, Epiſtola CXLVII. ad Bangorenſem ſcribens Epiſcopum, nec ignarus pauperi illum præeſſe Eccleſiæ, hortatur, ut Epiſcopalem agat vitam, hoc eſt, permodeſtam, & pauperem, cum vivere debeat de Euangelio, quo faſtus omnis damnatur veſtium, equorum, & numeroſiſſimi comitatus: *Veſtri inſtituti eſt*, inquit, *vivere de Euangelio, ſicut conſtituit vobis Dominus, non incedere pompatice in veſtium cultu, in equorum faſtu, in multitudine clientelæ*.

III. Qualis debeat eſſe habitus itinerarius Epiſcopi, docet Concilium Provinciale XIII. Beneventanum anni MDCLVI. Tit. III. Num. III. ita inquiens: *In itinere quoque tam in Diœceſi, quam extra eum veſtitum omnino habeat, ex quo illum eſſe Epiſcopum appareat, Mozzettam videlicet, cum per Diœceſim iter facit, & interiorem tunicam breviorem, ac mantellum viatorium violacei coloris; anulo vero Epiſcopali ſemper utatur*,



Digitized by Google

*ut perpetuo se Ecclesiæ suæ sponsum meminerit, & suæ eum non capiat oblivio dignitatis, cujus insignia negligere, & tanquam erubescere, præbabito seculari, ne dicatur, militari ornatu, tam indignum est, quam erubescere non modo Euangelium, & tantæ culmen potestatis, verum etiam Christum ipsum &c.* Tum Num. IV. ita concludit: *Obsecramus igitur Episcopos omnes, ne inepta quapiam socordia, seu levitate eo adduci patiantur, ut non eam, quæ suæ, quam sustinent, dignitati plane congruat, aut vestiendi, aut incedendi, equitandique rationem observent.*

# C A P. IV.

*Archiepiscopus, & Episcopus in sua Provincia, & Diœcesi singulis benedicunt. A benedictionibus abstinent, præsente Cardinali Legato de latere, ac etiam Cardinali non Legato. Cardinalis Archiepiscopus, & Episcopus, celebrans coram Cardinali non Legato, omnes benedictiones dat. Episcopus, suo Metropolita præsente, a privatis benedictionibus abstinet. Quid præstandum ab Episcopo, si adsit Nuntius Apostolicus, habens in eo loco facultates Legati de latere. Quid si sit simplex Nuntius, aut Collector generalis, vel facultates Legati ibidem non habeat. Quæ urbanitas a Legatis, Cardinalibus, Metropolitanis, aut Nuntiis exercenda sit erga Episcopum, ut munia Episcopalia obire possit. Episcopi semper Civitatum Gubernatores, & Magistratus antecedunt. Quomodo Episcopi obviam ire debent Cardinali Legato, vel non Legato.*

## §. I.

Quando Episcopus ambulat, vel equitat per suam Civitatem, vel Diœcesim, manu aperta singulis benedicit, & si est Archiepiscopus, Crucem etiam ante se deferri facit. In Ecclesiis vero suæ Diœcesis, vel Provinciæ etiam exemtis dabit benedictionem solemnem, aliaque omnia ad officium suum pertinentia faciet, prout passim suis locis declarabitur: sed si contingat, Cardinalem Legatum de Latere esse simul cum Episcopo in ejus Diœcesi, vel Archiepiscopo in ejus Provincia, abstinebit Episcopus non solum a benedictionibus solemnibus, sed etiam privatis; & si erit Archiepiscopus, nullatenus permittet ante se deferri Crucem, etiamsi ipse Archiepiscopus esset Cardinalis.

## COMMENTARIUS.

I. DUplex est benedictio Episcopalis, una solemnis, quæ fieri solet cum illa formula, *Sit nomen Domini benedictum*, cum Episcopus celebrat, in fine Missæ, & in aliis plerisque functionibus Episcopalibus, de quibus alias; altera est simplex, quam eundo per civitatem, vel alia loca Diœcesis, vel Provinciæ, manu elevata dat Episcopus, vel Archiepiscopus: de qua fuse jam disseruimus supra Cap. II. in Commentario ad §. I. quemadmodum & de privilegio, quo Archiepiscopi gaudent præferendæ sibi Crucis, ubi per Provinciam suam pergunt. Mandat autem in præsenti hic noster §. quod ubi contingeret Cardinalem Legatum a latere esse simul cum Episcopo in ejus Diœcesi, vel Archiepiscopo in ejus Provincia, abstinendum esse illis non solum a benedictionibus solemnibus, sed etiam privatis, ac præterea Archiepiscopo ipsi tametsi S. R. E. Cardinali omnino abstinendum a delatione Crucis.

II. Legati a latere vocantur quidem Legati Cardinales; *& hoc ideo*, ait Glossa in Cap. I. *De officio Legati* in VI. *quia assumuntur de latere Papæ. Nam sicut Imperator, & Patricii, sive Consiliarii faciunt unum corpus, cujus Imperator est Caput, & Consiliarii, qui sibi assistunt in secretis, dicuntur esse membra, ita similiter Papa, & Cardinales faciunt unum corpus, cujus Papa est caput, & Cardinales sunt membra. Ideo quando aliquis assumitur de Cardinalibus, ut mittatur Legatus, dicitur sumtus de latere, & appellatur Legatus de latere.* Tanta autem est hujusmodi Legatorum dignitas, ut nec Archiepiscopi, imo nec Patriarchæ possint Crucis vexillum sibi præferri, ubicumque scilicet præsens fuerit Summi Pontificis Legatus, utens insigniis Apostolicæ dignitatis, uti expressum est in Cap. *Antiqua, De privilegiis*; quia nimirum in præsentia majoris deponitur potestas reverentialis minoris, uti inquit Barbosa Lib. I. *Juris Ecclesiastici*, Cap. V. Num. XXI. ubi etiam ob memoratam rationem notat, quod & noster hic §. mandat, & docent passim Canonici Jurisconsulti, non posse Episcopum in Civitate, & Diœcesi, cui præest, præsente Legato de latere, benedicere populum, & deferre vestes, scilicet Mozzettam significantem jurisdictionem illius ordinariam. Vide Aloysium Riccium in praxi Episcoporum, Resolutione CDXCIV. per totum, ubi etiam aliam rationem assignat, quam tra-

Digitized by Google

tradunt Hostiensis, & Abbas in Cap. *Volentes*, *De officio Legati*, ne scilicet in uno corpore videantur duo capita quasi monstra.

III. Simili quoque ratione cessare aliorum Legatorum auctoritatem, ubi adesset Legatus a latere, constat plane ex Cap. VIII. *De officio Legati*, ubi Gregorius IX. Pontifex Maximus Patriarchæ Hierosolymitano ita scripsit: *Fraternitati tuæ Legationis officium in Provincia tua duximus committendum, ita tamen, quod si Legatus ad partes illas de latere nostro contigerit destinari, executionem ipsius officii, quandiu Legatus ipse ibi fuerit, pro Sedis Apostolicæ reverentia omnino dimittas*. Hinc multo magis præsente Legato a latere debent Episcopus, & Archiepiscopus abstinere a benedictionibus tum solemnibus, tum privatis, & a delatione insignium Pontificalium jurisdictionem indicantium, qualis est delatio Rocchetti aperti, Crucis, & similium. Tenentur enim honorare Legatos etiam ex vi juramenti, quod in sua consecratione juxta antiquum Ecclesiæ ritum præstare solent, de quo vide quæ diximus Tomo I. Romani Pontificalis Tit. XIII. in Commentario ad §. VIII. ubi inter alios juramenti articulos is etiam recensetur: *Legatum Apostolicæ Sedis in eundo, & redeundo honorifice tractabo*. Atque hic unus ex multis aliis est locus, quo Jurisconsulti utuntur ad asserendum, debere Episcopum, præsente Legato a latere in Diœcesi & Civitate, cui præest, abstinere a benedictionibus, & a delatione Insignium Episcopalium, quæ scilicet jurisdictionem denotant.

IV. Neque vero obstat, quod benedicere populum competat Episcopo ratione dignitatis, & jurisdictionis, Cap. *Ministrare*, XXVI. Quæstione VI. & Can. *Convenit*, De consecratione, Distinctione V. & quod ea quæ competunt Episcopo ratione jurisdictionis, non cessant per adventum Legati a latere, & illius præsentiam in Civitate, ex Bartolo in Lege III. Cod. *De Metatis, & Epidemeticis*, Lib. XII. ubi loquitur de Legato Perusino; & ex Abbate in Cap. *Volentes*, Num. IV. *De officio Legati*, & Brunello, *De dignitate, & potestate Legati*, qui loquuntur de Insignis denotantibus ipsam jurisdictionem, & dignitatem. Respondetur etenim, prædicta procedere in jurisdictione contentiosa, non vero quoad habitum, & Insignia reverentialia, quo casu opinio certa, & communis est, potestatem reverentialem minoris deponendam esse in præsentia majoris, ob rationem, quam docent Hostiensis, Baldus, Abbas, Joannes Andreas, & alii ad ipsum Caput, *Volentes*, nempe, deponenda esse Insignia propter reverentiam majoris, & ne in uno corpore videantur duo capita, quasi monstra, ut supra dictum est.

V. Tandem quamvis præsens proprie dicatur, qui personaliter est præsens, & sensibus exhibetur, ex Glossa in Clementina, *Dudum*, *De sepulturis*, verbo *præsentari*; & cujus essentia præsentatur sensui, vel intellectui, ut docet Sanctus Thomas Parte I. Quæstione VIII. Articulo III. sufficit tamen, Legatum esse præsentem in Civitate, cui præest Episcopus, ut idcirco abstinere is debeat a benedictionibus, & delatione Insignium jurisdictionem denotantium; cum verbum *præsens* etiam intelligatur de præsentia in loco, non autem solum de præsentia, quæ sensibus exhibetur, Lege *Cum in longi*, ubi Bartolus, & Baldus in principio, Cod. *De præscriptione longi temporis*. Atque ita cum de prædictis quæreretur, mandatum fuit observari per Sacram Rituum Congregationem, prout etiam servatum fuit in Legatis tam Provinciæ Marchiæ, quam Umbriæ, & aliarum, ut testatur Gratianus Decisione XXIX. Extat autem apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. CDXLIV. Num. II. & apud Gavantum in Manuali Episcoporum, in Additione ad verbum, *Legatus*, Sacræ Rituum Congregationis Decretum in Perusina die II. Octobris anni MDCI. quo edicitur, Legato præsente in Civitate, non posse Episcopum populo benedicere, nec uti Mozzetta, vel Rocchetto discooperto; intra vero propriam Ecclesiam posse, si ibi scilicet non sit præsens Legatus, vel eo annuente. Sed hoc Decretum, quod Mozzettæ delationem spectat, correctum est ex nostro hoc novo Cæremoniali a sanctæ memoriæ Benedicto XIII. Papa edito, atque probato, ut videre est infra ad Rubricam §. IV. in fine.

VI. Sed nec illud hic omittendum, quod docet Crassus Lib. I. Cap. XLIII. de præeminentiis honorum, Legato, ac Episcopo Cardinali simul in Missa præsentibus; ait enim, quod *regulariter Episcopus Cardinalis, dum ipse celebrat, debet habere omnes honoris præeminentias, invitando tamen Legatum ad ipsum honorem, quem Legatus cum aliquali gratiarum actione non acceptabit*. Si vero Cardinalis Episcopus non celebrat, sed interest Missæ, Legato præsente, cantatæ per alium, eodem Crasso docente, tunc ipse Cardinalis Episcopus nullatenus, sed Legatus omnes honoris præeminentias habebit, & maxime Indulgentias concedet, prout sibi placebit, juxta ejus facultatem, & faciet absolutionem, ac dabit benedictionem. In quibus actibus, ut laudatus Auctor mox subjicit, Legatus benignius agendo posset semper, & in unoquoque actu invitare semel ad minus Episcopum Cardinalem; quod tamen Episcopus Cardinalis reverenter cum gratiarum actione ad Legatum deferat, & sic Legatus solus faciet, si volet confessionem cum Celebrante, non tamen cum Episcopo ipso Cardinale, & melius etiam erit, si Legatus illam non faciet, præsente Episcopo Cardinale, cum Celebrante, sed quisque Cardinalis ad partem faciet cum suo Capellano.

VII. Quod si ambo Cardinales in uno eodemque suggesto erunt, tunc ipsi simul, ex ejusdem Crassi sententia, poterunt confessionem stantes facere, inchoante Legato; sed Legatus concedet Indulgentias, faciet absolutionem, & dabit benedictionem, ac etiam, si volet, ponet incensum, benedicet aquam in calicem mittendam, benedicet Subdiacono post Epistolam, & Diacono Euangelium cantaturo, sed neque Legatus, neque Episcopus Cardinalis habebunt circulos Canonicorum, nisi sit alioquin Episcopus loci; similiter

Digitized by Google

militer & Episcopus ob reverentiam Legati præsentis nullos circulos habebit, sed quisque cum suis Capellanis assistentibus prosequetur Introitum, *Gloria*, *Credo*, *Sanctus*, & *Agnus*, & nullus eorum Librum Missalem ante se habebit, aut uterque, sed melius est, quod nullus habeat.

VIII. Hæc Crassus, quæ nos idcirco retulimus, ut vel inde intelligas, quanta sit Legatorum Apostolicæ Sedis præeminentia, etiam ubi celebrat, vel præsens est Missæ per alium cantatæ Cardinalis Episcopus loci; ideoque multo magis ubi Episcopus non esset Cardinalis, deferre debet ipsis Legatis omnia honoris indicia juxta rationes jam superius explicatas, & communem praxim locorum.

## §. II.

Quod si esset præsens Cardinalis non Legatus una cum Episcopo non Cardinali, abstinebit simili modo Episcopus non celebrans ab omnibus benedictionibus, nec Crucem sibi præferre permittet, si erit Archiepiscopus, remittens omnia munia Episcopalia exercenda ipsi Cardinali præsenti: celebrans vero Episcopus debet per aliquem suum Capellanum Cardinali præsenti significare, ut omnia prædicta munia exercere, & benedictiones dare dignetur; quæ si Cardinalis facere, & exercere ex urbanitate noluerit, poterit Episcopus celebrans prædicta omnia adimplere.

## COMMENTARIUS.

I. TAnta est Cardinalium dignitas, ut, quemadmodum passim Scriptores tradunt, reliquæ dignitates tam sæculares, quam Ecclesiasticæ, illius splendore tamquam ad majus lumen obfuscari videantur. Hanc de Cardinalitia dignitate ideam tempore Eugenii IV. Papæ habitam fuisse, docent nos ejusdem literæ ad Henricum Archiepiscopum Cantuariensem relatæ in Bullario Romano Tomo I. *Cardinales*, inquit, *licet certarum Ecclesiarum, dum ad Cardinalatum assumuntur, Episcopi sint, nihilominus eos non Episcopos, sed Presbyteros S. R. E. Cardinales Sedes Apostolica appellat; quinimo si eis suas priores Ecclesias in titulum dimittat, non amplius sub nomine Ecclesiarum, sed tituli Cardinalatus scribit, quasi ad majorem dignitatem, & jurisdictionem assumserit; alioquin non ascendisse, sed descendisse, non honorari, sed dehonorari viderentur*. Scio olim prælatum fuisse Episcopatum Cardinalatui, eaque in re afferri egregia possent argumenta, quæ tamen videri possunt apud eruditos Auctores, nominatim vero apud Natalem Alexandrum in historia Ecclesiastica; verum post annum Christi millesimum, tantis donati sunt privilegiis, ut de iis ita scripserit S. Petrus Damiani Lib. I. Epistola XX. *Romanæ Ecclesiæ Cardinales Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibusdam aliis prærogativis non modo quorumlibet Episcoporum, sed etiam Patriarcharum, atque Primatum jura transcendunt*.

II. S. Bernardus Lib. IV. *De Consideratione*, Cardinales vocat Orbis Judices, aliisque egregiis exornat titulis. Eugenius IV. in laudatis literis ad Henricum Cantuariæ Archiepiscopum, & Angliæ Primatem datis hæc inter alia de Cardinalium dignitate habet: *Ipsos præterea Cardinales pro honoris, & dignitatis eminentia partem sui corporis Summi Pontifices appellant; ex quo sine ulla dubitatione ostenditur, post caput Ecclesiæ, quod est Papa, contigua sui corporis membra, qui sunt Fratres ejus Cardinales, præ cæteris Ecclesiæ membris, ac partibus honorari debere*. Adeo porro visa est aliquibus supra Episcopalem dignitatem Cardinalitia dignitas eminere, ut nonnulli Episcoporum ministerio ad vilia quæque munia uti non vererentur, sinerentque ipsos *ante se loqui genuflexos, & in mensa dum manus lavarent, similiter mantile ministrare*; ut verbis utar Augustini Patricii Lib. III. *Sacrarum cæremoniarum sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, Cap. XIII. Etiam initio Seculi XVI. indigne a Cardinalibus tractari consuevisse Episcopos, constat ex celebri Constitutione reformationis Curiæ edita in Concilio Lateranensi V. a Leone Papa X. Sessione IX. ubi rem illam absurdam damnat, ac statuit, ut Cardinales, *eos* (Episcopos) *quos vel nunc habent, vel imposterum sunt habituri, honorifice ut Fratres, ac juxta eorum status condecentiam tractent*.

III. In hanc quoque Episcopalis auctoritatis dejectionem, & vilipendium, vehementius in ipso Concilio Tridentino invectus dicitur zelantissimus, ac religiosissimus ille Dominicanæ Familiæ alumnus, ac Bracarensium Archiepiscopus Bartholomæus de Martyribus, qui dum durante Concilio una cum celebri Cardinale Lotharingiæ Romam ivisset, atque ibidem intelligeret, invaluisse consuetudinem, ut in Congregatione, aut conventu coram Pontifice, Cardinales quidem sederent tectis capitibus, detectis vero Episcopi, atque Archiepiscopi starent, tanto zelo, totque argumentis indignitatem pravæ illius consuetudinis Summo Pontifici Pio IV. exposuit, ut præter omnium expectationem Pontifex resolverit, hunc morem tanquam abusum, atque Episcopali characteri nimis injuriosum abrogare, uti & re ipsa tunc abrogavit, mandans in Congregatione eodem die habita, ut Episcopi æque ac ipsi Cardinales sederent tectis capitibus. Rem, ac totum zelantissimi Præsulis discursum coram Pontifice habitum narrat Scriptor Gallicus ipsius Vitæ Libro II. Cap. XXII. itemque Malachias d'Inguimbert Archiepiscopus Theodosiæ, tum Carpentoratensis

Digitized by Google

tensis in Vita Latina, Cap. VII. præfixa ejusdem Bartholomæi Operibus, Tomo I.

IV. Si primævam S. R. E. Cardinalium institutionem spectemus, non alii profecto erant antiquitus, quam ipsius Romanæ Ecclesiæ ordinarius Clerus constans ex Presbyteris, & Diaconis; unde *Presbyterium*, de quo mentionem facit Sanctus Cornelius Papa in Epistola ad S. Cyprianum, idem fuisse quoad officium, & functiones cum hodierno Cardinalium Collegio, notat Pamelius ad ipsam S. Cornelii Papæ Epistolam: *Presbyterium*, ait, *intelligit tum hic, tum paulo post Collegium, sive Senatum, ut loquitur D. Hieronymus Epistola ad Rusticum, Cleri Romani, utpote sine quorum consilio nihil soleat agere Romanus Pontifex. Atque adeo tum hinc, tum ex Epistolis Cypriani ad Clerum Romanum constat, Presbyteros, & Diaconos Ecclesiæ Romanæ in eadem auctoritate jam olim fuisse, qua nunc pollent, eodem etiam munere functos, quo nunc Cardinales, nempe, ut essent Consiliarii, & Assessores Episcopi Romani. Quod plane perspicuum fit ex verbis illis Epistolæ* LV. *ad Cornelium*: Florentissimo illic Clero tecum præsidenti. *Erant tamen illis Episcopi temporis superiores*. Hæc eruditus Pamelius.

V. Cum ergo Cardinales Romanæ Ecclesiæ non essent, nisi Presbyteri, ac Diaconi suis respective Ecclesiis, aut Titulis incardinati, ipsum Clerum Ecclesiæ Romanæ eo modo constituentes, quo aliarum particularium Ecclesiarum Presbyteri, ac Diaconi suæ respective Ecclesiæ Clerum conficiebant, nulla quoque supra reliquos prærogativa in illa qualitate eminebant, quemadmodum sex, aut septem illi Episcopi Romæ adjacentes, etiam postquam Romanæ Ecclesiæ Cardinales creati fuere, uti monet eruditissimus Onuphrius Panvinius in Libro, *De Episcopatibus, Titulis, & Diaconis Cardinalium*, Pag. 30. neque Patriarchis, neque Metropolitanis, vel Archiepiscopis, neque etiam Episcopis aliarum Civitatum, licet Cardinales non essent, ante se tamen consecratis, digniores erant, nec etiam eos præcedebant; sed eorum præcedentia erat ratione temporis, quo Episcopi creati fuerant; etenim, ut idem Auctor mox subjicit, *Episcopus Cardinalis Ostiensis, si post Episcopum Veronensem, qui non erat Cardinalis, vel post alium quemquam creatus fuisset, superiorem eo locum neque in consessu, neque in procedendo habebat, eos tantum Episcopos præcedebat, qui post eum creati fuerant: quæ omnia idcirco dico, quod nihil dignitatis, aut præeminentiæ illis dabat antiquitus, esse Cardinales*. Hæc ille, qui etiam tradit, quod usque ad tempora Gregorii VII. & Urbani II. Maximorum Romanorum Pontificum religiose observata fuerit hæc disciplina.

VI. Idipsum docent Canonici Jurisconsulti, inter quos Barbosa Lib. I. *Juris Ecclesiastici*, Capite III. Num. XVII. ait, quod *usque ad tempora Bonifacii VIII. nullus erat Episcopus, qui vellet fieri Presbyter Cardinalis, quia putabant non licere descendere a majore dignitate ad minorem*. Quin & Ludovicus Gomesius in Procemio ad Regulas Cancellariæ inquit, quod *Episcopi usque ad tempora Clementis V. & Joannis XXII. in Ecclesia Dei ita in excelso honoris, & existimationis fastigio positi fuerunt, ut dignitate deprimi, ac gradu minui arbitrarentur, si ex Episcopis ad Cardinalatus officium assumerentur*. Id quod etiam asserit Zerola in sua Praxi Episcopali, verbo, *Episcopus*, & post alios Vanespen Parte I. *Juris Ecclesiastici universi*, Tit. XXII. Cap. I., ubi etiam & illud notat, non posse præcise determinari, quo primum tempore crescere cœperit ipsa Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium dignitas, additque mox quoque, sat illud constare sensim atque gradatim ad eam tandem in qua modo conspiciuntur, Eminentiam pervenisse. Quanta autem sint hodie Cardinalium privilegia, fuse enarrant Scriptores, qui de Cardinalibus peculiares Tractatus edidere.

VII. Sed quicquid de ea re sit, cum teste S. Petro Damiani, S. R. E. Cardinales quibusdam suis prærogativis non modo quorumlibet Episcoporum, sed etiam Patriarcharum, atque Primatum jura transcendant, & uti ajunt Eugenius IV. & Leo X. Pontifices Maximi citatis locis, reliquos omnes dignitate ac honore post Summum Pontificem antecellant, non mirum videri debet, quod præsente Cardinale una cum Episcopo non Cardinali, abstineat is, ubi non celebrat, ab omnibus benedictionibus, nec Crucem sibi præferri sinat Archiepiscopus, sed omnia munia Episcopalia exercenda Cardinali ipsi præsenti remittat. Ubi vero celebraret Episcopus, debere illum per aliquem suum Capellanum Cardinali præsenti significare, ut omnia prædicta munia exercere, & benedictiones dare dignaretur, disertis verbis hic §. præcipit; docentque Auctores passim inter quos Castaldus in sua sacrarum Cæremoniarum Praxi Lib. II. Sectione XII. Cap. IX. Ceterum si invitatus ab Episcopo Cardinalis munia illa obire ex urbanitate recusaverit; *poterit Episcopus celebrans prædicta omnia adimplere*. Clara enim Rubrica est nostri §. nec alia interpretatione indiget.

## §. III.

Si vero Episcopus ipse esset etiam S. R. E. Cardinalis, & non celebraret præsente alio Cardinale, debet ipse Cardinalis Episcopus alium Cardinalem præsentem rogare, ut omnes benedictiones thuris, aquæ, & ministrorum faciat, ac in fine populo solemniter benedicat, quæ si Cardinalis præsens facere recusaverit, poterit ipse Cardinalis Episcopus prædicta omnia vel remittere ad Celebrantem, vel ipse exercere, dummodo quando in fine populo solemnem benedictionem daturus erit, non stet

apud

Digitized by Google

apud Sedem, sed propter reverentiam Cardinalis præsentis accedat ad Altare, & inde populo solemniter benedicat.

## COMMENTARIUS.

I. JUxta receptam Romanæ Ecclesiæ disciplinam, & pluribus seculis servatam Cardinales adeo olim Titulis suis affixi erant, & Romano Pontifici assistere debebant, unaque cum ipso majora universæ Ecclesiæ negotia agere, ut in Episcopos minime possent postulari. Id sane docet Innocentius III. in Epistola ad Clericos Ravennates, relata in Cap. III. *De postulatione Prælatorum*. Sed & ea olim diu viguit disciplina, ut cum quis Episcopus Cardinalitia insigniebatur dignitate, illico Episcopatu exuebatur; etenim Clemens VI. anno MCCCXLIV. cum Episcopum Atrabatensem Cardinalatus purpura exornasset, a vinculo eum prioris absolvit Ecclesiæ: *A vinculo*, inquit, *quo Atrabatensi tenebaris adstrictus, per nos de potestatis plenitudine absolutum, ad Cardinalatus honorem duximus assumendum*. Affert hoc monumentum Rainaldus ad annum ipsum MCCCXLIII. Num LXVIII. ex eoque Thomassinus Parte II. *Disciplinæ*, Lib. III. Cap. V. Num. XII. apertissime demonstrari ait, quam non cohæreret olim Cardinalatus cum Episcopatu, exceptis iis Episcopalibus Ecclesiis, quæ Tituli Cardinalium ipsæmet sunt.

II. Prodit præterea Theodoricus de Niem, qui XXX. annos Romæ traduxerat sub Urbano VI. & successoribus ejus, Lib. I. *De schismate*, Capite XII. ideo creasse ipsum Urbanum uno die Cardinales XXVI. quod tanto ex numero sperarat, aliquos saltem collatæ sibi dignitati assensuros, eamque spem Pontificem minime fefellisse: *Simul & semel viginti sex Cardinales una die creavit, existimans forte, quod de tanto numero eorum aliqui hujusmodi Cardinales fastigium acceptarent; prout nec ipsum fefellit opinio*. Abhorrebant tunc non pauci a Cardinalatu non solum propter ambages, & angustias illius schismatis, sed quod ea dignitate exornari non possent, nisi omnibus ante Beneficiis, ipsoque Episcopatu exuerentur. Hinc cum Cardinalium postea Collegio ab eodem Pontifice adlegerentur tres Electores Imperii, iidemque Archiepiscopi, cum aliis Episcopis Germaniæ omnes abnuerunt, & dissensu suo spem frustrarunt Pontificis, qui alias illis permittebat, ut propriæ administrationem Ecclesiæ una retinerent: *Cardinalatus honorem*, ait laudatus Theodoricus de Niem Lib. I. Cap. XLIII. *acceptare noluerunt, licet Papa Archiepiscopis, & Episcopis præfatis Ecclesiarum sibi commissarum administrationem in spiritualibus, & temporalibus, quoad viverent, eis etiam non petentibus conservasset*. Specialis erat gratiæ, & arbitrarii beneficii, quod Archiepiscopatus, & Episcopatus suos retinere permitterentur, sed subdit Thomassinus, maluisse illos Ecclesias suas jure suo, quam alieno beneficio; Titulo, quam Commenda possidere.

III. Ex eodem Scriptore Theodorico Niemo Lib. III. Cap. XXXIX. Gregorius Papa XII. Cardinalibus adscripsit Episcopum Wormaciensem, a quo & ipso recusata est eminentissima dignitas, verito, ne ea admissa daretur sibi successor in Wormaciensi Episcopatu: *Episcopum Wormaciensem Gregorius XII. fecit Cardinalem, sed noluit acceptare, timens forte, quod si illum acceptaret honorem, alius sibi subrogaretur Antistes in Ecclesia Wormaciensi*. Pluribus hujusmodi exemplis addi potest celebre testimonium nonnullorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium aliorumque Consultorum, quos ad mores Ecclesiæ meliorem in formam revocandos percontatus est aliquando Paulus III. Pontifex Maximus. Hi enim inter alios abusus & hunc magni momenti recensuerunt, quem una cum aliis censebant ab Ecclesia eliminandum: *Alius abusus invaluit*, inquiunt, *ut Reverendissimis Cardinalibus Episcopatus conferantur, seu commendentur, non unus tantum, sed plures: quem, Beatissime Pater, putamus, magni esse momenti in Ecclesia Dei*.

IV. Fidenter Pontifici mox renunciant, una consistere, & sociari non posse Cardinalatum, & Episcopatum, tum quod ex officio suo tenentur Cardinales apud Apostolicam Sedem residere, & Pontifici collaborare in regenda Ecclesia universali; tum etiam vel maxime, quod legibus Ecclesiasticis illi multo arctius obligantur, quam ceteri Præsules, cum ceteris Præsulibus omnibus Cardinales ipsi suo maxime exemplo prælucere debeant: *Primo quidem, quia officium Cardinalatus, & officium Episcopi incompatibilia sunt. Nam Cardinalium est assistere Sanctitati tuæ pro gubernanda universali Ecclesia; officium autem Episcopi est, pascere gregem suum; quod præstare bene, & ut debet, haud potest, nisi habitet cum ovibus suis, ut Pastor cum grege*. Et mox: *Præterea, Pater Sancte, hic usus maxime obest exemplo; quomodo namque hæc sancta Sedes dirigere, & corrigere aliorum abusus poterit, si in præcipuis membris abusus non tollentur; nec ob id, quod Cardinales sint, putamus, eis magis licere transgredi legem, imo longe minus; horum enim vita debet esse aliis lex: nec imitandi sunt Pharisæi, qui dicunt, & non faciunt; sed Christus Salvator noster, qui cœpit facere, & postea docere*.

V. Ajunt denique, Principum terrenorum rationibus, affectibusque ubi implicantur Cardinales, & Episcopatibus per eos augentur, eorum studiis, partibusque tum illos addici, & mancipari, atque ita eos jam non esse, qui in commune consulere, & communi omnium parenti Romano Pontifici Maximo a consiliis esse possint ad universæ Ecclesiæ utilitatem: *Amplius hic usus nocet in consultationibus Ecclesiæ; nam hæc licentia fomentum est avaritiæ. Ambiunt Cardinales a Regibus, & Principibus Episcopatus, a quibus postea dependent, nec possunt sententiam dicere; imo si possent, & vellent, fallerentur tamen passione*

Digitized by Google

*sione animi in judicando perturbati*. Hinc fore optatissimum subdunt, ut sui Cardinalibus proprii essent proventus, nec arduum id fore, si proventuum ipsorum mediocritate contenti esse vellent: *Ideo ultimum hic mos tolleretur, & providerentur Cardinalibus, ut possent honeste pro dignitate vivere, omnibus æquales reditus. Quod putamus, facile fieri posse, si vellemus abjicere servitutem mammonæ, & Christo tantum servire.*

VI. Integram Cardinalium consultationem, & aliorum, quos ad reformandos varios abusus, qui in Ecclesiam ante Synodum Tridentinam irrepserant, Paulus III. percontatus fuit, affert Natalis Alexander in Historiam Seculi XVI. notandum autem in eo capite, quod nos enarravimus, quam Consultores ii, quorum plures Cardinales erant, vehementer exarserint adversus eam licentiam, qua Cardinales non pauci Episcopatus tenebant, vel Titulo, vel Commenda, & quidem plures quandoque, quos per Mercenarios regebant, eumque abusum, qui jam antea invaluerat, sua egregia Epistola sugillavit Jacobus Cardinalis Papiensis, quam integram nos retulimus nostro I. Tomo Conciliorum in Commentario ad Canonem X. Chalcedonensem, ad quem Lectorem remittimus, est enim lectu digna, quod in ea varia religiosissimus æque ac doctissimus scriptor argumenta congessit adversus illos, qui pluribus Sacerdotiis incubabant, contra juris Divini, & Canonici regulas.

VII. Ceterum vero quod nostram rem spectat, Synodus tandem Tridentina ei disciplinæ inhærens, quod S. R. E. Cardinales possint etiam aliarum Ecclesiarum esse Episcopi, illud tamen statuit, non posse ipsos nisi unum Episcopatum obtinere sive Titulo, sive Commenda; quod enim iis, qui ex sex illis Cardinalitiis Episcopatibus Romæ circumjacentibus aliquem obtinent, alius etiam quandoque detur Episcopatus, id nihil ad pluralitatem facit, ex eo quod jam a plurimis seculis alia sit istorum ab aliorum Episcopatuum natura, nec tam ut Episcopatus, quam ut Cardinalium Tituli spectentur; ut fuse ostendit laudatus Thomassinus Parte II. *Disciplinæ*, Lib. III. Cap. V. ubi etiam ad Num. XII. in fine Fagnani sententiam laudat, qui prolato testimonio Cardinalis Cajetani ajentis ex jure sociari non posse Cardinalatum Episcopatui, quamquam juri consuetudo derogavit, si consuetudo tamen ea sit, & non potius corruptela, addit vehementer consentire eam doctrinam stylo Curiæ, ut Cardinalibus Romæ residentibus Papa Episcopatus in Commendam tantum, non in Titulum conferat.

VIII. Ex quo autem invaluit disciplina, ut consistere, & sociari posset Cardinalatus, & Episcopatus, peculiares statim pro ipsis Cardinalibus Episcopis statutæ sunt Cæremoniæ, quæ passim in hoc Cæremoniali occurrunt, ut ipsum legentibus patet, uti enim in dies aucta est Cardinalium dignitas, ita & in dies aucti honores eisdem exhibendi ab Episcopis præsertim, qui jam multis ab hinc seculis, uti supra notatum fuit, sunt Cardinalibus dignitate inferiores. Verum quod hunc nostrum §. spectat, perspicua est ejus Rubrica, ubi ait, quod, si Episcopus ipse sit etiam S. R. E. Cardinalis, & non celebraret, præsente alio Cardinali, debet ipse Cardinalis Episcopus alium Cardinalem præsentem rogare, ut omnes benedictiones thuris, & Ministrorum, de quibus infra sermo erit, faciat, & in fine populo solemniter benedicat. Quid autem si Cardinalis præsens ea facere recusaverit? Tunc ex præscripto ejusdem nostri hujus §. Cardinalis Episcopus poterit omnia vel remittere ad Celebrantem, vel ipse exercere; modo quando in fine populo erit solemnem benedictionem elargiturus, *non stet apud Sedem, sed propter reverentiam Cardinalis præsentis accedat ad Altare, & inde populo solemniter benedicat.*

## §. IV.

Si vero ipse Cardinalis Archiepiscopus, vel Episcopus celebraret, præsente alio Cardinale non Legato, ipse Cardinalis Archiepiscopus habens ante se Crucem, populo solemniter benedicet, omnes benedictiones, & alia munera Archiepiscopalia, vel Episcopalia dabit, & exercebit ipse Cardinalis celebrans. Præsente vero, seu adveniente suo Metropolitano, cessabit Episcopus a benedictionibus privatis. Sed propter adventum alterius Episcopi, non cessabit obire sua munia prædicta: nec relinquet sua insignia, licet in ceteris honorifice eum tractare, & recipere debeat, ac domi ponet eum a dextris, secus extra domum. Si erit præsens Nuntius Apostolicus habens in eo loco facultates Legati de latere, Episcopus ab eisdem abstinebit, a quibus illi cavendum esse dictum est, præsente Cardinali non Legato. Sed si non habeat hujusmodi facultates, sed sit simplex Nuntius, aut Collector generalis, vel etiamsi habeat facultates, non tamen in ea civitate, vel loco, ditioni Episcopali subjecto, Episcopus fungetur officio suo, neque ob ejus præsentiam sua munia intermittet. Quod si præsens fuerit Visitator Apostolicus Episcopus, vel non Episcopus, & sit in loco suæ jurisdictionis, exhibendi erunt ei honores, qui Cap. XIII. & XXIII. Libri I. præscribuntur. Archiepiscopi porro, eodem Visitatore in locis demandatæ Visitationis præsente, poterunt ante se Crucem deferre. Episcopi etiam Car-



Digitized by Google

dinali Legato, vel non Legato in eorum Civitate Episcopali, seu in Dioecesi commorante, ab usu Mozzettæ non teneantur abstinere.

## COMMENTARIUS.

I. QUædam sunt huic §. nostri Cæremonialis, Benedicti Papæ XIII. jussu editi, atque auctoritate probati additamenta inserta, quæ in anterioribus Cæremonialibus ante ipsum editis desiderantur. Deest itaque primum initio §. vox, *Archiepiscopus*, nam ajunt: *Si vero ipse Cardinalis Episcopus celebraret &c.* cum alias §. noster sic inquiat: *Si vero ipse Cardinalis Archiepiscopus, vel Episcopus celebraret &c.* Sed hoc additamentum levis est quidem momenti, maximi vero quod in fine factum est additamentum, quo etiam varia Sacræ Rituum Congregationis Decreta correcta sunt, & Auctorum complurium sententia corruit, ut innuimus supra in Commentario ad §. 1. hujus Capitis, & dicemus mox infra fusius.

II. Sed ut cum ordine procedamus, ubi supra explicuit Cæremoniale cæremonias, ac ritus, qui servari debent ab Episcopo Cardinali, ubi non celebraret ipse, & præsens adesset alius Cardinalis, præscribit nunc ceræmoniam, quæ debet servari, cum præsente alio Cardinali Episcopus Cardinalis celebraret. Ait ergo hic noster §. quod, *si ipse Cardinalis Archiepiscopus, vel Episcopus celebraret, præsente alio Cardinali non Legato, ipse Cardinalis Archiepiscopus habens ante se Crucem populo solemniter benedicet, omnes benedictiones, & alia munera Archiepiscopalia, vel Episcopalia, dabit, & execerbit ipse Cardinalis celebrans.* Ubi nota, recte vocem Archiepiscopi additam fuisse in hoc §. ut significaret, posse Archiepiscopum Cardinalem Cruce uti in danda solemni benedictione etiam præsente aliquo Cardinale, cum scilicet ipse Cardinalis Archiepiscopus celebraret.

III. Exceptis Cardinalibus, sive Legatis, sive non Legatis, itemque Nuntio Apostolico habente in eo loco facultates Legati de latere, ac proprio Metropolitano, qui si præsentes fuerint divinis officiis, abstinere debet Episcopus a privatis benedictionibus, & ab aliis, quæ notata superius sunt; ubi alius adesset Metropolitanus, & Episcopus, imo & Nuntius Apostolicus, qui scilicet non habeat facultates Legati de latere, vel si habeat, non tamen in ea Civitate, vel loco ditioni Episcopali subjecto illas habet, tunc ex præscripto nostri hujus §. fungetur Episcopus officio suo, neque ob eorum præsentiam sua Episcopalia munia intermittet. Porro propter adventum alterius Episcopi, non modo cessare non debet Episcopus proprius prædicta sua munia obire, sed nec relinquere sua Insignia, licet in cæteris honorifice eum tractare, & recipere debeat, ac domi ponere eum a dextris, secus vero extra domum, & præsertim in Ecclesia, ubi proprius ipse Episcopus exceptis superius memoratis personis nemini prorsus cedit, non Archiepiscopo, non Primati, non Patriarchæ, qui scilicet exteri sint, non proprii.

IV. Idem dicendum de Præside, seu Gubernatore Prælato, quem quidem licet Episcopus ubi ab illo visitatur domi ad dexteram collocabit, secus tamen extra domum, juxta præscriptum novi Cæremonialis BENEDICTI XIV. quod scilicet ejus jussu, & auctoritate editum est anno MDCCXLI. Postquam enim Cap. 1. §. *Imminente*, dictum fuit, ut Præses, seu Gubernator, Episcopum, sive Archiepiscopum visitans, comiter ab ipsis exceptus, ad dexteram in audientiæ aulam introducatur, ita prope finem ejus Capitis subjungitur: *Quanquam superius statutum sit, quod Archiepiscopus, aut Episcopus domi ponere debeat a dextris Præsidem, seu Gubernatorem, secus tamen extra domum servabit; quia semper, & in quocumque tertio loco, tum ipse, tum cæteri Provinciæ Antistites dexteram supra Præsidem, vel Gubernatorem retinebunt.* Addit mox etiam Cæremoniale & illud, quod de Præside, seu Gubernatore dictum est, etiam de Vice-Legatis statutum intelligi: *Quæ hactenus de Præsidibus, & Gubernatoribus præcepta fuere, a Vice-Legatis etiam tam erga Archiepiscopum, quam Episcopos non Cardinales in locis eorum ditioni subjectis erunt omnino adimplenda.* Omitto alia, quæ ex ipso novissimo Cæremoniali describi hic possent, quod jam illud integrum initio hujus Operis descripserim; multa enim continet, quibus & nostrum Cæremoniale illustratur, & lites, quæ in re Cæremoniali inter Episcopos & Gubernatores Prælatos Status Ecclesiastici oriri solent, præcidi possunt.

V. Redeo nunc ad §. nostrum, ubi ea quæ sequuntur, additamenta sunt, facta a Benedicto XIII. in nostro hoc Cæremoniali, quale est illud, *quod si præsens fuerit Visitator Apostolicus Episcopus, vel non Episcopus, & sit in loco suæ jurisdictionis, exhibendi erunt ei honores, qui Cap.* XIII. *&* XXIII. *Lib.* 1. *præscribuntur*; itemque & illud quod statim subjicitur his plane verbis notatu dignis, quippe quibus varia Sacræ Rituum Congregationis Decreta corriguntur, & complurium Auctorum sententia corruit: *Archiepiscopi porro, eodem Visitatore in locis demandatæ Visitationis præsente, poterunt ante se Crucem deferre. Episcopi etiam, Cardinali Legato, vel non Legato in eorum Civitate Episcopali, seu in Diœcesi commorante, ab usu Mozzettæ non teneantur abstinere.* Mozzettam, seu Rocchettum discoopertum non posse deferri ab Episcopo etiam in propria Civitate, præsente Legato de latere, edixerat Sacra Rituum Congregatio in Perusina die II. Octobris anni MDCI. apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. DXVIII. Num. VII. Meminit quoque eruditus Meratus in suis ad Gavantum additionibus alius Decreti ejusdem Sacræ Congregationis die X. Julii anni MDCXXI. quo edicitur, Episcopum processurum cum Mozzetta de-

Digitized by Google

debere eam deponere coram Cardinalibus etiam non Legatis in Italia. Verum ad hoc Decretum eam notam apposuit memoratus ipse Meratus: *In Cæremoniali vero recognito, & vulgato* MDCCXXVII. loquitur de nostro Cæremoniali a Benedicto XIII. correcto, ac probato, *præscribitur Episcopum in propria Diœcesi debere deponere Mozzettam solum coram Cardinali Legato*.

VI. Forte dicet quispiam lapsum fuisse Meratum, cum ita scripsit, quia scilicet in hoc nostro §. expresse edicitur, non teneri Episcopos ab usu Mozzettæ abstinere, Cardinali Legato, vel non Legato in eorum Civitate Episcopali, seu in Diœcesi commorante; verum non loquitur laudatus Auctor de Cardinali Legato moram in Civitate, vel Diœcesi Episcopi faciente, sed de Legato ad eam primum adveniente, cui Episcopus obviam procedens abstinere quidem debet a delatione Mozzettæ, ut expresse præscriptum est infra ad §. VII. ad eum enim locum alludit Meratus, ubi edicitur, quod *si Episcopus obviam iret alicui Cardinali Legato, vel non Legato ad ejus Civitatem advenienti, usque ad portam, vel extra eam, vel etiam si cum eisdem per Urbem incederet, induet supra Rocchettum Mantellettum, & abstinebit a delatione Crucis ante se, si erit Archiepiscopus ob reverentiam officii, & dignitatis illius; & si erit Cardinalis Legatus abstinebit etiam ab usu Mozzettæ*. Deponitur itaque Mozzetta ab Episcopo, ubi obviam it Cardinali Legato ad Civitatem ipsius advenienti, vel forte etiamsi cum illo per ipsam Civitatem incederet; non autem si Cardinalis ipse Legatus in eadem Civitate moram faceret; alias enim Cæremoniale nostrum sibi invicem collideretur, & de eo quod in hoc §. statuit, deinde in §. VII. palinodiam caneret.

## §. V.

Ut autem Episcopus commodius sua munia Episcopalia exercere valeat, puta consecrare, ordinare, conficere oleum sanctum, & similia facere, ex urbanitate Legatus, seu Cardinalis, Nuntius, aut Metropolitanus in Civitate præsentes, hujusmodi actibus intervenire non curent: ne ob eorum præsentiam, & dignitatem vel Episcopus a necessariis functionibus Episcopalibus abstinere cogatur, vel saltem interposita mora, & majori cum difficultate actus prædicti executioni demandentur.

## COMMENTARIUS.

I. POstquam tot Cæremoniæ introductæ sunt in Ecclesiam, quæ ab Episcopis servari debent, ubi Pontificalibus functionibus præsentes sunt S. R. E. Cardinales, tum Legati, tum non Legati, vel Nuntius Apostolicus habens facultatem Legati de latere juxta explicationem superius traditam, aut proprius Metropolitanus, recte admonet hic §. noster, laudabile esse, & valde opportunum, si memoratis functionibus illi minime intervenirent, ne scilicet ob eorum præsentiam, & dignitatem, vel Episcopus a necessariis functionibus Episcopalibus abstinere cogatur, vel saltem interposita mora, & majori cum difficultate actus prædicti, Ordinationis scilicet, confectionis Olei sancti, & similium, executioni demandentur. Porro vidi aliquando turbari divina officia, sacrosque Ecclesiæ ritus ob inopinatum adventum alicujus, qui superior esset Episcopo dignitate, & præeminentia; aliquando etiam coactum fuisse Episcopum Pontificalibus vestibus indutum diu in Secretario expectare Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem divinis Officiis assistere volentem, ut alia omittam, quæ ex Rubrica hujus nostri §. conjici possunt.

## §. VI.

Gubernatoribus vero Civitatum præsentibus, præeminentia semper sit Episcopi, tam intra, quam extra Ecclesiam: Magistratus vero, & alios Magnates, & Viros nobiles, & præcipue Principes magnos, & potentes, Episcopus pro eorum qualitate, & gradu honorabit, non tamen ob eorum præsentiam cessabit unquam a suo officio; neque ita illis se submittet, ut qui Patris locum tenet, ministri munus subire videatur, sed memor sit dignitatis suæ, quæ tantopere illi ex Tridentini Concilii gravissimo Decreto commendatur.

## COMMENTARIUS.

I. QUantum ad Civitatum Gubernatores, sive ii seculares sint, sive Prælati, ut in Statu Ecclesiastico, præeminentia semper debet esse Episcopi, uti non uno in loco ostendimus ex sacris Canonibus, constatque ex novo Cæremoniali edito jussu BENEDICTI XIV. feliciter Regnantis pro Provinciarum Præsidibus, Gubernatoribus, Prælatis, &

Apostolicis Vice-Legatis. Honorare quidem debet Episcopus tum ipsos Gubernatores, tum Præsides, tum Vice-Legatos, itemque Magistratus laicos, & alios Magnates, & viros nobiles, & præcipue Principes magnos, & Potentes, pro eorum qualitate, & gradu, ita tamen, ut ob eorum præsentiam non cesset unquam a benedictionibus elargiendis tum privatis, tum solemnibus, & ab aliis functionibus Ecclesiasticis, in quibus alias, uti superius explicatum fuit, aliter deberet se gerere, si essent præsentes S. R. E. Cardinales, vel Nuntii Apostolici habentes scilicet facultates Legati de latere.

II. Cavere autem præsertim debet Episcopus, ne ipsis Magistratibus laicis, Magnatibusve, vel Principibus quantumvis magnis se submittat, ne ipse scilicet, *qui Patris locum tenet, Ministri munus subire videatur, sed memor sit dignitatis suæ, quæ tantopere illi ex Tridentini Concilii gravissimo Decreto commendatur*. Inter alios titulos, quibus donati sunt olim Episcopi, nomen etiam Patris recenseri, ex sacris Synodis, & sanctis Patribus innumera pene afferri testimonia possent. Sed describamus Decretum Concilii Tridentini, quod extat Sessione XXV. *De reformatione*, Capite XVII. cujus verba hæc sunt: *Non potest sancta Synodus non graviter dolere, audiens Episcopos aliquos sui status oblitos, Pontificiam dignitatem non leviter dehonestare, qui cum Regum Ministris, Regulis, & Baronibus, in Ecclesia, & extra, indecenti quadam demissione se gerunt, & veluti inferiores Ministri Altaris, nimis indigne non solum loco cedunt, sed etiam personaliter illis inserviunt. Quare hæc, & similia detestans sancta Synodus Sacros Canones omnes, Conciliaque generalia, atque alias Apostolicas sanctiones ad dignitatis Episcopalis decorem, & gravitatem pertinentes renovando, præcipit, ut ab hujusmodi inposterum Episcopi se abstineant, mandans eisdem, ut tam in Ecclesia, quam foris suum gradum, & ordinem præ oculis habentes, ubique se Patres, & Pastores esse meminerint; reliquis vero tam Principibus, quam ceteris omnibus, ut eos paterno honore, ac debita reverentia prosequantur*.

III. Hactenus Tridentinum Decretum, quod cum forte ab Episcopis plerisque nostro hoc seculo negligeretur, quippe qui suæ dignitatis immemores secularium Principum consuetudine se deprimebant, ipsisque Regum Ministris, atque locorum Baronibus in suæ præeminentiæ, & gradus Episcopalis contemtum, cedebant, merito Benedictus XIII. in sua Lateranensi Synodo anni MDCCXXV. Tit. XVI. Cap. II. abusui occurrens hocce aliud Decretum edidit: *Sui præterea gradus altitudinis, summique honoris, ac dignitatis memores, ad infima quæque se non abjiciant, nimium se potissimum secularium consuetudine, ac familiaritate deprimentes. In aulis Principum, nisi Ecclesiæ, vel alia id postulet pietatis necessitas, non versentur; nec iis discumbentibus, stent ipsi, eo adhuc prætextu, ut sumto cibo, Deo pro illis gratias agant. Cum Regum ministris, Baronibus, aliisque consimilibus Dynastis, ita se gerant, ut omnino in Epistolis, & earum inscriptione formulis nunquam utantur inferioribus, atque in mutuis visitationibus, omnique alio humanitatis commercio, sive intra, sive extra Ecclesiam, cum omnibus uti Patres, & Pastores se habeant, & supra omnes, veluti superiores, locum sibi servent digniorem*. Consona hæc plane sunt recitato Concilii Tridentini Decreto, & nostri hujus §. præscripto, imo & sacris Conciliorum Canonibus.

IV. At vero tametsi teneantur Episcopi suam Episcopalem dignitatem servare, cavendum iis tamen est, quod nos alias non semel notavimus, ne prætextu ipsius dignitatis Episcopalis, Magistratus, ac præsertim Principes summos contemnant; honorandi sunt enim ii juxta monitum Principis Apostolorum in Epistola I. Cap. II. ubi ait: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis, quia sic voluntas Dei. Deum timete, Regem honorificate*. Id quod etiam docet S. Paulus in Epistola sua ad Romanos, Capite XIII. ubi inter alia inquit: *Reddite omnibus debitum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem*. Tenenda porro est S. Basilii regula, ut scilicet Principibus tum summa animi magnitudine, atque constantia resistat Episcopus, cum vexant Ecclesiam in re potissimum Fidei, non autem in negotiis levissimi prorsus momenti; alias enim præstat Episcopum humilem esse & obsequiosum, non in suæ dignitatis, & gradus depressionem, sed ad ostendendam humilitatem, qua inter alias virtutes præditum semper decet esse Episcopum.

V. Ergo cum aliquando Præfectus Imperatoris magnanimam S. Basilii Magni Cæsariensis Episcopi in dicendo libertatem miraretur, respondit ille, ut testatur in Oratione, quam in ejusdem sancti Præsulis laudem concinnavit Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Fortasse in Episcopum nunquam incidisti. Alioqui prorsus hoc modo disserui sset in certamen veniens: Nam ceteris quidem in rebus, o Præfecte, clementes, & placidi sumus, atque omnium abjectissimi, quemadmodum hoc nobis Lege præscriptum est, ac non dicam adversus tantam potentiam, sed ne adversus plebeum quemquam, & infimi ordinis hominem supercilium attollimus. Verum, ubi Deus nobis periclitatur, ac proponitur, tum demum alia omnia pro nihilo putantes, ipsum solum intuemur. Ignis autem, & gladius, & bestiæ, & ungulæ carnes lacerantes, voluptati nobis potius sunt, quam terrori. Proinde contumeliis nos affice, comminare, fac quidquid collibuerit, potestate tua fruere, audiat hoc etiam Imperator: nequaquam profecto nos vinces, eoque adduces, ut impiæ doctrinæ assentiamur, ne si his quidem atrociora miniteris*. Hæc postquam dixit, ipsiusque in resistendo virtutem insuperabilem Præfectus cognovit, eum quidem excedere jussit, non jam cum iisdem minis, sed cum quadam reverentia, & submissione. Ipse autem quam celerrime potuit Imperatorem adiens, *Imperator*, inquit, *ab hujus Ecclesiæ Antistite victi sumus. Præstantior est, quam ut minis; firmior, quam*

*ut*

Digitized by Google

*ut sermonibus; fortior, quam ut verborum blanditiis superari possit*. Qua de causa factum suum improbans Imperatorem, quod cogere eum tentasset ad hæresim Arianam, cogi eum vetuit.

VI. Multa sunt, & quidem præstantia, quæ ex hoc exemplo addiscere possunt Episcopi. Novi enim nonnullos ob levissimas causas cum Principibus, & Magistratibus altercare, præsertim si de aliquo vel minimo temporali emolumento agatur, vel fumo supervacanei honoris, cum alias ex adverso segnes sint, si iidem manus ad Sanctuarium apponant, si viduas, si pupillos, si orphanos devorent, si vitam pessimam agant, & a Christiana Lege omnino alienam. Hic sane debet esse zelus Episcopi, eosdem corrigere, irrumpere iniquitates, & non extimescere faciem potentis, exemplo memorati Basilii, & aliorum zelantissimorum Ecclesiæ Antistitum, quos ob humilitatem æque & magnitudinem animi ipsorum Ecclesiastici Annales commendant. Ceterum, ut finem huic Commentario imponam cum clausula illius Decreti, quod superius ex Lateranensi Synodo Benedicti XIII. descripsimus, *ut, qui ex adverso est, nihil habeat dicere de ipsis* (Episcopis), *ab iis se omnibus abstineant, quæ Concilia, Canones, sanctionesque Apostolicæ Episcopis vitanda præcipiunt; & ea rite, recte, ac sollicite exequantur, quæ Episcopali uti commissa ministerio, præcipue ipsi tenentur obire*. Hæc si observent, proculdubio & a Magistratibus, & a Magnatibus, & a Regibus ipsis honorabuntur quammaxime, & jura Ecclesiæ illæsa manebunt.

## §. VII.

Si vero Episcopus obviam iret alicui Cardinali Legato, vel non Legato ad ejus Civitatem advenienti, usque ad portam, vel extra eam, vel etiam si cum eisdem per Urbem incederet, induet supra Rocchettum Mantellettum; & abstinebit a delatione Crucis ante se, si erit Archiepiscopus, ob reverentiam officii, & dignitatis illius. Et, si erit Cardinalis Legatus, abstinebit etiam ab usu Mozzettæ. Secus si alicui maximo Principi, aut dignissimo Prælato, vel Nuntio Apostolico obviam iret, quo casu non mutat habitum. Equorum autem, seu mularum stragulæ, & phaleræ, & ornamenta, Episcopo equitante, ex panno laneo coloris nigri, seu violacei, ut supra, plus, minusve composita erunt, prout ipse Episcopus solemnius, aut simplicius equitabit, nisi paratus Pontificaliter equitaverit.

## COMMENTARIUS.

I. QUi ritus servandus sit ad recipiendum processionaliter Prælatum, vel Legatum, fuse explicuimus Tomo III. Romani Pontificalis in Commentariis ad Titulum XX. edicit hic tamen hic noster §. ubi Episcopus obviam iret cuicumque Cardinali, Legato scilicet, vel non Legato ad ejus Civitatem advenienti, usque ad portam, vel extra eam, vel etiamsi cum eisdem incederet, debere ipsum Episcopum induere Mantellettum supra Rocchettum, & abstinere a delatione Crucis ante se, si is qui obviam eat, sit Archiepiscopus; itemque si Cardinalis Legatus recipiatur, abstinere etiam debere Episcopum, vel Archiepiscopum obviam euntem Legato ab usu Mozzettæ; secus vero si alicui vel maximo Principi, vel Prælato dignissimo, vel Nuntio etiam Apostolico, qui scilicet non habet facultates Legati de latere, obviam iret, tunc enim habitum non mutaret, ideoque Mozzettam deferet; de qua vide quæ diximus supra in Commentario ad §. IV. cum qua hic præsens §. pugnare videtur; utrumque enim §. conciliavimus.

II. De equorum, seu mularum Episcopalium phaleris, atque ornamentis, eorumque materia, & colore, quæ usui debent esse equitanti Episcopo, nonnihil etiam diximus supra Cap. II. in Commentario ad §. I. Ex panno laneo nigro seu violaceo componi debent, prout ipse Episcopus solemnius, aut simplicius paratus Pontificaliter equitabit. Quamquam vero prisci, ac sancti Præsules, non equis, non curribus, sed vel pedibus iter conficerent, vel vecti asello, ut pluribus exemplis ostendi posset, & præsertim S. Petri Cœlestini Pontificis Maximi; ait nihilominus, & quidem recte Petrus Alliacensis apud Rainaldum ad annum MCCXLIX. Num. XI. quod licet justissimis laudibus cumulanda sit hæc Cœlestini humilitas, sua tamen laude non sunt fraudandi Præsules alii, qui ad Christi, & Ecclesiæ gloriam referunt majorem apparatum, ornatumque, quo incedere solent, & ne facile in contemtum veniant plebis, quæ pro carnali consuetudine sua tum Ministros Ecclesiæ, & ipsa Templa, & Altaria majori obsequio veneratur, ubi magnificentia hos viderit singulari circumfulgere. Verba Alliacensis hæc sunt: *Hos magnificos apparatus, sive in equis, sive in vestibus, ac aliis exterioribus ornamentis, quos plerique pompas vocant, a tempore Beati Silvestri Papæ, non solum Summi Pontifices, sed & alii minores Episcopi non ad suam, sed ad Christi, & Ecclesiæ ejus gloriam extollendam introduxisse credendi sunt: quos exterius cum temperantiæ moderamine observare, interius tamen servata humilitate, non est vanitatis, aut vitii, sed virtutis ac meriti*. Et paulo post, relata S. Bernardi sententia, qui dicit, aliam esse causam Episcoporum,

Digitized by Google

rum, aliam Monachorum, ita subjicit: *Scimus enim, quod illi sapientibus, & insipientibus debitores cum sint, carnali populi devotionem, quæ spiritualibus non possunt, corporali excitant ornamentis.* Similia & alibi idem S. Pater tradit.

III. Puto nihilominus, quod si quis Episcopus aliis præditus virtutibus nostra hac tempestate iter pedibus ageret, seu asello vectus, vel equo, sed sine ornamentorum pompa, commendandus summopere esset exemplo sanctorum complurium veterum Præsulum, ac præsertim sanctissimi Episcopi Aidani, de quo narrat Beda Lib. III. *Historiæ*, Cap. XIV. quod cum ei Rex Osuvi equum donasset regiis instratum ornamentis, ut eo uteretur, sicubi necesse esset, pedibus enim regiones peragrabat, illo Aidanus pauperem donavit, cumque Rex de ea re quereretur, hoc ille eum placavit responso: *Num tibi carior est ille filius equæ, quam ille filius Dei?* Observat Palladius in Vita S. Joannis Chrysostomi, eum jumento vehi solitum: *Jumentum*, inquit, *cui sedere consueverat.* Forte Jumentum hoc asinus erat; contendit etenim ipse Chrysostomus Homilia LXXVII. in Matthæum, Christum Dominum Hierosolymam ingredientem vectum fuisse asello, ut Ecclesiæ Præsules exemplo suo informaret, ne equis, curribusque uterentur, ubi necessitas eos cogeret evectiones aliquas sibi ascisceré: *In asina*, ait, *sedisse videtur, ut vivendi philosophia nos erudiret.* Et paulo post: *Quoniam jumentis opus esse imbecillioribus, non ignorabat, modum exemplo dedit, ne aut equis, aut mulis junctis sublimes feramur, sed asino, quando res cogit insidere; neque ulterius progredi, sed ubique usum necessitate terminare.* Idipsum alii quoque Patres observant.

IV. At vero non omnes ejus ævi Præsules in Chrysostomi vestigia, & exempla ingrediebantur, neque hanc ejus doctrinam capiebant; nonnulli enim, quos exagitat S. Gregorius Nazianzenus Oratione sua, quam habuit in præsentia CL. Episcoporum, versus finem, non modo in cœnarum sumtu immenso, in veste, in famulitio, in supellectili, sed & in equorum, servorumque grege, & curruum, ac sellarum magnificentia Gubernatores ipsos Provinciarum superare nitebantur: *Quin hæc quoque fortasse nobis exprobraverint, quod nec mensa lauta, & opipara, nec magnifica veste utimur, nec splendide in publicum prodimus, nec ad eos, a quibus convenimur, gravitatem, & fastum adhibemus. Nesciebam scilicet, nobis, cum Consulibus, & Præfectis, clarissimisque belli Ducibus, qui tot opibus, copiisque circumfluunt, ut quo sua projiciant, non habeant, æmulationem, & certamen esse: illud oportere, ut & nobis pauperum bonis, ad luxum, & delicias abutentibus, venter undique comprimatur, & necessaria in res superfluas effundantur, atque Altaria ipsa ructibus nostris contaminentur.* Notanda quæ ad rem nostram mox subjicit, dicens: *Nesciebam, nos equis insignibus, & lascivis ferri, sellisque, & curribus magnifice attolli, ac cum pompa, & fastu deduci, atque omnes nobis perinde, ac belluis de via decedere, aut etiam tantam præeuntium turbam esse, ut procul conspicuus incessus noster sit.*

V. Non ea autem nobis est mens, ut Episcopos, aliosque Ecclesiasticos Præsules insimulemus, quod curribus, & equis veheantur, sed abusum potius ipsorum reprehendimus, qui Principum sæcularium inanissimum splendorem imitari malunt, quam Apostolicæ imitationis formam, & exempla sanctissimorum Antistitum, qui licet equis uterentur, & curribus pro temporum more, semper tamen modestiæ legem illibatam servarunt. Ceterum qui fastu quodam vehiculis utuntur, qui equis egregie phaleratis, qui curribus elegantissime instructis delectantur, reprehensioni merito obnoxii sunt, tum quia nefas est Ecclesiæ reditus, qui pauperum sunt, in fœdissimæ pompæ ostentationem dispendere, tum etiam, quia, ut scitissime ait S. Petrus Damiani, *non constat Episcopatus ..... in frementibus, ac spumantia fræna mandentibus equis, sed in honestate morum, & sanctarum exercitatione virtutum.* Quidquid autem sit de Episcopis, aliisque Præsulibus Ecclesiasticis, certe Religiosi, & qui paupertatem, humilitatemque professi sunt, absque necessitate, & ad solam ostentationem curru utuntur, non effugiunt Marcellini historici criminationem, in Clericos plerosque sui ævi Lib. XXVII. ita obloquentis: *Securi sunt, ut ditentur oblationibus matronarum, proceduntque vehiculis insidentes circumspecte vestiti.*

VI. Exemplum Romani Pontificis, qui ex antiquo more solet cum pompa procedere, vix aliis Ecclesiasticis viris patrocinari potest; ut enim alia omittam, quibus pompa ipsa egregie defenditur, satis est testimonium S. Bernardi, qui in aureo illo Opusculo, *De Consideratione*, ad Eugenium III. Pontificem Maximum, postquam docuit, illam magnificentissimam pompam, cum qua Papa incedit, proficisci potius ex communicata a Constantino Imperatore cum Summis Pontificibus Imperatoriæ Majestatis amplitudine, & gloria, quam ex Beati Petri successione, statim eidem Eugenio consulit, ne quid mutet, ne quid novet, sed eum totum splendorem toleret magis, quam amet, nec inde gloriandi, sed sui dejiciendi potius ausam captet. Observatio hæc est eruditissimi Thomassini Parte III. *Disciplinæ*, Lib. III. Cap. XLI. Num. IV. ubi etiam hæc S. Bernardi verba describit: *Ne cujus sedem tenes, te neges hæredem. Petrus hic est, qui nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus, vel sericis, non tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris. In his successisti non Petro, sed Constantino. Consulo, toleranda pro tempore, non affectanda pro debito.* Porro jam ante S. Bernardum S. Gregorius VII. Pont. Max. in suo Dictatu statuit Can. VII. *Quod solus Papa possit uti Imperialibus insigniis*; in quem Canonem plura congerit Lupus eruditissimus To. V. Operum editionis Venetæ Pag. 191. ubi inter alia inquit, Romanum Pontificem a tempore S. Damasi Papæ habuisse *splendidum ornatum distinctum a veste cæterorum Episcoporum.*

CAP. V.

Digitized by Google

# CAP. V.

*Duo Magistri Cæremoniarum ab Episcopo statuendi. Quales esse debeant. Eorum munia in parandis iis, quæ ad celebranda divina Officia, ac Mysteria, Cardinales, Principes, Ducesque excipiendos, pertinent. Eorum habitus, sessionum ordines disponant. Stipendium eis constituatur.*

## §. I.

Antèquam Cæremoniarum regulæ, & usus explicentur, de ipsis Cæremoniarum Magistris, quorum ministerio, & cura omnia Ecclesiastica munia obeunda sunt, statuendum est. Curabit ergo Episcopus, ut duo, si fieri possit, de gremio suæ Ecclesiæ, aspectu, & statura corporis convenienti, & multo magis scientia, & bonis moribus præditi, experti, & dociles ad hujusmodi onus assumantur, quorum primus vigesimum quintum saltem attingat annum, sitque in Presbyterali ordine constitutus, bonis artibus instructus; & si fieri posset, Juris Canonici, vel Theologiæ intelligentiam habeat, divinorum Officiorum, ac Rituum Ecclesiasticorum assiduus, & diligens perscrutator. Is erit in primis solicitus circa personam Episcopi, aliarumque personarum dignitate, aut nobilitate præstantium, ut eis præsto sit, siquid petant, aut si qua de re admonendi erunt: ac nihilominus omnia circumspiciat, singulorum munia perpendat.

## COMMENTARIUS.

I. QUoniam præceptum est ab Apostolo in Epistola I. ad Corinthos, Cap. XIV. sive potius a Spiritu Sancto per os illius loquente, ut in Ecclesia *omnia honeste, & secundum ordinem fiant*; eaque verba de cæremoniis, quæ in Ecclesia obeuntur, intelligi debere observant S. Chrysostomus, aliique Patres; jam ab oriente Christiana professione ad interiorem Religionem retinendam, atque exaugendam institutæ sacræ sunt cæremoniæ: *Idcirco Magistri nostri*, ut ait laudatus Chrysostomus Homilia I. in Matthæum, *Ecclesiarum institutores* (idest Apostoli) *usque ad humilia, & minuta præcepta deduxerunt diligentiam disciplinæ*. Cæremoniis divini cultus sedulo studuisse priscorum seculorum Clericos, easque diligenti solicitudine servasse, docet nos exemplum Nepotiani Presbyteri, quem in ejus Epitaphio, sive funebri oratione inter alia laudat S. Hieronymus, *quod cerneretur ejus in omnes cæremonias solicitudo disposita*.

II. Antiquitatem officii Magistrorum Cæremoniarum tam in Romana Ecclesia, quam in aliis reliquis omnibus, nemo profecto est, nisi stultus, qui vocare possit in dubium; licet enim varia sit illorum denominatio apud Scriptores, ac recentior, quum superiori ævo vel Clerici Cæremoniarum dicti sint, vel singularius ad eos pertineat appellatio Clericorum Capellarium in monumentis veterum quandoque occurrens, scitissime tamen notat rei ritualis peritissimus Petrus Morettus Canonicus insignis Basilicæ S. Mariæ Transtyberim in Appendice I. ad doctissimam suam Lucubrationem, *De Presbyterio*, Num. III. Pagina 306. munus ipsorum tam antiquum esse, quam antiqua in rebus Ecclesiasticis, sacrisque officiis necessitas ordinate, & Canonice dirigendi Ritus Christianæ Religionis, suumque locum, & dignitatem cuique servandi.

III. Sacris ipsis cæremoniis dirigendis præfici consuevisse jam olim certum quempiam Virum, testantur quidem verba S. Dorothei Abbatis in suo Sermone II. ubi ait: *Num Præpositus Cæremoniarum, aut quivis alius e Fratribus mihi dixit quidquam; & ego non tuli, sed contradixi?* Puto equidem, priscis sæculis sacras in Ecclesiasticis functionibus Cæremonias direxisse Diaconos, sive etiam Archidiaconos, uti constat ex quibusdam eorum muniis, quæ Tomo I. Conciliorum, & I. Tomo Romani Pontificalis, atque Lib. II. *De Codice Sancti Euangelii*, Cap. XII. recensuimus, itemque ex Capite II., & seqq. *De officio Archidiaconi*, notatque Macrius in suo Hierolexico, verbo, *Cæremoniarum Magister*. Certe addubitari nequit, quin primis seculis Diaconi peragerent, quæ hodie ex variis Synodis, atque Cæremonialibus peculiaria sunt Magistrorum Cæremoniarum munia. Auctor quippe vetustissimus Apostolicarum Constitutionum Lib. II. Cap. LVII. inter alia ita de Diacono inquit: *Diaconus populum speculetur, nequis murmure obstrepet, dormitet, aut nutus faciat &c.* Hoc hodie munus spectare ad Cæremoniarum Magistros, ex nostro constat Cæremoniali Episcoporum §. VII. infra.

IV. In Ecclesia Romana Magistrum quidem Cæremoniarum agebat olim Archidiaconus, quippe qui ordinabat ipse processiones, discurrebatque manu ferulam tenens in muneris sui signum, uti liquet ex Ordine Romano XII. Auctore Cencio, Cap. III. Num. VII. & Cap. XXXIX. Numero LXIII. ubi loquens de processione in Festo S. Marci haberi solita a Papa cum Episcopis, Cardinalibus, & aliis Ordinibus, ita inquit; *Ordinantur*

Digitized by Google

*nantur in processione ab Archidiacono, & Subdiacono Basilicæ, & priore Subdiaconorum habentibus in manibus ferulas, ut superius in aliis processionibus est narratum*. Erat itaque præcipuus Cæremoniarum Magister Archidiaconus, prior vero Subdiaconorum, ejus minister, seu adjutor videtur ipsius fuisse.

V. Scio aliam esse opinionem Viri clarissimi Petri Moretti, quippe qui in ipsa I. Appendice ad Lucubrationem, *De Presbyterio*, Num. IV. post citatum Ordinis Romani locum a nobis descriptum, munus fuisse autumat Subdiaconorum, Cæremonias sacras dirigere; quod nos libenter concedimus; modo præcipuum munus spectasse dicatur ad Archidiaconum, Subdiaconos autem ejusdem tantum adjutores fuisse; id enim non obscure innuit citati Romani Ordinis locus; eaque causa forte est, ob quam memoratus Morettus nonnisi dubitans scripserit, in Ecclesia Romana Subdiaconos ipsos egisse Magistros Cæremoniarum. Hæc ejus verba loco citato: *Olim forsan e Subdiaconis eligebantur tantummodo, qui pondus, honoremque portarent, quum Sacristæ, tum Magistrorum Cæremoniarum; a quo systemate recessum sit sequiori tempore*. Et mox: *Multa profecto explebantur per Apostolicos Subdiaconos, quæ nunc aliena prorsus viderentur ab eorum instituto*. Tum iterum: *Munia quædam Subdiaconi regionarii notata Pagina 7. Ordinis I. Mabilloniani, conveniunt cum officio Magistrorum Cæremoniarum*. Agit eo loci Auctor clarissimus de Schola Crucis, quam fuisse ait compositam Romæ e Sacrista, Subdiaconis, & Magistris Cæremoniarum.

VI. Variis nominibus in Ecclesia tum Latina, tum Græca appellatum olim fuisse Cæremoniarum Magistrum, observat in laudato suo Hierolexico eruditus Macrius: *Admonitorem* scilicet, eo quod omne id, quod agendum sit, admonere debet; itemque *Memorialem*, *Remomeratorium*, *Hypomimniscon*, seu *Suggestorem*, quod ei in Ecclesia Constantinopolitana cura esset Patriarchæ celebranti cæremonias, & verba suggerere. Dicebatur præterea Hieromnemenon, idest rerum sacrarum præfectus, eratque in ipsa Constantinopolitana Ecclesia Diaconale officium magnæ existimationis, ad quod pertinebat, Patriarcham Pontificaliter induere, preces in libro indicare, in Throno locum electis, ac consecratis assignare, contacium ordinationis consuetum intonare: *Itaque*, ut verbis Macrii utar, *Officio Cæremoniarum Magistri correspondebat*.

VII. Constituendum in unaquaque Ecclesia Cæremoniarum Magistrum, quo rite omnia fiant, quæ ad cultum spectant divinum, mandant passim sacræ Synodi, ac zelosiores Episcopi. Provincialis I. Mediolanensis Synodus anno MDLXV. habita, de officio Magistri Chori, & Cæremoniarum differens, ita statuit: *Si in aliqua Ecclesia non fuerit hujusmodi officium, Episcopus Capitulo adhibito ad id constituat Clericum aliquem probatis moribus, & in divinis officiis exercitatum*. Et paulo post: *In qua vero Ecclesia fuerint Magister Cæremoniarum, & Magister Chori distincti, suas cuique munerum partes, ex his regulis Episcopus de Capitulari consilio arbitrio suo attribuat*. Synodus X. Provincialis Beneventana anni MDLXVII. sub Jacobo Cardinale Sabello celebrata Tit. I. Cap. XII. expresse edicit, ut Cæremoniarum Magistro Cathedrales, & Collegiatæ insignes Ecclesiæ habeant: *Magistros Cæremoniarum in singulis Cathedralibus, & Collegiatis insignibus, ubi ii non fuerint, constituendos esse decernimus*.

VIII. Duos esse debere Cæremoniarum Magister, & alterum quidem ab Episcopo, alterum a Capitulo eligendum, decernit Beneventana XII. Synodus Provincialis anno MDXCIX. sub Maximiliano de Palumbaria Tit. XIV. Cap. unico: *Duo Magistri Cæremoniarum, ubi Canonicorum numerus id patietur, eligantur: possunt etiam eligi non Canonici in quacumque Cathedrali, alter ab Episcopo, alter a Capitulo bene in sacris Cæremoniis instructi*. Et paulo inferius: *Hos ut eorum muneri bene satisfaciant, & Pontificale Romanum, & Tractatum de Cæremoniis Paridis de Grassis, vel alium approbatum sæpe præ manibus habere admonemus*. Meminisset utique potissimum Cæremonialis Episcoporum, quod tamen quia nondum editum fuerat auctoritate Romanorum Pontificum, ut paulo post factum est jussu Clementis Papæ VIII. ideo edicit laudata Synodus, ut Cæremoniarum Magistri præter Romanum Pontificale sæpe præ manibus habeant *tractatum de Cæremoniis Paridis de Grassis, vel alium approbatum*. Nempe ante hoc nostrum Cæremoniale Episcoporum, quod uti dictum est, edidit, ac probavit primum Clemens VIII. utebantur ut plurimum Episcopi Cæremoniali Paridis Crassi, aliisque suis Ecclesiis accommodatis. Unde non mirum videri debet, si editæ ante ipsum memorati Pontificis Cæremoniale Synodi, ubi de Magistris Cæremoniarum constituendis loquuntur, nec in numero plane conveniunt, neque in cunctis qualitatibus a nostro Cæremoniali requisitis.

IX. Quod duo, si fieri possit, constituendi sint ab Episcopo in Ecclesia sua Cathedrali Cæremoniarum Magistri, factum id plane videtur ad imitationem Capellæ Papalis, in qua teste Patricio Lib. III. *Sacrarum Cæremoniarum &c.* Sectione II., Cap. IV. *Duo tantum ordinarii esse consueverunt*. Tum amborum munus enarrans ita ait: *Alter in divinis curam præcipuam gerat circa personam Pontificis, ad quam semper respiciat, si quid imperet, & ad omnes, qui sunt in Capella, ut Prælati, ut Oratores, ut nobiles, ut alii omnes stent suo quisque loco: non tamen discurrat sursum, & deorsum sine causa, ut videatur multa agere, ut quidam faciebat. Ad summum Pontificem non accedit, nisi urgenti causa, vel nisi vocatus; & tunc cum solitis, & debitis reverentiis: ad Reverendissimos Dominos Cardinales accedat, cum opus est, cum gravitate, & reverentia. Alter vero Clericus Cæremoniarum vacet Altari, & circa personam celebrantis, ac aliorum Ministrorum. Uterque tamen omnia prospiciat, & pariter curet, suppleatque defectus Collegæ, cum illos*

Digitized by Google

*illos prævidet*. Addit mox & alia laudatus Auctor, quibus mirifice I. hic §. noster illustratur: *Antequam vadant*, inquit, *ad Capellam, maxime in solemnitatibus, & actibus non frequentatis, conveniant simul, prævideant quæ sunt agenda, dividant inter se omnia, & concordent de occurrentibus, ne postea in Capella oporteat contendere. Junior defert antiquiori, idest, in officio priori, & primas partes illi permittat. Prior tractet juniorem, & novitium, ut fratrem, & bonum collegam; si habent tertium, eo utantur, ut decet.* Et iterum: *Quanto plures erunt, si erunt concordes, & ordinem inter se servabunt, facilius, & melius satisfacient. Si erunt inter se contrarii, melius esset unus tantum.*

X. Multa sunt in hoc Apostolicarum Cæremoniarum Capite, quæ etiam ad reliquos Cæremoniarum Magistros, qui in Cathedralibus, Collegiatisque Ecclesiis insignibus constitui debent, spectare possunt. Sed describamus cætera quæ memoratus Auctor mox subjicit, quo alii ad rite exercendum officium suum edoceantur: *Cum ducunt*, ait, *aut reducunt Prælatos, aut nobiles ad data sibi loca, vel ad aliquos actus, modeste, & reverenter incedant, & genuflexiones, atque inclinationes doceant: similiter Ministros Altaris, & quando aliquem actum facere debent, (nam omnes magni, & parvi a Cæremoniario deducuntur) quiete, & modeste ducant, ministrent, & aptent, ac non urgeant, non impellant, non vehant, sicut aliquando fieri vidi*. Concludit tandem, ac monet, ut *cæremonias omnes, & maxime in Missa Papali, & quæ ad personam Papæ pertinent, graviter, modeste, & cum congruenti mora peragant, ut reverentiam, & devotionem aspicientibus majorem inducant*. Hucusque sacrarum Cæremoniarum peritissimus Augustinus Patricius Episcopus Pientinus, de quo Paris de Crassis Pisaurienſis Episcopus Apostolicarum & ipse S. R. E. cæremoniarum Magister in Epistola sua ad Leonem X. Papam contra Marcellum Episcopum Corcyrensem, qui Augustini Librum sub suo nomine vulgaverat, inter alia inquit, quod *cum plures annos Magistratum Cæremoniarum egregie, & scite exercuisset, ab Innocentio VIII. ab hujusmodi Magistratu vacatione accepta, eisdem tamen stipendiis, Senas tanquam in secessum literatorum, ad Romanæ Ecclesiæ cæremonias in librum hunc colligendas missus est. Laboravit triennio vir gravis, & summæ experientiæ: demum incredibili studio, & exacta diligentia absolutum librum, ejusdem Pontificis nomini antepositis suis Epistolis dedicavit, contentus vel eo nomine, quod apud posteros non auctor, sed quasi collector, aut compilator sacrarum Cæremoniarum diceretur*. Extat integra Epistola Paridis de Crassis Tomo II. Musei Italici Mabilloniani Pag. 587.

XI. Ex dictis jam satis liquet, quales esse debeant sacrarum Cæremoniarum Magistri. Utinam autem id observarent Episcopi, quod nostrum in hoc §. Cæremoniale præscribit: *Curabit*, inquit, *Episcopus, ut duo, si fieri possit, de gremio suæ Ecclesiæ, aspectu, & statura corporis convenienti, & multo magis scientia, & bonis moribus præditi, experti, & dociles, ad hujusmodi onus assumantur, quorum primus vigesimum quintum saltem attingat annum, sitque in Presbyterali Ordine constitutus, bonis artibus instructus; &, si fieri posset, Juris Canonici, vel Theologiæ intelligentiam habeat, divinorum officiorum, ac rituum Ecclesiasticorum assiduus, & diligens perscrutator*. Ad Episcopum itaque spectat Magistros Cæremoniarum constituere; tametsi licitum quoque sit Capitulo eligere pro functionibus Canonicalibus, & ejus servitio Magistrum Cæremoniarum distinctum ab iis, quos constituit Episcopus, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis die VII. Julii anni MDCCXXXIV. ubi etiam edixit, I. Magistrum Cæremoniarum a Capitulo electum munus suum exercere non posse absque approbatione Episcopi, II. in functionibus tantum Episcopalibus uti illum posse veste violacea ex dispositione Cæremonialis.

XII. Approbandum esse ab Episcopo Cæremoniarum Magistrum, quem sibi Capitula instituunt, præcepit jam inter alias Provincialis Synodus XIII. Beneventana, Archiepiscopo Joanne Baptista Foppa anno MDCLVI. Tit. XVIII. §. III. *Capitula*, inquit, *Magistrum Cæremoniarum instituant, si non habent, qui probetur ab Episcopo, quique accurate a Congregatione approbata non modo ediscat, verum etiam cæteros doceat*. Idipsum totidem plane verbis inter alia edixerat Concilium Avenionense anno MDXCIV. Capite XXII. quod est, *De Missæ sacrificio*. Porro eadem S. R. C. die XVII. Julii anni MDCCXXXIV. Decretum illud die VII. Julii editum confirmavit, edixitque, licitum esse Capitulo Cathedralis eligere Magistrum Cæremoniarum ab Episcopo confirmandum; itemque posse Episcopum justis de Causis in Cæremoniali hoc nostro præscriptis non approbare, seu reprobare ipsum a Capitulo electum Cæremoniarum Magistrum, nec teneri causas exponere. Demum ex eodem S. R. C. Decreto idem Magister Cæremoniarum non debet censeri privative electus etiam quoad omnes functiones Episcopales, & assistentias præstari solitas Episcopo tam intra, quam extra Ecclesiam Cathedralem, cum licitum sit Episcopo eligere alium pro omnibus functionibus ab ipso peragendis, & aliis ipso præsente explendis tam intra, quam extra Ecclesiam Cathedralem, & huic Magistro Cæremoniarum ab Episcopo electo omnes Capitulares teneantur obedire, quoad ea, quæ divinum cultum concernunt, sub pœna arbitrio Episcopi infligenda.

XIII. Quandoquidem, ut ait recitatum S. R. C. Decretum, omnes in his quæ cultum spectant divinum, parere debent Cæremoniarum Magistro, cujus ministerio, & cura, uti in hoc nostro §. edicitur, *omnia Ecclesiastica munia obeunda sunt*, merito ibidem cautum est, ut primus ex duobus Cæremoniarum Magistris, quos constituere curabit Episcopus, *vigesimum quintum saltem attingat annum, sitque in Presbyterali Ordine constitutus, bonis artibus instructus, &c.* vix enim alias invenirentur ex Canonicis, Presbyteris, gran-



Digitized by Google

grandævis, peritisque, qui imberbi Clerico, ignaro, ac vanitatis studioso parere vellent, tametsi ex aliqua praxi Cæremonias peragendas rite aliquando moneret. Ait autem & inter alia §. noster ut primus saltem ex duobus illis, *si fieri posset, juris Canonici, vel Theologiæ intelligentiam habeat*. Enim vero si ut ait Cælestinus Papa relatus a Gratiano Can. IV. Distinctione XXXVIII. *nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare, nec quidquam facere, quo Patrum possit regulis obviare*; quanto minus licebit sacrarum Cæremoniarum Magistris, *quorum ministerio, & cura*, ut inquit noster §. *omnia Ecclesiastica munia obeunda sunt*. Constat profecto, tum in sacris Canonibus, cum in sacra Theologia, ac præsertim in illa, quam ex sanctis Patribus concinnavit Theologorum omnium Princeps, ac Doctor Ecclesiæ Angelicus S. Thomas Aquinas, Ritus omnes, quibus in sacris functionibus utimur, fuse inveniri, atque egregie explicari. Fateor equidem plurimum me ex hujusmodi studio, Canonum scilicet, ac Patrum, Theologiæque S. Thomæ accepisse adjumenti ad explicandum Romanum Pontificale, quod Commentariis illustratum, atque in tres Tomos distributum non ita pridem publici juris feci.

XIV. Cautum præterea ex hoc nostro §. est, ut Cæremoniarum Magister non modo juris Canonici, vel Theologiæ intelligentiam habeat, verum etiam, ut *divinorum officiorum, ac rituum Ecclesiasticorum assiduus, & diligens perscrutator sit*. Neque enim sufficit, ut aliqualem notitiam, vel praxim Cæremoniarum habeat, sed omnino requiritur, ut *divinorum officiorum, ac rituum Ecclesiasticorum assiduus, & diligens perscrutator sit*, idest, diligentissimus investigator, ac sedulus lector Auctorum clarissimorum, qui de divinis Officiis scripserunt, quales sunt scilicet inter alios Auctor Apostolicarum Constitutionum, quæ Sancti Clementi Papæ tribuuntur, S. Basilius, & Sanctus Joannes Chrysostomus in suis Liturgiis, S. Isidorus Hispalensis Episcopus de divinis Officiis, Auctores Ordinum veterum Romanorum apud Hitorpium, & Mabillonium, itemque Amalarius, Alcuinus, Innocentius III. Joannes Belethus, Guielmus Durandus, Honorius Augustodunensis, Rupertus Abbas Tuitiensis, Augustinus Patricius, Paris de Crassis, & inter recentiores Stephanus Durantus, Joannes Cardinalis Bona, & Josephus Cardinalis Thomasius, Hugo Menardus, Edmundus Martenius, Petrus Lebrun, Gavantus, Meratus, aliique plurimi, qui de ritibus Ecclesiasticis abunde scripsere. Quoniam enim, ut verbis utar Paridis Crassi Lib. I. *De cæremoniis Cardinalium, & Episcoporum in eorum Diœcesibus*, Cap. II. *in omni negotio principium est scire, cur id fit, quod fieri oportet, ideo qui cæremonias exercere voluerit, ante omnia scientiam artis suæ, necnon usum & experientiam, quæ duo in artibus dominantur, non modo habeat, sed etiam calleat, ut possit, & noscat summa cum diligentia, ac moderamine omnia, quæ instant, docte, rationabiliterque operari, necnon strenue, & expedite, ac eleganter exequi, itaut non solum quæ ipse, tamquam dux peragenda imperet, sed quæcumque alii, velut commilitones exequuntur, irreprehensibilia sint*.

XV. Quo facilius notitia sacrorum rituum a sacris hominibus haberi possit, cautum quoque & illud fuit a variis Synodis Provincialibus, & a zelantissimis Ecclesiarum Pastoribus, ut Congregationes pro sacris Cæremoniis instituerentur. Statuit id quidem S. Carolus, uti videre est in Actis Ecclesiæ Mediolanensis, in instructionibus Officialium Fori, ubi inter alia jubetur, ut *Cæremoniarum, ac rituum, & rerum hujusmodi Congregationi aliqui ex Canonicis Cathedralis, Magister Cæremoniarum, & alii arbitrio Archiepiscopi interfint*. Concinit S. Carolo Concilium Avenionense anni MDXCIV. Cap. XXII. *De sacrificio Missæ*, ubi & illud præcipitur, ut *Congregationem pro cæremoniis, & ritibus Missæ erigant Episcopi in sua quique Ecclesia, in qua semel in hebdomada diligenter de cunctis ad Missam, & cætera divina officia spectantibus edisseratur, & receptæ cæremoniæ probentur*. Idipsum quoque jussit totidem fere verbis Concilium Provinciale XIII. Beneventanum anni MDCLVI. sub Joanne Baptista Foppa Tit. XVIII. §. II. restricto tamen Collationum numero ad binas in singulos menses. *Congregationem*, inquit, *pro cæremoniis, & ritibus Missæ erigant Episcopi in sua quique Ecclesia, in qua bis in mense diligenter de cunctis ad Missam, & cætera divina officia spectantibus edisseratur, & ad rationem, & usum receptum a sancta Romana Ecclesia cuncta examinentur, & receptæ cæremoniæ probentur*.

XVI. Sed quid alia memoro, Benedictus XIII. in Concilio Romano anni MDCCXXV. Tit. XV. Cap. IX. postquam doluit, plures esse Ecclesiarum etiam non ignobilium, sacrorum Altarium Ministros, qui parum illius attedentes majestatem, ad cujus intimum sunt famulatum addicti in Choro, in Altari, & reliquis officiis Ecclesiasticis ita minus apte se habent, ut in plurimorum scandalum, & exemplum perniciosum id cedere dignoscatur; diserte jussit, ut operæ pretium ducant Episcopi, ac diligentiam adhibere non desistant, quousque Congregationes tum in Civitatibus, tum in Diœcesibus per omnes de Clero sacris initiatos, Canonicos, Parochos, & Confessarios (Regulares etiam, dummodo morales in eorum Conventibus lectiones non habeantur, alias ab audiendis confessionibus suspendendos) semel in unaquaque hebdomada, certoque designando die, & sub certa pœna pecuniaria contra contumaces habeantur, in quibus alternatim, & Rituum, & Conscientiæ casus proponantur, discutiantur, & practice exerceantur, methodo servata Synodali, quæ in Appendice legitur.

XVII. Insuper quod in nostro §. edicitur, præcipuum Cæremoniarum Magistrum, debere inprimis solicitum esse circa personam Episcopi, aliarumque personarum dignitate, aut nobilitate præstantium, ut eis nimirum præsto sit siquid petant, aut si qua de re admonendi erunt; ac nihilominus omnia circumspiciat, & singulorum munia perpendat;

Digitized by Google

pendat; consonum quidem est iis, quæ ex Augustino Patricio superius descripsimus, ac variis Sacræ Rituum Congregationis Decretis, quibus ea facultas iterum atque iterum Magistris Cæremoniarum asseritur. Paris de Crassis Lib. I. *De Cæremoniis Cardinalium, & Episcoporum in eorum Diœcesibus*, Cap. II. ubi agit de Magistri Cæremoniarum deputatione, & cura, ac disciplina, eligendum monet ab Episcopo, *unum dumtaxat ex domesticis Capellanis in ministerio Ecclesiastico, & Cæremonialibus actionibus aptum, docilemque, & expertum, ac in Sacerdotio constitutum, necnon corpore robustum, quem suis cæremoniis, quasi Antistitem, Ducemque, ac Rectorem omnium pro re divina rite, rectèque peragenda perficiet*. Consona & hæc plane sunt iis, quæ mandat nostrum Cæremoniale, si illud excipias, unum ex Crasso constituendum ab Episcopo Cæremoniarum Magistrum, cum tamen nostrum Cæremoniale duos constituendos præcipiat. Debet itaque Crasso teste eligi ab Episcopo in Cæremoniarum magistrum aliquis in Sacerdotio constitutus, ex domesticis Capellanis, sive alius simplex Sacerdos, non enim ad illud obeundum munus compelli debet Canonicus ex Decreto S. R. C. edito XXIII. Julii anni MDCII. apud Nicolium in Flosculis suis.

## §. II.

Quando autem erunt celebranda officia, quæ non ita frequenter occurrunt, & quæ solemni ritu, apparatuque peragi solent, præsertim quando ad ea accederent Magnates, ut Cardinales, Principes, Duces, & similes, per diem, aut plures dies antea præsens videat, & intelligat, an omnia recte disposita, & ordinata sint, quæ ad celebrationem spectant, nempe, an Ecclesia, Altare, Abacus, Sedes Pontificalis, Canonicorum, Magistratumque sedilia sint decenter apparata, ornataque, an cetera ad ipsius celebrationis actum necessaria, ut sacræ vestes, paramenta, & vasa, candelabra, cerei, funalia, aliaque utensilia, sint suo quæque loco præparata, & congrue disposita juxta normam, & regulas, quæ sequentibus Capitulis tradentur; nec gravetur aliquando, cum viderit necessarium, etiam suis manibus adjuvare ministros, cæterosque omnes, quorum opera uti oportebit; præmoneat, atque instruat quos opus fuerit, exhibitis etiam schedulis; siquid enim erroris accidat, aut incaute fiat, ipsi uni Cæremoniario imputari solet.



## COMMENTARIUS.

I. QUo omnes sacræ Ecclesiasticæ functiones, rite ac recte celebrentur, ac præsertim illæ, quæ non ita frequenter occurrunt, & quæ solemni ritu, apparatuque peragi solent, præcipit in hoc §. nostrum Cæremoniale, ut præcipuus Cæremoniarum Magister uno

uno, pluribusve diebus ante sacræ functionis celebrationem suismet oculis videat, intelligatque, an omnia, quæ ad ipsam celebrationem spectant, sint recte disposita juxta normam, ac regulas, quæ in nostro hoc Cæremoniali præscripta sunt; non enim alicui licet cæremonias novas inducere, antiquasque immutare sine expressa licentia Congregationis Sacrorum Rituum, ut ipsamet pluries censuit, ac præsertim in causa Urbis die XII. Maji anni MDCXII. apud Augustinum Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum, Collectan. LXXVIII. Num. II., & apud Cajetanum Meratum in suis ad Gavantum Additionibus. Cæterum ut hunc Commentarium brevi absolvam, justa est illa Augustini Patricii admonitio Lib. III. *Sacrarum cæremoniarum sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, Cap. IV. ut duo Cæremoniarum Magistri, *antequam vadant ad Capellam, maxime in solemnitatibus, & actibus non frequentatis, conveniant simul, prævideant quæ sunt agenda, dividant inter se onera, & concordent, de occurrentibus, ne postea in Capella oporteat contendere.*

II. Consona cum iis, quæ ait Patricius, & in hoc §. Cæremoniale nostrum præscribit, docet inter alios Paris de Crassis Lib. I Cap. II. ubi agit de Magistri Cæremoniarum deputatione, & cura, ac disciplina: *Cum Capellanis*, inquit, *& comministris, aliisque, quorum opera usurus est, sive æqualibus, sive subjectis comiter agat; facilemque potius, & benignum se se omnibus præbeat, quam austerum, aut imperiosum, nisi cum maxime opus fuerit.* Sed notanda præsertim, quæ mox subjicit, quæque magis magisque illustrant hujus nostri §. locum: *Is porro persuasissimum habere debet, ut aliqua celebritate ordinaria, sive casuali occurrente, unde opus sit aliqua materiali operatione, aut manuali, alioquin leviter non ipse tantum operam illam, aut fabricam fieri jubeat, & ordinet, verum etiam ipsemet suis manibus operetur, & fabricet, nec cuiquam credat id fideliter agendum fore, neque unquam ab opera desistat, aut recedat, nisi ante diem (nunquam vero in ipsa die) qua celebrandum erit, perfectam, absolutamque illam præsens viderit, sciensque probaverit; ut Altaris, & abaci ornatum, tribunæque, ac sedis Pontificalis paramenta: item Magistratuum subsellia, ac nobilitatis diverticula, in sua noverit congruitate disposita, ac denique ministrorum negotia, & Canonicorum munia, celebrantiumque mysteria, ac totius celebrationis utensilia, tam generatim, quam speciatim in suis locis, ordinibusque, & usibus sciverit esse composita: quibus demum facilius, cum quibus postulabit usus, aut ratio, uti possit.* Hæc Paris de Crassis olim Apostolicarum cæremoniarum Magister, ac Episcopus Pisaurienſis, ex cujus tractatu liquido constat, compactum esse magna ex parte nostrum hoc Cæremoniale Episcoporum, quod nos nunc primum Commentariis illustramus.

III. Nefas autem mihi esse puto ea hic prætermittere, quæ ad rem nostram idemmet sacrarum Cæremoniarum peritissimus recitato loco sic inquit: *Recognoscat quoque singulos ministros, quibus in sacrificio uti opus sit, ut cui quemque officio suo, ac qualibus operibus destinare conveniat. Sed non prætermittat, quin prius ministraturos ipsos de singulis exequendis admonitos reddat, & experimentis instructos. Ipse vero ita tota mente suis actionibus intendat, ne inter agendum, quantum fieri potest, ab ullo corrigatur, qui corrigere debet universos. Recordetur quoque, nec recte, nec congrue rem divinam per ritus Cæremoniales peragi posse, imo ipsam artem Cæremonialem infamari penitus, ubi Magister quid in ea faciendum sit, ministros, & circumstantes non docet, sed docetur. Ideo cuncta in abdito quopiam conclavi, seu privato loco sæpius prætentet, & experiatur, etiam simulatis gestibus addiscendo, quæ, qualiterve ipse facturus, & docturus est, ut Magistri eruditio singulis discipulis prodesse possit. Cum autem omnia plene conceperit, tunc ipse demum intrepide, & magistraliter agat, doceat, & imperet. Uni enim Cæremoniario quicquid ab omnibus erratum, sive improspere gestum fuerit, irrogari, & impingi solet, quod nos satis superque didicimus, propterea plene testificamur. Hoc idem Aeneas Sylvius Senensis, qui & ipse dudum ante Pontificatum initum Cæremoniarum Magister, & in ipso Pontificatu Pius Secundus nuncupatus fuit, non minus prudenter, quam eleganter scriptum reliquit his verbis:* Quisquis autem destinabitur huic Cæremoniarum disciplinæ, sit opertet in corpore robustissimus, in arte scientissimus, in mentis promtitudine circumspectissimus, ut pro omnibus laboret, de omnibus ratiocinetur, & omnibus per omnia satisfaciat: ita regulariter se se in suis expeditionibus gerens, ut quæcunque fecerit, fierive docuerit, exemplaria sint; quoniam sicut nihil sine doctore, & exemplo discitur, ita nihil sine usu, & experientia docetur.

IV. Nihil sane puto dici luculentius posse egregiis hisce tametsi prolixis Paridis Crassi, atque Pii II. Pontificis Maximi locis ad nostrum hunc §. illustrandum. Id unum optandum, ut Cæremoniarum Magistri ad illa sedulo attendant, quo satis muneri suo religiose, rite, decore, eleganter, ac pro rei quæ agitur dignitate obeundo facere valeant. Ut autem alia omittam, id præsertim ab iis curandum, quod monet Cæremoniale Ambrosianum Lib. I. *De officio Magistri cæremoniarum, & ejus coadjutoris*, Pag. 131. & ex eo eruditus Castaldus Lib. I. *Praxis Cæremoniarum*, Sectione I. Cap. I. Num. VIII. ut nimirum quando celebranda erunt aliqua, quæ non ita frequenter occurrunt, quæque solemni ritu, & apparatu peragi solent, re prius cum Superiore, ut decet, communicata, prævideat omnia, atque disponat, curetque singula servari juxta formam, quam tradet. Ceterum ne quid erroris accidat in sacris functionibus peragendis, sed ut potius in ipsis decor, & reverentia perspiciatur, recte & illud in hoc §. adjunctum est, quod olim alias docuit sacrarum Cæremoniarum peritissimus Crassus Lib. I. Capite III. *Omnia ante tempus ita, & taliter prævideantur, & instruantur etiam cum exhibitione schedulæ Cæremonialis, in qua omnia notata, & uni-*

Digitized by Google

*universa sigillatim per seriem ordinata sint*. Meminit & harum schedularum laudatus Castaldus loco citato, Cap. II. Num. VII. ubi ait præcipuum esse primi Cæremoniarum Magistri munus, prospicere omnia, aliorumque munera perpendere, ad eumque spectare, *Episcopum*, *Canonicos*, *Officiales*, *ac reliquos ministros*, *omnesque Clericos*, *præsertim seminarii*, *cæremoniarum rationem*, *usum*, *ac disciplinam docere*, *præmonere*, *atque instruere*, *exhibitis etiam*, *ubi opus esse videbitur*, *schedulis*. Videsis ad calcem hujus Capitis, quæ Cæremoniarum Magistris Ambrosianum Cæremoniale edicit, cujus locum ibidem penè integrum describemus.

## §. III.

Alter vero junior, qui saltem in sacro Ordine sit constitutus, præcipuam curam gerat circa personam Celebrantis, ac Ministrorum illius; cumque opus erit aliquos ducere, aut reducere, faciat id modeste, & discrete summissa voce, ac solo nutu, si fieri possit, quæcumque agenda sint, demonstrans; non discurrat velociter, non caput volvat, aut manus jactet indecenter: caveat demum, ne in suis actibus affectationis vitio notetur; sed quidquid aget, cum gravitate, & congruenti mora, ac cum decoro corporis gestu, ita peragere curabit, ut cæteris devotionem, & reverentiam pariat, ipseque ab omnibus commendari mereatur; unus tamen alterius defectum, cum opus erit, modestia, ac silentio corrigere, & supplere studeat; ambo simul conveniant, antequam in ipso rei gerendæ actu sint; prævideant, quæ sint agenda, ac onera inter se partiantur, concordesque sint, ne reprehendi ab aliis jure possint, qui docere, & instruere omnes debent. Satius enim est unum, quam plures esse, nisi fuerint concordes.

## COMMENTARIUS.

I. QUæ in hoc præscribuntur §. superius jam enarravimus in Commentario ad §. I. ubi locum attulimus Augustini Patricii, ex quo is præsens §. desumtus esse videtur. Nonnulla etiam quæ hic dici possent, explicata abunde reperies in Commentario ad §. II. Porro agitur in præsenti de altero cæremoniarum Magistro, qui & ab Episcopo eligi debet, junior quidem primo, sed saltem in sacro Ordine constitutus; non ergo Clericus vix prima tonsura, vel minoribus Ordinibus insignitus; esset enim hæc electio contra Cæremonialis præscriptum. Debet præterea is alter, qui sacris cæremoniis præficitur, corporis quoque habitudine esse conspicuus, omni prorsus deformitate carens, quo officium suum rite, decore, eleganter, ac pro rei, quæ agitur, dignitate exequi possit; ita tamen ut graviter in omni actu se gerat, non discurrens velociter, non caput volvens, nec manus agitans, ac denique tali corporis habitu modeste, ac religiose cuncta perficiat, ut omne affectationis vitium cavens, quam sustinet officii dignitatem rite tueri possit.

II. Quanquam autem ad Ecclesiæ, & Episcopi decorem deceat ob varias Ecclesiasticas, atque Episcopales functiones duos constitui Cæremoniarum Magistros, aspectu, & statura corporis convenienti, & multo magis scientia, & bonis moribus præditos, expertos, ac dociles, alterum vigesimum quintum saltem attingentem annum, ac Presbyteratus Ordine insignitum, juniorem alterum in Sacris saltem constitutum, non videtur tamen omnino adstringi Episcopus binos constituere Cæremoniarum Magistros; clarissima enim est illa Cæremonialis clausula, quæ in §. I. legitur: *Duo*, *si fieri possit*, *de gremio suæ Ecclesiæ ad hujusmodi onus assumantur*. Quis autem nescit, in quibusdam Ecclesiis tantum esse Clericorum ignorantiam, ut vix aliquis inveniatur, qui aliquam Cæremoniarum praxim viderit. Atque ea forte causa est, cur clausula illa, *si fieri possit*, in medio verborum illorum posita fuerit, *ut duo*, *de gremio suæ Ecclesiæ*. Ait enim: *Curabit Episcopus*, *ut duo*, *si fieri possit*, *de gremio suæ Ecclesiæ &c.* Si fieri enim non possit, ut duo, & de gremio suæ Ecclesiæ assumantur, ob defectum scilicet peritiæ rei cæremonialis, liberum Episcopo erit, unum eligere, & ex aliena Diœcesi. Ceterum non puto impediri Episcopum etiamsi ejus Ecclesia Sacerdotibus rem ritualem callentibus abundaret, alios extraneos obeundis cæremoniis præficere, eorumque ministerio uti; nulla enim Lege adstringitur, ut Cæremoniarum Magistros de gremio Ecclesiæ suæ assumat, præsertim cum Cæremoniale dumtaxat dicat: *Curabit ergo Episcopus &c.*

III. Verum enim vero consentaneum est veteri Ecclesiæ disciplinæ, ut cæteris paribus, semper indigenæ in Beneficiis, emolumentisque Ecclesiastici præferantur exteris; ob eam enim causam frequenter male audiunt Episcopi, quod non contenti alienigenas in famulitio habere, conantur etiam Ecclesias, & Capitula suæ Diœceseos Ministris, & Canonicis exteris implere. Scio, nulla generali Ecclesiastica Lege ad hæc agenda impediri Episcopus: est tamen contra rationem, ut suo arbi-

Digitized by Google

arbitrio panem indigenis eripiat, reditusque a civibus relictos, exteris donet, tum vero præsertim, quum Clerici de gremio Ecclesiæ idonei sunt, exterosque ipsos vitæ probitate, & doctrina, superent longe. Certe si ad nascentem Ecclesiam oculos conjiciamus, jam statim inveniemus in Apostolicis Actis Cap. VI. vers. I. ex eo Græcorum murmure non parum illam fuisse vexatam, *eo quod despiccrentur in ministerio quotidiano viduæ eorum*.

## §. IV.

Eorum habitus sit honestus, & Clericalis, ipsaque vestis inferior, ubi commode fieri possit, coloris violacei, super quam, dum divina officia celebrantur, Cottam mundam induent. Ad eorum quoque officium spectabit, præsertim ubi non adest particularis Magister Chori, curare, ut intra Chorum nulla fiant colloquia, nec sint, qui risu, aliove incomposito, seu minus modesto actu rem divinam turbent; non qui cum ceterorum scandalo dormiant; literas, aut alias scripturas legant, sed nec Libros, aut ipsum Breviarium, aut Diurnum in manibus habeant, aut ex illis privatim horas, aut orationes recitent; sed illas alta voce una cum Choro dicant, aut cantent, & ad id Librum habere permittantur; nequis gestum aliquem ab aliis differentem demonstret, ut cum alii stant, aliquis sedeat, vel genuflectat, vel e contra: sed detur opera, ut omnes uniformi ritu, attente, devote, & reverenter divinis mysteriis, atque officiis assistere, eaque toto cordis affectu admirari, & contemplari videantur, ac silentium diligenter servetur.

## COMMENTARIUS.

I. Duo in hoc §. de Magistris Cæremoniarum notanda sunt, alterum de habitu, de officio alterum. Ad primum quod spectat, edicitur, ut *eorum habitus sit honestus, & Clericalis, ipsaque vestis inferior, ubi commode fieri possit, coloris violacei, super quam, dum divina celebrantur officia, Cottam mundam induent*. Loquitur hic §. noster de habitu quidem Magistrorum Cæremoniarum Cathedralium Ecclesiarum, quibus quidem vestis inferior violacei coloris permittitur, etiam citra functiones Ecclesiasticas; de Cotta enim sive Superpelliceo dicitur, induendum esse ab illis, *Dum divina officia celebrantur*. Hinc ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis, die IX. Decembris, anni MDCXVII. cujus meminit Barbosa in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. CDLIX. Num. VI. Meratus in suis ad Gavantum Notis, & alii, Magister Cæremoniarum, qui est Beneficiatus potest dimittere habitum Beneficiatorum, & uti superpelliceo in exercitio sui Officii, absque incursu censurarum contra illum habitum non deferentes.

II. Sed non omittendum, quod de habitu, ejusque colore violaceo, quo tum ad divina officia, tum alias uti debent Magistri Cæremoniarum, docet Cæremoniale Ambrosianum Mediolanensis Ecclesiæ Lib. I. Tit. *De officio Magistri Cæremoniarum, & ejus coadjutoris*, & Castaldus in sua Cæremoniarum Praxi Lib. I. Sectione I. Cap. II. Num. IV. *Vestes*, ait, *coloris violacei suo muneri congruentes ad talos usque demissas per totam Diœcesim induent; in Civitate quidem Tunica, ac Toga usque ad terram demissis, ipsius vero Togæ manicæ late pateant, in itinere vero breviores vestes adhibebunt*. Tum hæc subjicit Num. V. *In choro, & quandocumque ad officia celebranda convenerint superpelliceum mundum semper super utramque vestem, Tunicam scilicet, ac Togam superimponent*. Standum plane est veteri laudabilique Ecclesiarum consuetudini, nam alias nihil de Toga §. noster edicit; solum ait, ut super vestem inferiorem coloris violacei munda Cotta induatur. Ceterum cum idem hic §. noster violaceam vestem permittat illis Cæremoniarum Magistris, quos Episcopus pro Ecclesiæ suæ Cathedralis ministerio constituit, puto equidem haud posse alios Magistros Cæremoniarum, qui aliis Ecclesiis inferioribus inserviunt, violaceo uti colore.

III. Quicquid sit de hac mea opinione, illud quoque in hoc §. edicitur, ad Magistros Cæremoniarum spectare, *præsertim ubi non adest particularis Magister Chori, curare, ut intra Chorum nulla fiant colloquia, nec sint qui risu, aliove incomposito, seu minus modesto actu rem divinam turbent &c.* De officio Magistri Chori, & Cæremoniarum multa edicit in Concilio suo I. Provinciali Mediolanensi anni MDLXV. S. Carolus. Inter alia autem ita inquit: *Si in aliqua Ecclesia non fuerit hujusmodi officium, Episcopus Capitulo adhibito ad id constituat Clericum aliquem probatis moribus, & in divinis officiis exercitatum*. Et paulo post: *In qua vero Ecclesia fuerint Magister Cæremoniarum, & Magister Chori distincti, suas cuique munerum partes, ex his regulis Episcopus de Capituli consilio, arbitrio suo attribuat*. Idipsum quoque & alii Episcopi statuere.

IV. Hodie, uti superius dictum est, ex præscripto nostri Cæremonialis in electione Magistri Cæremoniarum minime requiritur consilium Capituli, solus enim Episcopus illum constituit. Quod autem ad Chori Magistrum, seu Præfectum spectat,

Digitized by Google

ctat, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis die IV. Julii MDCXV. quod refert Barbosa in sua Apostolicarum Decisionum Summa, non potest is quidem creari ab Episcopo, quando id munus ad primam Dignitatem pertinet, sine licentia Apostolica, etiamsi Chorus non recte gubernetur. Sane ex alio ejusdem Congregationis Decreto die III. Septembris anni MDCV. cujus meminit idem Barbosa in Tractatu *De Canonicis, & Dignitatibus*, Capite XXXIV. Chori regimen ad Cantorem pertinet, nec alius quispiam debet se intromittere. Licet autem in hoc nostro §. facultas detur & Cæremoniarum Magistris, ut curent silentium, ac modestiam servari in Choro, ubi divina officia celebrantur, censuit nihilominus Sacra Rituum Congregatio die VI. Decembris anni MDCXIII. Magistrum Cæremoniarum, absente Chori Magistro, indicendi silentium in Choro habere facultatem. Decretum refert idem Barbosa in ipsa Summa.

V. Afferri & alia Decreta possent, sed illud iterum, atque iterum admonendum est, ubi de hujusmodi negociis agitur, servandas omnino esse antiquas atque laudabiles Ecclesiarum consuetudines, quas quidem Cæremoniale nostrum non tollit, sed abusus, uti pluries censuit Sacra Rituum Congregatio, anno scilicet MDCIV. die X. Januarii, & die X. Aprilis ejusdem anni; itemque die XVII. Septembris anni MDCXI. die XXVIII. Januarii anni MDCXII. die IV. Aprilis anni MDCXV. uti videre est apud Barbosam in laudato superius Tractatu, *De Canonicis, & Dignitatibus*, Capite XXXIII. Num. XXIV. Certe abusus ille est minime ferendus, quem jure ac merito corrigendum ait Cæremoniale, a Cæremoniarum, vel Chori Magistris, sive ab eo, cui ex consuetudine id munus competit, ubi scilicet in Choro inter divina officia, colloquia fierent, aliaque agerentur, quæ non modo in hoc nostro §. notata sunt, sed in sacris etiam Conciliis passim damnata. De silentio ubi divina celebrantur servando videri possunt quæ diximus Lib. II. *De Codice sancti Euangelii atque servatis &c.* Cap. XIV.

## §. V.

Quæ omnia ut sine contradictione quietius perficiantur, Episcopi cura erit, omnes tam Canonicos, quam alios de Choro præmonere, ut ipsis Cæremoniariis in his, quæ ad cultum divinum spectant, sine contradictione obediant; nec tantum eorum verbis acquiescant, sed & oculos in ipsos convertentes observent, & illico illius nutu, aut levi aliquo signo, vel intuitu, quod agendum sit, significantibus, statim pareant.

## COMMENTARIUS.

I. SUmmam esse in divinorum officiorum celebratione auctoritatem Magistrorum sacrarum Cæremoniarum, abunde in Commentariis superioribus demonstratum est. Illis omnino ac sine ulla contradictione esse parendum tum a Canonicis, tum a ceteris aliis, siquid in iis, quæ ad cultum spectant, nutu, aut levi aliquo signo, vel intuitu imperent, in hoc nostro §. edicitur, & non semel a Sacra Rituum Congregatione decisum est, etiam sub pœna arbitrio Episcopi infligenda ex Decreto ejusdem Sacræ Congregationis die XVII. Julii anno MDCCXXXIV. Omnia nutu Cæremoniarum Magistri in sacris functionibus fieri debere, non modo Libri Cæremoniales, & Sacræ Rituum Congregationis Decreta, sed & Synodi passim jubent. Provincialis XIII. Beneventana anni MDCLVI. Titulo XXVI. *De Capitulo, & Canonicis*, Num. XVI. postquam inhibuit, tam Diaconis assistentibus, quam Canonicis, ne, dum Prælatus solemniter celebrat, ac alias in spectantibus ad Cæremonias in aliquo se intromittant, nisi nutu Magistri Cæremoniarum; præcepit etiam omnibus, *ut ei in spectantibus ad officium suum sine contradictione obediant; qui secus fecerit, secundum consuetudinem punctetur.* Sed hujusmodi Decreta passim in aliis Synodis inveniuntur.

## §. VI.

Alia vero nonnulla, quæ ad ipsum Cæremoniarii officium spectant, velut thuribulum deferre ad Episcopum; & ad Altare ducere, & reducere Diaconum, & Subdiaconum, aliosque omnes, tam majores, quam minores Ministros, quorum opera in re sacra, aut alibi requiritur, inferius suis quæque locis in Operis cursu exponentur. Si Ecclesia sit ampla, & numero Clericorum, ac Beneficiatorum abundans, possent arbitrio Episcopi, aut juxta consuetudines Ecclesiarum, aliqui ex ejusdem Ecclesiæ gremio subministri adhiberi, qui in aliquibus casibus tam in Choro, quam extra, ipsos Cæremoniarios adjuvarent; velut indicendo silentium populo, atque occurrendo, quoad valerent, tumultui, & scandalis, quæ forte in ipsa Ecclesia oriri possent; atque etiam circumspiciendo per totam Ecclesiam, nequid

Digitized by Google

quid indecenter fiat; neve extinguantur lampades, & cerei, aut ne flamma ex cereis ultra modum profluat, vel quid indecorum super Altaribus, aut aliis in locis eveniat.

## COMMENTARIUS.

I. AGitur & in hoc §. de variis Magistri Cæremoniarum muniis, quæ longo agmine recenset Castaldus in sua Cæremoniarum Praxi Lib. I. Sectione II. Cap. I. & II. per totum. Nos, ubi se se occasio tulerit, illa explicabimus, & quidem ex testimonio insignium Scriptorum, Decretis Conciliorum, atque auctoritate Decisionum Sacræ Rituum Congregationis juxta methodum hucusque servatam. Est autem in præsenti illud notandum, quod mandat hic noster §., posse arbitrio Episcopi, aut juxta consuetudines Ecclesiarum, ubi Ecclesia ampla esset, atque Clericorum numero, ac Beneficiatorum abundaret, alios adhiberi subministros, qui præcipuos Cæremoniarum Magistros in aliquibus functionibus, quæ in Choro, vel extra Chorum celebrantur, adjuvare valeant: *Quanto plures, erunt concordes, & ordinem inter se servabunt, facilius, & melius satisfacient.* Verba sunt Augustini Patricii rei Cæremonialis peritissimi, Libro III. *Sacrarum Cæremoniarum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, Cap. IV. ubi etiam addit, melius esse, unum solum adhiberi Cæremoniarum Magistrum, quam plures, qui inter se contrarii essent. Porro nollem dici etiam hic posse tritum illud apud omnes adagium: *Ubi multitudo, ibi confusio*, sive illud Poetæ distichon:

*Segnius expediunt commissa negotia plures,*
*Quisque etenim curam rejicit in socium.*

II. Quod dicitur in hoc nostro §. deputandos esse aliquos arbitrio Episcopi, qui ipsos Cæremoniarum Magistros adjuvent, qui scilicet silentium populo indicant, & tumultui, & scandalis occurrant, quæ forte in ipsa Ecclesia oriri possent; consonum id plane est veteri Ecclesiæ disciplinæ; mandat enim pervetustus Auctor Apostolicarum Constitutionum Lib. II. Cap. LVII. ut *Diaconus populum speculetur, nequis murmure obstrepet, dormitet, aut nutus faciat: oportet enim stare in Ecclesia sapienter, & vigilanter auribus ad verbum Domini intentis.* Erat itaque Diaconorum officium populo silentium in Ecclesia indicere, & strepitum compescere, ut, omissis aliorum Scriptorum veterum testimoniis, memoratus Auctor Lib. VIII. Cap. XI. iterum affirmat: *Diaconi contemplentur viros, & mulieres, nequis fiat strepitus, nequis nutus faciat, aut mussitet, aut dormitet.*

III. Laudabilis plane est consuetudo Clericorum Regularium, in quorum Ecclesiis aliquis etiam Minister laicus constitui solet, cui curæ est non modo a latronibus Ecclesiam custodire, verum etiam seculares omnes actiones, vana, atque adeo prophana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arcere; juxta monitum Sacri Concilii Tridentini in Decreto, *De observandis, & vitandis*, Sessione XXII. *De reformatione*. Verum tametsi cum Patres, cum Synodi inculcent versandum esse in Ecclesia cum timore, & tremore, eamque ob causam varii Ministri constituti sunt, ut scilicet ubi opus fuerit, etiam vi irreverentes ab Ecclesia ejiciantur; constat nihilominus, nullum locum tametsi prophanum ita irreverentiæ expositum esse, ut Ecclesia Dei.

## §. VII.

Item Viros a mulieribus, cum commode fieri potest, distinguendo, & separando; ordinem sessionum inter laicos advertendo, eosque admonendo, quando surgere, sedere, vel genuflectere debeant, aliaque hujusmodi prævidendo, & operando, prout opportunum erit: atque a dictis duobus Cæremoniariis, cum opus erit, admonebuntur; quibus præterea subditi esse debeant, & ut ab omnibus cognoscantur, eorumque officium commodius, a majori cum auctoritate exercere, & exequi valeant, posset eis concedi usus aliquarum ferularum serico, vel panno tectarum, cum aliquibus ornamentis, aut insignibus sancti Patroni, vel Ecclesiæ, vel Episcopi, componendarum, quas semper manibus gestarent.

## COMMENTARIUS.

I. ESt vetustissimus Ecclesiæ Ritus, ut Fideles in Ædem sacram servato sexus non modo, sed & ordinis discrimine convenirent; nam Viri a mulieribus, virgines a nuptis, Clerici a laicis sejungebantur. Id quidem testatur in primis pervetustus Auctor Apostolicarum Constitutionum Lib. II. Cap. LXI. Ait enim Ecclesiam construi solitam longo situ instar navis, in cujus medio, quod gremium appellamus, Episcopus una cum Clero ad utrumque latus posito sedeat; ex altera Ecclesiæ parte viri, ex altera vero manerent mulieres; & sicut loco invicem distincti erant, eodem quoque modo portæ; ut qua viri ingrederentur, discreta esset ab ea, quæ feminis

Digitized by Google

minis tantum pateret, & sicut virorum portæ Ostiarius præerat, ita Diaconissæ demandata erat cura portæ mulierum. Meminere ejusdem disciplinæ & alii Patres, Cyrillus Hierosolymitanus, Joannes Chrysostomus, Augustinus, & Auctores Ordinis antiqui Romani, quorum loca attulimus in Opere nostro, *De Codice Sancti Euangelii*, Lib. II. Cap. VI. ubi etiam adnotavimus, desuetum morem fuisse primum a Clericis Regularibus, quos Theatinos vocant, ad Ecclesiæ decorem honestatemque revocatum, ac præterea nostro hoc sæculo venerabilem Dei servum Josephum Mariam Cardinalem Thomasium in suo Titulo Equitii summo studio tabularum parietes hinc inde constituisse, quo viri a mulieribus juxta veterem atque laudabilem Ecclesiæ morem separarentur, eosque tandem non multo post sapientissimi, ac religiosissimi Cardinalis obitum sublatos fuisse.

II. Priscam memoratæ discretionis virorum a mulieribus in Ecclesia renovandam haud dubie nostrum Cæremoniale in hoc §. censet, ubi Magistrorum Cæremoniarum munia recensens, ait, curandum ipsis & illud esse, ut viros a mulieribus, cum commode fieri potest, distinguant, & separent, ordinem sessionum inter laicos advertant, eosque admoneant, ut omnes cum debita reverentia divinis interfint officiis, stantes, sedentes, vel genuflectentes, prout res postulaverit; itemque occurrant, quantum fieri potest, ne tumultus fiat; omniaque profana arceantur, adhibitis ad hoc inferioribus Ministris, præcipue ipsis Ecclesiæ custodibus, uti in sua Praxi Cæremoniarum docet Castaldus Lib. I. Sectione I. Cap. I. Num. XXX. Fuisse olim id munus Diaconorum, jam supra ostendimus in Commentario ad §. I. ex præclarissimo testimonio pervetusti Auctoris Apostolicarum Constitutionum, qui Lib. II. Cap. LVII. ait: *Diaconus populum speculetur, nequis murmure obstrepet, dormitet, aut nutus faciat; oportet enim stare in Ecclesia sapienter, & vigilanter auribus ad verbum Domini intentis*. Concinit memorato Auctori S. Isidorus Episcopus Hispalensis Lib. II. *De officiis Ecclesiasticis*, Cap. VIII. ubi de Diaconibus, eorumque muniis differens, sic inter alia inquit: *Ipsi clara voce in modum præconis admonent cunctos, sive in orando, sive in flectendo genua, sive in psalendo, sive in lectionibus audiendis: ipsi etiam, ut aures habeamus ad Dominum, clamant*. Videsis quæ de hac re diximus in Opere, *De Codice sancti Euangelii, atque servatis &c.* Lib. II. Cap. XIV.

III. Cum autem juxta recentiorem Ecclesiæ morem, & nostri Cæremonialis præscriptum id muneris Magistris Cæremoniarum demandatum sit, ut non solum in Choro Clericos, verum etiam in tota Ecclesia laicos etiam admoneant, quando stare, sedere, vel genuflectere debeant; quemadmodum illi, ita & isti ipsis Cæremoniarum Magistris sine ulla contradictione obedire tenentur. Ut autem ab omnibus cognoscantur, quanta iidem polleant auctoritate, id quoque in hoc §. edicitur, posse Magistris Cæremoniarum *concedi usum aliquarum ferularum serico, vel panno tectarum cum aliquibus ornamentis, aut insignibus sancti Patroni, vel Ecclesiæ, vel Episcopi componendarum, quas semper manibus gestarent*. Forte ad has ferulas alludit S. Carolus, ubi in Synodo Dioecesana II. Decreto XXVIII. statuit: *Quicumque in actionibus publicis baculum, ferulamve, aut rem ullam aliam ferre solent, quod suæ dignitatis insigne sit, ii in iis ipsis publicis munerum functionibus semper insigne tale adhibeant*. Fuit plane antiquus is ferularum usus in Ecclesia Mediolanensi; in Ordine enim, sive Cæremoniali Ecclesiæ Ambrosianæ, auctore Beroldo Mediolanensi circiter annum MCXXX. apud clarissimum Ludovicum Muratorium Tomo IV. Antiquitatum Italiæ medii ævi, Dissertatione LVII. sic inter alia legimus: *In primis sunt Sacerdotes Cardinales, quorum prior Archipresbyter cum ferula sua, & primatu suo præfertur in Choro. Deinde septem Diaconi Cardinales subsequuntur; prior tamen Archidiaconus cum ferula sua, & primatu suo Archipresbytero conjungitur*.

IV. Sed audiamus tandem quid de ferulæ usu Cæremoniarum Magistris concedendo scribit post editum Cæremoniale eruditus Castaldus in sua Praxi Cæremoniarum Lib. I. Sectione I. Cap. II. Num. VI. *Solemnioribus*, inquit, *diebus, atque functionibus concedi eis potest ferula deferenda, quæ erit coloris violacei, vel alterius cum extrema parte argentea, vel aurata, aliisque ornata insignibus, arbitrio Episcopi, vel juxta locorum consuetudinem*. Esse ferulam dignitatis non modo insigne, sed & regiminis, atque correctionis, compluribus testimoniis probari posset. Certe loquens de inauguratione Cœlestini III. Papæ Cencius Camerarius in suo Cæremoniali, ita inquit: *Idem electus sedet ad dexteram in sede porphyretica, ubi Prior Basilicæ sancti Laurentii dat ei ferulam, quæ est signum regiminis, & correctionis*.

## §. VIII.

Ut autem ipsi Cæremoniarum Magistri necessariis rebus pro victu, & vestitu juxta eorum statum non indigeant, animum diversis curis, perturbationibus defatigare, & distrahere non cogantur, sed a cunctis aliis negotiis remoti, omni studio, & diligentia, ac toto pectore in commissam ipsis curam, & munus suum facilius incumbere possint, providebit Episcopus, ut ipsis constituatur aliquod certum competens stipendium, & insuper, ut eis applicentur emolumenta aliqua extraordinaria; item aliquibus privilegiis, & prærogativis decorentur, ut promtiori animo suo muneri satisfaciant, ac libros necessarios sibi parare possint, videlicet Pontificale, Cæremo-



Digitized by Google

niale Episcoporum, Librum de Mysteriis Missæ Innocentii Papæ III. Rationale divinorum Officiorum, Joannem Stephanum Durantum de ritibus Ecclesiasticis, diversosque alios Auctores de officiis tam antiquos, quam recentiores, aliosque plures, quos sibi opportunos judicabunt; ut non solum actione, & opere sint parati, sed etiam, cum opus fuerit, de his, quæ fiunt, rationem reddere, quoad ejus fieri possit, valeant.

## COMMENTARIUS.

I. CErtum, & commodum stipendium præter extraordinaria alia emolumenta assignandum esse Cæremoniarum Magistris, ait hic §. noster; ob eam scilicet rationem, ne rebus necessariis ad victum & vestitum destituti cogantur pro pane lucrando alia agere, & sacrarum cæremoniarum studium, quod totum hominem requirit, negligere. S. Carolus in Concilio Mediolanensi 1. Provinciali ad Titulum, *De officio Magistri Chori, & cæremoniarum*, inter alia mandat, ut *si in aliqua Ecclesia non fuerit hujusmodi officium, Episcopus Capitulo adhibito ad id constituat Clericum aliquem probatis moribus, & in divinis officiis exercitatum, cui stipendium det, communibus etiam sumptibus, si opus erit*. Edidit hoc Decretum S. Carolus, cum nondum adhuc editum esset nostrum hoc Cæremoniale, ex cujus præscripto ad solum spectat Episcopum, duos Cæremoniarum Magistros constituere, quorum alter sit Presbyter, alter vero Diaconatu, vel saltem Subdiaconatu inauguratus, uti superius dictum est in Commentario ad §. I. & III. Certe quod stipendium spectat, tametsi Episcopus pro sua potestate Magistros Cæremoniarum creavit, censuit jam Sacra Rituum Congregatio in Tropien. XXIII. Martii MDCII. debere ipsis de salario ab Episcopo, & Capitulo pro medietate provideri, donec certum stipendium assignatum fuerit; ejusque Decreti meminit quidem inter alios Augustinus Barbosa in Summa Apostolicarum Decisionum Collect. CDLIX. Num. IV.

II. Quoniam vero, uti in Præfatione hujus Operis diximus, habituros esse nos in Commentariis hisce concinnandis peculiarium etiam ac præsertim insignium Ecclesiarum rationem, operæ pretium ducimus ad hujus præsentis Capitis calcem ea describere quæ de officio Magistri Cæremoniarum, & ejus Coadjutoris Lib. I. Cæremonialis Ambrosiani notantur, quia scilicet multa ipsum nos docet, quæ ad aliarum Ecclesiarum utilitatem, & ad majorem intelligentiam Rubricarum hujus Capitis, quas jam alias nos explicuimus, plurimum faciunt. Itaque inter Officiales Metropolitanæ Ecclesiæ Mediolanensis primus est Magister Cæremoniarum, cujus Officium, Beneficium ve auctoritate Apostolica anno MDLXXIII. die XII. Decembris instituit, atque erexit S. Carolus ad sanctissimum Dei cultum augendum, ad Cleri in divinorum Officiorum ratione studium adjuvandum, atque excitandum, & ad populi pietatem vehementius accendendum, & denique ad diligentius accuratiusque retinendos, & perpetuo servandos ipsius Ecclesiæ Ambrosianæ Ritus eximios.

III. Hocce Officium, seu Beneficium perpetuum Ecclesiasticum collativum in ipsa Metropolitana Ecclesia Mediolanensi muneris Magistri Cæremoniarum nomine nuncupandum Archiepiscopi Mediolani pro tempore visitationi, correctioni, jurisdictionique omni pleno jure idem S. Carolus subjectum esse voluit; itaut illud conferendi jus, & facultas omnis ipsorum tantummodo sit Archiepiscoporum, quibus perpetuo illud omnino reservandum censuit. Cum autem in eo, quem huic muneri præficere voluerit Archiepiscopus, infrascripta & notata fundationis ipsius jure requirantur, Viri etiam ad id muneris idonei per Edictum, si ita Archiepiscopo placuerit, ex alienis Civitatibus evocari poterunt.

IV. Vitæ morumque honestas cum gravitate in primis conjuncta in Cæremoniario esse debet. II. Literarum bonarum cognitio, qua is non leviter instructus sit. III. Latine loquendi, scribendique facultas aliqua exercitatione, & usu comparata, & confirmata. IV. Sacrorum Rituum, Cæremoniarumque doctrina hujusmodi, ut de eorum rationibus, institutis, & significationibus alios rite, recteque erudire ipse possit. V. Ecclesiasticæ supputationis, computum vulgo a multis appellatur, intelligentia Sacerdoti necessaria est Cæremoniario. VI. Musici cantus, quem firmum communiter, passimque dicimus, peritia, atque exercitatio. VII. Absoluta ad Cæremoniarum præscriptum, scientia, & usus in omni sacrarum functionum, & Rituum ratione. VIII. Manus in scribendo celeritas, quæ eleganter, & impressas literarum notas formet.

V. Corporis item valetudo, & habitudo apte constituta expetitur, & quidem ejusmodi, ut non gibbus, non claudus, non strabo, non luscus, aut lippus sit; non qui perspicuam, deformemque aliquam corporis notam, aut cicatricem in vultu, aut collo, aut manibus inhærentem habeat; non qui turpi aliquo, eoque conspicuo carnis tumore affectus sit; neque vero qui linguæ tarditatem, aut vocis impedimentum aliquod in loquendo patiatur. Eo denique corporis habitu, iisque animi dotibus præditus sit, ut spem, & expectationem, quam de se concitarit, hanc sustinere, ac tueri possit; officium suum videlicet religiose, rite, decore, & eleganter, ac pro rei, quæ agitur, dignitate, ita graviter præstando, ut nihil quidem, quod ad perfectam sacrarum Cæremoniarum, & Rituum disciplinam pertineat, a se unquam desiderari patiatur.

VI. Et quoniam prædicta omnia non sunt præsumenda, neque expectanda, vel speranda, sed

Digitized by Google

ſed actu, & certa in eo inſita eſſe debent, cui hoc officium eſt demandandum, iccirco ante omnia de prædictis omnibus in illo periculum erit faciendum; potiſſimum vero de Muſices ſcientia, & Cæremoniarum peritia, diſciplinaque probanda. Quare adhibendos curare Archiepiſcopus debet aliquos prudentes Viros, quos in eo genere eruditos noverit, atque exercitatos, qui jam dicta omnia in eo, qui Magiſtri Cæremoniarum munus expetierit, diligenter requirant; quibus etiam unum de Capitulo Metropolitanæ judicio ſuo adjunget. In examinanda vero ejuſdem doctrina non abs re eſſe cenſetur, quod idem Archiepiſcopus unum addat, quem maluerit, ex iis, qui conſtituti ſunt in Dioeceſana Synodo Examinatores.

VI. Præterea animadvertenda ſunt infraſcripta Capita, videlicet, I. Ne ullo modo huic muneri quiſquam præficiatur, qui ex legitimo matrimonio natus non ſit. II. Qui ſaltem Diaconus non ſit, ejuſque ætatis, atque uſque adeo in cæteris idoneus, ut proximis ſequentibus ſacræ Ordinationis temporibus Sacerdos ordinari poſſit. III. Qui item in Mediolanenſi Seminario non ſit per biennium ſaltem commoratus. IV. poſtremo, qui in ſacra Theologia Magiſtri, aut in Jure Canonico Doctoris gradum non ſit adeptus Braydenſis Academiæ, alteriuſve publici Gymnaſii judicio, & auctoritate. Hujuſmodi autem omnia ita in eo, qui hoc officium ſuſcipere voluerit, ſunt requirenda, ut ſi cui, non ſervatis prædictis conditionibus conferretur, ipſo jure collatio ſit nulla, ac plane irrita; Beneficiumque illud, ſeu officium eo ipſo vacare cenſeatur.

VII. Poſtea vero quam aliquis, ut ſupra, admiſſus fuerit, antequam poſſeſſionem adipiſcatur, coram Archiepiſcopo debet jurare, ſe nihil unquam, neque agendo, neque docendo circa Cæremoniarum, muneriſque ſui uſum eſſe introducturum, quod Fidei Chriſtianæ integritati repugnet, vel perniciose ſuperſtitioſum ſit: tum præterea polliceri, ſe neque ſuo, neque alieno facto, neque ullo unquam alio modo per ſe, vel per alium daturum operam, ut quicquam hujus Cæremoniarum Magiſtri fundationi, & conſtitutioni derogetur. Quemadmodum autem poſt adeptam poſſeſſionem non ſolum jus habet percipiendi diſtributiones particulares cenſus huic officio aſſignati, ſed etiam alias communes cum ceteris officialibus Chori, quorum ipſe primus eſt, ita debet regulas totius Officialium Congregationis non ſolum ipſe ſervare, ſed ut ab aliis etiam ſerventur, curare. Ab omni tamen Hebdomadarii munere immunis erit.

VIII. Non licebit vero ei quodvis aliud Beneficium, Officium Eccleſiaſticum, quod reſidentiam, miniſteriumve perſonale ullo quovis modo requirat, nedum etiam in eadem Metropolitana retinere, quamvis cum ipſo Magiſtri Cæremoniarum munere compatibile ſit. Si vero poſt aſſequutionem officii Magiſtri Cæremoniarum aliud Beneficium, ſeu Officium, quod reſidentiam, aut perſonale miniſterium aliquo modo requirat, licet etiam in eadem Metropolitana ſit, ipſi conferatur; poſt collationem, & pacificam poſſeſſionem adeptam, eo ipſo Magiſtri Cæremoniarum Officium, Beneficiumque vacare cenſetur, itaut libere alteri conferri poſſit.

IX. Tenetur præterea Magiſter Cæremoniarum, ſi in Sacro tantum Diaconatus Ordine conſtitutus erit, niſi juſta cauſa adſit, quam tamen prius teſtatam, & notam Archiepiſcopo facere debet, proximis ſequentibus a ſuſceptione muneris Magiſtri Cæremoniarum temporibus, aut cum primum per eam cauſam, qua impeditur, licuerit, ad Sacerdotium promoveri; ſin minus, ſtatim omne illius Beneficii, Officiive Eccleſiaſtici jus amittat; illudque vacat, ac libere alteri Archiepiſcopus conferre poteſt. Quod etiam de eo decernitur, qui jam hujus Cæremonialis Officii, Beneficiive poſſeſſionem adeptus, & Sacerdotio inſignitus ab Ordinis ſui munere, functioneve ob aliquam culpam ſit ſuſpenſus.

X. Veſtes coloris violacei, Tunicam ſcilicet, & Togam perpetuo induit muneri ſuo congruentes ad talos demiſſas, quarum fimbriæ, & manicæ item Togæ ſint intus in fimbriis circumamictæ colore roſaceo; manicæ autem Togales ample, lateque pateant per duos ſaltem cubitos. Violaceo item veſtitu utetur in itinere, quod ad Dioeceſis loca aliquando habebit. Caputium violaceum tanquam ſui muneris inſigne ſupra veſtem exteriorem violaceam perpetuo induet, ac defert, non tamen quando Superpelliceo erit indutus. In Choro, aliove loco officiorum divinorum tempore Superpelliceum induit, non ſupra Tunicam tantum, ſed ſupra utramque veſtem, Tunicam ſcilicet, & Togam.

XI. Solemnioribus diebus, & actionibus, quæ extra tempus Adventus, Quadrageſimæ, Litaniarum, & aliud quodvis pœnitentiæ, aut funebre, vel luctuoſum incidunt, adhibet exteriorem eandemque latiorem veſtem roſaceam, cui tamen ſemper ſuperinduat Cottam, nimirum, per totam octavam Nativitatis Domini, Paſchæ reſurrectionis, per diem Pentecoſtes cum duabus feriis ſequentibus, ac per totam octavam Corporis Domini; tempore Synodi Provincialis, & Dioeceſanæ; ad omnia officia, & Miſſas Pontificales, quibus vel præſens eſt, vel eſſe deberet Archiepiſcopus, dummodo non cadant in prædictum tempus. Excipitur tamen Feſtum S. Ambroſii Patroni Eccleſiæ Mediolanenſis, quo die, licet cadat in Adventum, colore rubeo uti licet. Ad omnes ſupplicationes, & actiones, quæ extra prædictum tempus pro gratiarum actione, vel in ſignum alicujus lætitiæ publicæ ſuſcipiuntur.

XII. Utitur autem prædicto habitu roſaceo, non ſolum cum Archiepiſcopus prædictas functiones, vel hujuſmodi obibit, ſed etiam quando cum ſolo Capitulo Metropolitanæ eiſdem præſens erit, & miniſterium, operamque ſuam præſtabit. Quocumque tempore, ſolemnioribus tamen diebus, & functionibus ferulam defert coloris violacei cum pomo, & extrema parte argentea, & ejus longitudinis, cujus eſt ea, quam in ipſa Mediolanenſi Eccleſia Primicerius minor deferre ſolet. Ad Eccleſiam

clesiam autem, ad aliave loca, ad quæ divinorum officiorum causa Metropolitanæ Capitulum non solet convenire, nunquam ipse accedit, operam, ministeriumve suum quovis modo in divinis officiis, etiam in funeralibus, exequiisve collaturus: nisi aut id pro muneris sui ratione præstare debeat, aut Archiepiscopus ei vel concesserit, vel jusserit, hocque Cæremoniarum causa.

XIII. Certos libros, ac diarios singulis annis conficere debet, & diligenter referre quæcumque pro temporum, personarum, rerumve ratione, de Cæremoniarum, Rituumve disciplina, & usu, eo anno acta, gesta, decretave erunt, & notatu digna videbuntur. Studere debet præterea diligenter in ipsius Ecclesiæ Mediolanensis Ritibus, institutisque servandis, eorumque rationibus perquirendis, cujus causa pariter tabellas conficiet, quas omnes eleganter descriptas una cum prædictis diariis ineunte mense Januario quotannis Archiepiscopo exhibere debet, & eas tradere in Archivio asservandas.

XIV. Ut autem in omni Cæremonialium institutionum, & Rituum genere conscribendo peritior, & diligentior in dies evadat, subsidium sibi comparare poterit, tum ex veterum Patrum monumentis, tum ex codicibus antiquis, & manuscriptis præsertim de Ecclesiæ Ambrosianæ ratione confectis, quibus libris Bibliothecam suam instructam habere studebit; quo non solum actione, & opere paratus sit, sed etiam, cum opus fuerit, de his, quæ fiunt, rationem reddere, quoad fieri possit, valeat. Ceterum munera peculiaria, quæ etiam sigillatim in Tabella in Sacristia affigenda juxta fundationem ejus officii describi poterunt, hæc, ut infra potissimum erunt.

XV. Noverit inprimis Magister Cæremoniarum, illius ministerio, & cura omnia Ecclesiastica munia obeunda esse. Ipsius igitur partes sunt circumspicere omnia, aliorumque omnium munera perpendere. Ipse tamquam prima rota Horologii est, cujus motu, æquipondio, & libramine circumductæ reliquæ omnes moventur. Propterea sciat hoc illi non ratione gradus, vel dignitatis competere, sed ratione officii. Quare & ipse discat primum nutibus, jussionibusque Archiepiscopi, totiusque Capituli, ac præsertim Præfecti Chori obtemperare. Sit patiens, admodum humilis, & mansuetus; neque gravetur aliquando cum viderit esse necessarium etiam suis manibus adjuvare Ministros, ceterosque omnes, quorum opera uti oportuerit. Disciplinæ Ecclesiasticæ, præsertim autem sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ amantissimus sit, cujus observantiam summo studio in omni actu insigni quadam ratione ostendat.

XVI. Præmoneat, atque instruat omnes, ubi opus esse viderit, exhibitis etiam schedulis. Quidquid enim erroris accidit, vel incaute fit, ipsi uni Cæremoniario imputari solet. Cum aliquem monere, vel ducere, aut reducere oportuerit, id modeste faciat, & discrete, submissa voce, ac solo nutu, si fieri potest, quæcumque agenda sint, demonstrans. Non discurrat velociter, non caput volvat, aut manus jactet. Caveat, ne in suis actibus, gestibusque affectationis vitio notetur. Quidquid agendum erit, magna cum gravitate, & congruenti mora, necnon cum decoro corporis motu ita peragere studebit, ut cæteris devotionem, & reverentiam pariat. Optime sciat regulas omnes Cæremoniarum Ecclesiæ Mediolanensis peculiarium, necnon Tabellas præscriptas, præsertim vero rationem pulsandi ad divina officia. De usu Capparum, alioque vestitu tam Ordinariorum, idest Canonicorum, quam Archiepiscopi edoctus sit; necnon quo vestium genere utatur Archiepiscopus pro diversitate temporum. Quo pacto item se gerere debeat Archiepiscopus, quando Cardinales, aliique insignes Prælati, vel Principes Mediolanum veniunt, tam in occursu, quam in vestitu, & Insignibus.

XVII. Caveat, ne novi aliquid quoad Cæremonias, Rituque introducat. Consulat in omnibus saltem Chori Præfectum, in difficilioribus vero, & novis occasionibus, quæ accidunt, nihil ipse statuat, sed vel Archiepiscopum consulat, vel Rituum Congregationem cogat, cujus Decreta postea ipse exequatur. Præcipue autem ministerium, officiumque Magistri Cæremoniarum in iis, quæ sequuntur, versari debet, atque etiam cum Magistro Chori convenire. Una igitur cum Magistro Chori quotannis Calendarium anniversarium conficiat, quo singulorum dierum tam festorum, quam ferialium ratio ad divinum Officium recitandum rite præscribatur. Quod ita in tempore perfici debet, ut per mensem saltem ante Nativitatem Domini editum sit. Cum eodem Magistro Chori singulis diebus Sabbati Tabellam in Sacristia affigendam conficiat, in qua præscribatur, quid a singulis Canonicis per hebdomadam cantandum sit. Qui, quo tempore, & ordine Missam celebrare, vel horas dicere, vel alia Ecclesiastica munia obire debeant ea hebdomada; qua, siquid etiam extraordinarium agendum erit, denuncietur.

XVIII. Eos, qui aliquibus sacris Ordinibus proxime initiandi erunt, & a quibus prima Missa celebranda erit, instruat. Eos præterea Sacerdotes, qui minus rite celebrant, quique Ordinis suscipiendi, Missæque celebrandæ Rituum, atque Cæremoniarum sunt ignari, edoceat. Omnibus, ut supra dictum est, quos sacrorum Rituum, Cæremoniarumque ratione institutis, usu, atque disciplina informare opus erit, benigne operam suam præstabit. Illud etiam muneris, officiique sui peculiare erit, ut Canonicos Ordinarios omnes, Officiales item, ac reliquos Ministros, & Clericos Metropolitanæ, Collegiatarumque Ecclesiarum tam Urbis, quam Diœcesis, ac præsertim Seminarii Clericos Cæremoniarum rationem, usum, disciplinam, Rituque doceat, earumque sanctiores significationes aperiat, ac pubiice interpretetur.

XIX. Quotiescumque aliqua solemnitas, vel actio celebranda erit, sive in Metropolitana, sive alibi, cui interesse oportet Archiepiscopum, vel Capitulum Metropolitanæ, vel quemvis alium, cui actioni ipse ex munere suo præsens esse debeat, ante

Digitized by Google

ante illius initium recognoscat apparatum omnem; & an loco suo rite parata, ac disposita sint omnia, tam quæ ad personas, quam quæ ad ministerium pertinent, sedulo animadvertet. Cum aliqua solemnis processio extra Ecclesiam dirigenda est, ipse pridie viam processioni destinatam percurret, eamque mundari, & ab ea omnia impedimenta, omniaque profana amoveri cura eorum, ad quos spectat, studebit.

XX. Præsens quoque aderit, operamque, & ministerium suum præstabit in Missæ Sacro, & Officiis divinis, quibus Canonici Ordinarii, vel stata anniversaria agent, vel ad Missæ Sacrum faciendum, aut ad divinorum Officiorum celebritatem in aliam Ecclesiam convenient, vel processiones etiam funerales, aut litanias publicas, aliasve sive in Ecclesia, sive foris obibunt. Si ad aliquam solemnitatem invitandi erunt Prælati aliqui, vel Magistratus, ipsius Magistri Cæremoniarum partes erunt, invitare, de mandato tamen Archiepiscopi; & eos admonebit de hora, qua in Ecclesiam eis conveniendum erit. Scire etiam eundem oportebit ordinem, & locum, quem illi in Ecclesia sedentes, vel in processionibus procedentes habere solent, illumque is assignabit, quoties necesse erit.

XXI. Recenset denique Cæremoniale ipsum Ambrosianum varia Magistri Cæremoniarum officia juxta ritum insignis Ecclesiæ Mediolanensis, quæ longum esset hoc loco describere; descripsimus autem illa, quæ scire utile erit cuique sacrarum Cæremoniarum Magistro; sunt enim nonnulli, qui præter aliquantulum praxis, nihil de sacris Cæremoniis sciunt, quos etiamsi de aliquo Ecclesiæ ritu interrogaveris, generalem illam habent in promtu responsionem: *Sic voluere priores.* Quod tamen tolerabilius est, quam illa nimia aliorum audacia, qui promte quidem ad interrogata respondent, sed insulsa, & futilia, facientes adinventiones suas sacramenta.

# C A P. VI.

*Sacrista in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis constituendus. Qualis eligendus, & quæ ejus partes, & munia.*

## §. I.

Officium Sacristæ in singulis Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis perneccessarium est: idcirco in Sacristiam eligendus est, qui ad hujusmodi officium fideliter, & strenue exercendum idoneus, & aptus merito censeri possit: assumendus autem est de gremio ipsius Ecclesiæ, vel aliunde, prout magis expedire videbitur, qui in Sacerdotali ordine sit constitutus, & cui præsto esse debebunt alii Clerici coadjutores, vel plures, vel pauciores, pro Ecclesiæ necessitate, & facultatibus.

## COMMENTARIUS.

I. QUemadmodum locus, in quo sacra vasa, vestes sacræ, & similia ministeria Ecclesiastica servantur, *Sacrarium* dicitur, Lege, *Sacra* IX. ff. *De rerum divisione*, ita & qui earum rerum curam & custodiam habet, *Sacrista* appellatur. Quamquam autem ea vox minime Latina sit, ac non ita passim occurrat apud pervetustos Latinos Scriptores, officium tamen est antiquissimum, variisque etiam nominibus appellitari consuevit tum apud Græcos, tum apud Latinos, qui sacro ministerio præfectus erat, nempe, *Scevophylax*, seu *vasorum sacrorum custos*, *Cimeliarcha*, *Archiclavis*, *Claviger*, *Thesaurarius*, *Sacrista*. Quam ob causam a Græcis, atque Latinis sacræ supellectilis custodes, ac præsides his nominibus insigniantur, quivis facile divinare poterit, nisi velit consulere Dufresnium in suo mediæ, & infimæ Latinitatis Glossario, vel Georgium Tomo I. *De liturgia Romani Pontificis*, Disquisitionum de sacro ministerio Cap. II. qui ea vocabula scite explicant. Porro Libro I. Decretalium Gregorii IX. duo Tituli habentur, XXVI. & XXVII. quorum alter est *De officio Sacristæ*; alter vero huic proximus, *De officio custodis*. De ambobus videri potest laudatus Georgius loco citato, & Gonzalez in suis ad ipsos Titulos Commentariis.

II. Cum autem Sacristæ munus inter alia Ecclesiastica ministeria nequaquam minimum sit, propterea in hoc §. præscriptum est, ut is qui eligitur, sit in Sacerdotali Ordine constitutus, quique rerum sacrarum, & Ecclesiasticarum usum, & scientiam habeat, & cognoscat, qua cura, ac studio Ecclesiastica supellex custodienda sit, quove ordine, ac tempore ea utendum sit, adhibito Clericorum, & inservientium ministerio. Sacristæ munus, sicut & Cantoris, & Clerici in Missæ sacrificio ministrantis a nemine suscipiendum, neque ad id suscipiendum quempiam esse admittendum, sine scripta Episcopi facultate edixit in Concilio IV. Provinciali Mediolanensi S. Carolus, Cap. *Quæ pertineat ad Sacramentum Ordinis*, his plane verbis: *Nec vero etiam Ecclesiasticus homo, Cantoris, Sacristæ, Custodis, Clerici in Missæ sacrificio ministrantis, munus, aliamve Ecclasiasticam functionem in quavis Ecclesia suscipiat, nisi illius unuscujusque muneris in ea Ecclesia gerendi ab Episcopo facultatem scriptam, quotannis renovandam,*

*vandam, vita etiam, ac moribus ab eodem probatus impetrarit*. Et mox: *Qui aliter susceperit, obieritve, qui item aliter, quam præscriptum est, conduxerit, pro modo culpæ, arbitratu Episcopi puniatur*. Sed hic illud notandum, quod tametsi ex recitato S. Caroli loco Sacristæ munus nemo possit suscipere sine Episcopi facultate, non potest tamen cogi munus illud alias per simplices Sacerdotes exerceri solitum suscipere Cantor, qui sit una ex Dignitatibus Ecclesiæ, juxta Decretum Sacræ Rituum Congregationis die secunda Martii MDCII. apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. XXXVII. Num. VIII. Standum sane est locorum etiam consuetudini; etenim Sacristæ electionem in Ecclesia Collegiata Terræ Vetrallæ faciendam esse ab Archipresbytero cum consensu Capituli, respondit Sacra Concilii Congregatio in Viterbiensi die II. Aprilis MDCCXX ad IV. Dubium.

III. Esse illum, qui in Sacristam eligitur, debere in Sacerdotali Ordine constitutum, vetus est Græcæ, ac Latinæ Ecclesiæ disciplina. Mopsuestana Synodus, cujus Acta relata sunt in Actione V. Concilii V. generalis, Scevophylaci, seu Cimeliarchæ, idest Sacristæ præcepit, ut Diptycha sacra promeret Ecclesiæ, ut resciretur, an obductum fuisset Theodori Episcopi nomen, & an ejus loco inscriptum esset nomen Cyrilli Alexandrini Archiepiscopi. Fuisse autem ipsum Cimeliarcham, seu Sacristam, Presbyteratus Ordine insignitum, memorati Concilii Acta fidem luculentissimam faciunt: *Sanctissimi Episcopi dixerunt: Reverendissimus sacrorum custos vasorum istius sanctissimæ Ecclesiæ afferat ad considerationem nobis, & recitationem hujus sacra Diptycha, in quibus sanctæ memoriæ Sacerdotum istius optimæ Civitatis scripta continentur vocabula. Joannes Presbyter, & Cimeliarcha dixit: Secundum jussionem vestræ sanctitatis &c.* Theodorus Lector Lib. II. Cap. XXIII. Scevophylacis meminit, seu vasorum sacrorum custodis, qui Sacrista ipse est; Macedonius is, qui Euphemio Patriarchæ Constantinopolitano successit, Presbyter, idemque Sacrista erat Ecclesiæ majoris. Presbyter itidem erat, ejusdemque Ecclesiæ Sacrista, impius Timotheus; qui illi deinde suffectus fuit. Cyrillus Monachus in Vita S. Euthymii narrat, vaticinatum Euthymium ipsum aliquando fuisse Anastasio Presbytero, Chorepiscopo, & Sacristæ Ecclesiæ Patriarchalis Hierosolymitanæ, fore ut ipse quandoque Patriarchalis hujus Ecclesiæ culmen conscenderet. Cæsarius denique Lib. I. Miraculorum, Cap. XXXV. de quodam loquens, *Dicto Completorio*, inquit, *quum claussisset Oratorium (erat enim Sacrista) apparuit ei Salvator linteo præcinctus*. Idem quem antea Thesaurorum custodem dixerat, Sacristam appellat. Hic autem Sacrista Sacerdos erat, nam Missam celebrasse narrat Lib. VII. Cap. XIII. *Quum Sacristæ Missam celebraturo ipse adstaret*.

IV. Recte itaque in multis Ecclesiis, ac præsertim in inclita Mediolanensi Ecclesia, uti ex ejusdem Actis, & Cæremoniali Ambrosiano liquet Tit. *De Sacristis*, in Sacristam eligendus est, *qui in Sacerdotali Ordine sit constitutus, quique rerum sacrarum, ac Ecclesiasticarum usum, & scientiam habeat, & cognoscat, qua cura, studio, & opera, universa supellex Ecclesiastica custodienda sit juxta ipsius Mediolanensis Ecclesiæ Decreta, & instructiones ipsis Sacristis præfinitas*. Juxta Ecclesiarum complurium morem non modo Sacerdotio insignitum, sed & ad audiendas sacras confessiones approbatum oportet esse Sacristam, ut scilicet celebraturi Sacerdotes, si confiteri velint, in promtu habeant, qui eorum excipere confessiones possit. Teste Augustino Patricio, Libro III. Sectione II. Cap. XIX. quod est, *De officio Sacristæ*, ad ipsum Sacristam spectat Sacramenta Summo Pontifici in transitu, vel obitu administrare, *nisi Cardinales faciant*. Multa alia in eo Capite munia Sacristæ describit, quæ ex nostro Cæremoniali aliis Sacristis communia sunt.

V. Ex tot exemplis, ac aliis multis, quæ afferri possent, satis liquet, quanti ponderis esset illa Scevophylacis, vel Cimeliarchæ, Thesaurarii, sive Sacristæ dignitas, ut quæ Presbyteris semper commendaretur. Presbyteris hisce tamquam dignitate præditis consuevisse olim Romanos Pontifices cognitionem causarum delegare, liquido constat ex Cap. *Cum olim*, XXXII. *De officio, & potestate Judicis delegati*, & ex Cap. *Ex tenore*, XI. *De foro competenti*. Cimeliarcha, ut testatur ipsa Sacra Rota Romana Parte X. Decisione XCIX. Num. I. nil aliud significat, quam Thesaurarium, vel Sacristam. Mediolani in Ecclesia S. Ambrosii, eadem Rota Romana teste, Parte II. Decisione CCCXXXIX. Num. I. in principio, *est antiquior Canonicus solitus retinere in sua custodia cum clavibus obserata, vasa argentea, candelabra, ornamenta, & sacra supellectilia*. Nonnullos ex Cimeliarchis Mediolanensibus ad Archiepiscopatum Mediolanensem evectos fuisse, notat Onuphrius Panvinius in Chronico Ecclesiastico ad annum MCLXXIII. & MCCXI. Erant sane Presbyteri, alioque nomine vocati sunt custodes Thesaurorum S. Ambrosii, uti apparet ex literis Pauli Sacerdotis, & Gebehardi, virorum religiosorum Ecclesiæ Ratisponensis, anni MXXIV. ad *Martinum Presbyterum, & thesaurorum S. Ambrosii custodem* scriptis, apud Mabillonium Musæi Italici Tomo I. Parte II. Pag. 95. & seqq. Sæpe etiam in monumentis Neapolitanæ Ecclesiæ vetustis Cimeliarchæ mentio incidit; ut enim alia omittam exempla, apud Ughellum Tomo VI. Pag. 148. subscripsit literis Sergii Neapolitani Archiepiscopi anno MCLXXVII. *Joannes Archipresbyter, & Cimiliarcha sanctæ Neapolitanæ Ecclesiæ*. Viget hodieque in ipsa Ecclesia ea dignitas, multisque decorata est privilegiis; posse enim inter alia Cimeliarcham Ecclesiæ Neapolitanæ, dum celebrationibus divinorum officiorum, Processionibus, aliisque id genus absque Canonicis intervenit, Baculum ornatum manu in signum superioritatis, ac regiminis deferre, declaravit Sacra Rituum Congregatio in Neapolitana die XIX. Januarii MDCXIX. quam refert Bonfadinius in Thesauro Ecclesiasticarum Decisionum, Resolutione III. Num. XIX.

VI. Præ-

Digitized by Google

VI. Præter allata hactenus testimonia veteris disciplinæ, quibus abunde probatum est, nonnisi Presbytero olim Sacristæ munus fuisse commissum, esse in Ecclesia Cathedrali Sacristam dignitatem, quæ Sacerdotium requirit, affirmat etiam Rota Romana Parte XIV. Decisione DCXCVI. citatque Decretum Sacræ Congregationis Concilii a Barbosa allatum. Quales esse debeant, qui in Sacristas sunt eligendi, diserte exponit Concilium Provinciale XIV. Beneventanum anni MDCXCIII. sub Vincentio Maria Cardinale Ursino, qui fuit postea Benedictus XIII. Pontifex Maximus, Tit. IX. Cap. I. *Sacrista, & Custos, ubi hæc munera distincta sunt, non solum Clerici esse debent, sed ii, qui meliores, & sanctiores in eo ordine videantur, ut nulla negligentia in sancta Dei Ecclesia deprehendatur; quique simul juncti, absque invidia, & zelo, provide peragant, & perfecte.* Si non ubique locorum, hodie quoque, sicut & olim plerisque in locis erant distincta Sacristæ, & Custodis munia, uti constat ex Lib. I. Decretalium Gregorii IX. ubi Titulus XXVI. est *De officio Sacristæ*; alter vero illi proximus XXVII. *De officio Custodis*. Sed hæc inquirant, quibus plus otii erit; nos in recitato Concilii Beneventani Capite illud notamus, Sacristæ munus, vel Custodis, non esse committendum, nisi Clericis, *qui meliores, & sanctiores in eo ordine esse videantur*. Ratio est, tum quia Sacristarum curæ, ac fidei sacra vasa, vestes sacræ, Sanctorum Reliquiæ, & alia pretiosa quæque, in quibus consistit thesaurus Ecclesiæ, creduntur: tum etiam quia Sacristis, & Cæremoniarum Magistris plene credendum esse, dum fidem faciunt de re, quæ ad officium suum spectat, decidit jam Sacra Rota Romana Decisione CCCXXXIV. Num. I. & Decisione CCCLXXVI. Num. I. & II. coram Dunoz. Ceterum tametsi ex tot recitatis superius testimoniis abunde ostensum sit, nonnisi Presbyterum eligendum esse in Sacristam, respondit nihilominus Sacra Concilii Congregatio in S. Marci XIII. Aprilis MDCCXX. ad IV. Dubium, Clericum saltem esse debere, ut quis sit Sacrista.

VII. Recte autem & illud quoque ex hoc nostro §. cautum est, ut in Sacristam eligendus sit de gremio ipsius Ecclesiæ, si scilicet ad illud munus obeundum idoneus inveniatur. Id enim passim inculcant Canones, ut ad Dignitates, & Beneficia Ecclesiastica, cives semper alienigenis præferantur. Sed cum de hoc Ecclesiasticæ disciplinæ Capite satis abunde disseruerimus, quod reliquum est in hoc §. breviter observabimus, nempe præcipuo Sacristæ præsto esse debere *alios Clericos coadjutores, plures, vel pauciores pro Ecclesiæ necessitate, & facultatibus*. Consona plane & hæc sunt veteri Ecclesiæ mori, atque variis Synodorum Decretis, quæ passim mandant, ut non plures ordinentur Clerici, *quam ratio sinit, & facultas Ecclesiæ suppetit*; ut verbis utar Concilii Aquisgranensis sub Ludovico Pio, Lib. I. Cap. CXVIII. Majorem numerum Clericorum minime esse in Ecclesia constituendum quam qui juxta ejusdem Ecclesiæ facultates possit convenienter sustentari, habetur jam in Cap. I. & III. *De institutionibus*; in Cap. *Quoniam, De vita, & honestate Clericorum*, & in Cap. unico, *De statu Regularium* in VI. Plurium etiam Conciliorum Decreta ad hanc rem edita affert Gonzalez in dicto Cap. I. *De institutionibus*, Num. III. Sed quid alias Synodos memorem, cum jam novissime Oecumenica Synodus Tridentina priscis adhærens Conciliis, Sessione XXIII. *De reformatione*, Cap. XVI. diserte edixerit, nullum debere ordinari, *qui judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis*. Ex his itaque addiscimus, recte ex nostro §. cautum esse, Clericos coadjutores, qui præcipuo Sacristæ præsto esse debent, plures, vel pauciores admitti posse, *pro Ecclesiæ necessitate, & facultatibus*. Hinc Clericorum numerum in Ecclesiis juxta earumdem facultates esse ab Episcopo constituendum, respondit Sacra Concilii Congregatio in Trevicana die I. Octobris MDCCXXIX.

VIII. Denique cum ipsi coadjutores Sacristæ omnino parere debeant, in iis scilicet, quæ Sacristæ officium spectant, jure ac merito is potissimum, qui Cathedralis Ecclesiæ Sacrario præficitur, morum gravitate, vitæque integritate fulgere debet; maxime enim decet, cum divina celebrantur officia, ipso Episcopo in Domo Dei præsente, ut is qui aliis præest, cuique Hierarchico ordine inferiores Ministri obediunt omnes, interiori, atque exteriori cultu bene dispositus omnibus reverendus appareat; ut scite docet eruditus Castaldus Lib. I. *Praxis Cæremoniarum*, Sectione II. Cap. II. Num. I.

## §. II.

Ejus præcipua cura erit, ut paramenta sacra, vasa, libri, cerei, ornamenta, instrumentaque pro usu Ecclesiæ, & Altarium, ac reliqua præterea supellex Ecclesiastica, sana, integra, & munda conserventur, eaque cum attrita, aut lacera erunt, renovari, aptarique procuret. Sed in primis, ubi alias talis cura peculiariter non sit commissa alteri, diligentissime curabit, ut ea, quæ ad sacrosanctæ Eucharistiæ cultum, & honorem spectant, nitide conserventur, locusque, seu Tabernaculum, ubi custoditur, diligentissime, & fidis clavibus obseretur; lampades circa illam perpetuo ardeant; illaque saltem semel in hebdomada mutetur, & renovetur; ad infirmos debita cum reverentia, & honore deferatur. Pariter & circa Fontem Baptismalem, & sacri Chrismatis, aliorumque sacrorum Oleorum conservationem, dili-

Digitized by Google

diligentissimam curam adhibebit, juxta præscriptam sibi ab Episcopo, & aliis, ad quos spectat, normam. Et quod ad sacrum Oleum infirmorum attinet, procuret illud in vase ab aliis separato custodiri, illudque solum ab aliis sejunctum ad ungendum ægrotos deferri. Idem & de sacris Sanctorum Reliquiis dicitur, ut scilicet fideliter, & honorifice asserventur. Aqua benedicta singulis saltem hebdomadis renovetur, ac denique ut tota Ecclesia, & singula illius Sacella, & Altaria semper munda & nitida sint, nec per incuriam obsordescant.

## COMMENTARIUS.

I. JAm non semel superius dictum est, Libro I. Decretalium Gregorii IX. extare Titulum XXVI. qui est, *De officio Sacristæ*, quod ex Concilio Toletano incerti temporis, ac nondum edito, apud Ivonem Carnotensem Parte VI. Decreti, Cap. XX. uti ad eum Titulum observat Gonzalez, definitur, ut sit custodis *sacrorum vasorum, vestimentorum Ecclesiasticorum, seu totius thesauri Ecclesiastici, necnon quæ ad luminaria pertinent, sive in cera, sive oleo*. Proximus huic est, ut etiam notatum est supra, Titulus XXVII. *De officio Custodis*, ubi Cap. I. ex Ordine Romano, ut ibi præfertur, Custodis munia sunt, *tintinnabula pro Canonicis horis pulsare, pallia, & linteamina altaris, cunctaque utensilia Ecclesiæ indesinenter custodire, lampades, & laternas accendere, seu extinguere, ne aut supra modum lucendo oleum depereat, aut minus lucendo obscurior sit Ecclesia*. Quamquam vero Seculo XIII. si non ubique locorum, in variis certe Ecclesiis, non solum Sacristæ, & Custodis, sed & Thesaurarii munia essent distincta, in aliis tamen eodem quoque seculo confusa erant, uti constat ex Concilio Coloniensi habito anno MCCLX. ubi Thesaurarii cum Custodibus confunduntur; monentur enim, *ut luminaria Ecclesiæ ita fideliter administrent, & generaliter omnis Ecclesiasticæ supellectilis, seu Thesauri custodiam, eorum fidei, atque curæ commissam ita conservent fideliter, & solerter, quod inde non sint reprehensibiles, & quod pœnam Canonicæ castigationis evitent*. Neque vero tantum vasa, & ornamenta sacra, sed etiam Acta omnia, instrumenta, & privilegia, quibus feuda, beneficia, & reliqua jura omnia continentur, sub Sacristæ, seu Thesaurarii manu remanere debere, ex Epistola LVII. Lib. I. Innocentii III. tradit Cironius in Commentario ad Titulum, *De officio Sacristæ*; qui tamen ad Titulum, *De officio Custodis*, recte monet, de his non esse certi quidpiam statuendum propter varias Ecclesiarum consuetudines, *ad quas*, inquit, *omnia hæc officiorum, & dignitatum jura semper deferre debemus*.

II. Sed ut ea explicemus, quæ in hoc nostro §. statuuntur, ait primo, Sacristæ præcipuam esse curam, *ut paramenta, sacra, vasa, libri, cerei, ornamenta, instrumentaque pro usu Ecclesiæ, & Altarium, ac reliqua præterea supellex Ecclesiastica, sana, integra, & munda conserventur, eaque, cum attrita, aut lacera erunt, renovari, aptarique procuret*. Idem plane statuit in Concilio Mediolanensi Provinciali I. Sanctus Carolus, ubi de officio Sacristæ ita inquit: *Sa-*

Digitized by Google

*Sacrista habeat custodiam sacrorum vasorum, vestimentorum Ecclesiasticorum, & totius Thesauri Ecclesiastici*. Tum etiam deinde ait: *Vasorum, vestimentorum, instrumentorum, & ornamentorum omnium, & reliquorum omnium munditiæ, nitorique consulat. Ejusdem curæ sint, lumina, cera, & oleum*. Eamdem hanc disciplinam Sacræ Synodi passim inculcant, Bèneventana VI. anni MCCCLXXIV. Tit. XII. Cap. II. præcipit, *ut Ecclesiæ vasa ministerii Altaris, corporalia, pallæ, & vestimenta ministrorum munda & nitida observentur ad pœnam unius Augustalis*. Augustalis nummus aureus erat a Friderico II. Imperatore in utraque Sicilia, Brundusii scilicet, & Messanæ primum cusus juxta Chronicon Richardi de S. Germano ad annum MCCXXXI cujus verba una cum aliis scitu dignis affert in Notis, quibus Concilium Provinciale V. adornavit, Capite LXVII. Benedictus XIII. dum insignem Beneventanam Ecclesiam, quam usque ad mortem retinuit, regeret. Ante hasce, & multas alias peculiares Synodos, Innocentius III. in Synodo IV. Oecumenica Lateranensi, quam habuit anno MCCXV. Cap. XIX. dolens, quod Clerici quidam *non solum Ecclesias dimittunt incultas, verum etiam vasa ministerii, & vestimenta Ministrorum, ac pallas Altaris, necnon ipsa corporalia tam immunda relinquunt, quod interdum aliquibus sunt horrori*, præcepit quoque, *ut Oratoria, vasa, corporalia, & vestimenta prædicta, munda, & nitida conserventur*. Notanda est ratio, quam mox subjicit, dicens: *Nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis*. Integrum hoc memorati Concilii Caput relatum est in Cap. II. *De custodia Eucharistiæ &c.*

III. His vero omissis, de munditie & nitore Ecclesiæ, & sacræ supellectilis, celebre est, quod legitur Parte I. *Constitutionum Clericorum Regularium*, Cap. III. *Ecclesiæ mundæ sint, & omni religionis cultu ornatæ. Sacerdotum vestes, Altarium ornatus, sacra vasa, & cetera, quæ ad divinum cultum pertinent, splendida, munda, nitida, & suo quæque loco, ut par est, collocata, & distributa asserventur. Fit enim*, notanda potissimum hæc verba sunt, *ut ex diligentia, & cura, quæ his rebus adhibetur, Religiosorum spectentur animi*. Hanc sane laudem assequuti sunt Clerici ipsi Regulares, ac præsertim eorum institutor S. Cajetanus Thienus, qui, ut in ejus Festo die VII. Augusti in tertia secundi Nocturni legitur apud Romanum Breviarium, *divini cultus studium, nitorem domus Dei, sacrorum Rituum observantiam, & sanctissimæ Eucharistiæ frequentiorem usum maxime promovit*. Multa in laudatum Constitutionum Clericorum Regularium locum scripsit Antonius Caracciolus ejusdem Ordinis Scriptor eruditissimus, affertque inter alia egregium S. Hieronymi testimonium, qui Nepotianum Presbyterum domus Dei decorem summopere procurantem, in ejusdem Epitaphio, his laudat verbis: *Erat sollicitus, si niteret Altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si vela semper in ostiis, creberque janitor in porta: si sacrarium mundum, si vasa luculenta, & in omnes Cæremonias pia sollicitudo disposita: non minus, non majus negligebat officium; ubicunque eum quæreres, in Ecclesia invenires*.

IV. Debet plane multa esse in hac re tanti momenti Episcopi vigilantia, non enim ferendus est abusus ille, qui alicubi non sine piorum hominum animi sensu in quibusdam Ecclesiis cernitur, ubi gravi Præpositorum oscitantia, fœdave avaritia, quærentium quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, sacra supellex quamvis ita vetustate detrita sit, ut usui esse nequeat, adhuc tamen in divino ministerio usurpatur. Hunc abusum, ut jam notavimus Lib. III. *De Codice sancti Euangelii &c.* Cap. XIX. suo tempore deplorabat uberrimis lacrimis Religiosissimus Cardinalis Bellarminus in aureo Opusculo, *De gemitu columbæ*, Lib. II. Cap. V. ubi ita inter alia scribit: *Omitto quod alicubi vasa sacra, & vestes, quibus Mysteria celebrantur, vilia, & sordida inveniantur, indigna prorsus, quæ ad tremenda Mysteria adhibeantur*. Tum mox sibi objiciens, eos qui forte hæc adhibent, pauperes esse, egregie respondit: *Id quidem fieri potest, sed si pretiosa non sunt, saltem munda, & nitida procurarent*. Sed dignum notatu est, quod tandem subjicit: *Ego tamen cum aliquando ex itinere apud Episcopum nobilem, & prædivitem hospitarer, vidi aulam vasis argenteis splendidam, & mensam omni genere præstantium ciborum refertam, mappas quoque, & reliqua omnia nitida, & odorem suavem spirantia; sed cum die sequenti summo mane ad Ecclesiam Palatio contiguam descendissem, ut sacris operarer, inveni omnia contraria, idest, vilia, & sordida, ut vix auderem in tali loco, & cum tali apparatu divina Mysteria celebrare*. Concludit tandem laudatus Auctor, & ait: *Scio, non deesse in Ecclesia Dei multos optimos, & religiosissimos Sacerdotes, qui corde mundo, & nitidissimo apparatu divina Mysteria celebrant, pro quibus gratiæ Deo ab omnibus agendæ sunt; sed simul etiam fontibus lacrymarum plangendi sunt non pauciores, qui exteriore turpitudine, & sordibus, animi sui impuritatem, sordesque testantur*. Hactenus ille.

V. Ubi sacra supellex vetustate attrita, aut lacera esset, si aptari non possit, renovanda omnino est. Quæ vestes autem, & ornamenta cujusvis generis, ad usum sacrum comparata Ecclesiæ instituto benedici debent, ea in Missæ sacrificio, ceterisque divinis officiis ne prius adhibeantur, quam solemnibus precibus ab Episcopo, vel ab alio, qui auctoritatem habet, benedicta sint, edicit in Concilio suo Provinciali II. Mediolanensi S. Carolus Tit. II. Decreto XX. fuseque de ea re egimus nos Tomo II. Romani Pontificalis Tit. XVII. In Capella Pontificia munus esse Sacristæ, *ministrare opportuna, & habere exactam providendi curam, ne res Sacristiæ destruantur, & ut destructa instaurentur, & quæ deficiunt, denuo fiant*, inter alia ejusdem officia recenset Patricius Lib. III. Sectione II. Cap. XIX. Cavendum porro Sacristæ est illud, ne, ubi sacra supellex usui am-



Digitized by Google

plius præ vetustate esse non possit, eam in divinis officiis, ac præsertim in celebratione divini Sacrificii adhiberi sinat; absurda enim ea res esset, ideoque merito passim a sacris Synodis improbata. Regula a sacris Canonibus tradita illa profecto est, ut res Ecclesiæ, quæ amplius nequeunt esse usui, igne absumantur, cineresque in baptisterio, sive in fossis pavimentorum Ecclesiæ condantur juxta textum in Can. *Altaris* LVII. & ibi Doctores, *De consecratione*, Distinctione I.

VI. Edicit præterea is §. noster, ut ubi alias talis cura peculiariter non sit commissa alteri, diligentissime curet, *ut ea, quæ ad sacrosanctæ Eucharistiæ cultum, & honorem spectant, nitide conserventur, locusque, seu Tabernaculum, ubi custoditur, diligentissime, & fidis clavibus obseretur*. De antiquo servandæ Eucharistiæ vario more fuse diximus Tomo II. Romani Pontificalis ad Titulum XVIII. alia etiam dicturi Tomo III. Conciliorum in Commentario Capitis XX. Concilii IV. Oecumenici Lateranensis, quod deinde relatum fuit in Cap. I. *De custodia Eucharistiæ &c.* ejusque verba hæc sunt. *Statuimus, ut in cunctis Ecclesiis Chrisma, & Eucharistia sub fideli custodia clavibus adhibitis conserventur: ne possit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda. Si vero is, ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur; & si per ejus incuriam aliquid nefandum inde contigerit, graviori subjaceat ultioni*. Ut Tabernaculi, ubi sacratissimum Corpus Domini asservatur, & armarii item, ubi sacra olea statis vasculis inclusa custodiuntur, & Fontis præterea Baptismalis, claves Rector Ecclesiæ, animarumve curator, diligenter, cauteque, apud se custodiat; ac ne Clerico quidem Ministro illas ullo modo committat, edixit Concilium IV. Provinciale Mediolanense, Cap. *Quæ ad sacramentalia &c.* ubi tamen nequaquam prohibetur Rector ipse Ecclesiæ, vel Curator animarum, sive Parochus, *quo minus easdem muneris alicujus præstandi causa aliquando Sacerdoti committat, quem in officio Parochialis cura coadjutorem habet*.

VII. Præter varia, quæ de clave sacri Ciborii, ubi sacratissima Eucharistia asservatur, edita sunt in diversis Conciliis Decreta, varia itidem Decreta extant Sacrarum Congregationum tum Rituum, tum Concilii, tum Episcoporum, & Regularium negotiis præpositorum. Clavem enim sacri Ciborii retinendam esse a Præposito, & una simul a Sacrista, respondit Sacra Concilii Congregatio in Mediolanensi die XXVI. Aprilis anni MDCCXXXII. Rursus quod clavis ipsa custodiæ Sanctissimi Sacramenti non Monialibus committi, sed penes eum Sacerdotem semper esse debeat, ad quem spectat illud administrandi cura, edixit Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium in Vallisoletana die XII. Januarii MDCIV. apud Joannem Mariam Novar. in Lucerna Regularium, verbo *Clavis*, Num. IV. Clavem denique ipsam Tabernaculi, in quo sanctissimum Sacramentum Feria V. in Coena Domini asservatur, nequaquam laicis etiam illustribus tradendam esse, non obstante contraria consuetudine, & hoc in omnibus Ecclesiis tam Secularibus, quam Regularibus quovis modo a jurisdictione Ordinariorum exemtis, decrevit jam Sacra Rituum Congregatio die XXX. Januarii anni MDCX. apud Gavantum, & Meratum in Rubricas Missalis, Parte IV. Tit. VIII. & in Laurienſi die XV. Decembris anni MDCXXXII, cujus meminit in Tractatu, *De Parochis*, Cap. XX. Num. LI. Augustinus Barbosa, qui etiam in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. CLI. ait, sacram ipsam Congregationem Rituum die XIII. Septembris, anni MDCXLII. in Calaguritana, Decretis antiquis inhærendo respondisse, *Clavem Tabernaculi, in quo sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum Feria quinta in Cœna Domini asservatur, nequaquam laicis etiam illustribus tradendam esse, sed potius Dignitati, vel Canonico in crastinum celebraturo*.

VIII. Mandat tertio §. noster, ut *lampades circa Eucharistiam perpetuo ardeant*. Est vetus Ecclesiæ disciplina. *Nam quod in Ecclesiis*, ut scite Concilium Salmuriense anni MCCLXXVI. Can. I. *ob divini cultus reverentiam, devotionisque fidelium incitationem, debeant teneri luminaria, satis utriusque juris docet auctoritas; dum non aliter permittitur ædificari Ecclesia, priusquam fundator sufficientes expensas constituat ad luminaria, & ad servientium alimenta*. Fuse de hac disciplina egimus nos Tomo II. Romani Pontificalis ad Titulum I. Sed notandum in præsenti est, quod ait in laudato Canone Synodus ipsa Salmuriensis, nempe statuit, *ut de cetero tam in Cathedralibus Ecclesiis, quam Monasteriis Conventualibus, & Collegiatis, tam Ecclesiis, quam Prioratibus, de die, & de nocte, in quibus ad id suppetunt facultates, vel saltem de nocte accensum luminare continuo teneatur; quodque illi, qui ad hoc teneantur ex officio, per locorum Episcopos compellantur, & pœna condigna, ad ipsorum Episcoporum arbitrium, ipsi qui negligentes fuerint, percellantur*.

IX. Insequentibus seculis ea tandem variis Conciliis constabilita est disciplina, ut ante Tabernaculum, in quo Eucharistia asservatur, *semper lampas accensa colluceat*; ut inter alia edicit Concilium I. Provinciale Mediolanense, quod celebravit S. Carolus anno MDLXV. Cap. *Quæ pertinent ad sacramentum sacrosanctæ Eucharistiæ*. Quamquam autem numero plurativo Cæremoniale in hoc §. utatur, dicens, ut *lampades circa Eucharistiam perpetuo ardeant*; mandant tamen pleræque Sacræ Provinciales Synodi, ut *ante ipsam continuo* una saltem lampas accensa colluceat. Atque ita quidem inquit Beneventana Synodus XII. anni MDXCIX. sub Maximiliano de Palumbaria Tit. XXIII. *Colluceant continue plures lampades, vel saltem una ante conspectum Tabernaculi, quæ ab introeuntibus conspiciantur, & contrafacientes ii, quibus incumbit, ad formam sacrorum Canonum puniantur*. Ut una saltem semper lampas ardeat ante ipsum Tabernaculum, in quo Eucharistia asservatur, edixit quoque

Digitized by Google

que Beneventana XIV. Provincialis Synodus anni MDCXCIII. sub Vincentio Maria Ursino Cardinale, qui fuit postea Benedictus XIII. Pontifex Maximus Tit. XXXVII. Cap. IV. Idipsum censuit Sacra Rituum Congregatio die XXII. Augusti anni MDCXCIX. apud Meratum in Notis ad Gavantum, dicens, lampadem ardentem omnino retinendam esse ante Altare Sanctissimi Sacramenti, non vero supra valvas Ecclesiæ in Choro de diametro opposito ante prædictum Altare. Munus esse Pontificiæ Capellæ Sacristæ, *ut Sacramentum Corporis Christi nitide, & mundo semper conservetur in loco convenienti, & quod semper ante illud ardeat lumen*, testatur Patricius Lib. III. Sectione II. Cap. XIX. Teste Leone Allatio in Epistola ad Joannem Morinum de recentioribus Græcorum Templis, tametsi Eucharistia *luminibus, iisque pro Ecclesiæ modulo sabaccensis, non sine veneratione conservatur; in Ecclesiis vero haud ita conspicuis, nec lumen, nec lampas ardet*. Porro laudanda est fidelium pietas, qui in majorem tanti Sacramenti venerationem annuos reditus assignarunt, quibus plures cerei comparari possent, qui ardeant quotidie ante Tabernaculum, in quo sanctissimum Sacramentum asservatur. Simile obsequium scio a quibusdam exhiberi Imaginibus, ac Reliquiis Sanctorum; sed certe longe sunt commendandi, qui ejusmodi pietatis indicium Christo Domino Sancto Sanctorum corporaliter in Eucharistia præsenti exhibent.

X. De renovanda semel saltem in hebdomada Eucharistia, uti in nostro hoc quoque §. præscribitur, innumeræ pene Synodi extant. Rotomagensis anni MLXXII. Canone VI. statuit, *ut Viaticum, & aqua benedicta ultra octavam diem non serventur*. Synodus Eboracensis anni MCXCV. Can. I. ait: *Provideatur etiam, ut in pixide munda, & honesta Hostia reservetur, singulisque Dominicis diebus renovetur*. Synodus Londinensis anni MCC. Can. II. inquit *Renovetur quoque Hostia ipsa singulis Dominicis diebus, habeaturque certitudo circa ipsam Eucharistiam, ita quod non sumat non consecratam pro consecrata*. Synodus Wigorniensis anni MCCXL. Can. VII. *Circa species, quæ exiguntur ad hoc sacramentum, quod piæ recordationis W. prædecessor noster statuit in prima constitutione approbantes, & verba Canonis distincte proferenda, de hostiis consecratis non ultra septem dies conservandis, ut forte per vasis vitium, vel diuturnam conservationem, humiditatem contrahant, aut mucorem, propter quod abominabiles gustui, vel aspectui turpes appareant, firmiter præcipimus, quod ipse super hoc provide statuit observari*. Synodus Exoniensis anni MCCLXXXVII. Cap. IV. *Habeat Sacerdos Parochialis propter infirmos semper Hostias consecratas, quas ultra septem dies conservari, firmiter prohibemus*. Synodus Wintoniensis habita anno MCCCVIII. *Ne autem ipsa Eucharistia communicantibus reddatur abominabilis, præcipimus, quod ipsa in vase mundo, & contra vintorem, seu humiditatem apto, & non ultra octo dies, postquam consecrata fuerit, conservetur*. His accedunt & aliæ Synodi, atque Episcoporum Constitutiones, quas longum est, ac pene inutile hic recensere. Sat pro omnibus sit S. Carolus, qui in Concilio IV. Provinciali Mediolanensi, Cap. *Quæ ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pertinent*, quinque ait saltem particulas consecratas servare assidue debere, *ubi Sanctissimum Sacramentum conservatur, quæ octavo quoque die renoventur*. Ceterum notandum est, quod ibidem sanctissimus Præsul admonet, ut nimirum Eucharistia *fiat ex hostiis non ante viginti dies ad summum confectis*.

XI. Licet autem ea sit hodie communis disciplina, ut Eucharistia scilicet in qualibet hebdomada renovetur, & quidem juxta complurium Synodorum Decreta; sciendum tamen scrupulosiores fuisse aliquando Patres Concilii Turonensis, a quibus editum fuit Decretum apud Reginonem Libro I. *De Ecclesiasticis disciplinis*, Cap. LXX. Mandant enim, ut *de tertio in tertium diem semper mutetur, idest, illa a Presbytero sumatur, & alia, quæ eodem die consecrata est, in locum subrogetur, ne forte diutius reservata, mucida, quod absit, fiat*. Ex diverso apud Græcos nonnisi semel in anno feria V. in Cœna Domini, Eucharistia renovatur, ut docet Arcudius Lib. III. Cap. LIII. de eoque ritu legi potest Epistola Leonis Allatii ad Joannem Morinum, ubi agit de recentioribus Græcorum Templis. Hunc olim morem, anno scilicet MCCLIV. Constitutione sua XIV. quæ incipit, *Super Catholicæ*, correxit Innocentius IV. ubi §. IX. decrevit, Sacram Eucharistiam non esse servandam per totum annum, sed ad summum per dies quindecim: *Sed Eucharistiam in die Cœnæ Domini consecratam usque ad annum prætextu infirmorum, ut de illa videlicet ipsos communicent, non reservent. Liceat tamen eis pro infirmis ipsis, Corpus Christi conficere, ac per quindecim dies, & non longiori temporis spatio conservare. Ne per diutinam ipsius conservationem, alteratis forsitan speciebus, reddatur minus habilis ad sumendum*. His consonat Clemens VIII. Constitutione sua XXXIV. quæ incipit, *Sanctissimus*, edita pro instructione Italo-Græcorum, ubi §. II. inquit: *Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod pro infirmis asservatur, singulis octo diebus, aut saltem quindecim renovetur*. Et mox: *Non asservetur idem Sacramentum toto annno, si tamen asservatum fuerit, saltem in fine anni sumatur*.

XII. At ut omittam Græcorum ipsorum morem, in Lemovicensi Ecclesia, ejusque Diœcesi ea viguit consuetudo, ut duodecies in anno renovaretur, ex testimonio ms. Codicis Abbatiæ S. Martialis apud Martenium Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. V. Articulo III. Num. IX. Quicquid sit de variis locorum consuetudinibus, quæ aliquando viguerunt, standum est hodie præcepto nostri Cæremonialis, expresse jubentis, ut *Eucharistia saltem semel in hebdomada mutetur, & renovetur*. Faciendam Eucharistiæ renovationem singulis diebus Dominicis, docent nos superius allatæ Synodi, Eboracensis, ac Londinensis. Beneventana Provincialis Synodus XII. sub Maximiliano de Palumbaria, Tit. XXIII. ait, singulis qui-

quidem octo diebus renovari Eucharistiam, *sed dies Jovis in memoriam illius institutionis*. Sed hæc pia consilia sunt, non præcepta; sat enim erit, si tempus præscriptum non differatur, nihilque interest, si ea renovatio die alia, vel sæpius, ac in hoc §. nostro præscriptum est, fieret.

XIII. Illud est, quod hoc loco omitti non debet, non modo munus esse Sacristæ, ut Eucharistia saltem semel in hebdomada renovetur, verum ad eum quoque pertinuisse Hostias, quæ Sacrificio usui sunt, conficere. Quamquam enim illis conficiendis nobiles quasdam feminas aliquando religionis ergo operam dedisse legamus, ex usu tamen Ecclesiæ antiquo, & Monachorum statutis, sacris id muneris viris committi solitum fuit Seculo XI. Quippe teste Humberto Cardinali in Libro contra Græcorum calumnias, *Diaconi cum Subdiaconis, seu ipsi Sacerdotes sacris amicti vestibus cum melodia Psalmorum azymum conspersum, & in ferro paratum ex Secretario proferebant*. His concinere videntur ea quæ scribit Anselmus Havelbergensis Lib. III. *Dialogorum*, Capite XVIII. sic inquiens: *Apud Religiosos Latinos, per manus Diaconorum, & ex electis granis, & ex mundissima simila, in Sacrario ad futuram Hostiam cum decantatione Psalmodiæ reverenter præparantur*. In Croylandensi Monasterio officium Sacristæ fuisse, Hostias, & oblationes pinsere, ex Ingulfi Historia, & ex mss. Consuetudinibus Germaniæ Num. XXI. tradit Martenius Libro II. *De antiquis Monachorum Ritibus*, Capite VIII. Num. IV. *A custode Presbytero quidem, & Diacono componi debent*.

XIV. Teste eodem Martenio loco citato id etiam summa cum religione observabant Monachi Cluniacenses, & Divionenses, licet frumentum, ex quo conficiebantur Hostiæ granatim electum, atque a Fratribus lotum uni commendarent, *famulo non lascivo, qui portans illud ad molendinum molam lavabat utramque, operiebatque sursum, & deorsum cortinis, se ipsum induens Alba, & super caput mittens, & alligans superhumerale, idest, Amictum, ut nihil de facie præter oculos posset apparere*. Affert hunc locum ipse Martenius ex Udalrico, & Consuetudinibus Benignianis, quibus addi possunt Germaniæ Consuetudines Num. XXI. ita ajentes: *Massa sine fermento conficiatur, maceretur ab ipsis, si revestiti sint, capitibus coopertis, & constrictis*. Teste Udalrico Lib. III. Cap. XIII. erant Albæ & Amictus quidem huic solo negotio deputati.

XV. Conficientes Hostias Albis intus fuisse indutos, discimus ex Libro antiquorum usuum Cisterciensium, Cap. CXIV. *Sacrista Alba indutus hostias faciat in loco mundis linteis cooperto, etiam extra terminos, si necesse fuerit, in silentio tamen. Cui duo Fratres scapularibus induti ita subministrent, ne aliud quam ipsas Hostias manibus tractare cogantur, quorum unus ignem sollicite faciat, alter vero instrumentum ferreum ad coquendas Hostias teneat, & cum eas faciunt, non loquantur*. Erat itaque Sacristæ munus conficere Hostias, tametsi alii Religiosi eum adjuvarent, qui etiam interim summum servabant silentium, ut significarent, res ad usum sacrum destinatas cum summa reverentia esse tractandas. Hanc sane disciplinam tradidit jam olim in sua Regula S. Pachomius, Cap. CXVI. ubi præcipit Fratribus, ut *quando farinam conspergunt aqua, & massam subigunt, nullus loquatur alteri*.

XVI. Idipsum in ejus Vita legitur a Dionysio Exiguo Latine versa, Cap. XL. *Præceperat Fratribus, qui in pistoria arte laborabant, ut si quando facerent oblationes, nihil loquerentur supervacuum, sed apud semetipsos salutaria meditarentur eloquia*. Certe oblationis nomine Pachomius oblationes sacras in Missa fieri solitas intelligit in citatæ ejusdem Regulæ Capitibus XVII. & XIX. & S. Odo Abbas Cluniacensis Lib. II. Collationum, Cap. XXVIII. superiorem Pachomianæ Regulæ versum, de oblationibus sacris interpretatur, ut scite observat doctissimus Mabillonius in Præfatione ad Seculum III. Ordinis S. Benedictini §. VI. Numero LVI.

XVII. Qui ritus a Cluniacensibus in confectione Hostiarum observaretur, docet laudatus Udalricus Lib. III. Cap. XIII. *Canunt*, inquit, *Psalmodiam, quæ remansit, scilicet, post Laudes, & Primam, & si voluerint horas de S. Maria, ad alias omnino horas tenent silentium, & summopere cavent, ut non modo saliva, sed nec flatus aliquo modo ad Hostias pertingere possit. Solus Conversus*, qui scilicet ferrum tenebat, *siquid opus fuerit, breviter famulis innotescit, qui faciunt focum nonnisi de aridis, & ad hoc de industria præparatis*. Quæ verba leguntur etiam in Benignianis Consuetudinibus, Cap. VIII. A Fratribus jejunis confectas Hostias testatur idem Udalricus loco citato, his plane verbis: *Post prandium hujusmodi opus gerere non licet*.

XIX. Diebus ad Hostias conficiendas assignatis, qui huic negotio erant deputati, erant autem tres Presbyteri, & Diaconi cum quarto Converso apud Cluniacenses, & Benignianos, finitis Nocturnis, sumtis calceis, facie manibusque lotis capita pexebant; tum ad Altare S. Benedicti Matutinas laudes, Primam cum septem Psalmis, & Litania privatim cantabant; postea tres Presbyteri, vel Diaconi Albis, & superhumeralibus, eo quo diximus modo induti, unus eorum farinam conspergebat, & compingebat super tabulam nitidissimam, habentem limbum in circuitu; conspergebant autem aqua frigidissima, quia inde fiunt Hostiæ candidiores. Alii duo Hostias formabant; Conversus vero in manibus chirotecas habens ferrum tenebat; in quo sex simul Hostiæ coquebantur; coctæ cultello abradebantur, cadebantque in disco deorsum in tabula imposito, & linteo jugiter cooperto.

XX. Monachorum studium, atque eximiam pietatem in conficiendis Hostiis egregie commendat Bernardus Tergensensis Prior in Libello ms. de materia Eucharistiæ Sacramenti adversus quorundam circa hoc dubia, & errores, ubi postquam dixit, rem ipsam tam gravem, & arduam rationabiliter exposcere ipsam summam Monachorum dili-

Digitized by Google

diligentiam, ita mox adversus sui ævi abusum invehitur, idest Seculi XV. quo ipse floruit: *Suntque non modice culpandi, quin & arctius arguendi, qui Oblatas manibus laicorum confectas pro Sacrificio acceptant, de quibus tamen dubitatur, an de debita materia existat*. Et iterum: *Gravissime autem reprehendendi, & puniendi veniunt, qui tales Oblatas in Sacrificio scienter assumunt, quia juxta magnorum, & potiorum sententiam Doctorum ejusmodi conficere non possunt. Vellem ego nunquam potius missare, quam sic damnabiliter idololatrare, & populo, quantum in me esset, occasionem idololatrandi præstare*. Ita Scriptor Seculi XV. cujus locum affert Martenius Lib. II. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. VIII. Num. IV. Licet autem ejus verba aspera sint, ac dura, placuit tamen hoc loco referre, ut vel inde addiscamus tempus, quo laici Hostias cœpere conficere in Sacrificio consecrandas.

XXI. Ex his abunde habemus, Hostias olim summo studio, & sancta quadam reverentia erga Corpus Domini, quod ex iis consecrari debet, præparari oportuisse. Id quod etiam innuit Concilium Toletanum XVI. anni DCXCIV. Can. VI. *Ut aliter panis in Altari Domini Sacerdotali benedictione sanctificandus non proponatur, nisi integer, & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus*. Viguisse hanc disciplinam olim, ut Sacerdotes a singulis domibus, & familiis farinam acciperent, & inde Dominicum panem facerent, quem deinde *pro populo offerebant, & hunc consecratum eis distribuebant*, testatur Honorius Augustudonensis in Gemma animæ Lib. I. Cap. LXVI. Veteris hujus disciplinæ amantissimus S. Carolus in Concilio Provinciali IV. Mediolanensi, Cap. *Quæ ad Eucharistiæ Sacramentum pertinent*, statuit quidem, ut *Hostias pro sacra Eucharistia conficienda non laicos homo, nec vero femina faciat*. Optandum sane, ut si non ex integro vetus Ecclesiæ mos conficiendarum Hostiarum, saltem ex parte restituatur, ut nimirum non laici homines, feminæque infimæ plebis, Hostias faciant, sed saltem Clerici, divinis ministeriis mancipati, tametsi, uti ex dictis constat, munus sit Sacerdotum, ac præsertim Sacristarum, qui in Sacerdotio constituti sint, Hostias conficere. Non enim decet, ut laici homines, feminæque privatis in domibus suis illas faciant, qui etiam ut plurimum in ipsarum confectione iisdem vasis, ac linteis utuntur, quæ ad domesticum usum adhiberi solent.

XXII. Plura de antiqua Fidelium in præparanda Sacrificii materia Religione videri possunt apud Martenium Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, Lib. I. Cap. III. Articulo VIII. & Lib. II. *De antiquis Ritibus Monachorum*, Cap. VIII. apud Mabillonium in Præfatione ad Seculum III. Benedictinum, Natalem Alexandrum in sua Theologia, ubi agit de Sacramento Eucharistiæ, Joannem Cardinalem Bona Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XXIII. & novissime apud eruditissimum Franciscum Berlendum Clericum Regularem in celebri Opere suo, *De oblationibus ad Altare*. Unum hic quidem repetam, decere quammaxime, ut juxta probatum Ecclesiæ morem ad majorem reverentiam erga sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, Hostiæ conficiantur, non a laicis, neque a feminis, sed a sacris omnino Viris, in locis sacris, & cum utensilibus ad eam rem dumtaxat destinatis. Forte hæc spreverint, qui Ecclesiasticæ disciplinæ ignari sunt, vel qui eam contemnunt; mihi sat est, retulisse qui fuerit antiquus ritus, & quæ sit lex a S. Carolo in Concilio IV. Provinciali Mediolanensi præscripta. Sed ad alia in nostro hoc §. contenta procedamus.

XXIII. Ut ad infirmos debita cum reverentia, & honore deferatur Eucharistia, munus quoque id esse Sacristæ, diserte in nostro §. edicitur. Quod ritum spectat, is ita quidem describitur, in Constitutionibus S. Edmundi Cantuariensis Episcopi Cap. XXV. *Cum Eucharistia ad ægrum fuerit deferenda, habeat Sacerdos aliquam pyxidem mundam, & honestam, in qua sit pannus lineus mundissimus, & in ea deferat Corpus Dominicum ad ægrotum linteo mundo superposito, & lucerna præcedente, nisi æger valde remotus fuerit, & Cruce similiter, si fieri potest, nisi Crux fuerit ad alium ægrotum deportata: præcedente quoque tintinnabulo, ad cujus sonitum excitetur devotio fidelium. Habeat quoque secum Sacerdos Orarium, sive Stolam, quando cum Eucharistia, sicut diximus, vadit ad ægrotum. Et æger si remotus non fuerit, in Superpelliceo decenter ad ipsum accedat*. Idem habent Constitutiones Richardi Episcopi Sarum, Cap. XXXIX. Concilium Wigornienſe, Cap. IX. & alia complura. Sed observandum ea in re potissimum est, Rituale Romanum, atque probati usus peculiarium Ecclesiarum, in quibus magna cum pompa, prout decet, Eucharistia ad infirmos deferi solet, ad communicandum scilicet; non enim licet ipsam ad eos ægrotantes deferre, qui morbi gravitate impediti sumere illam non possunt, ut nimirum ipsi infirmi Eucharistiam ipsam saltem adorent. Atque ita censuit Sacra Concilii Congregatio teste Zerola in praxi Episcoporum Parte I. verbo *Eucharistia*, §. V. & aliis, quos refert Barbosa in Tractatu, *De officio, & potestate Parochi*, Cap. XX. Num. XLIV.

XXIV. Rursus spectat & ad Sacristæ officium ex §. nostri præscripto, circa fontem Baptismalem, & sacri Chrismatis, aliorumque sacrorum Oleorum conservationem, diligentissimam curam adhibere, juxta præscriptam sibi ab Episcopo, & aliis, ad quos spectat, normam. Cura vero potissima illa est, ut tum Baptisteria, tum sacra Olea sub sera clausa custodiantur, juxta veterem Ecclesiæ disciplinam, iterum atque iterum a sacris Synodis, ac Ritualibus Libris confirmatam, quorum Decreta, ac loca nostro II. Tomo Pontificalis Romani attulimus. Puto equidem hujusmodi rerum custodiam, non proprie ad Sacristam pertinere, sed tunc quidem cum ipsi Ecclesiæ Rector eam provinciam traderet. Ut enim, *& Tabernaculi, ubi sacratissimum Corpus Domini asservatur, & armarii item, ubi sacra Olea, statis vasculis inclusa custodiuntur, & Fontis præterea Baptismalis, claves Rector Ecclesiæ, animarumve*

Digitized by Google

*rumve Curator diligenter, cauteque apud se custodiat, ac ne Clerico quidem ministro illas ullo modo committat*, expresse cautum est ex IV. Concilio Provinciali Mediolanensi S.Caroli Cap. *Quæ ad Sacramentalia &c.* ubi etiam non prohiberi Parochum dicitur, Animarumve curatorem, *quo minus easdem* (claves) *muneris alicujus præstandi causa, aliquando Sacerdoti committat, quem in officio Parochialis cura coadjutorem habet*. Sa-Sacrum præterea Oleum infirmorum ut in Ecclesia itidem custodiatur vase ab aliorum sacrorum Oleorum vasculis distincto, præcepit idem sanctissimus Mediolanensium Præsul S. Carolus in Concilio III. Provinciali, Cap. *Quæ ad sacramentalia pertinent &c.* ubi tamen eam custodiam non ad Sacristam, sed ad Parochum pertinere affirmat.

XXV. Sacrarum Sanctorum Reliquiarum custodia, *ut scilicet fideliter, & honorifice asserventur*, inter Sacristæ quoque officia in hoc eodem nostro §. recensetur. Sed attendi & in hac re debet consuetudo Ecclesiarum. Postquam enim Sanctus Carolus in Concilio IV. Mediolanensi, ubi de sacris Reliquiis agit, de loco, in quo ipsæ asservandæ sunt, nonnulla statuit, ita deinde edixit: *Is porro locus duabus saltem clavibus, iisque diversis claudatur, quarum unam Episcopus, alteram Rector Ecclesiæ, ubi sunt, custodiat diligenter*. Notanda vero sunt quæ mox subdit: *Ubi vero consuetudinis est, ab Universitatis, Sodalitatisve hominibus, aut a Syndicis, laicis hominibus, clavem etiam teneri, illam tertiam illis permittere poterit Episcopus arbitratu suo*. Reliquiarum Sanctorum Patronorum Civitatis, clavem unam concedi posse ejusdem Civitatis Magistratui seculari, censuit quidem Sacra Rituum Congregatio die VIII. Maji anni MDCIV. uti videre est penes Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum, Collectan. DCXLVI. Num. III. & Cajetanum Merati in Notis ad Gavantum, ubi inter alia recenset ejusdem Sacræ Rituum Congregationis Decretum die XXII. Januarii anni MDCCI. mandans, ut quando exponuntur Sacræ Reliquiæ, ultra lampadem continuo ardeant super Altare duo saltem lumina.

XXVI. Curam sacrarum Reliquiarum pertinere ad Sacristam tradit inter alia Cæremoniale Ambrosianum Lib. I. Tit. *De Sacristis*, ubi ita inquit: *Sacrarum Reliquiarum thecas, capsulas, loculos, & postremo Reliquiaria ipsa munda conservabit, atque in expositione, vel ostensione Sacrarum Reliquiarum ipse præsto erit, & omnia necessaria præparabit, tam in Altari, quam in Sacristia*. Et mox: *Præterea, si quando aliquæ Reliquiæ in Processione deferendæ sint, curabit, ut luminaria, paramenta, & alia requisita congruo tempore parata sint*. Id esse munus Sacristæ Capellæ Pontificiæ, ut non modo vestes sacras, Cruces, Calices, candelabra, Imagines, & vasa pretiosa, sed & thecas, in quibus Reliquiæ Sanctorum reconditæ sunt, diligenter asservet custodiatque, tradit Patricius Lib. III. Sectione II. Cap. XIX. Ad ostensionem, quod attinet Reliquiarum, cujus paulo superius facta mentio est, videri potest aureum Opus, quod de eo argumento concinnavit eruditissimus Petrus Morettus Canonicus insignis Basilicæ S. Mariæ transtyberim, una cum additamentis, quæ extant ad calcem aliorum duorum ejusdem Auctoris Operum, nempe, *De Presbyterio*, & *De ritu mutandi Chorale indumentum*.

XXVII. Ait insuper noster §. ut *aqua benedicta singulis saltem hebdomadis renovetur, ac denique ut tota Ecclesia, & singula illius Sacella, & Altaria semper munda, & nitida sint, nec per incuriam obsordescant*. Esse hoc Sacristæ officium, ut *aquam benedictam singulis hebdomadis, vel etiam sæpius, si opus erit, ipse renovet, vel ab aliis renovandam curet*, diserte edicit Concilium I. Provinciale Mediolanense S. Caroli, Tit. *De officio Sacristæ*. Idipsum passim Episcoporum Synodi mandant, inter quas Salernitana Marci Antonii Marsilii Columnæ Archiepiscopi, edita anno MDLXXIX. Parte I. Tit. IX. Cap. III. hæc habet: *Aqua in Sacristia benedicatur cum Superpelliceo, & Stola, singulisque Dominicis mutetur, vetere in Sacrarium projecta*. Tum mandat, ut in Ecclesia Salernitana *id Cantor, & Primicerius curent per Sacristas observari sub pœna unius ducati*. Omitto alias Synodos, quibus adhærens Michael Bauldryus in Manuali sacrarum Cæremoniarum juxta ritum S. R. E. Parte I. Cap. II. Articulo I. ubi exponit Sacristæ officia in Ecclesiis Collegiatis, Num. V. ait, aquam benedictam singulis diebus Dominicis, vel etiam sæpius, si opus sit, ab eo esse renovandam, adhibita ad benedictionem Cotta, & Stola violacea juxta Rituale Romanum, nisi fiat in Dominica a Celebrante, quia tunc Stola Celebrantis erit coloris officio convenientis.

XXVIII. Plura scitu digna docet recitato loco Bauldryus, ubi etiam Num. XV. Sacristam monet, *ut teneat in Sacristia, vel alio loco decenti Sacrarium semper mundum, & clausum, cujus fovea sit subtus terram, in quod effundat aquam benedictam veterem &c.* Sed his omissis, sciendum plane est, quod inter alios docet Silvester in Summa, aquam benedictam, vel sanctam, duplicem esse in novo Testamento; unam scilicet ordinatam ad consecrationem, vel reconciliationem Ecclesiæ pollutæ sanguine, vel semine hominis, eamque solum ab Episcopo benedici una cum vino, & cinere, Cap. *Aqua*, & Cap. *Proposuisti, De consecratione Ecclesiæ, vel Altaris*. Alteram vero, de qua hic agitur, ordinatam esse ad aspersionem hominum, vel domorum, & aliarum rerum venientium ad usum nostrum, & repellendum invisibiles inimicos. Eam ex prisco Ecclesiæ instituto benedici solere cum sale a Sacerdotibus, constat ex Canone, *Aquam*, De consecratione, Distinctione III. De utraque hac aqua fuse jam disseruimus in nostris ad Pontificale Romanum Commentariis, dicemusque etiam nonnulla inferius Lib. II. Cap. XXX.

XXIX. Ut tota denique Ecclesia, & singula illius Sacella, atque Altaria semper munda, & nitida sint, nec per incuriam obsordescant, Sacristæ

Digitized by Google

eristæ officium est, quo, IV. Christi Seculo summa cum laude functus est religiosissimes Nepotianus Presbyter, de quo S. Hieronymus in ejus Epitaphio hæc inter alia inquit: *Hoc idem possumus & de Nepotiano dicere, qui Ecclesiæ Basilicas, & Martyrum concilia diversis florum, & arborum comis, vitiumque pampinis adumbravit: ut quicquid placebat in Ecclesia, tam dispositione, quam visu, Presbyteri laborem, & studium testaretur.* Hujusmodi diligentiæ laudem meruit S. Guido Lakensis Ecclesiæ Clericus, & Presbyteri in ejusdem Ecclesiæ servitio adjutor, qui obiit anno MCXII. Eum enim incertus, sed vetus Auctor apud Surium ad diem XII. Septembris iisdem pene verbis celebrat, quibus laudatum Nepotianum S. Hieronymus: *Dabat igitur*, ait, *sedulo operam, ut Altare niteret, testudo nihil haberet sordium, pavimentum scopis repurgaretur, Sacrarium mundum esset, & vasa luculenta; denique ut e cæremoniis nihil remissum, aut neglectum videretur. Siquis eum quæreret, in Templo reperiebat; diversi generis floribus, & arborum comis cancellos, & thecas Sanctorum vestiebat, ut quidquid in illa æde, vel aspectu, vel dispositione placeret, ejus laborem, & studium testaretur.*

XXX. Everrendi Ecclesiæ pavimentum, quod juxta incliti Ordinis Clericorum Regularium, quos Theatinos vocant, morem, per ipsos Clericos, Sacerdotesque fieri hodieque assolet, non adeo recens est ritus, quin vestigium ejus aliquod vetustas reliquerit. Celebre enim est exemplum S. Paulini Episcopi Nolani, qui in Natali I. S. Felicis Martyris, sacram ejusdem Ædem everrere summis votis exoptabat, ut idemmet Paulinus testatur his versibus:

*Illic dulce jugum, leve onus blandumque feremus.*
*Servitium sub te Domino; etsi justus iniquis*
*Non egeus servis, tamen & patiere, & amabis*
*Qualescumque tibi, Christo donante dicatos,*
*Et foribus servire tuis, tua lumina mane*
*Munditie curare sines; & nocte vicissim*
*Excubiis servare piis, & munere in isto*
*Claudere promeritam defesso corpore vitam.*

Affert hæc eruditissimus Antonius Caracciolus Clericus Regularis in Notis ad Constitutiones sui Ordinis Part. I. Cap. III. ubi etiam celebre testimonium Cassiani affert, qui Lib. IV. *De institutione*, Cap. VII. vel unicam festucam de pavimento sacræ Ædis tollere, gratum Deo, & præmio dignum existimasse veteres Palæstinos Patres, hisce verbis affirmat: *Tanta fide universa procurant, atque dispensant, ut etiam ea, quæ despectui habentur, parvaque reputantur, ac villa, ut si tenuem festucam de Oratorio, cellave summoverint, mercedem se consequuturos a Domino, tota credulitate confidant.*

XXXI. Id plane perspicacibus fidei oculis intelligebat Religiosissimus Pater, venerabilis Dei servus, Joannes Marinonius memorati Ordinis Clericorum alumnus, inter cujus grandia gesta, hoc etiam narrat laudato loco memoratus Caracciolus: *Neapoli Clericus quidam noster Ædem S. Pauli everriculo emundabat: forte incidit in scrobiculum humi factum ab artifice lignario, quo pessulus obditis foribus reciperetur. Is, ut assolet, pulvere adeo plenus erat, ut pessulum admittere nullo posset modo. Interim Clerico aut fossulam non advertenti, aut si adverterat, pulverem inde extrahere negligenti, adstitit repente S. Senex Joannes, ejus sacræ Ædis, ac Domus tunc Præpositus; atque humi se se abjiciens, non everriculo, aut alio quopiam instrumento, sed digito ipse suo pulverem diligenter inde extraxit. Erubescentem vero Clericum ad tam perspicuum demissionis, & exquisitæ sedulitatis exemplum facto admonuit ob pauxillum pulveris e pavimento domus Dei diligenter excussum, mercedem ab immensa Dei largitate expectari posse minime pauxillam.* Neque vero mirum, si suis hæc obsequia manibus Sancti homines, ob veri Dei cultum præstiterunt, quandoquidem *matres Italas Idolorum Fana, passo capillo suo quamque verrisse*, Mamertinus in Panegyrico, Maximus, Livius, aliique veteres Scriptores, memorando, sed execrando exemplo commemorant; ut scite observat idem celeberrimus Scriptor, profanæ æque, ac sacræ antiquitatis peritissimus Antonius Caracciolus, ob egregia sua Opera toti Orbi Literario notus.

## §. III.

Curabit etiam pro tempore, dierumque Festorum qualitate, ut ea decenter ornentur, prout latius infra Cap. XII. hujus Libri dicetur. Cum Missæ, & cætera divina officia solemniter celebranda erunt, sive per Episcopum, sive per alios, ipse peculiarem curam geret, ut Altare majus, Credentia, Tribuna, Chorus, & Secretarium, ubi Episcopus sacris vestibus paratur, necessariis rebus, & ornamentis, quæ in eodem Capitulo exprimuntur, instruantur opportune, ne eorum aliqua deesse contingat, in quibus perquirendis, & expectandis, indecenter, atque incommode tempus teratur. Aderit apud Altare in cornu Epistolæ, cum Oblata erant offerenda, & prægustabit de Hostia, vino, & aqua, porrigente Diacono. Ad eum etiam spectat, ut per Campanarum sonum indicentur Horæ Vesperarum, Matutinarum, & Missæ, ac reliquarum Horarum Canonicarum. Item cum in Missa majori elevatur SS. Sacramentum, vel quando illud ad infirmos deferendum est; & ut Matutino, Meridiano, ac Vespertino tempore diebus singulis Salutationis Angelicæ signum

Digitized by Google

signum detur. Demum, ut ab ipsa Sacristia laicorum nimia frequentia, indecentes sermones, jurgia, rixæ, actusque profani removeantur, diligentiam adhibeat; ut Sacerdotes Missas celebraturi opportuno tempore, & ordine exeant, pro populi, personarumque concursu.

## COMMENTARIUS.

I. PErgit hic §. noster alia Sacristæ munia exponere. Ait itaque I. curandum illi esse, *ut pro tempore dierumque festorum qualitate ea*, Ecclesia scilicet, & singula ejus Sacella, & Altaria, *decenter ornentur, prout latius infra Capite* XII. *hujus Libri dicetur*. Ut ergo ordinem nostri Cæremonialis sequamur, omissis hic iis, quæ fuse in Commentariis ad laudatum ipsum XII. Caput enarrabuntur, ad alia explicanda Sacristæ munia descendimus, quæ in hoc præsenti §. notata sunt: *Cum Missæ*, inquit, *& cætera divina officia solemniter celebranda erunt, sive per Episcopum, sive per alios, ipse peculiarem curam geret, ut Altare majus, Credentia, Tribuna, Chorus, & Secretarium, ubi Episcopus sacris vestibus paratur, necessariis rebus, & ornamentis, quæ in eodem Capitulo* (duodecimo scilicet hujus Libri) *exprimuntur, instruantur opportune*. Notanda est ratio, quam statim subjicit, *Ne eorum aliqua*, inquit, *deesse contingat, in quibus perquirendis, & expectandis, indecenter, atque incommode tempus teratur*. Hinc in variis Synodis variæ pœnæ constitutæ sunt adversus Sacristas, si in suo exercendo officio negligenter se gererent. Sed de his alias. Nunc illud notandum, quod in §. hoc nostro sequitur, adesse nimirum debere Sacristam *apud Altare in cornu Epistolæ, cum oblata erunt offerenda; & prægustare de Hostia, vino, & aqua, porrigente Diacono*. Debet nempe ipse, ut scite ait Bauldryus in Manuali sacrarum Cæremoniarum Parte I. Capite II. Articulo II. Num. IV. Episcopo celebrante Missam solemnem, munda Cotta indutus, & nudo capite stans ad Altare assistere, cæteris inferioribus Ministris in Sacristia agenda committens. Hostiam, & vinum, & aquam, quæ offeruntur, prægustare debet, antequam Diacono tradantur offerenda Episcopo. Debet in reliquis apud Credentiam assistere, ut ibi scilicet subministret necessaria, cum opus fuerit.

II. Est sane antiquum munus Sacristæ, ut in solemni Missa Pontificis *apud Altare adsit in cornu Epistolæ cum oblata erunt offerenda, & prægustet de Hostia, Vino, & Aqua, porrigente Diacono*. Meminit enim ejus Ritus in suo Cæremoniali non uno in loco Augustinus Patricius, præsertim vero Lib. III. Sectione II. Cap. XV. ubi agit de officio Cardinalis Diaconi Euangelium lecturi in Missa Papali, cujus egregium locum inferius nos referemus in Commentario ad §. IV. Capitis IX. hujus Libri. Id factum esse ad vitandum veneni periculum, quod in caput Sacristæ, qui omnia parare debet, hoc pacto redundaret, scite advertit Eruditissimus Mabillonius Tomo II. Musæi Italici in Commentario suo prævio ad Ordinem Romanum Pag. XLVI. Cui sententiæ mirifice suffragatur Ordo Romanus XV. Auctore Petro Amelio ex Eremita Augustiniano, Gallo Electensi, Urbani V. Papæ Sacrista, dein Gregorii XI. Pœnitentiario, ac Bibliothecario, postea Senogalliensi Episcopo, Archiepiscopo Tarentino, tum Patriarcha Gradensi, & Alexandrino, atque Ecclesiæ Aquensis Administratore, ut docet idem Mabillonius citato Tomo II. in suo ad ipsum Ordinem XV. Monito. Is ergo Amelius Cap. LXXXI. sui Cæremonialis hæc habet: *Sacrista portat Calicem cum pyxide Hostiarum, & parvo cochleari, coopertum velo sirico, & parat Calicem cum tribus Hostiis, unam pro Sacramento, & duas pro proba; & in Papæ præsentia facit probam de vino, & de pane, & fundit vinum in Calicem tantum, quantum durat cretulus Hostiæ; & post aquæ benedictionem, ponit cum cochleari tres guttas aquæ, & tunc facit probam &c.* Proba hæc, nihil aliud est, quam experimentum dictarum oblatarum, si scilicet sint veneno infectæ; fit autem illud a Sacrista, quod is oblatas parare debet ad Sacrificium, uti superius dictum est.

III. His concinunt quæ tradit memoratus Patricius Lib. II. sui Cæremonialis, ubi agit de Missa majori in die Natalis Domini, Papa personaliter celebrante: *Diaconus*, inquit, *Euangelii Latinus accipit Hostiam unam de tribus, quæ sunt super Patenam, & cum ea alias duas Hostias tangit, & eam dat Sacristæ comedendam; deinde accipit aliam Hostiam de duabus, quæ remanserant, & cum ea tangit patenam, & Calicem per totum intus & extra, & similiter dat eam Sacristæ comedendam. Post hæc de ampullis vinum & aquam in patera dat Sacristæ ad prægustandum &c.* Legendum integrum Caput, ubi fuse de ea prægustatione agitur, ad faciendum scilicet experimentum, quod nos superius memoravimus. Legi etiam potest quæ idem Auctor scribit eodem Libro II. *De Sabbato sancto, Papa celebrante*, ubi eundem ritum describit.

IV. Spectat etiam ad Sacristam, *ut per Campanarum sonum indicentur Horæ Vesperarum, Matutinarum, & Missæ, ac reliquarum Horarum Canonicarum*. De Campanis, earumque origine, benedictione, ac virtute fuse jam loquuti fuimus nostro Tomo II. Romani Pontificalis ad Titulum XX. *De benedictione Signi, vel Campanæ*. Convocari jam olim non modo Clerum, sed & Populum Campanæ sonitu ad divinum Officium consuevisse, Auctores prisci nos docent, inter quos Anastasius Bibliothecarius de Stephano Papa III. loquens, ait: *Idem Beatissimus Papa fecit super Basilicam Beati Petri Apostoli turrem, quam ex parte inauravit, & ex parte argento vestivit, in*

Digitized by Google

*In qua tres posuit Campanas, quæ Clerum, & Populum ad officium Dei convocarent.* Campanarum pulsationem ad Presbyteros spectasse, colligitur ex Capitularibus Caroli Magni, Lib. VI. Cap. CLXVIII. *Ut Sacerdotes*, inquit, *signa tangant, horis Canonicis &c.* Signa hic idem sunt ac Campanæ, easque pulsandi officium a Presbytero non esse subterfugiendum, diserte ait Amalarius Lib. III. *De Officiis Ecclesiasticis*, Cap. I. ubi postquam sacras Campanas originem a Tubis veteris Testamenti traxisse dixisset, illasque ora Prædicatorum novi Testamenti significare docuisset, ita statim subdit: *Ne despiciat Presbyter hoc opus agere, ut in ipso sit imitator filiorum Aaron.* Filii namque Aaron, qui Sacerdotes erant, ex præcepto Dei tubis clangebant ad convocandam multitudinem.

V. Præclarissimam rationem, cur olim præceptum esset Presbyteris Campanas pulsare, explicat Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XXII. Joannes Cardinalis Bona, sic inquiens; *Majores nostri decreverunt, a Deo sacratis viris signa tangi, quia & sacra res est fidelem populum ad divinum Officium, ad Missam, ad communionem, ad audiendum verbum Dei coadunare, & ipsæ Campanæ Episcopali benedictione, sanctique olei unctione consecratæ sunt, & inter sacra Ecclesiæ vasa connumerantur.* Hodie, uti diximus Tomo I. & III. Pontificalis Romani, & in Opusculo, *De Codice sancti Euangelii &c.* Lib. III. Cap. VIII. Ostiarii est Campanas pulsare, quem decet Superpelliceo indutum esse, quia munus sui Ordinis exercet; *Eos qui Campanas pulsant, congruit Superpelliceis indui*; inquit Stephanus Durantus Lib. I. *De ritibus Catholicæ Ecclesiæ*, Cap. XXXI. Certe in Concilio Coloniensi anni MCCLX. Can. VIII. ita cautum legimus, *Ut Campanarii Ecclesiarum* (idest, qui Campanas pulsant) *quorum servitus sive onus circa Altare versatur, numquam absque veste camisiali compareant, firmissime prohibemus.* Vestis camisialis est illa, quam hodie Superpelliceum dicimus. Non ergo Campanæ a laicis, nec sine Superpelliceo ab Ecclesiasticis Viris pulsari debent, ut inter alios recte docet Angelus Rocca in Tractatu, *De Campanis*, Cap. XIII. Ceterum tametsi hodie nulla habita veteris disciplinæ ratione Campanarii ex infima plebe passim assumantur, dedignantibus etiam apud plerosque Regulares, Fratribus laicis illas pulsare, in Ecclesia nihilominus Ambianensi, uti refert Dufresnius in suo Glossario, *Campanarii*, Presbyteri sunt, quos inde *Clokemannos* vocant, quia scilicet Campana Gallico idiomate *Cloche* dicitur. S. Carolus in Concilio Provinciali I. Mediolanensi de officio Sacristæ agens, diserte statuit, ut *hora congrua ipse, vel alius ejus jure, Campanæ sono det signum Matutini, Missæ, & aliarum Horarum Canonicarum.*

VI. Ex nostro Cæremoniali nullum quidem Sacristæ fit præceptum, ut per semetipsum Campanam pulset; ad eum ait spectare, *ut per Campanarum sonum indicentur horæ Vesperarum &c.* nempe juxta varium morem, ac præscriptum variarum Ecclesiarum; neque enim ex recitatis Cæremonialis verbis ulla Sacristæ facultas datur, ut suo libitu Campanas pulsari faciat, tempusque ipse præscribat, quo divina Officia peragenda sunt. Viget is in nonnullis Ecclesiis abusus, in quibus, ii qui Sacristarum funguntur officio, pulsari Campanas jubent, ad suum ipsorum commodum, & quidem nunc citius, ut divinis utcumque celebratis Officiis, quærant ipsi deinde quæ sua sunt per domos, ac villas; nunc serius, ut in lecto ipsi quiescant, vel saltem, ut molestiam aliis afferant. Expertam rem narro, quæ etiam, ut ad normam insignium Ecclesiarum corrigeretur, quæ ad celebranda divina Officia juxta anni tempora horas habent distinctas, viribus totis aliquando contendi. Sed his omissis, audiamus quid ea in re statuit in Concilio Provinciali IV. Mediolanensi S. Carolus: *Episcopus*, inquit, *pro temporum ratione, ac vicissitudine certam horam, certumque intervallum pulsandis Campanis præscribere curet, quibus divinorum Officiorum significatio detur. Quæ certa, intervallisque distincta pulsationis ratio in tabella edita ordine notetur, ut & Urbanis, & Diœcesanis Ecclesiis usui recte accommodata, ubique eadem ad præscriptum ejusdem Episcopi servetur.* Pro temporum itaque ratione pulsandis Campanis certa hora, divinorum Officiorum causa præscribenda est, eaque omnino servanda.

VII. Ad elevationem sanctissimæ Eucharistiæ in Missa majori, vel quando ipsa ad infirmos defertur, ut pulsentur Campanæ, cura hæc etiam ex præscripto nostri §. debet esse Sacristæ. Quam antiqua sit in Ecclesia elevatio, & ostensio Eucharistiæ in Missa, egregie ostendit Stephanus Durantus, Lib. II. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. XL. Quod spectat ritum pulsandi Campanam dum ipsa Eucharistia elevatur in Missa Conventuali, dici posset, eum ritum profectum fuisse a Monachis: Cistercienses etenim in Capitulo Generali habito Christi anno MCCXV. inter alia statuerunt, ut *in Missis de Conventu*, idest, Conventualibus, *in ipsa elevatione minor campana uno ictu pulsetur &c.* Idipsum luculentius docent antiqua Carthusientium statuta Parte I. Cap. XLIII. his verbis: *Dicto autem*, Hoc est corpus meum, *elevatur Hostia itaut possit videri, & pulsatur Campana uno ictu, aut pluribus, in Missis tantum Conventualibus &c.* Puto equidem, antiquiorem esse eum ritum; Ivo etenim Carnotensis Epistola CLXVII. qua Reginæ Anglorum gratias agit pro Campanis, quas Ecclesiæ Carnotensi dono dederat, indicat, Campanas monere, quando illa singularis Hostia pro nobis redimendis in Ara Crucis oblata per novi Sacerdotii Ministros in Domini mensa quotidie consecratur. Sed quicquid sit de prima ejus ritus institutione, quæ quidem antiqua est, extat in Concilio II. Provinciali Mediolanensi a S. Carolo habito anno MDLXIX. Tit. II. hoc Decretum: *Cum corpus Jesu Christi Domini sustollendum est in Missa Conventuali, & in ea item Missa, quæ in unaquaque Parochiali Ecclesia a Parocho celebratur, tum signum sono Cam-*



Digitized by Google

*Campanæ detur: cujus soni significatione fideles, qui in Ecclesia Missæ sacrificio tunc non intersunt, admoniti, ad tanti, tamque magni Mysterii, ac beneficii recordationem animum excitantes, mente supplici religiosas preces pie adhibeant.*

VIII. Pulsandam præterea esse Campanam, ubi ad ægrotos deferenda est Eucharistia, ut nimirum accurrant fideles, cereosque accensos afferant obsequii causa erga sanctissimum Sacramentum, in variis Conciliis cautum legitur. Sed quid opus est alia recensere, quando habemus S. Caroli Concilia, omnium consensu celebrata, quorum Decreta alii deinde Metropolitæ, & Episcopi in suis Synodis retulere. Ergo S. Carolus in Concilio v. Provinciali, Tit. *Quæ ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pertinent*, statuit, ut *Parochus & vesperi pridie illius dici, quo sacram Eucharistiam alluturus est, si eo tempore de hoc officio præstando certior est, & tunc item, paulo scilicet antequam afferat, certis Campanæ percussionibus Confratres sanctissimi Sacramenti, & Clericos, & reliquos fideles, præsertim illius Parochialis viciniæ, evocari mandet, qui illud pia veneratione prosequantur*. Item in Concilio Provinciali VI. Tit. eodem, ejusmodi Decretum edidit: *Parochus hortetur, & curet unusquisque Paterfamilias præsertim dato Campanæ Parochialis signo, quo sacræ Eucharistiæ ad ægrum deferendæ significatio fit, sine mora in Ecclesiam Porochialem conveniat, vel alium de familia digniorem mittat, ad illam cerei, candelæve lumine prosequendam. Si quando autem is qui paterfamilias est, per necessariam occupationem non potest, saltem certum aliquem hominem, vel filium natu majorem, vel denique famulum, aliumve mittat, qui id pietatis officium præstet. Atque eam ob causam, domi etiam omnis paterfamilias perpetuo funale cereum, aut candelam unam, pluresve habeat, quæ ad id pietatis opus, officiumque usui sint*. Varia de ritu, quo deferenda, ac prosequenda est Eucharistia ad infirmos, expressit etiam sanctissimus Præsul in Concilio III. Mediolanensi.

IX. Præter Campanæ majoris sonum, quo excitentur fideles ad prosequendam cerei lumine Eucharistiam, ubi ad infirmos defertur, adhibendam esse etiam Campanulam in via, edixit jam S. Edmundus Episcopus Cantuariensis in suis Constitutionibus Cap. XXV. *Cum Eucharistia*, ait, *ad ægrum fuerit deferenda, habeat Sacerdos aliquam pyxidem mundam, & honestam, in qua sit pannus lineus mundissimus, & in ea deferat Corpus Dominicum ad ægrotum linteo mundo superposito, & lucerna præcedente, nisi æger valde remotus fuerit, & Cruce similiter, si fieri potest, nisi Crux fuerit ad alium ægrotum deportata; præcedente quoque tintinnabulo, ad cujus sonitum excitetur devotio fidelium &c.* Editæ sunt Edmundi Constitutiones circa annum MCCXXXVI. Idipsum legere est in Constitutionibus Richardi Episcopi Sarum Capite XXXIX. editis circa annum MCCXVII. in Concilio Wigorniensi anni MCCXL. Cap. IX. & in aliis plurimis.

X. Aliud officium Sacristæ, quod in hoc eodem nostro §. notatur, est quidem, *ut matutino, meridiano, ac vespertino tempore, Salutationis Angelicæ signum detur*. S. Bonaventuram Ordinis Minorum Generalem Ministrum in Capitulo generali Pisis anno MCCLXIII. celebrato instituisse, ut Fratres populum hortarentur ad salutandam Beatissimam Virginem Mariam signo Campanæ, quod post Completorium datur, legitur quidem in ejus Officio, quod extat in Breviario Fratrum Minorum. Hunc pium usum ab Ecclesia Xantonensi susceptum, & a Joanne XXII. Pontifice Maximo confirmatum fuisse, concessa etiam decem dierum indulgentia iis, qui pie salutationem Angelicam ter flexis genibus funderent, si vere eos criminum pœniteret, narrat in ejus Pontificis Vita Pagius Num. XXIV. Epistola data est Avenione III. Idus Octobris, anno III. Pontificatus, in eaque amplissima Deiparæ elogia exaravit. Hic pius mos, ut idem Pagius notat, ab omnibus aliis deinde Ecclesiis sensim susceptus est. Ipsemet enim Joannes Pontifex anno sui Pontificatus X. ad omnes Christifideles ad pietatem, & preces pro Ecclesiæ necessitatibus fundendas excitandos, Vicario Urbis mandavit, ut ad pulsationem Campanæ in quolibet noctis crepusculo juberet Beatam Virginem recitata salutatione Angelica venerari, concessa decem dierum indulgentia.

XI. Institutionem laudati ritus admisere sensim, uti dictum est, omnes Ecclesiæ. Ita enim statuit Synodus Senonensis anni MCCCXLVI. Cap. XIII. *Item auctoritate dicti Concilii præcipimus, quod observetur inviolabiliter ordinatio facta per sanctæ memoriæ Joannem Papam XXII. de dicendo ter* Ave Maria *tempore, seu hora ignitegii: in qua ordinatione conceditur certa Indulgentia &c.* Ignitegium, uti docet Dufresnius, horam significat, qua olim oppidorum incolæ, intra ædes suas se recipere nocte adveniente, & ignem suum tegere cogebantur, Campanæ sono indicata, ut furtis nocturnis caveretur. Porro Synodus ipsa Senonensis addit Indulgentiæ triginta dies auctoritate sua, & Suffraganeorum viginti dies pro iis, qui tunc *Pater noster*, & *Ave Maria* recitarent pro Ecclesia, Rege, ac Regia familia, Regnique statu. Inductus est postea Ritus ad matutinum tempus, & mediam diem, uti constat ex variis Synodis, in quibus ejus ritus fit mentio. In Synodo Vavrensi anni MCCCLXVIII. Cap. CXXVII. Rectoribus, & Curatis Parochiarum sub pœna excommunicationis præcipitur, ut circa solis ortum *pulsari faciant unam Campanam*, eo modo quo ad noctem pulsari solebat; & tunc iis, qui in honorem quinque vulnerum Christi Domini quinquies Orationem Dominicam, atque septies Angelicam salutationem *genibus flexis* dixerint, *triginta dies de injunctis pœnitentiis relaxantur*. Sed hic numerus redactus postea fuit ad tres salutationes Angelicas.

XII. In Concilio præterea VI. Beneventano anni MCCCLXXIV. sub Hugone II. Guidardio Archiepiscopo, Tit. XVI. Cap. XXXII. expressa fit mentio Campanarum pulsationis *pro* Ave Maria

Digitized by Google

Maria, *de mane*, *& de sero*, *ut habet laudabilis consuetudo primitus adinventa a recolendæ memoriæ Joanne Papa XXII.* Ubi nota, utramque pulsationem Campanæ pro recitatione salutationis Angelicæ ab hac Synodo memorato Pontifici tribui. Sed utut se ea res habeat, quod pulsationem Campanæ spectat in media die, docet nos Diœcesana Synodus Salernitana a Marco Antonio Marsilio Columna anno MDLXXIX. habita, Parte II. Tit. XIII. Cap. XXVII. eum ritum institutum fuisse a Callixto III. Pontifice Maximo: *Quia comperimus*, inquit, *saluberrimum Callixti III. generale institutum de Campanæ signo in meridie in hac Civitate non observari. Mandamus, ut, sicut cæptum est, ita deinceps observetur, ut in meridie Campanæ signum detur ab Ecclesia nostra, ac ceteris Secularibus, & Regularibus Ecclesiis: monemusque omnes, qui, dato signo prædicto, genuflexi salutationem Angelicam ter recitent, Deum etiam rogantes pro tranquillitate, & exaltatione sanctæ Matris Ecclesiæ, ac Christianorum Principum concordia: eisque, qui sic oraverint, contritis, præter alias Indulgentias Apostolicas, quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis in Domino concedimus, & elargimur.*

XIII. Ritum a Calixto III. institutum ampliavit postea Leo X. ut enim legitur in Historia Monasterii Parisiensis S. Germani a Pratis, apud Jacobum Brolium, Leo ipse Pontifex Guillelmo Briconetto Episcopo Meldensis, & Lutovensis Civitatum, atque ejusdem Monasterii Abbati concessit ad spiritualem utilitatem utriusque Diœcesis suæ, & suburbii S. Germani indigenarum, atque adventantium, ut quicumque ad pulsum Campanæ in aurora, meridie, & post solis occasum, salutationem Angelicam ter genibus flexis recitaret, mille & quingentos Indulgentiarum dies singulis vicibus consequeretur. Obsoletam disciplinam flectendi genua ad recitationem trium Angelicarum salutationum, ubi ex antiquo ritu Campanæ sonus auditur mane, meridie, & sero, renovavit nostro ævo Benedictus XIII. Fuitque hujus ritus adeo tenax, & custos, ut etiam cum per Urbem iter ageret, tempore etiam pluvio e curru descendens in ipsis lutosis viis genuflecteret, & preces ipsas capite etiam nudo persolveret, ut toti Urbi notissimum fecit. Ceterum die XX. Aprilis anni MDCCXLII. prodiit Romæ Notificatio Eminentissimi Domini Cardinalis Vicarii, in qua ex Oraculo Sanctissimi Domini nostri Papæ BENEDICTI XIV. confirmantur Indulgentiæ concessæ a sanctæ memoriæ Benedicto XIII. superius laudato recitantibus ad sonum Campanæ vespere, mane, & meridie, *Angelus Domini &c.* cum tribus *Ave Maria*: nempe Indulgentia plenaria, & remissio omnium peccatorum vere pœnitentibus confessis, & sacra communione refectis semel in mense, quando ipsis visum fuerit, & in aliis anni diebus Indulgentia centum dierum pro qualibet recitatione in perpetuum &c.

XIV. Jubetur præterea in ea Notificatione, dictam Orationem recitandam esse a stantibus, a primis scilicet Vesperis cujuslibet Sabbati usque ad totam Dominicam sequentem; & insuper durante tempore Paschali loco ipsius orationis recitandam esse pariter stando Antiphonam, *Regina Cæli lætare &c.* cum suo versiculo, & oratione, *Deus qui per resurrectionem &c.* qui autem memoriter ipsam nescierint, eos quoque easdem Indulgentias consequuturos, recitando, ut supra, *Angelus Domini &c.* stando scilicet a primis Vesperis Sabbati usque ad totam Dominicam, & toto Paschali tempore etiam aliis diebus intra hebdomadam. Quod quidem consentaneum est veteri Ecclesiæ disciplinæ, uti constat ex Can. XX. Concilii Oecumenici I. Nicæni in cujus Commentario plura nos notavimus nostro I. Tomo Conciliorum. Verba autem Nicæni Canonis XX. ex interpretatione Dionysii Exigui hæc sunt: *Quoniam sunt quidam in die Dominico genua flectentes, & in diebus Pentecostes, ut omnia in diversis locis consonanter observentur, placuit sancto Concilio, stantes Domino vota persolvere.*

XV. Neque vero hic omittenda alia sanctissima disciplina, quam ex Oraculo ejusdem Sanctissimi Domini nostri BENEDICTI XIV. edito Edicto, seu Notificatione die XIX. Decembris anni MDCCXL. Cardinalis Vicarius Romæ servari mandavit, nempe, ut qualibet Feria VI. ad pulsum horæ XXI. in Ecclesiis omnibus Parochialibus pulsetur Campana, sicut pulsari in meridie solet, concessa pro qualibet vice Indulgentia centum dierum iis qui genuflexi tunc recitaverint ter Dominicam orationem, & salutationem Angelicam in memoriam trium Horarum Crucifixionis, & mortis Salvatoris nostri, orantes juxta piam Summi Pontificis mentem directam potissimum ad impetrandam obstinatiorum peccatorum conversionem. Sanctissimum hoc institutum a multo jam tempore viget in pluribus Diœcesibus præsertim vero in Ecclesia Mediolanensi ex Decreto S. Caroli in Concilio Provinciali II. Tit. II. *Sexta quaque feria*, inquit, *in singulas hebdomadas, paulo ante horam nonam, signum in unaquaque Ecclesia Campanæ sono detur, quo Fideles admoniti, eadem hora, Jesu Christi Domini Passionem omni intima mentis pietate recolant, terque orationem Dominicam, & salutationem Angelicam ex animo pronunciantes, quadraginta dierum Indulgentiam, quam in sua quisque Episcopus Diœcesi concedet, consequantur.*

XVI. Idipsum complures aliorum Episcoporum Synodi statuere, eaque disciplina communis est fere in nostra Calabria, & in aliis Provinciis; in quibus non modo Ecclesiarum Parochialium Campanæ, sed & aliarum quoque pulsantur, ad orandum scilicet in memoriam Passionis Christi Domini Hora XXI. Juxta præscriptum laudatæ superius Notificationis Cardinalis Vicarii jubetur quidem, ut Campanæ Parochialium Ecclesiarum pulsentur, sed tamen in arbitrio relinquitur Rectorum aliarum, si pulsari tunc Campanas velint. Sed hoc arbitrum in morem transiit, nam ipsa Hora XXI. cujusque Feriæ VI. omnium Ecclesiarum præsertim insignium pulsari Campana solet, cujus etiam sono excitati Fideles genuflectunt, & orant.



Digitized by Google

orant. Ceterum sicut officium Sacristæ est, ut matutino, meridiano, ac vespertino tempore salutationis Angelicæ signum detur, ita etiam ejusdem officium est, ut signum detur Campanæ scilicet sono Hora XXI. cujusque sextæ Feriæ dicendi gratia ter orationem Dominicam, & salutationem Angelicam in memoriam Passionis Christi.

XVII. Quamquam excepto Sabbato sancto, quo Campanæ majores cæterarum Ecclesiarum pulsari non possunt antequam signum datum fuerit in Cathedrali, seu matrice Ecclesia, ex variis Summorum Pontificum, & Sacræ Rituum Congregationis Decretis, in aliis diebus licitum est aliis Ecclesiis ante, vel post pulsationem Campanæ Ecclesiæ Cathedralis, vel Matricis, mane, meridie, & sero Campanas suas pulsare, uti docet Barbosa Lib. III. *Juris Ecclesiastici*, Cap. III. Num. ult. Lezana in Summa Quæstionum Regularium Tom. II. Cap. II. Num. XLV. Gavantus in Manuali Episcoporum, Tit. *Regularium jura sub Episcopis*, Num. L. ubi meminit de ea re Decreti Congregationis Concilii, & alii: sciendum tamen, servandam esse omnino consuetudinem illam immemorabilem in aliquibus locis, ut Campanæ in salutatione Angelica non pulsentur ante pulsationem Campanæ Ecclesiæ matricis, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis, die XXI. Augusti anni MDCI. apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. LXXXII. Num. VI. & ex alio ejusdem Sacræ Rituum Congregationis Decreto die XXIV. Septembris anni MDCV. Certe S. Carolus in Concilio suo I. Provinciali Mediolanensi, quod habuit anno MDLXVI. hoc Decretum edidit: *In Urbibus, oppidis, aut vicis, nullum signum communium officiorum Campana detur, ante signum Cathedralis, vel cujusque loci Matricis Ecclesiæ, nisi Episcopo aliud videatur: maxime vero Sabbato hebdomadæ sanctæ, & in Angelica salutatione matutina, meridiana, & vespertina: qua in re matutinum excipimus, quod non ubique eodem tempore dici soleat.*

XVIII. Munus quoque illud ex nostro §. Sacristæ tribuitur, *ut ab ipsa Sacristia laicorum nimia frequentia, indecentes sermones, jurgia, rixæ, actusque profani removeantur*. Id quod etiam zelosiores Episcopi in suis Synodis inculcarunt, ac præsertim S. Carolus in Concilio I. Provinciali Mediolanensi ad Titulum, *De officio Sacristæ*, ubi ita inquit: *Ejusdem officium erit operam dare, ut e Sacristia sermones de inanibus profanisque rebus, multoque magis jurgia, rixæ, & turbæ omnes arceantur*. Et statim: *Laicos ibidem versari ne patiatur*. Synodus Salernitana a Marco Antonio Marsilio Columna Archiepiscopo anno MDLXXIX. habita, Parte I. Tit. XI. Cap. I. districte vetat, ne laici in Sacristia versentur, *neque inibi fiant obloquia, & tumultus*: Tum addit: *In illam vero mulieres nullo pacto ingrediantur sub excommunicationis pœna, quæ tabella affixa significetur*. Nec omittendum quod Cap. XIV. subdit: *Sacris vestibus*, ait, *indutus, nullus in Sacristia deambulet, neque ad ignem, aliosve circulos conveniat, neque cum ullo prorsus colloquatur, neque ulli omnino det aures &c.* Innumera id genus Decreta legere est passim in Synodis, atque in Edictis Episcoporum, quæ in ipsis Sacristiis affigi solent.

XIX. Ut Sacerdotes demum Missas celebraturi, opportuno tempore, & ordine exeant, pro populi, personarumque concursu, cura quoque Sacristæ esse debet, non modo ex nostri Cæremonialis præscripto, sed ex variis etiam Synodorum Decretis, atque ex peculiaribus Ecclesiarum Constitutionibus. Attendi enim debet Fidelium commodum, quorum certe eleemosynis ad suam ipsorum sustentationem Sacerdotes Missas celebrant. Hinc in Constitutionibus Archiconfraternitatis Charitatis de Urbe editis anno MDCIII. Num. XVIII. cautum est: *Curent Capellani magis commodum Fidelium ad Ecclesiam confluentium, quam proprium circa horam celebrandi, & ideo nullus celebret, nisi vocatus a Sacrista*. Verum cum ea facultate Sacristæ abuterentur, optime deinde constitutum est, ut horaria tabella conficeretur, Patresque Oratorii Charitatis per turnum, ut ajunt, Missam celebrarent. Ceterum, quo res rite peragatur, notabile est, quod in Concilio VI. Provinciali Mediolanensi statuit S. Carolus Tit. De iis quæ ad Missam pertinent: *In Ecclesiis*, inquit, *ubi plures Missæ celebrari solent, is ordo servetur, ut pro populi commoditate, prima diluculo, reliquis deinceps debito intervallo distributis, postrema autem, quo tardius liceat, celebretur*. Porro ordinandæ sunt Missæ ab eo, cui de jure competit, vel secundum consuetudinem Ecclesiæ, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis in Juvenacensi die XIX. Novembris anni MDCVII. & in Barensi XIX. Januarii MDCVIII. penes Augustinum Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. CDLXXIV. Num. VIII. Item dum horæ Canonicæ recitantur in Choro, non debere Missas privatas in Altari majori celebrari, edixit Sacra Rituum Congregatio die II. Maji MDCXX. ut testatur Barbosa loco cit. Num. XII. Rursus, quod Missa in Altari majori, ubi est expositum publice sanctissimum Sacramentum, celebrari non debeat, præsertim si in Ecclesia adsint alia Altaria, in quibus celebrari possit, decrevit jam eadem Sacra Rituum Congregatio die nona Augusti anni MDCLXX. apud eruditissimum Cajetanum Meratum in suis ad Gavantum Additionibus, & apud alios Scriptores.

XX. Unum restat, quod hic adnotemus, tametsi in hoc §. omissum sit, cavendum scilicet potissimum esse illud Sacristæ, ne cui vago, & ignoto Sacerdoti, vel ei, qui licentiam in scriptis ab Episcopo non habuerit, celebrare Missam permittat. Cautum id quidem est passim in Conciliis non modo peculiaribus, verum etiam in generalibus, ac præsertim in Tridentino Sessione XXIII. *De reformatione*, Cap. XVI. *Nullus præterea*, inquit, *Clericus peregrinus sine commendatitiis Ordinarii sui literis ab ullo Episcopo ad divina celebranda, ac sacramenta administranda admittatur*. Ex Concilio provinciali I. Mediolanensi a S. Carolo celebrato, Cap. *Quæ pertinent ad celebra-*

Digitized by Google

*lebrationem Missæ*, cautum est, ne Clericis alienæ Diœcesis rei divinæ faciendæ facultatem permittat Episcopus, nisi ostendant literas testimoniales, seu dimissorias Ordinarii sui, duobus tantum mensibus ante, si in Provincia; si extra Provinciam, in Italia, quatuor; sex, si extra Italiam datas; vel si eæ antiquiores sint, afferant etiam scriptum testimonium de vita, & moribus ab iis Ordinariis, in quorum Diœcesi post illud tempus aliquandiu permanserint. Rursus quod hoc primo provinciali Concilio vetitum est, ne peregrino Sacerdoti sine dimissoriis testimonialibusve literis Missæ Sacrum facere liceat, id ei etiam vetitum est in Regularium cujusvis Ordinis Ecclesiis ex præscripto Concilii III. Provincialis Mediolanensis, Tit. *De iis quæ pertinent ad Missæ sacrificium*. Extant ea de re varia etiam Sacræ Congregationis Concilii Decreta. Certe in Neapolitana die XVII. Augusti MDCXXX. decrevit ipsa Concilii Congregatio, teste Bonfidio in Thesauro Ecclesiasticarum Decisionum, Resolutione XV. Num. XXIII. Sacerdotes exteros sæculares, qui absque licentia Ordinarii celebrant in Ecclesiis Regularium, incurrere pœnas in Synodo Diœcesana inflictas; Sacristas vero, seu Præfectos Ecclesiarum Regularium adstringi posse ad non permittendum celebrationem Sacerdotum secularium, nisi exhibita Ordinarii licentia.

## §. IV.

Ad ipsum spectabit eleemosynas, quæ pro Missis celebrandis dantur, custodire, & adnotare in Libris Sacristiæ, & inter illos, ad quos spectat, distribuere. Habeatur tabella, in qua descriptæ sint Missæ, & Anniversaria infra annum statutis diebus celebranda, ut omni exacta diligentia Benefactorum intentioni satisfiat. Invigilet idem Sacrista, ut mantilia pro manibus Sacerdotum, qui celebraturi sunt, in promtu habeantur, eaque sint munda, & nitida; denique alia providere studeat, quæ secundum Ecclesiæ ritum, & consuetudinem providenda erunt. Ut vero magis accurate tam Sacrista, quam ipsius adjutores munus suum adimpleant, optime factum erit, si unus, vel duo ex Canonicis eis præficiantur singulis annis, vel sæpius, uti plus expedire videbitur, mutandi, ut sic per vices majorem de rebus Ecclesiæ suæ notitiam assequantur.

## COMMENTARIUS.

I. ITerum hic & de officio Sacristæ agitur, *Ad ipsum*, inquit, *spectabit eleemosynas, quæ pro Missis celebrandis dantur, custodire, & adnotare in libris Sacristiæ, & inter illos, ad quos spectat, distribuere*, ut scilicet in Ecclesia, ad quam pro celebrandis Missis eleemosynæ deferuntur, celebrentur, juxta varia Sacræ Congregationis Concilii Tridentini Interpretum Decreta, & Pontificias Constitutiones, in quas proculdubio impingunt non pauci Ecclesiarum Præsides, sive Sacristiæ Præfecti, qui in usus convertentes suos pecuniam pro Missis oblatam, oneri & conscientiæ suæ satisfecisse putant, si inutilem, & contritam supellectilem sacram, quæ flammis esset absumenda, & cineres in sacrario abscondendi, aliis Ecclesiis tradiderint, ut ipsius valore, veluti honorario stipendio Missæ illæ in eisdem celebrentur, ut alia omittam absurda, quibus alias tum sacræ Synodi, tum Præsules zelosiores, variis contra hujusmodi nundinatores pœnis propositis invecti sunt, præsertim vero Sanctissimus Dominus noster BENEDICTUS XIV. Pontifex Maximus ad universos Catholicæ Ecclesiæ Episcopos datas die XXX. Junii anni Christi MDCCLXI. Pontificatus sui I. ubi ejusmodi mercatores, nundinatoresque, pœnis etiam gravissimis punit. Literas hasce descripsimus nos ad hujus Commentarii calcem, ne filum nostri hujus Commentarii abrumperemus.

II. De Tabella in Sacristia habenda, *in qua omnes Missæ, & Officia pro mortuis, & reliqua descripta sint, quæ ex imposito onere, ac munere, quacumque de causa in ea Ecclesia celebrari oporteat*, extat quidem Decretum in Concilio I. Provinciali Mediolanensi S. Caroli, Tit. *De officio Sacristæ*. Idem mandant passim aliæ Synodi, in quibus etiam fit mentio Anniversariorum, quæ in ipsa tabella descripta esse debent, ut intra annum statutis diebus celebrentur. A primis sæculis defunctorum extremum diem annua celebritate cultum fuisse, testis est Tertullianus in Libro, *De corona Militis*, Cap. III. *Oblationes*, inquit, *pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus*. An vero anniversaria illa officia semel tantum, an perpetuo recurrerent, non ausim affirmare, ut verbis utar clarissimi Mabillonii in Præfatione ad Seculum III. ad Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti, Num. CI.

III. Nota fuisse Anniversaria, ut minus sæculo IX. constat ex Vita S. Eigilis Abbatis Fuldensis, de quo ita scribit Candidus Monachus: *Simili namque consilio, atque Fratrum nostrorum de hac luce defunctorum in Natale S. Ignatii Martyris Christi, qui paulo inferius ab hac anniversaria numeratus, propter intercessionem tanti Patroni, in Missarum celebratione, Psalmodiis, & oratione sancta celebrari sancivit. Hujus rei siquidem constitutio dum cunctæ Congregationi præ-*

*lecta*

Digitized by Google

*lecta esset, ac deinde, si placeret, interrogatum fuisset, respondebatur ab omnibus*: Placet. *Sed ne cui fortasse hæc celebratio superstitiosa, & cassa esse videatur, legat collationes SS. Patrum, & ibi reperiet hujus festivitatis exemplum*. Plura de Anniversariis defunctorum scitu digna, videri possunt apud laudatum Mabillonium, & Zegerum Vanespen, Parte II. *Juris Ecclesiastici universi*, Tit. v. Cap. VII.

IV. Quod illam Sacristæ curam spectat, *ut mantilia pro manibus Sacerdotum, qui celebraturi sunt, in promtu habeantur, eaque sint munda, & nitida*, præscripto nostri hujus §. concinunt passim Synodi, atque Edicta Episcoporum. Michael Bauldryus in suo Manuali sacrarum Cæremoniarum juxta ritum S Romanæ Ecclesiæ, Parte I. Cap. II. Articulo I. ubi disserit de officio Sacristæ in Ecclesiis Collegiatis, Num. XIX. probari illam consuetudinem ait quarundam Ecclesiarum, in quibus duo sunt manutergia in Sacristia, unum, quod sit usui ante, & aliud post Missam, quod sit ex mundioribus, notando ad instrumenta, quibus appenduntur, in schedula ea verba, *Ante celebrationem*, & *Post celebrationem*. Aliud etiam posse apponi inquit alio loco distinctum cum sua inscriptione, *Pro Ministris*, & si fieri potest, aquam lotionis manuum Presbyterorum post Missam effundi in sacrarium, aut alium locum separatum, & honestum. De lavatorio, & mantilibus hisce ad abluendas, & abstergendas Sacerdotum manus tum ante, tum post celebrationem Sacrificii, Salernitana Synodus anni MDLXXIX. Parte I. Tit. XI. Cap. XI. hæc habet: *Sit etiam in qualibet Sacristia lavatorium ad abluendas manus ante & post Missam; propeque illud sit manutergium mundum appensum, vel plura, ut Ecclesiæ erunt majores: in labello vero prædicto nihil unquam immundum, vel lavetur, vel projiciatur*.

V. Sunt & multa alia, in quibus Sacristæ cura versari debet: *omnique alia*, ait hic §. noster, *providere studeat, quæ secundum Ecclesiæ ritum, & consuetudinem providenda erunt*. Certe cavendum illi potissimum est, ne Sacerdotes sine habitu decenti & corona notabili celebrent; ne talarem vestem in Sacristia induant, uti passim sacræ Synodi, & Edicta Pontificum jubent. Cavendum quoque illi est, ne Sacerdotes ipsi collaria deponant cum sacras vestes induunt, neque calceis lutulentis ad Altare accedant. Et ideo, ut recte ait laudatus Bauldryus, sacras Synodos quasdam sequutus, ac præsertim Acta Ecclesiæ Mediolanensis a S. Carolo edita ad Ecclesiarum omnium utilitatem, in Sacristia debet esse pannus attritus, quo Sacerdotes calceos lutosos diligenter extergant, vel potius semper sint crepidæ in ea paratæ tam pro iis, quam pro Regularibus, qui calceis non utuntur, neque etiam patiatur, ut Sacerdotes celebrent sine bireto, & ideo semper sint quædam in Sacristia ad id parata pro extraneis, etiam apud Regulares, qui biretis non utuntur. Rursus curandum est Sacristæ, ut in Sacristia semper quædam sint Superpellicea in promtu, ut eis induantur non modo Clerici, qui inservituri sunt Missæ, sed & Sacerdotes, quantum fieri potest, celebraturi Missam, sicut & Stolæ pro Confessariis Sacramentum Pœnitentiæ administraturis. Neque enim decet, ut Pœnitentiæ Sacramentum in Ecclesia sine Stola administretur.

VI. Tandem ut magis accurate tam Sacrista, quam ipsius adjutores munus suum adimpleant, *optime factum erit, si*, ut ait idem §. noster, *unus, vel duo ex Canonicis eis præficiantur, singulis annis, vel sæpius, uti plus expedire videbitur, mutandi, ut sic per vices majorem de rebus Ecclesiæ suæ notitiam assequantur*. Viget is hodie usus plerisque in Ecclesiis tum Cathedralibus, tum Collegiatis, ut unus e Canonicis eo munere fungatur, appellaturque *Sacrista major*. In Ecclesia Mediolanensi ex Cæremoniali Ambrosiano Lib. I. ad Titulum, *De Sacristis*, quotannis quinque vel sex ex ipsis Ordinariis, idest, Canonicis, deliguntur, quorum cura, studio, & auctoritate quidquid est necessarium prædictæ Sacristiæ diligenter administratur, & providetur. Etiam apud Regulares uni, duobusque Sacristis præfici solet aliquis Pater e dignioribus, quem etiam Sacristam majorem vocant, sive Sacristiæ Præfectum; sunt enim non pauci, qui a Sacristæ nomine abhorrent, tametsi antiquum sit nomen, & Romæ Sacrista Apostolici Palatii semper consueverit esse Prælatus, uti docet Augustinus Patricius Libro III. sui Cæremonialis, Sectione II. Cap. XIX.

VII. Quicquid sit, Canonicus Sacrista, sive Sacristiæ Præfectus absens a Choro pro servitio Ecclesiæ, vel Sacristiæ, habetur pro præsente, & distributiones lucratur, quia scilicet nemo ad duas incompatibiles actiones obligatur, ut in puncto notant Bartholomæus a S. Fausto, *De distributionibus*, Lib. III. Quæstione LIII. & Bonartius, *De horis Canonicis*, Lib. II. Cap. I. Num. ultimo, ubi ita inquit: *Qui tempore, quo preces horariæ canuntur, ex vi Officii, vel Beneficii sui ad aliud sacrum ministerium obligantur, verbi gratia in Sacristia, non tenentur in Choro psallere: Nemo enim potest ad actiones incompatibiles obligari*. Idipsum inter alios docet Franciscus Ceccoperius Parte I. *Lucubrationum Canonicalium*, Libro II. Tit. X. in fine.

VIII. Neque illud tandem prætereundum, quod hic §. ait, optimum esse, si qui inferioribus Sacristis præficiuntur, singulis annis, vel sæpius, uti plus expedire videbitur, mutarentur, ut scilicet sic per vices majorem de rebus Ecclesiæ suæ notitiam assequantur. Quod autem de hujusmodi Sacristis majoribus dicitur, idem plane faciendum esset de Sacristis inferioribus, qui ut plurimum ubi diu eo officio funguntur, insolentes evadunt, & supercilium erigunt, Clericos æque ac Presbyteros veluti sibi subjectos habentes, ut alia eorum vitia taceam, ac præsertim irreverentias, quas committere solent, præsertim quum ante Altare transeunt, ubi Sanctissimum Sacramentum in Tabernaculo asservatur, cui numquam genuflectunt, adeout in proverbium abierit, *Reverentia Sacristæ*.

IX. Describamus nunc tandem literas Sanctissimi

Digitized by Google

ctissimi Domini nostri BENEDICTI XIV. adversus Missarum nundinatores, mercatoresque, ad universos Catholicæ Ecclesiæ Episcopos datas, quarum jam supra meminimus. Sunt autem hujusmodi.

*Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, & Episcopis universis gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres salutem & Apostolicam benedictionem.*

QUanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missæ Sacrificium non solum omni Religionis cultu, ac veneratione celebretur; verum etiam ut a tanti Sacrificii dignitate cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, importunæ atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, e medio tollantur, nemo est ex Catholicæ Fidei cultoribus, qui ignoret. Verum eousque tandem progressa est, sicut non sine ingenti cordis nostri mœrore undique accepimus, nonnullorum sive Ecclesiasticorum, sive Laicorum Virorum avaritia, quæ est idolorum servitus, ut eleemosynas quidem seu stipendia propter Missarum celebrationem juxta locorum consuetudines, vel Dioecesanarum Synodorum sanctiones in subsidium alimentorum uniuscujusque Sacerdotis dumtaxat pro regionum opportunitatibus præscripta colligant, Missas vero celebrari curent alibi, ubi eleemosynæ seu stipendia vel consuetudine, vel Synodali lege pro singulis Missis attributa sunt minoris pretii, quam illic, ubi accipiuntur, darentur. Id quam absonum sit, atque alienum ab ipsa sive expressa, sive tacita pie offerentium voluntate, omnes plane intelligunt; nec aliter existimandum est; in illa enim potius Missas esse celebrandas quisque vult, ad quam religionis, & pietatis stimulis ductus eleemosynas confert, aut in qua quispiam fortasse tumulatus est, quam in alia Ecclesia sibi prorsus ignota. Quod sane veluti mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate inductum non solum ab avaritiæ suspicione, & vitio, verum etiam a furti crimine, unde restitutioni subjacet, haud immune, in causa est, ut bonorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura hujusmodi venit, graviter offensi, ab eleemosynis ad celebrandas Missas amplius offerendis sese abstineant. Execrabilem hujusmodi abusum alicubi sensim irrepentem detestantes Romani Pontifices Prædecessores nostri, de consilio tum Congregationis S. R. E. Cardinalium Universalis Inquisitionis contra hæreticam pravitatem, tum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum decretum voluerunt, nimirum a quolibet Sacerdote stipendio, seu eleemosyna majoris pretii pro celebratione Missæ a quocumque accepta non posse alteri Sacerdoti Missam hujusmodi celebraturo stipendium seu eleemosynam minoris pretii erogari, etsi eidem Sacerdoti Missam celebranti, & consentienti se majoris pretii stipendium seu eleemosynam accepisse indicasset. Ea propter Vos, Venerabiles Fratres, in Apostolici Ministerii, & sollicitudinis nostræ partem adscitos rogamus, & maximopere in Domino hortamur, ut custodientes vigilias super gregibus vestris, enitamini, ne ea pestis amplius pervagetur, sed ut penitus extinguatur. Ab avaritia enim, tamquam a radice mala omnia germinant; quam quidam appetentes, erraverunt a Fide, & inseruerunt se doloribus multis. Avaritia quidem nulla potior contagio, quæ conceptam apud omnes Sacerdotalis dignitatis perfectionisque opinionem magis inficiat evellatque. Avaritia opibus Deum posthabere, ac servire Mammonæ docens, efficit, ut Avari hæreditatem non habeant in Regno Christi & Dei. Quod si hæc in Laicis hominibus minime toleranda, atque adeo legibus coercenda, quid in Ecclesiasticis Viris, qui terrenis rebus nuntium miserunt, qui in sortem Domini vocati, qui Deo mancipati sunt? Quid, quod non per mundana lucra, sed per Altaris ministerium tam sordide, & cum sanctissimarum Legum contemtu, & cum Sacerdotalis characteris dedecore in avaritiam præcipiti animo rapiuntur? Contendite, igitur, Venerabiles Fratres, quibus Christi ovium cura demandata est, non solum ut verbo & exemplo præeuntes, Christi sitis bonus odor in omni loco, unde populi vestigia vestra sequantur; verum etiam ut Ecclesiasticos primum, deinde Laicos viros ab infectis vitiorum pascuis avertentes, per viam mandatorum Dei ad Cæleste Ovile currere doceatis. Quoniam autem ita comparatum est, ut præsentis pœnæ metu salutaribus monitis facilius obtemperetur; per Edictum in vestris Dioecesibus proponendum affigendumque Universis notum facite, quemcumque, qui eleemosynas, seu stipendia majoris pretii pro Missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines, vel Synodalia Statuta exigunt, colligens, Missas, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum, seu stipendiorum acceptorum, sive ibidem, sive alibi, ubi pro Missis celebrandis minora stipendia, seu eleemosynæ tribuuntur, celebrari fecerit, Laicum quidem seu Secularem, præter alias arbitrio vestro irrogandas pœnas, Excommunicationis pœnam, Clericum vero, sive quemcumque Sacerdotem pœnam suspensionis ipso facto incurrere; a quibus nullus per alium, quam per Nos ipsos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit. Fore autem in Domino confidimus, ut unusquisque memor conditionis suæ, posthac bene consultum velit animæ suæ, nec tam salutares leges censurasque Ecclesiasticas parvipendat. Interea Fraternitatibus Vestris Apostolicam Benedictionem in populos etiam curæ vestræ commissos redundaturam peramanter impertimur. Volumus autem, ut præsentium literarum transumtis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus

Digitized by Google

cujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die trigesima mensis Junii millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus Nostri Anno Primo.

## C A P. VII.

*Dignior ex Presbyteris Episcopo rem divinam facturo assistat. Sedet prope Episcopum. Ejus munia tam in Vesperis, quam in Missis, Episcopo celebrante.*

### §. I.

Inter omnes Episcopi ministros, qui ei in divinis & assistunt, & serviunt, primus, & dignior est Presbyter assistens, qui iccirco debet esse dignior ex Presbyteris, tam Canonicis, quam Dignitatibus, qui in Choro cum aliis sedere solent: nec refert, quo nomine nuncupetur, an Archidiaconus, an Archipresbyter; sed attenditur, ut sit dignior omnino ex omnibus, & in Sacerdotio constitutus, atque in Sacerdotalibus officiis expertus; ut digne, & decenter officium suum exercere valeat, & opportune Episcopo rem divinam agenti ministrare possit. Igitur Episcopo Officium in Vesperis facturo, ipse simul cum aliis Canonicis, capiet paramenta, videlicet, Amictum super Rocchetto, aut Cotta, & super eo Pluviale tempore congruum, sine tamen formalio ad pectus; & cum Episcopus paratus erit sacris paramentis, ipse imponet ei annulum. Cum vero Episcopus primam Antiphonam erit intonaturus, ipse Librum supra caput sustinere debet, quem ministri, alias de Libro, & candela servientes adjuvabunt.

## COMMENTARIUS.

1. PLurimos vel priscis sæculis consuevisse divina Officia peragenti Episcopo Ministros assistere, dicemus infra Cap. XI. in Commentario ad §. 1. *Quod autem inter omnes Episcopi Ministros, qui ei in divinis & assistunt, & serviunt, primus, & dignior est Presbyter assistens, qui iccirco debet esse dignior ex Presbyteris tam Canonicis, quam Dignitatibus &c.* docent ii passim, qui de sacris Cæremoniis tractant, Castaldus, Gavantus, Meratus, & inter alios Baldryus,

Digitized by Google

dryus Parte v. Cap. VII. Articulo I. *Dignior*, inquit, *esse debet tam ex Dignitatibus, quam Presbyteris ipse Presbyter assistens, qui cum aliis sedere debet, quocumque nomine appelletur, sive Archidiaconus, aut Archipresbyter, & debet esse in Sacerdotio constitutus, & in Sacerdotalibus officiis expertus, ut Episcopo ministrare possit*. Extant de ea re varia Sacræ Rituum Congregationis Decreta. Nam I. quod assistentis Presbyteri munus pertineat ad primam Dignitatem, edixit Sacra ipsa Rituum Congregatio in Terdonen. die IX. Maji MDCVI. teste Sellio in Selectis Canonicis, Cap. XXVIII. Num. IX. & Num. XVI. ubi aliud Decretum ejusdem Congregationis refert in Vercellensi, die VII. Augusti MDCX. quo resolutum fuit, assistentiam cum Pluviali faciendam esse Episcopo celebranti a prima Dignitate, vel a primo Canonico in Ordine Presbyterali constituto, quocumque nomine appelletur, sive Archidiaconus, sive Archipresbyter, sive Decanus.

II. Secundo, quod etiam sub censuris cogi possit prima Dignitas assistere Episcopo, censuit eadem Congregatio in Calaguritana XII. Decembris anni MDC. eodem Sellio teste loco citato Num. XXI. Tertio, Archidiaconum ipsum, si est prima Dignitas, teneri facere officium Presbyteri assistentis, modo Sacerdos sit, & recusantem posse etiam cogi censuris, & aliis penis, Rituum ipsa Congregatio resolvit die XXVIII. Maji MDCVI. penes Meratum in Notis ad Gavantum. Quarto denique ex alio ejusdem Congregationis Decreto in Monopolitana XV. Decembris MDCXXXII. apud Barbosam in Tractatu, *De Canonicis*, Capite XXXIII. Num. V. assistere Episcopo solemniter celebranti debet pro Presbytero assistente, quando Præbendæ sunt distinctæ in Presbyterales, & Diaconales dignior de Capitulo quocumque nomine appelletur, dummodo sit in Sacerdotio constitutus. Episcopo vero non celebranti, sed divinis tantum præsenti, pro assistente Presbytero inservire debet Canonicus dignior post Dignitates. Quando autem Præbendæ in Presbyterales, & Diaconales minime essent distinctæ, tunc Episcopo, sive solemniter celebret ipse, sive divinis tantum sit præsens, assistere quidem, & inservire dignior de Capitulo debet juxta dispositionem nostri Cæremonialis in hoc Capite, & sequenti præscriptam.

III. Ergo Episcopo Officium in Vesperis facturo Presbyter ipse assistens simul cum aliis Canonicis, ut §. noster edicit, *capiet paramenta, videlicet, Amictum super Rocchetto, aut Cotta, & super eo Pluviale sine tamen formalio ad pectus*. Paris de Crassis, *De Cæremoniis Cardinalium & Episcoporum in eorum Diœcesibus*, Lib. II. Cap. V. congruentius videri ait, *si ipse assistens non Pluviali, ne videatur esse in habitu æqualis Domino suo, sed Planeta super Cotta simpliciter indutus serviat*. Verum attendenda est omnino regula Cæremonialis nostri, quo diserte præscriptum est, ut assistens Presbyter induatur super Rocchettum, aut Cottam, Amictu, ac Pluviali coloris officio convenientis sine pectorali, aut formalio ad pectus. Regulæ huic concinit Sacra Rituum Congregatio, ubi in Brixiensi XXVIII. Maji MDCVI. apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum, Collectan. XL. Verbo, *Archidiaconus*, Num. XVIII. censuit, Archidiaconum, si sit prima Dignitas, debere exercere officium Presbyteri assistentis cum Pluviali Episcopo celebranti juxta formam Cæremonialis. Porro *Formalium*, gemma, seu aurea lamina gemmata est, posita in fibula Pluvialis Episcopi, appellaturque etiam, *Pectorale*, quod in Pontificali celebratione posita, ante pectus Episcopi pendeat, itaut fibulam Pluvialis cooperiat. Vide Macrium in suo Hierolexico, ubi illas voces explicat. Est ritus plane antiquus, ut Pluviale, quod etiam Cappam vocabant, gemma illa fulgeret. Etenim Baldricus Abbas Burguliensis, qui floruit Seculo XI. carmine ludens apud Duchesnium Tom. IV. in Adelam Comitissam, quæ pro sacro apparatu in Ecclesiasticis Officiis Cappam, seu Pluviale illi promiserat, eandem monet, ut Cappam ei mittat, quæ bene undique ornata sit auro, præsertim vero gemmis ad pectus.

*Et refer, o Domina, scribenti præmia Cappam*
*Cappam, quæ frigium rutilans circumferat aurū,*
*Cappam, quæ gemmis amictum pectus honestet*.

Meminit & ejus ritus S. Carolus in Actis Ecclesiæ suæ Mediolanensis, ubi agit de ipso pectorali ad Pluvialis connectendi usum, quod ita describit: *Pectorale, ornamentum scilicet illud, quo ante pectus Pluviale connectitur, duobus uncinis subjectis, ex argento inaurato constatum esse debet, cui lapis aliquis pretiosus inseratur, aut sacra Imago*.

IV. Præter nostri Cæremonialis præscriptum de Pluviali Presbyteri assistentis, extat in Concilio Provinciali I. Mediolanensi, quod laudatus S. Carolus anno MDLXV. habuit, Decretum, quo cautum est, ut *Episcopo, & ei, qui in Ecclesia dignitate præditus sit, & Canonico, die Festo solemnem Missam celebranti assistat Sacerdos, qui Assistens dicitur, Pluviali indutus*. Hoc Decretum uti intelligendum sit, non est opus callida aliqua interpretatione; diserte enim ab eodemmet Carolo jam explicatum fuit in Mediolanensi IV. Provinciali Concilio, ubi ita inquit: *Quod de Assistente Pluviali induto, in Concilio Provinciali primo decretum est, ita dumtaxat locum habere decernimus, ut Episcopo, & alii, Episcopalibus Insignibus utenti, is adhibeatur; alii præterea nemini*. Ita ille; verum attendenda & in hac re est laudabilis, atque immemorabilis Ecclesiarum consuetudo; ex Decreto enim Sacræ Rituum Congregationis in Mantuana die XIX. Julii anni MDCIV. quod refert Aldanus in Compendio Canonicarum Resolutionum Tit. XXII. Num. XIV. Barbosa, Bauldryus, Meratus, & alii, non tantum Episcopis, & aliis Prælatis, sed etiam Canonicis, ubi scilicet talis est immemorabilis consuetudo, dari potest aliquis Capellanus, qui cum Cotta, & Pluviali assistat; neque enim vel ipsis Canonicis Rocchetti usus passim permissus est, cum multi in Ecclesiis inveniantur, qui ob defectum privilegii gestandi Rocchettum, Cottam



Digitized by Google

tam induunt. Id quod etiam non obscure innuit §. noster, ubi loquens de Presbyteri assistentis habitu, ita inquit; *Ipse simul cum aliis Canonicis capiet paramenta, videlicet Amictum super Rocchetto, aut Cotta, & super eo Pluviale*. Cottam scilicet induet, seu Superpelliceum, si Rocchetto minime utatur, ut scite observat inter alios Castaldus in Praxi Cæremoniarum Lib. I. Sectione VIII. Cap. VIII. Num. II.

V. Munus Presbyteri, qui Episcopo Officium in Vesperis facturo cum Pluviali assistit, ex hoc nostro §. illud est, *ut cum Episcopus paratus erit sacris paramentis, ipse imponat ei annulum*. De annulo Episcopali fuse diximus Tomo I. & III. Romani Pontificalis. Quod autem præsentem rem spectat, docet Castaldus, Lib. I. *Praxis Cæremoniarum*, Sectione VIII. Cap. VIII. Num. II. & alii, munus esse Presbyteri assistentis, ut *Episcopo, ubi omnibus Pontificalibus indumentis fuerit a Diaconis assistentibus decenter ornatus, ipse annulum in digito annulari dexteræ manus imponat, ipsum prius exosculando*. Eadem tradit Bauldryus in Manuali sacrarum Cæremoniarum Parte V. Cap. VII. Articulo I. Num. II. ubi addit, debere Presbyterum assistentem, cum annulum in digito annulari dexteræ manus Episcopi imponit, ipsum quidem prius annulum, & manum ejus osculari. De rerum ac manum osculis, cum res ipsæ Celebranti traduntur, vel ab eo recipiuntur, videri possunt Gavantus, ac Meratus in suis ad Rubricas Missalis Notis, ubi inter alia scitissime docent, quando ea oscula omitti debeant; neque enim semper adhibenda sunt, præsertim autem quum divina coram Sanctissimo Sacramento venerationi fidelium palam exposito Officia celebrarentur.

VI. Alterum munus Presbyteri assistentis, quod in præsenti §. recensetur, est, quod, *cum Episcopus primam Antiphonam erit intonaturus, ipse librum supra caput sustinere debet, quem Ministri alias de libro, & candela servientes adjuvabunt*. Etiam Diaconos Episcopo assistentes suam debere operam sustentando libro, quem alias Presbyter ipse assistens proprie supra caput sustinebit, notant laudati toties Castaldus, & Bauldryus, loco citato, quorum alter primum sequutus ita inquit: *Cum vero Episcopus primam Antiphonam erit intonaturus, ipse librum supra caput sustinebit, quem ministri de libro, & candela juvabunt*, non tamen, ut non recte ipsi Auctores volunt, *duobus Diaconis hinc inde manu librum ipsum tangentibus*. Ritus, quo liber sustinendus est a Presbytero assistente supra caput suum, desumtus videtur a ritibus Capellæ Papalis; Augustinus enim Patricius de iis disserens, Lib. III. Sectione II. Cap. VIII. & loquens de assistentia, quæ Summo Pontifici a Cardinali Episcopo, vel Presbytero in Vesperis fieri solita erat, *Cum Papa*, inquit, *est intonaturus primam Antiphonam ad Vesperas, accedit ad eum, & super caput suum retinet librum, ex quo Papa intonat Antiphonam &c.* Paulo superius dixerat, ipsum Cardinalem Pontifici in Vesperis assistentem indui *Pluviali, & alba Mitra*.

VII. Adjuvandum insuper Presbyterum assistentem in sustentatione libri a duobus Ministris, quorum alter de libro, alter de candela appellatur, §. noster edicit. Ut enim Episcopales functiones præsertim in Ecclesia dignius, & Pontificali cum majestate valeant exerceri, plures sunt necessarii Ministri, qui Episcopo Superpelliceis induti ministrare debent, quorum munera singulis distribuere oportet suo ordine, ut scite observat Bauldryus dicta Parte V. Cap. XI. Articulo I. ubi etiam Numero IV. notat, paucioris ad Vesperas, quam ad Missam habere opus Ministris Episcopum. Porro ad Vesperas ultra prædictos tres, idest Presbyterum assistentem, & duos Diaconos, septem alii adesse debent Ministri inferiores habitu, aspectu, & tonsura decentes, ac mundis Superpelliceis induti. Primus est de Libro, secundus de candela, tertius de Baculo, quartus de Mitra, quintus de thuribulo, & navicula, sextus, & septimus, de candelabris, & cereis. Fuse agunt de iis laudati Bauldryus, & Castaldus, aliique passim, qui de sacris Cæremoniis tractant. In summa, *Episcopo intonante primam Antiphonam*, inquit Castaldus de Presbytero assistente loquens, Lib. I. Sectione VIII. Cap. VIII. Num. IV. *ipse librum super caput apertum sustinebit, aliis Ministris de libro, & candela inservientibus, atque Diaconis hinc inde manu ipsum librum tenentibus*. Quod ait, Diaconos quoque debere hinc inde librum tenere, Rubrica non innuit, imo est contra Ecclesiarum omnium praxim, in quibus Diaconi assistentes nullam sustinendo libro operam præstant; neque enim tantæ molis est liber Missalis, seu Breviarii, ut præter Presbyterum assistentem, & Ministros de libro, & de candela, opus sit aliorum complurium Ministrorum labore.

VIII. Hinc cum in Congregatione particulari deputata a Clemente XI. in Albanen. die XVII. Septembris anni MDCCX. niteretur Capitulum Albanense satis esse, si prima Dignitas, quæ Episcopo celebranti in Pontificalibus Presbyteri assistentis officio fungitur, aliquantulum supponat caput Missali, dum Episcopus in Cathedra intonat, *Gloria in excelsis Deo*, & *Credo*, & dicit orationem, adjuvantibus aliis Ministris, nempe Capellanis, in ejusque sententiæ confirmationem adduceret quandam resolutionem Sacræ Rituum Congregationis in Hispalen. relatam per Pignatellum Tomo V. Consultatione LXXXIII. Num. XLIII. & LV. probantem hujusmodi usum, eadem Congregatio particularis, rescripsit ad ipsum Dubium, *affirmative ad formam Cæremonialis*, ea potissimum ratione, quia cum in hoc clara sit Cæremonialis dispositio, est pro lege servanda, juxta tradita per Cardinalem de Luca, *De jurisdictione*, Discursu XXXI. Num. IV. & in Miscellaneis Ecclesiasticis Discursu XXXVII. Num. X. & per Rotam Decisione DCXLVII. Num. III. Parte IV. Tomo III.

IX. Neque obstat, quo minus Presbyter assistens omnino supponat caput Missali, quod in Hispalen. Sac. Rituum Congregatio anno MDXCII. deciderit, *primam Dignitatem debere ad dexteram Archiepiscopi celebrantis parumper caput supponere*

Digitized by Google

*ponere ad librum, quem Capellanus, vel Portionarius manibus sustinet, dum in sede eminenti ipse Archiepiscopus intonat, Gloria in excelsis*; tum quia hæc resolutio est præcedens publicationi Cæremonialis, quod fuit confirmatum anno MDC. a Clemente VIII. uti ex ejus Constitutione constat initio hujus Tomi a nobis allata, ac proinde tanquam Lex posterior, & universalis præcedentes resolutiones Congregationis abrogavit eidem contrarias, ad Textum in Lege, *Sed & posteriores*, ff. *De legibus*; tum quia resolutio emanata pro Ecclesia Hispalen., quæ est celeberrima Metropolis, cui deserviunt in magno numero plures Ordines Ecclesiasticorum, etiam nobilitate præstantium, ideoque adaptari nequit cuicumque alii Cathedrali, in qua vel modicus est numerus eidem in divinis famulantium, vel parum conspicuus ratione qualitatis personarum, uti observat Scarfantonus ad Ceccoperium Parte I. Lib. II. Tit. XIII. Num. XVII. ubi etiam ait, tutum non esse cæcis oculis amplecti omnes resolutiones S. Congregationis, quæ licet sint bene fundatæ, nihilominus plerumque emanant propter particulares facti propositi circumstantias, proindeque deservire non valent pro determinatione ceterorum casuum, in quibus eadem ratio, & circumstantiæ non concurrunt.

## §. II.

Intonata ergo prima Antiphona, eaque per Chorum completa, incœptoque primo Psalmo, sedebit in aliquo scabello, prope Episcopum ante ipsius faciem a dexteris, vel a sinistris, prout loci situs patietur; regulariter tamen a dextris, dummodo nec Atari, neque Episcopo renes directe vertat, sed maneat semiconversus. Tertiam Antiphonam ipse Presbyter assistens, stans in eodem loco, ac præintonante sibi illam Subdiacono, vel alio Ministro, intonabit voce intelligibili. Cum Episcopus erit intonaturus Hymnum, eodem modo Librum substinebit, prout de prima Antiphona dictum est: quo intonato, redibit ad locum, stans ibi usque ad finem Hymni. Idem faciet, cum Episcopus intonabit Antiphonam ad *Magnificat*; qua intonata, & Episcopo sedente, capiet naviculam incensi de manu Acolythi, illumque cum cochleari prius deosculato, ac manu quoque illius osculata, porriget Episcopo, ut ex ea imponat incensum in thuribulum, more solito, dicens: *Benedicite Pater Reverendissime*. Quo facto, reddet naviculam Acolytho, & expectabit stans, vel sedens, quousque inchoetur, *Magnificat*; quo Cantico incœpto; præibit ante Episcopum ad Altare euntem, ubi, postquam ille osculatus fuerit Altare, offeret i thuribulum ab Acolytho acceptum, cujus catenularum summitatem ipse manu extera tenens, eamque deosculans, ad sinistram Episcopi porriget; thuribulum vero, quod ipse manu sinistra sustinet, in dextera Episcopi collocat, quam deosculatur; ac finita thurificatione, stans in cornu Epistolæ, recipit thuribulum de manu Episcopi, osculando prius ejus manum dexteram, illudque Acolytho dat. Cum Episcopus redierit ad Sedem suam, tunc ipse stans ante infimum gradum Solii Episcopalis, recipit thuribulum de manu Acolythi, & thurificat triplici ductu Episcopum antem cum Mitra; cui Episcopus benedicit, ac rursus deposito thuribulo in manu Acolythi, ipse accedit ad sedem suæ assistentiæ, & ibi stans thurificatur a Subdiacco, vel eo deficiente ab Acolytho duplici ductu thuribuli. Cum Episcopus canturus est orationem, accedit, & sustinet Librum, ut alias; deinde revertitur ad locum suum.

## COMMENTARIUS.

I. LOcus Presbyteri assistentis, uti ex hoc §. ostro docent ii passim, qui sacras Cæmonias enarrant, nisi aliter situs ratio requirit regulariter esse debet ante faciem Episcopi, itamen, ut non terga vertat Altari, neque Episcopo, ibique etiam, quando sedendum erit, nem ubi primus Psalmus inceptus fuerit, supra scellum sedere debet: *Locus ejus*, ait loco citato Muldryus Num. III. *nisi aliter situs ratio requirit, est ante faciem Episcopi aliquantulum ad ejus dexteram semiversus, ita ut non terga vertat Altari, neque Episcopo, ibique quando sedendum erit, super scabellum pictum quidem, sed nudum sedebit*. Desumtus est plane is ritus ex Lib. III. Sacrarum Cæremoniarum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Collectore Augustino Patritio Sectione II. Cap. VIII. *Cardinalis*, inquit, *assistens Pontifici, sive Episcopus, sive Presbyter, in Vesperis Papalibus indutus Pluviali, & alba Mitra, sedet in sua nuda Cathedra, si est Episcopus Cardinalis, si vero est Presbyter in scabello nudo inter Sedem Papæ, & Episcoporum Cardinalium sedi-*

*sedilia*. Et mox: *Cum Papa est intonaturus primam Antiphonam ad Vesperas, accedit ad eum, & supra caput suum retinet librum, ex quo Papa intonat Antiphonam, deinde redit ad suam Cathedram*. Atque his sane concinunt quæ in hoc, & antecedenti §. Cæremoniale nostrum præscribit. Porro autem ne renes vertantur Altari, ex variis Decretis cautum est; meliusque esse, ut Episcopus ipse Canonicis renes, quam Altari vertat, decidit jam Sacra Rituum Congregatio in Colimbriensi die XXIII. Maji anni MDCIII. ejusque Decretum refert Lezana in Summa Quæstionum Regularium Tomo III. verbo, *Altare*, Num. XVII.

II. Intonata prima Antiphona ab Episcopo, reliquas quatuor hoc ordine per Canonicos decantandas, nempe secundam per Diaconum, qui est a dextris Episcopi, tertiam per Presbyterum assistentem, quartam per primum Canonicum in Choro manentem, etiamsi sit Archidiaconus, vel Archipresbyter, quintam per Subdiaconum, qui a sinistris Episcopi est, & si aliter fieret, illegitime fieri, docet Paris de Crassis, *De cæremoniis Cardinalium, & Episcoporum in eorum Diœcesibus*, Lib. II. Cap. X. Antiphonam quartam præintonandam esse a Canonico primum locum in Choro obtinente quocumque dignitatis nomine nuncupetur, edixit jam Sacra Rituum Congregatio in Mataren. die XXX. Januarii an. MDCXVI. teste Barbosa Summa Apostolic. Decisionum. Sed aliis omissis, tertiam Antiphonam, ut conformiter ad §. nostrum omnes passim Scriptores docent, ipse Presbyter assistens, ad sedem suam stans, ac præintonante sibi illam Ministro destinato, Subdiacono scilicet, vel alio juxta consuetudinem loci, ut notat Castaldus, intonabit clara, sonora, & intelligibili voce. In Capella Papali, Cardinalem etiam, qui in Vesperis Papæ assistit, debere stantem in suo loco tertiam Antiphonam intonare, notum est ex Augustino Patricio loco citato.

III. Porro præintonandæ sunt Antiphonæ juxta formam a nostro Cæremoniali præscriptam, nisi tamen consuetudo immemorabilis alicubi aliter disponat, ex Decreto Sacræ Rituum in Tropiensi die IV. Martii anni MDCVI. & in Astensi die XXII. Decembris anni MDCXII. ut testatur laudatus Barbosa in sua Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. XXXII. verbo, *Antiphonæ* Num. V. & alibi. Dum autem eadem Sacra Rituum Congregatio in Asculana die XVI. Decembris anni MDCVI. censet Antiphonas præintonandas esse juxta formam nostri Cæremonialis, non obstante Ecclesiæ consuetudine in contrarium, loquitur de consuetudine, quæ neque immemorabilis est, neque laudabilis, Cæremoniale enim, uti iterum atque iterum dictum est, non tollit immemorabiles, & laudabiles consuetudines, sed abusus. Hinc quod Antiphonæ ad Vesperas præintonandæ sint, juxta immemorabilem consuetudinem, nec Magister Cæremoniarum illam mutare, vel alterare possit, sancitum habemus a Sacra Rituum Congregatione in Suessanen. die XXVIII. Aprilis anni MDCVII. uti post alios Auctores refert idem Barbosa in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. XXXII. Num. IX. & novissime doctissimus Cajetanus Meratus in suis ad Gavantum Additionibus.

IV. Sed ut assistentis Presbyteri munia prosequamur, librum etiam ipse sustinebit apertum supra caput, cum Episcopus Hymnum erit intonaturus, & Antiphonam ad *Magnificat*; qua intonata, & Episcopo sedente, capiet mox Presbyter ipse assistens naviculam de manu Ministri, illamque cum cochleari prius deosculato, ac manu Episcopi quoque deosculata, porriget ipsi Episcopo, ut ex ea imponat thus in thuribulum, dicens more solito, *Benedicite Pater Reverendissime*, vel si sit Cardinalis, *Eminentissime*, cum debitis inclinationibus ante, & post. Tum reddet naviculam Ministro, & ibidem *stans*, *vel sedens*, uti in nostro hoc §. edicitur, expectabit *nudo capite*, ut ait Bauldryus, donec inchoetur *Magnificat*, *stans* scilicet, *vel sedens*, juxta apertum nostri Cæremonialis textum, cui frustra adversatur Bauldryus, dumait, stare tum illum debere, non autem sedere. Sed hoc obiter notato, §. hujus nostri verbis fere concinunt, quæ scribit Augustinus Patricius laudato superius loco, ubi agit de Cardinale, Presbyterum assistentem Pontifici agente: *Item*, inquit, *cum Papa est intonaturus Hymnum, similiter accedit, & tenet librum, & edit ad locum suum*. Et mox: *Similiter cum inmat Antiphonam ad* Magnificat, *& tunc non discedit, sed postquam Pontifex intonata Antiphona sederit, accipit naviculam incensi de manu Acolythi, & ministrat Pontifici, dum imponit incensum more solito; deinde reddit naviculam Acolytho, & expectat finem Antiphonæ*. Ubi noto, quod alibi admonui, Cæremoniale Episcopcum bona ex parte compactum esse ex cæremonis Capellæ Papalis, uti ex iis, quæ inferius dientur, magis magisque perspicuum fiet.

V. Cantico *Magnificat* incepto, sequetur Presbyter ipse assistens manibus junctis nudo capite Episcopum ad Altare eunte, ubi postquam osculatus fuerit Altare, traat ei thuribulum cum debitis osculis, & reverentiis, nempe, ut ait §. noster, *offeret ei thuribulum ab Acolytho acceptum, cujus catenularum summitatem ipse manu dextera tenens, eamque deosculans ad sinistram Episcopi porriget; thuribulum vero, quod ipse manu sinistra sustinet, in dexteri Episcopi collocat, quam deosculatur*. Consonat & hæc iis, quæ scribit memorato loco Augustinus Patricius, dicens: *Tum cum incipitur*, Magnificat, *sequitur Pontificem euntem ad Altare; & postquam Pontifex osculatus fuerit Altare, offert illi thuribulum, quod ab Acolutho receperat, & catenularum extremitates primo exosculatus, pait ad sinistram manum, partem vero juxta summitatem thuribuli ad dexteram, osculando semper manum Pontificis; & tunc, & quando aliquid dat vel recipit ab ejus manibus, retrahit se*. Porro errat Castaldus cum in Praxi Cæremoniarum Lib. I. Sectione VIII. Num. VI. ait Presbyterum assistenem debere Episcopo *anteriorem partem Pluvialis in ipso incensationis actu a dextris elevare*. Nullum enim de ea re

Digitized by Google

re verbum in hoc §. nostro; quia scilicet Canonici duo Diaconi assistentes, & non Presbyter assistens, debent elevare fimbrias Pluvialis hinc inde, dum Episcopus progreditur, & thurificat Altare; estque hoc decisum a Sacra Rituum Congregatione in Placentina die XIX. Maji anni MDCVII. in responsione ad VII. Dubium, apud Sellium in Selectis Canonicis, Cap. III. Num. CXXX. Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum Collecta n. C. Num. VI. & Meratum ad Gavantum.

VI. Thurificatione finita, ait §. noster, *stans in cornu Epistolæ, recipit thuribulum de manu Episcopi, osculando prius ejus manum dexteram, illudque Acolytho dat*. Eadem plane sunt, quæ ait Patricius: *Tandem finita incensatione, stans in cornu Epistolæ accipit thuribulum e manu Pontificis, & illud dat Acolutho, qui eum servat*. Tum etiam addit: *Sequitur deinde Pontificem redeuntem ad sedem suam, & firmat se ad ultimum gradum Solii; & cum Papa fuerit in sede, accipiens thuribulum ab Acolutho, stans sine Mitra incensat Pontificem stantem cum Mitra*. Eundem hunc ritum expressum plane habemus in præsenti hoc nostro §. ubi ita inquit: *Cum Episcopus redierit ad sedem suam, tunc ipse stans ante infimum gradum Solii Episcopalis, recipit thuribulum de manu Acolythi, & thurificat triplici ductu Episcopum stantem cum Mitra, cui Episcopus benedicit*. Plura extant in hanc cæremoniam Sacræ Rituum Congregationis Decreta, quæ operæ pretium est, hic recensere. Primo autem, quod assistens Presbter, sive Dignitas sit, sive Canonicus, & non Diaconus Euangelii debeat Episcopum thurificare, censuit jam ipsa Rituum Congregatio in memorata Placentina die XIX. Maji MDCVII. penes laudatos Sellium, Barbosam, ac Meratum. Secundo, thurificationem non deberi Episcopo a Canonico, vel Dignitate assistente, genibus flexis, sed stante, eademmet Sacra Congregatio Rituum decrevit in Oscen. die IV. Maji anni MDCXIII. apud Aldanum in compendio Canonicorum Resolutionum Lib. I. Tit. IX. Num. XXXVIII. & Meratum, in suis ad Gavantum Notis, ubi ex ipso Decreto ait, Canonicos, & Dignitates non teneri ad benedictionem Episcopi genuflectere, sed tantum caput inclinare, itemque nec debere eosdem genuflectere, quando Episcopum celebrantem thurificant. Tertio ipsam thurificationem cum triplici ductu thuribuli, unico tantum, & digniori, idest Episcopo convenire, ex ejusdem Congregationis Decretis, quorum alterum die XI. Decembris anni MDCIV. alterum XI. Novembris MDCXIV. editum est, ostendit Barbosa in Summa Apostolicarum Decisionum, Collectan. DCCV. Num. V. & in Tractatu, *De Canonicis, & Dignitatibus*, Cap. XLIII. Num. XXVI. Ceterum quod etiam alii Celebranti Sacerdoti in absentia Episcopi, thurificatio cum triplici ductu conveniat, decisum est ex ipsa Sacra Rituum Congregatione in Patavina die IX. Maji anni MDCVI. apud laudatum Barbosam, itemque die XXX. Januarii anni MDCXVI. penes Meratum loco citato.

VII. Ad §. nostrum quod attinet, incensato Episcopo, ac reddito thuribulo Ministro, Presbyter ipse assistens *accedit ad sedem suæ assistentiæ, & ibi stans thurificatur a Subdiacono, vel eo deficiente, ab Acolytho duplici ductu thuribuli*. Notandum hic quod post Castaldum monet Bauldryus, I. nempe stantem in loco suo Presbyterum assistentem thurificandum esse duplici ductu a solito Ministro, sed *facta prius primo Diacono inclinatione*. II. cum repetitur Antiphona ipsa ad *Magnificat*, sedere illum debere, nimirum, *si facta sit incensatio Diaconorum, quia alias stare debet*. Presbyterum assistentem, licet non sit prima dignitas, thurificandum esse ante Archidiaconum Tunicella paratum, loco Diaconi Episcopo assistentem, quamvis idem Archidiaconus sit prima dignitas, resolvit Sacra Rituum Congregatio die XXIII. Junii anni MDCVII. penes Aldanum in Compendio Canonicarum Resolutionum Lib. II. Tit. XXII. Num. II. & Meratum loco citato. Rursus assistentes licet minus dignos, ratione assistentiæ ante Dignitates thurificari, & accipere pacem debere, iterum atque iterum jam decidit Sacra ipsa Congregatio Rituum, in Cremen. die XXVIII. Septembris anni MDCII. in Nolana die XXIII. Maji MDCIII. & in Bracharen. XIX. Junii MDCIX. uti videre est apud Sellium in Selectis Canonicis Cap. XXVIII. Num. VI. & Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. XLVII. Num. VII. Sed ut finem Commentario imponam, ait §. noster, *cum Episcopus cantaturus est orationem*, accedere ipsum assistentem Presbyterum, & sustinere librum, ut alias, deinde reverti ad locum suum. Eadem docet Patricius loquens de assistentia, quam facit Papæ Cardinalis: *Cum vero Papa est dicturus orationem, iterum accedit Cardinalis assistens, & retinet librum supra caput, deinde revertitur ad locum suum. Et est finis servitii sui pro hac vice*. Ita ille; verum quod Presbyterum assistentem Episcopo spectat, notandum est, quod Castaldus, Bauldryus, & alii docent, post benedictionem demum expletis Vesperis, deposito Pluviali, Cappa sua, vel alio habitu indutum debere illum una cum aliis comitari Episcopum.

## §. III.

Cum vero Missa solemnis ab Episcopo erit celebranda, ejus præcipua cura erit, totam Missam prævidisse, omnesque cæremonias, & actus, quos Episcopus facturus est, observasse, ac signacula in libro Missali, in quo lecturus est Episcopus, locis congruis disposuisse, ut præsto illi esse possit, suggerendo illi submissa voce, vel modesto nutu indicando, si in aliquo forte, vel memoriæ lapsu, vel alia de causa deficeret,

Digitized by Google

ficeret, aut titubaret; præsertim apud Altare, dum sacrosancta Mysteria peragit. Igitur in ipsa die, qua Missa celebranda erit, Cotta, vel habitu suo Canonicali indutus, postquam Episcopum ad Ecclesiam venientem comitatus fuerit, opportune aderit apud eum in Secretario, & incœpta Hora Tertia, atque incipiente Episcopo legere Psalmos, *Quam dilecta &c.* cum aliis sequentibus, ipse ad ejus sinistram stans alternatim respondebit, duobus quoque Diaconis assistentibus pariter cum ipso respondentibus; & lavante Episcopo manus, porriget ei mantile ad tergendum. Circa finem Tertiæ induet se Amictu super Rocchetto, aut Cotta, & super eo Pluviali, & sic paratus sustinebit Librum supra caput, cum Episcopus cantabit Orationem Tertiæ. Episcopo omnibus sacris paramentis induto, ac sedente, imponet annulum Pontificalem in digitum annularem dexteræ manus, illius annulo, & manu prius deosculatis: mox naviculam incensi cum cochleari eidem ministret, ut imponat thus in thuribulum, antequam a Secretario discedat. Cum autem Episcopus procedit versus Altare, ipse ante illum incedit ad dexteram Diaconi Euangelium cantaturi, & cum Episcopus ante infimum gradum Altaris, facta Cruci reverentia, incipit confessionem, ipse ad ejus dexteram stans, respondebit simul cum Diacono stante a sinistris; & dum dicet in confessione, *Tibi Pater, & Te Pater*, profunde versus Episcopum caput inclinabit.



## COMMENTARIUS.

I. AD Missam, quam celebraturus est Episcopus, assistentis Presbyteri *præcipua cura est*, inquit Paris de Crassis Lib. I. Cæremoniarum Cardinalium, & Episcoporum, Cap. VII. *antequam ad Missam procedatur, diligenter ipsam Missam in Domo sæpius, ac continue cum celebraturo præstudere, & bene observare omnes actus, in quibus fortassis ipse celebraturus auxilio egeat, vel titubet, aut nesciat, sive vacillet, ut postea eidem apud Altare sacrificanti in talibus actibus subveniat cito, placide, ac modeste memorando voce, gestu, & actu, quæ oportuerit, & prout viderit opus faciendum.* Ubi vides initium nostri §. desumtum pene esse ex recitato loco Paridis Crassi Apostolicarum aliquando Cæremoniarum Magistri. Addit tamen laudatus Crassus, assistentem ipsum Presbyterum *etiam ante diem Missæ debere sibi barbam, & coronam tonderi fecisse, quoniam est Magistratibus, & aliis Primoribus daturus osculum pacis facie ad faciem.* Erat mos tunc temporis a Julio Papa II. incœptus, qui etiam ad finem usque elapsi seculi perduravit, ut non modo Romani Pontifices, ac S. R. E. Cardinales, sed & alii quoque sacri homines

Digitized by Google

mines barbas promitterent, uti videre est nostro III. Tomo Romani Pontificalis ad Titulum XXIX. *De barba tondenda*.

II. Ipsa autem die, qua solemnis Missa ab Episcopo celebranda erit, Presbyter ipse assistens, *Cotta, vel habitu suo Canonicali indutus, postquam Episcopum ad Ecclesiam comitatus fuerit, opportune aderit apud eum in Secretario*. Verba hæc sunt nostri hujus §. pro quorum intelligentia sciendum est, I. non modo Presbyterum assistentem, sed & Canonicos omnes teneri in habitu Canonicali accedere ad Domum Episcopi, illumque comitari ad Ecclesiam celebraturum, vel divina officia auditurum cum Cappa accedentem, & finito Officio eundem ad Domum iterum comitari, uti innumera pene testantur Sacræ Rituum Congregationis Decreta, præsertim in Ragusina die VIII. Martii anni MDCXVII. & in Tarvisana die X. Januarii anni MDCXIX. penes Barbosam in Tractatu, *De Canonicis*, Cap. XXXII. Num. I. Secundo, Capitulum, & Canonicos debere accedere ad aulam sive Cameram, quam ad hoc Episcopus destinaverit, tam in accessu ad Ecclesiam, quam in reditu, & venientes etiam sub censuris in subsidium compellendos esse, decisum est a Sacra Rituum Congregatione, in Beneventana XXI. Novembris anni MDCXLVIII. extatque Decretum in Concilio Provinciali XIII. Beneventano anni MDCLVI. sub Joanne Baptista Foppa Archiepiscopo, Tit. XXVI. *De Capitulo, & Canonicis*. Tertio, præstandum esse hujusmodi obsequium Episcopo a Canonicis, licet Episcopi Domus non sit contigua Ecclesiæ, edixit Rituum Congregatio in Oscen. XVI. Maji MDCI. & in Colimbrien. VI. Julii MDCII. Item etiamsi distet per spatium sexaginta passuum, qui habentur pro modico spatio, ex ejusdem Congregationis Decreto in Theatina XIV. Novembris MDCII. & in Tiphernaten. V. Julii MDCIII. Imo quamvis distet per spatium centum & decem passuum, ex alio Decreto in Elven. X. Januarii MDCIV. Et per spatium centum sexaginta passuum, ut eadem Sac. Rituum Congregatio censuit in Tarracinen. XX. Augusti MDCXXII. Ceterum si Palatium Episcopi sit longe distans, debet Episcopus ipse associari ab aliquo ad hoc deputato prope Ecclesiam, uti in dicta Oscen. a Sacra Rituum Congregatione decisum fuit.

III. Laudatis hucusque Decretis, quæ videri possunt apud Barbosam in Tractatu, *De Canonicis*, Cap. XXXII. um III. & seqq. adjungi & alia debent, quibus docemur, Canonicos, non quoties Episcopus ad Ecclesiam accedit, teneri illum ex suo Palatio associare, ac reducere, sed in solemnioribus tantum diebus, quibus cum Cappa ad celebrandum, vel ad Pontificalia exercendum accedit: in ceteris vero diebus, quibus Episcopus private sine Cappa, vel ex alia causa ad Ecclesiam accedere voluerit, non teneri, nisi ex voluntate, atque urbanitate hæc obsequia illi præstare; satisque esse, si aliquis ex Dignitatibus, & Canonicis ad ostium Ecclesiæ accurrat, qui dignior asperforium cum aqua benedicta ministrare debet, & abeuntem similiter usque ad ostium comitetur, jam iterum atque iterum decisum est a Sacra Rituum Congregatione, in Perusina XX. Decembris MDCI. in Rapiana XXIV. Octobris MDCIX. in Sarzanen XII. Martii MDCXVIII. in Tarvisana XIX. Januarii MDCXIX. in Saonen XXX. Martii MDCXIX. & in Limana in Indiis XXIX. Maji MDCXXI. teste Sellio in Selectis Canonicis Cap. III. Num. CXXIII. Porro Festivitates majores, & dies solemnes, quibus illud obsequium a Canonicis Episcopo exhiberi debet, eadem Sacra Rituum Congregatio die I. Decembris anni MDCXXXII. inhærendo alteri resolutioni editæ die XVII. Novembris anni MDCVII. declaravit, solemnes Festivitates per annum esse Festum Paschatis Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, Feriam V. in Cœna Domini, Festum Ascensionis ejusdem Christi Domini, Pentecostes, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, Assumptionis Beatæ Virginis, Omnium Sanctorum, Natalis Christi, & Epiphaniæ, uti videre est apud Barbosam loco citato Num. XI. Verum non est hic omittendum, quod ipsa Rituum Congregatio decidit in Ripana XXX. Januarii MDCX. penes Sellium loco citato Num. CXXIV. nempe, si Canonici ex consuetudine associare soliti fuerint Episcopum a cubiculo suo, seu a Camera deputata, quoties cum Cappa accedit ad Ecclesiam, ut celebret, aut divinis Officiis adsistat, etiam in Dominicis, & aliis Festivitatibus per annum occurrentibus, consuetudinem illam esse omnino servandam. Sed & deberi quoque hanc associationem Episcopo a Canonicis tum in profectione ad Ecclesiam, cum in reditu ad Palatium suum, etiamsi Cappa ille non utatur, quando scilicet pro loci, aut Provinciæ consuetudine, aut alias Cappa uti non solet, ejusve loco alium habitum deferre solitus est, decisum quoque habemus a toties laudata Sacra Rituum Congregatione in Elboren VIII. Martii MDC. apud memoratum Barbosam Num. XI. in fine.

IV. Porro autem, ut in associatione Episcopi sui Canonici ipsi deesse nequeant, divinaque Officia in Choro recitanda minime turbentur, debet Episcopus certam horam sui adventus in Ecclesiam tempore congruo statuere, & significare. Id enim statuit Sacra Rituum Congregatio in Elboren, & Oscen XVI. Maji MDCI. & in Placentina Provinciæ Compostellanæ IV. Julii MDCXV. in responsione ad Dubium I. ut testatur Sellius dicto Cap. III. Num. CXXVI. & Barbosa in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. XCIX. Num. X. ubi etiam ait, dato signo, & non veniente Episcopo, inchoari posse Officium; &, si post jam inchoatum Officium Episcopus ad Ecclesiam veniret, satis tunc esse, si quatuor, vel quinque Canonici ei obviam eant, & reliqua major Canonicorum pars remaneat in Choro. Id ait decisum fuisse a Sacra Rituum Congregatione in dicta Placentina in responsione ad I. Dubium. Et quod saltem duo ex Canonicis teneantur ex Choro discedere, & obviam ire Episcopo, Asperforium ei porrigentes, declaravit quoque eadem Congregatio in Lunen III. Martii MDCXXXIII. Idem dicendum si Episcopus veniat eo tempore, quo post cantatum

Euan-

Digitized by Google

Euangelium concio inchoatur, constat ex memorato superius Decreto in dicta Placentina, in responsione ad II. Dubium. Quod si finita concione velit domum redire, nec Canonici pariter omnes debent Missam, & Chorum deserere, sed tantum tres, vel quatuor Episcopum usque ad portam Ecclesiæ comitabuntur, & statim redibunt, ut in resposione ad Dubium III. ibidem, ubi etiam habetur, si post finitam Missam velit discedere Episcopus, nec expectare, quod Hora Sexta recitetur, quæ de consuetudine Ecclesiæ immediate finita Missa cantari solet, debere Canonicos omnes Episcopum ipsum comitari saltem usque ad portam Ecclesiæ. Ceterum, ut in eadem Placentina in responsione ad Dubium V. decisum est, hora dandi signum cum Campana stabilienda erit cum Episcopo, eoque dato, ipse diutius non est expectandus.

V. Quamquam autem ex tot Decretis, aliisque plurimis, quæ afferri possunt, quæque passim legere est apud Pignatellum, Ursayam, Monacellum, Pitonum, Meratum, & alios plerosque, liquido constet, præstandum esse omnino a Canonicis obsequium associationis Episcopo suo ad Ecclesiam venienti; sciendum tamen, non teneri Canonicos omnes obviam ire Episcopo Suffraganeo, venienti ad Ecclesiam ad celebrandum nomine proprii Episcopi, usque ad cubiculum, sicut Episcopo proprio suo tenentur obviam ire; satis enim esse, ut Suffraganeo ipsi aliqui Canonici obviam procedant usque ad portam Ecclesiæ, declaravit jam Sacra Rituum Congregatio in Bracharan I. Septembris MDCVII. penes Barbosam, *De Canonicis*, Cap. XXXII. Num. XIII. Rursus ex Decreto ejusdem Sacræ Congregationis die VI. Septembris anni MDCXCVIII. apud Meratum in Notis ad Gavantum, si Episcopus Suffraganeus accedens ad Ecclesiam deferat Cappam, tenetur ipse sustentare sibi caudam brachio sinistro involutam, & duo Canonici usque ad ostium Ecclesiæ obviam illi ire debent, digniore illorum Aspersorium ei porrigente, quo seipsum tantum aspergat, eumque pariter ad eundem locum associant. Occasione quoque functionum Episcopalium si accedat ad Ecclesiam cum Cappa, debet in Faldistorio, alias in Sacrario se parare; nec potest sibi deferri facere caudam vestis violaceæ una cum elevatione fimbriæ anterioris in plano pavimenti Ecclesiæ. Quod Episcopus tandem deputatus administrator alterius Ecclesiæ, in functionibus Ecclesiasticis, non gaudeat omnibus illis præeminentiis, & prærogativis, quibus fruuntur, & gaudent omnes alii Episcopi in propriis Diœcesibus suis, decisum est ex ipsa Sacra Rituum Congregatione die XXII. Augusti apud eundem Meratum, ubi multa scitu digna, quæ ad hanc rem, quam agimus, spectant, reperies.

VI. Decretis hisce notatis, quibus ostendimus, non modo Presbyterum assistentem, sed & Canonicos omnes debere in habitu Canonicali Episcopum e Domo sua ad Ecclesiam venientem comitari; dicendum nunc est, quod de Presbytero ipso assistente §. noster edicit: *Ipsa die*, inquit, *qua Missa celebranda erit*, *Cotta*, *vel habitu suo Canonicali indutus*, *postquam Episcopum ad Ecclesiam venientem comitatus fuerit*, *opportune aderit apud eum in Secretario*; *& incœpta Hora Tertia*, *atque incipiente Episcopo legere Psalmos*, Quam dilecta &c. *cum aliis sequentibus*, *ipse ad ejus sinistram stans alternatim respondebit*, *duobus quoque Diaconis assistentibus pariter cum ipso respondentibus*. Eadem plane docent Castaldus, Bauldryus, aliique recentiores, licet aliter sentiat Paris de Crassis Lib. I. *De cæremoniis Cardinalium & Episcoporum &c.* Cap. VII. ait enim de Presbytero assistente loquens, quod *in die Missæ Cardinali Psalmos lecturo*, *ipse indutus Superpelliceo capit*, *& tenet librum Psalmorum detecto capite genuflexus ad ejus sinistram*. Loquitur juxta morem sui temporis, quo non modo Presbyteri, Canonicive in divinis Officiis genua flectebant Episcopis, sed & Episcopi ipsi etiam extra divinorum Officiorum celebrationem, nonnisi genuflexi cum Cardinalibus loquebantur, quibus etiam dum manus in mensa lavarent, similiter mantile ipsi Episcopi ministrabant. Narrat, damnatque hunc abusum suo vigentem ævo Augustinus Patricius Lib. III. *Sacrarum Cæremoniarum*, Sectione I. Cap. XIII. Mirum autem illud est, quod idem scribit Cap. XII. nempe arbitrari se, *non esse absurdum*, *sed satis honestum*, *simplices laicos*, *& Clericos non Prælatos in primo congressu ante Cardinales genuflectere*.

VII. Quicquid sit de eo abusu, ut Clerici nempe ac Episcopi genuflexi cum Cardinalibus loquerentur; quod rem nostram spectat, decidit jam Sacra Rituum Congregatio die XV. Decembris MDCXXXII. Dignitates, & Canonicos assistentes, vel aliquo modo Episcopo solemniter celebranti inservientes non teneri genuflectere. Id quod etiam contra Paridem Crassum statuit §. noster, dum ait, Presbyterum assistentem nonnisi stantem alternatim cum Episcopo recitare Psalmos, *Quam dilecta &c.* duobus quoque Diaconis *assistentibus*, *& stantibus pariter cum ipso respondentibus*, ut scite ait Bauldryus in Manuali sacrarum Cæremoniarum, Parte V. Cap. VII. Articulo II. Num. II. Usus recitationis quorumdam Psalmorum ante celebrationem Missæ est plane antiquus, teste Joanne Cardinale Bona Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, Cap. II. Num. II. Vetus Missa ab Illyrico edita antequam Sacerdos sacris vestibus induatur, dici mandat, si tempus permiserit, flexis genibus coram Altari septem Psalmos pœnitentiales cum Litania, & aliis prolixis precibus, post quam sequuntur alii septem Psalmi, nempe, *Quam dilecta* LXXXIII. *Benedixisti* LXXXIV. *Inclina Domine* LXXXV. *Fundamenta ejus* LXXXVI. *Domine Deus salutis meæ* LXXXVII. *Credidi propter quod* CXV. *Memento Domine David* CXXXI. Codex Chisius tres tantum Psalmos a Sacerdote sacris vestibus induto cum circumstantibus Clericis dicendos præscribit, videlicet, *Quam dilecta*. *Benedixisti*. *Inclina Domine*. Iidem præscribuntur in Codice Tiliano apud Menardum in Notis ad librum Sacramentorum S. Gregorii Pag. 266. Missale

Digitized by Google

sale Hispalense editum anno MDXXXIV. jubet, dici septem Psalmos pœnitentiales, vel, *Quam dilecta*, cum reliquis, qui hodie notantur in Missali Romano, & leguntur in plerisque Missalibus mss. Bibliothecæ Vaticanæ. Micrologus Cap. I. *Presbyter*, inquit, *cum se parat ad Missam juxta Romanam consuetudinem decantat hos Psalmos*, Quam dilecta, Benedixisti, Inclina Domine, Credidi; *deinde* Kyrie eleison, Pater noster, *cum precibus, & oratione pro peccatis*. Putat autem laudatus Bona, circa annum Christi CM. Psalmos ipsos quos hodie ex Rubrica Romani Missalis recitamus, recitari cœpisse. Ex dictis vero illud sane constat, si non omnes, plures certe jam olim, ex iis, qui multis ab hinc sæculis recitari solent, Psalmos in præparatione ad Missam a Sacerdote dictos fuisse.

VIII. Recitatis Psalmis, & quidem in Secretario, quod hodie Sacristiam dicimus, lavat mox Episcopus manus, eique Presbyter ipse assistens *porriget mantile ad tergendum*, uti §. noster inquit; *osculans illud prius, & ejus digitis annulos ordinarios, si quos ante lotionem ipse deposuerat, cum debitis osculis reponit*, uti scite notat laudato loco idem Bauldryus post Castaldum Libro I. *Praxis Cæremoniarum*, Sectione VIII. Cap. VIII. Manuum lotio, quæ ex præscripto nostri hujus Cæremonialis, novissime auctoritate Benedicti XIII. recogniti, fieri debet statim ac recitati sunt Psalmi, *Quam dilecta &c.* in aliis ante memoratum Pontificem editis Cæremonialibus fieri plane debebat post orationem Horæ Tertiæ: *Et circa finem Tertiæ*, inquiunt, *induet se Amictu super Rocchetto, aut Cotta, & super eo Pluviali, & sic paratus sustinebit librum supra caput, cum Episcopus cantabit orationem Tertiæ, & lavante Episcopo manus, porriget ei mantile ad tergendum*. Recte factam esse eam a Benedicto XIII. Sacrorum Rituum peritissimo, cæremoniæ mutationem, cuique novissimum ejus Cæremoniale cum ante editis conferenti patet. Convenientius quippe esse videtur, ut Episcopus ad servandam integritatem rubricæ, etiam Missalis Romani, quæ præscribit, ut Sacerdos precibus nonnisi absolutis manus lavet, prius & ipse præparationem ad Missam faciat per recitationem Psalmorum, & precum cosuetam, deinde vero manus lavet, porrigente illi mantile ad tergendum Presbytero assistente.

IX. Quo facilius quod de Psalmis ad præparationem Missæ, & de Hora Tertia in Secretario recitandis §. noster edicit, intelligatur, sciendum est, veterem esse Ecclesiæ disciplinam, ut in Ecclesiis præsertim Cathedralibus, insignibusque Secretaria construerentur, in quibus Oratoria essent Altari decenti ornata, uti fuse ostendit Clarissimus Georgius Lib. I. *De liturgia Romani Pontificis*, Cap. VII. ubi etiam scite observat, *e vetustis S. R. E. ritibus prodire ea, quæ de Secretario in Cæremoniali Episcoporum præscribuntur, nimirum, ut is locus ornatus esse debeat Altari decenti, atque in eo sacræ vestes ab Episcopo induantur*. Sane Libro II. hujus Cæremonialis, Cap. VIII. §. II. diserte edicitur, *valde convenire, atque antiquæ Ecclesiasticæ disciplinæ consonum esse, ut in Ecclesiis Cathedralibus locus aliquis, si Sacellum non adsit, ab antiquis Secretarium appellatum, deputetur, ad quem Episcopus solemniter celebraturus Missam, postquam sua Cappa indutus s ingressurus fuerit Ecclesiam, sacrasque preces ad Altare Sanctissimi Sacramenti tantum, & non ad Altare majus effuderit, cum suis Canonicis, & Choro, conveniat*. Tum alia multa ait ipsum Cæremoniale citato Cap. VIII. nempe, ut locus ille præparari, ornarique debeat, quæ ibidem facienda, & Tertia Hora quomodo cantanda. De quibus omnibus videri possunt, quæ nos in Commentariis nostris ad ipsum Caput VIII. secundi Libri dicemus.

X. Nunc ut ea quæ in hoc nostro præsenti §. de Presbytero assistente dicuntur, explicemus, *Episcopo*, inquit, *omnibus sacris paramentis induto, ac sedente, imponet annulum Pontificalem in digitum annularem dexteræ manus, illius annulo, & manu prius deosculatis*. Dictum est de ea re superius, ubi munia explicuimus Presbyteri assistentis ad Vesperas, Episcopo celebrante; monendum tamen hic illud est, quod inter alios docet Bauldryus, debere Presbyterum assistentem nudo esse capite, cum annulum ipsum Pontificalem in digitum annularem dexteræ manus Episcopi imponit. Id quod etiam dicendum est, ubi *mox naviculam incensi cum cochleari eidem ministret, ut imponat thus in thuribulum, antequam a Secretario discedat*. Debet enim, & nudo stare capite, & cochleare, ac manum Episcopi deosculari, dicens more solito, *Benedicite Pater Reverendissime*, vel, si sit Cardinalis, *Eminentissime*, cum debitis inclinationibus ante, & post. Tandem cum Episcopus ad Altare procedit, *ipse ante illum incedit ad dexteram Diaconi Euangelium cantaturi*, nudo capite, & manibus junctis, ut scite notat inter alios Bauldryus. *Et cum Episcopus ante infimum gradum Altaris, facta Cruci reverentia, incipit Confessionem, ipse ad ejus dexteram stans, respondebit simul cum Diacono stante a sinistris*; se scilicet signans, & inclinans cum eo, & ter pectus percutiens, cum dicet, *mea culpa* juxta generales Missalis Rubricas. *Et dum dicet in confessione*, Tibi Pater, & Te Pater, *profunde versus Episcopum caput inclinabit*.

XI. Vestigium harum cæremoniarum observare est quidem apud Augustinum Patricium, qui Lib. III. *Sacrarum cæremoniarum sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, Sectione II. Cap. IX. loquens de assistente Cardinali in Missa Papali, *ipse Cardinalis*, inquit, *accedens immittit ei annulum Pontificalem & alios*; statimque addit: *Sed cum Papa vult intrare ad Altare, ministrat naviculam incensi, cum Papa illud in thuribulum imponit, deinde procedit immediate ante Papam simul cum Diacono Cardinali Euangelii ad dexteram; & cum Papa facit Confessionem, stat ad ejus dexteram*. Morem tandem esse antiquum, ut Episcopus sacris paramentis indutus, antequam de Secretario ad Ecclesiam progrediatur, imponat incensum, constat sane ex antiqua Missa ab Illyrico edita, ubi etiam *ad incensum imponendum* hæc oratio legitur: *In nomine*

*mine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, sit benedictum hoc incensum in odorem suavitatis Domino, & in remissionem omnium peccatorum nostrorum. Amen.*

## §. IV.

Finita confessione, & osculato per Episcopum Altari, dum Subdiaconus in cornu Euangelii porrigit Librum Euangeliorum osculandum Episcopo, ipse adjuvat manum ad Librum apponendo, deinde retrahit se extra cornu Euangelii, dum Episcopus thurificat Altare: & redeunte Episcopo ad Sedem suam, ipse eum præit, & apud eum stat. Cum Episcopus lecto Introitu Missæ dicit, *Kyrie eleison*, ipse simul cum eo, ac duobus Diaconis assistentibus idem dicit; sedente vero Episcopo, & ipse sedet super scabellum a dextris, vel a sinistris, prout supra de Vesperis dictum fuit. Si vero forte Episcopus celebrans non in Sede propria, sed in Faldistorio sederet, tunc ipse Presbyter assistens sedebit in aliquo scamno prope Altare versus cornu Epistolæ simul cum Diacono, & Subdiacono ad sinistram Episcopi; substinebit deinde Librum supra caput, cum ex eo Episcopus erit cantaturus Orationem, *Gloria in excelsis*, & *Credo*, quæ cum eo, & duobus Diaconis assistentibus summissa voce prosequitur. Adjuvabit eodem modo, prout de prima lotione dictum est, ad lotionem manuum, quoties opus erit in Missa, idest, post Offertorium, post Oblationem, & post Communionem. Si sermo habebitur per Episcopum, ipse sedebit a dextris Episcopi cum Diacono a sinistris, remanente interim Subdiacono in suo scabello, si Episcopus erit in Faldistorio ante Altare. Si vero habebit sermonem in propria Sede, sedebit in scabello suæ assistentiæ. Finito sermone, ac Confessione per Diaconum decantata, ipse Indulgentias pronunciabit in forma, prout suo loco dicendum erit. Si vero sermo habendus erit per ipsum Presbyterum assistentem, vel per aliquem Canonicum, qui eo casu servire debet Episcopo in officio Presbyteri assistentis cum Pluviali, etiamsi non sit ex antiquioribus, & dignioribus Canonicis, finito Euangelio, accedet ad osculum manus Episcopi, & profunde inclinatus ab eo petet benedictionem, & sic paratus ascendet Ambonem, sive Pulpitum, & sermonem habebit, ac finita Confessione per Diaconum, ipse in eodem Pulpito adhuc stans publicabit Indulgentias in forma.

## COMMENTARIUS.

I. Pergit is §. assistentis Presbyteri munia explicare, *Finita confessione*, inquit, *& osculato per Episcopum Altari, dum Subdiaconus in cornu Euangelii porrigit librum Euangeliorum osculandum Episcopo, ipse adjuvat, manum ad librum apponendo, deinde retrahit se extra cornu Euangelii, dum Episcopus thurificat Altare*. Ut observentur hæ cæremoniæ in Missa Papali, exponit Lib. III. *Sacrarum cæremoniarum*, Sectione II. Cap. IX. Augustinus Patricius his plane verbis: *Finita confessione cum Papa osculatus fuerit Altare, simul cum Subdiacono offert ei osculandum librum Euangeliorum, deinde retrahit se ad partem, quoad Papa imponat incensum, incenset Altare, & incensetur*. Tum addit, apud Altare non Cardinalem assistentem, sed Diaconum Euangelii semper ministrare naviculam, & Papam thurificare; Cardinalem vero assistentem tunc eo fungi officio, *cum Papa est apud sedem eminentem*, & illic stantem tenere librum supra caput, dum Papa legit Introitum.

II. Ritus osculandi Euangelium initio Missæ, imo antequam Episcopus de Secretario ad Ecclesiam progrediatur, postquam scilicet sacris paramentis indutus est, & incensum imposuit, ac benedixit, juxta formulam in fine superioris Commentarii descriptam, constat ex veteri Missa ab Illyrico edita, ubi etiam *ad osculandum Euangelium*, ea dici ab Episcopo verba solebant: *Pax Christi in visceribus nostris permaneat*. In plerisque Ecclesiis fiebat quidem ea Euangelii deosculatio ab Episcopo in ingressu ad Altare, ante confessionem, ut testatur Martene Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo II. Num. III. *Pontifex*, inquit, *perveniens ad Altare adorabat sancta, tum facta confessione osculabatur Textum Sancti Euangelii, id quod nihilominus in plerisque Ecclesiis ante confessionem præstabat*. Certe, uti idem Auctor tradit, in Ecclesia Remensi Subdiaconus porrigens Euangelium Sacerdoti osculandum in ingressu Altaris, dicebat; *Hæc est Lex sancta, Pater*. Sacerdos respondebat: *Credo, & confiteor*.

III. In aliis Ecclesiis factam esse deosculationem Euangelii post Missæ Introitum, docet nos inter alia ms. Pontificale Prudentii Trecensis Episcopi

Digitized by Google

ſcopi apud laudatum Martene loco citato, Cap. IV. Articulo XII. Ordine VI. ubi poſt Altaris oſculationem oratio legitur, quam Epiſcopus antequam Euangelium oſcularetur recitare ſolitus erat, qui etiam cum Euangelium oſculabatur, ea verba pronunciabat: *Pax Chriſti, quam nobis per Euangelium ſuum tradidit, confirmet, & conſervet corda, & corpora noſtra in vitam æternam. Amen.* In Corbejenſi quoque Ratoldi Abbatis Codice a memorato Auctore allato, Ordine IX. hæc leguntur poſt introitum Miſſæ: *Mora quidem orationis facta, ſicut ordinati ſunt, alter alterutrum Presbyteri, & Diaconi oſculentur Altaris cornua: & ultimus Epiſcopus miniſtrantibus illis oſculetur Euangelium ab ipſis elevatum, & apertum, a Subdiacono ſcilicet in Altaris medio poſitum, & tunc canatur*, Kyrie eleiſon, *& ipſis ducentibus perveniat Epiſcopus ad Solium &c.* Idipſum conſtat ex pervetuſto Codice Chiſiano a Joanne Bona Cardinale edito, ubi poſt confeſsonem, & Miſſæ introitum ita legimus: *Quibus expletis Subdiaconus apertum librum præbeat Sacerdoti oſculandum &c.*

IV. Munus itaque Subdiaconi erat initio Miſſæ præbere Epiſcopo Euangelii Codicem ad oſculandum; id quod etiam liquet ex priſcis Ordinibus Romanis a Mabillonio Tomo II. Muſei Italici deſcriptis, ac præſertim ex XIV. Romano ordine auctore Jacobo Gaetano Cardinale, qui loquens de Miſſa Pontificis ait: *Aſcendens ad Altare, & inclinatus ante ipſum, dicit Orationem*, Aufer a nobis &c. *qua dicta oſculatur Altare, & poſtea oſculetur librum Euangeliorum, quem apertum in eo loco, in quo eſt Euangelium legendum in Miſſa, offerre debet ei Subdiaconus, & oſculatum per Pontificem dimittat clauſum ſuper Altare, niſi ex cauſa alibi repondendus videatur.* Ex quibus omnibus illud plane addiſcimus, quod alias obſervavimus, e vetuſtis ſacris Eccleſiarum, ac potiſsimum Romanæ cæremoniis prodire ea, quæ in noſtro hoc §. Cæremoniale Epiſcoporum præſcribit, de porrigendo Epiſcopo per Subdiaconum Euangelii libro ad oſculandum poſtquam aſcendit Altare, illudque oſculatus eſt. Ceterum quod dicitur, Presbyterum aſsiſtentem adjuvare illum debere, *manum ad librum apponendo*, non ita ſubobſcure innuit laudatus ſuperius Ratoldi Abbatis Corbejenſis Codex.

V. Antequam ad explicanda alia progrediamur, quæ in hoc §. noſtro continentur, illud hic minime diſsimulandum, quod alias notat Bauldryus, debere nempe aſsiſtentem Presbyterum, *dum celebrans aſcendat Altare, elevare veſtes anteriores illius a parte ſua, niſi id præſtet Cæremoniarius.* Quod tamen quantum ad Presbyterum aſsiſtentem minime ejus dignitati conſentaneum videtur. Munus hoc eſſe Diaconi, ac Subdiaconi, qui Sacerdoti aſsiſtunt in Miſſa ſolemni, diſerte affirmat Bartholomæus Gavantus, ubi ad ea verba Rubricæ Miſſalis loquentis de Sacerdote ſolemniter Miſſam celebrante, *aſcendit cum Miniſtris*, ita inquit: *Diaconus ſiniſtra manu, Subdiaconus dextra albam, & veſtem anteriorem celebrantis paululum elevant, dum illo aſcendit.* Sed forte funguntur eo munere Diaconus, & Subdiaconus, quod in ſolemni Miſſa ſimplicis Sacerdotis, non ſolet adeſſe Presbyter quiſpiam aſſiſtens, imo ut plurimum, nec etiam Cæremoniarius, qui tamen ſi ſolemni Miſſæ aſſiſteret, deberet is potius eo officio fungi elevandi paululum anteriorem veſtem celebrantis, juxta receptam complurium Eccleſiarum conſuetudinem. Porro ubi Epiſcopus cum Miniſtris ad Altare aſcendit, ipſe quidem illud deoſculatur, non autem Miniſtri, qui, ut ait laudatus Gavantus, *non oſculantur, neque tangunt Altare, ſed ſuo quiſque loco genuflectit, & ſtatim ſurgit, quod ſemper obſervent.*

VI. Oſculato per Epiſcopum Altari, dum Subdiaconus in cornu Euangelii, juxta vetus Eccleſiæ inſtitutum, porrigit librum Euangeliorum oſculandum Epiſcopo, Presbyter ipſe aſſiſtens Subdiaconum adjuvat, apponendo manum ad ipſum librum, quem ſtatim capit, & retrahit ſe extra cornu Euangelii, dum Epiſcopus thurificat Altare, adjuvante illum ad incenſationem ipſam Diacono, qui etiam ea finita ipſum Epiſcopum triplici ductu thurificabit, inclinans ſe profunde ante, & poſt, acceptaque ab eodem benedictione inclinatus, thuribulum Acolytho reddet. Sed de his Diaconi muniis alias. Ut itaque hoc loco quæ aſſiſtentis Presbyteri munia ſpectent, enucleemus, *redeunte Epiſcopo ad ſedem ſuam*, ait §. noſter, *ipſe eum præit, & apud eum ſtat.* Verba illa, *ipſe eum præit*, perſpicua ſunt, mirumque iccirco videri debet, quod tam facile labi potuerint, Caſtaldus Lib. I. *Praxis Cæremoniarum*, Sectione VIII. Cap. VIII. Num. XIX. & Bauldryus in Manuali ſacrarum Cæremoniarum Parte V. Cap. VII. Articulo II. Num. V. ubi ajunt, quod *thurificato Altari, Epiſcopo redeunte ad ſedem ſuam ipſe* (Presbyter ſcilicet aſſiſtens, *eum ſequitur.* Præire enim debet, non ſequi Epiſcopum, uti perſpicua eſt §. hujus noſtri Rubrica.

VII. Ergo tradito prius libro, quem tenebat, Miniſtro, redeunte Epiſcopo ad Sedem ſuam, Presbyter aſſiſtens eum præit, & apud eum ſtat, dum legit Introitum, ſolus nempe Epiſcopus celebrans, non autem Presbyter aſſiſtens, qui tamen cum eo ſe ſignat, ut ait Bauldryus; lectoque Introitu Miſſæ, *cum Epiſcopus dicit*, Kyrie eleiſon, *ipſe ſimul cum eo, ac duobus Diaconis aſſiſtentibus, idem dicit. Sedente vero Epiſcopo, & ipſe ſedet ſuper ſcabellum a dextris, vel a ſiniſtris, prout ſupra de Veſperis dictum fuit. Si vero forte Epiſcopus celebrans, non in ſede propria, ſed in Faldiſtorio ſederet*, ob reverentiam ſcilicet Cardinali debitam, vel alii cuipiam ſuperiori, qui Pontificali Miſſæ interfuerit, *tum ipſe Presbyter aſſiſtens ſedebit in aliquo ſcamno prope Altare, verſus cornu Epiſtolæ, ſimul cum Diacono, & Subdiacono ad ſiniſtram Epiſcopi*, ideſt, ſemper tamen prope Altare ad cornu Epiſtolæ. Perſpicua ſunt hucuſque recitata Cæremonialis verba, & iccirco abuſus eſt, quem alicubi ſervari vidi, ob ignaviam ſcilicet Magiſtrorum Cæremoniarum, dum ſinunt, miniſtros ipſos, Diaconum, ac Subdiaconum,

conum, Presbyterumque etiam assistentem in primo Altaris gradu sedere, renes Altari ipsi vertentes.

VIII. Præterea intonante Episcopo Hymnum Angelicum, *Gloria in excelsis Deo*, & Symbolum, *Credo in unum Deum*, Librum super caput sustinet Presbyter ipse assistens, eoque mox ministro reddito, qui appellatur, *de libro*, prosequitur cum eo, & duobus Diaconis assistentibus submissa voce Hymnum ipsum, ac Symbolum, inclinans semper cum Celebrante caput, & se in fine cum eo signans. Hæc fere & iis concinunt, quæ de Cardinale assistente in Missa Papali scribit Patricius loco citato: *Cum Papa est dicturus*, Gloria in excelsis Deo, *accedit, & tenet librum supra caput, & deinde prosequitur cum eo Hymnum Angelicum, & redit ad sedem suam. Item cum Pontifex est dicturus orationes, accedit, & tenet librum supra caput, quousque Papa finiverit orationes, & redit ad locum prædictum*. Et paulo inferius: *Cum Papa est dicturus*, Credo in unum Deum, *similiter accedit, & tenet librum supra caput, & deinde prosequitur cum eo Symbolum*. Porro dicto Angelico Hymno, capite tecto sedebit Presbyter assistens, tum vero librum ad orationem stans sustinebit, sicut & ad alias orationes, uti notat Bauldryus Parte I. *Manualis sacrarum cæremoniarum*, Cap. VII. Articulo II. Num. VII. ubi etiam de Presbytero assistente loquens, hæc habet: *Si Episcopus eget ocularibus, vel sudariolo, illa observabit, & ministrabit illi, nisi id efficiat Cæremoniarius*. Et mox: *Si Episcopus celebret in Faldistorio, poterit ante Euangelium auferre Mitram ab Episcopo, si Minister de ea non possit id efficere*. Et iterum: *Ad Euangelium stabit nudo capite, manibus junctis, se signans initio Euangelii*. Item Presbyter idem assistens Episcopum solemniter celebrantem, *adjuvabit eodem modo prout de prima lotione dictum est, ad lotionem manuum, quoties opus erit in Missa, idest, post offertorium, post oblationem, & post communionem*. Sed de his vide quæ infra fusius dicemus in Commentario ad §. XI. & XII. Capitis XI. hujus Libri I. Cæremonialis Episcoporum.

IX. Si habeatur sermo per Episcopum ad Altare in Faldistorio ibidem allato, Presbyter ipse assistens *sedebit a dextris Episcopi cum Diacono a sinistris, remanente interim Subdiacono in suo scabello*. Si vero in propria sede concionem habuerit Episcopus, *sedebit in scabello suæ assistentiæ*, & finito sermone, ac confessione per Diaconum decantata, *ipse indulgentias pronunciabit in forma, prout suo loco dicendum erit*, in fine scilicet hujus Operis. Desumtus est plane hic ritus ex cæremoniis Capellæ Papalis, uti constat ex Augustino Patricio Lib. III. Sectione IV. Cap. I. ubi loquens de habentibus sermonem in Capella Papæ, & primo de ipso Papa hæc habet: *Summus Pontifex non consuevit facere sermonem alio quopiam celebrante, sed tantum dum ipse celebrat. Et tunc si Altare est apud parietem, itaut Prælati, & omnes sint inferius, ut in Capella Palatii, tunc Papa descendit e sede eminenti, & sedet ante Altare super Faldistorium, vel sedem ibi paratam, vertens faciem ad populum, & renes ad Altare, & post eum Diaconus Euangelii, deinde Diaconus assistens a dextris; a sinistris vero sedet Diaconus tantum, & qui ab illo Altari assistit Subdiaconus Apostolicus; & si sunt Græci Diaconus, & Subdiaconus, sedent in secundo gradu ad illorum pedes hinc inde, Græci a dextris, Subdiaconus solus a sinistris. Post sermonem Diaconus Euangelii facit confessionem, Cardinalis assistens annunciat Indulgentias, & Papa dat benedictionem stans in eodem loco more consueto*. Ubi nota, quod non semel nos observavimus, munia Presbyteri assistentis Episcopo, desumta omnia fere esse ex Cardinale Papæ assistente. Sed de variis ritibus ab Episcopo in concionando servandis, infra opportuniori loco fusius.

X. Si vero sermo habeatur per ipsum Presbyterum, vel per alium Canonicum, qui eo casu assistet Episcopo in ejusmodi officio Presbyteri assistentis cum Pluviali, licet non sit ex antiquioribus, & dignioribus Canonicis, *finito Euangelio, accedet ad osculum manus Episcopi, & profunde inclinatus ab eo petet benedictionem, & sic paratus ascendet ambonem, sive pulpitum, & sermonem habebit, ac finita confessione per Diaconum, ipse in eodem pulpito adhuc stans publicabit Indulgentias in forma*. Etiam postremam hanc §. nostri partem concinere cæremoniis Capellæ Papalis, ex eodem Patricio addiscere licet, qui loco citato, Cap. II. postquam dixit, Cardinales non facere sermonem in Capella Papæ, nisi celebrante Pontifice, vel cum ipsemet Cardinalis celebrat, ita statim subdit: *Si facit sermonem in Missa Papali, ipse, vel Episcopus, sive Presbyter sit, debet assistere in officio Capellæ, etiamsi non sit prior, & intempore, cum Pluviali, & Mitra facere sermonem. Si vero ipse celebrat, dicto Euangelio, ipse deponens Casulam, accipit Pluviale, & vadit ad osculum manus Pontificis, petit benedictionem, & Indulgentias, & ascendit pulpitum, & cum Mitra simplici orat*. Notabile est quod mox subjicit dicens: *Et nota, quod Diaconus Cardinalis non prædicat in Capella Pontificis, neque alius quispiam non Prælatus, nisi sit Doctor in Theologia, secundum antiquas, & probatas cæremonias, quamvis hodie non modo inferioris gradus viri, sed sine dignitate, aut sacro ordine, in studiis humanitatis tantum docti, non sine loci, & ordinis Pontificalis dedecore, onus orandi in totius orbis gravissimo & celeberrimo consessu sibi assumant*. Hactenus ille.

XI. Nunc ut singulos ritus explicemus a Presbytero assistente servandos, dum concionatur celebrante Episcopo Missam Pontificalem, *finito Euangelio*, ait §. *accedet ad osculum manus Episcopi*. De concione haberi solita post lectionem Euangelii in Missa, jam diximus Lib. II. *De Codice sancti Euangelii &c.* Cap. XXIX. Debere ipsum concionaturum deosculari Episcopi manum, ab eoque petere benedictionem, docet post Castaldum Bauldryus, aliique Auctores. Est enim mos antiquus, variis etiam summorum Pontificum,

Digitized by Google

eum, & Synodorum Decretis firmatus, ut concionaturi benedictionem ab Antistite postulent. Id quidem, ut alia Concilia omittam, a Tridentino cautum est Sessione v. Cap. II. De S. Amando Trajectensi Episcopo tradit ejus Vitæ Auctor Beda, solitum eum Concionem mox inchoaturum benedictionem a Prælato accipere. Rationem ejus ritus eam puto, quam Rupertus Abbas Tuitiensis, aliique de divinis Officiis tractantes reddunt, quod nemo scilicet, nisi missus, aut accepta licentia, officium prædicandi usurpare potest: *Lecturus vero*, inquit ille Lib. I. Cap. XII. *benedictionem petens, hoc significat, quod nemo, nisi missus, aut permissus, officium prædicandi usurpare debeat*: Quomodo enim prædicabunt, *inquit Apostolus*, nisi mittantur. Eam benedictionem petendam a Presbytero assistente inclinato tantum capite, non vero genibus flexis, expresse edicit §. noster his verbis: *& profunde inclinatus ab eo petet benedictionem*, constatque etiam ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis in Oscen. die IV. Maji anni MDCXIII. apud Barbosam in Tractatu, *De Canonicis*, Cap. XXXIII. Num. XXIX. & apud Meratum in Notis ad Gavantum. Ex eo enim Decreto inter alia cautum est, Canonicos, & Dignitates non teneri ad benedictionem Episcopi genuflectere, sed tantum caput inclinare.

XII. Præter benedictionem petet etiam concionaturus ille ab Episcopo Indulgentias, paratusque Pluviali, ut erat, *ascendet ambonem, sive pulpitum, & sermonem habebit*. De ambone, & pulpito ad habendas in Ecclesia conciones egregie, ac fuse disserit Bernardinus Ferrarius in Opusculo, *De ritu sacrarum Ecclesiæ veteris concionum*, Lib. III. Cap. III. nonnullaque etiam diximus nos in laudato Opere nostro, *De Codice sancti Euangelii, atque servatis in ejus lectione &c.* Lib. II. Cap. VI. longe plura inferius dicturi, Cap. XXII. *Tandem finita confessione per Diaconum, ipse in eodem pulpito adhuc stans publicabit Indulgentias in forma*. De quo ritu jam alibi dictum fuse a nobis fuit.

## §. V.

Lecto per Episcopum Offertorio, ac lotis manibus, ipse portabit Librum cum pulvino ad Altare, comitante Cæremoniario, vel præmittet Ministrum de eo servientem, ut ipse præsto sit ad lotionem manuum Episcopi. Cum Episcopus revertitur ad Altare, ipse a sinistris, illum gradus Altaris ascendentem adjuvat, & cum erit apud Altare, accurate, & opportune demonstrabit Episcopo omnia & singula, quæ ex Libro erunt legenda, ea digito indicando. Dum autem Episcopus Oblata, & Altare thurificabit, ipse sumto Libro Missali cum pulvino retrahit se extra cornu Euangelii, ne thurificationem impediat; & finita thurificatione Altaris, reponet Librum cum pulvino super eo, ostendens ex illo, quæ successive erunt dicenda, ac dicet simul cum Episcopo, *Sanctus &c.* nec genuflectet, nisi cum elevatur Sacramentum, & cum Episcopus ipse genuflectit. Dicit, *Agnus Dei &c.* cum Episcopo celebrante, & Diacono: quo dicto, locum permutat cum Diacono; ipse enim accedit ad dexterum, Diaconus vero ad sinistrum latus Episcopi; cui relinquit curam Libri. Ipse vero Presbyter assistens, dicta per Celebrantem Oratione, *Domine Jesu Christe, qui dixisti &c.* genuflectit, & statim surgit, osculando Altare simul cum Celebrante, qui sinistram genam suam cum sinistra ipsius Presbyteri assistentis approximans, dat ei pacem, dicens: *Pax tecum*; cui ipse respondet: *Et cum spiritu tuo*. Et iterum ante Sacramentum genuflectens, & statim surgens, recedit cum Cæremoniario ad pacem dandam in Choro, juxta ordinem in suo particulari Capitulo descriptum.

## COMMENTARIUS.

I. LEcto per Episcopum Offertorio, antequod, ut notat Bauldryus, Presbyter ipse assistens tenet Librum coram Episcopo, dum dicit, *Dominus vobiscum*, ac lotis manibus ab Episcopo, ut supra, idem assistens Presbyter portabit Librum ad Altare, comite Cæremoniario cum pulvino, hoc modo quem describit Paris de Crassis, Lib. I. *De cæremoniis &c.* Cap. VII. ubi munia Presbyteri assistentis recenset: *Prius*, inquit, *capit librum Missalem ante pectus, & super eo ab extra pulvinum: tum præcedente Cæremoniario facta reverentia ante Celebrantem.... inde ad Altare, in medio ejus genuflectit, & sic vadit ad dictum cornu Euangelii, ubi strato pulvino superponit librum apertum, ac invenit dicenda, videlicet*; Suscipe sancte Pater omnipotens æterne Deus hanc immaculatam hostiam; *quo facto retrahit se ad posterius cornu prædictum, ubi expectat Celebrantem, cui advenienti facta reverentia, assistit apud librum, & digito ostendit dicenda*. Et mox: *Cum autem incensatur Altare, ipse se ad posterius cornu prædictum retrahens, expectat*

*pectat finem incensationis, ne illam impediat* (sumto scilicet ante incensationem Libro Missali cum pulvino) *& continuo dicit versiculos memoriter, videlicet*: Dirigatur Domine &c. *ita alte, ut Celebrans possit audire versiculos, dum Altare incensat.*

II. Quamquam ex præscripto hujus §. Presbyter assistens, dum Episcopus Altare thurificat, sumto Libro Missali cum pulvino retrahere se extra cornu Euangelii debeat, ipsum Librum cum pulvino manibus ambabus tenens, quousque thurificatio peracta sit; puto nihilominus posse Presbyterum assistentem id muneris Acolytho de Libro committere, vel alii, præsertim si ipse sit multum provectæ ætatis, ac debilis, & Liber Missalis magni ponderis, utpote laminis argenteis tectus, uti est ritus complurium Ecclesiarum, in quibus ejusmodi Libri Missales adhiberi solent. Sed si ritum Pontificiæ Capellæ perspiciamus, non tenetur quidem Liber Missalis a Cardinali assistente Pontifici, dum hic scilicet Altare thurificat, sed a Prælato; & si generalem tandem Cæremonialis Rubricam consulamus, certe illud iterum, atque iterum mandat, tenendum scilicet ab assistente Presbytero supra caput Librum, cum scilicet Episcopus Celebrans aliquid ex eo cantat, nam alias si aliquid ipse Episcopus legat, ab Acolytho quidem, sive a Capellano de eo serviente tenendus est. Si ergo a tenendo Libro liber est Presbyter ipse assistens, cum aliquod legit ex eo Episcopus, multo magis quando nihil.

III. Finita incensatione Altaris, deponet Missale super eodem, ostendens successive dicenda ab Episcopo, & cum Diaconus, ut idem Bauldryus notat, est eum incensaturus post Episcopum, ipse se vertet ad eum, & facta inclinatione primo Diacono, qui debet incensari post eum, duplici ductu thurificatur, inclinans se thurificanti ante & post. Porro varia extant Decreta Sacræ Rituum Congregationis, quæ ad hunc locum illustrandum faciunt. Nam primo, uti etiam alibi notatum est, assistens Presbyter, sive Dignitas sit, sive Canonicus, & non Diaconus Euangelii, debet Episcopum thurificare, ut in Placentina die XIX. Maji MDCVII. statuit Sacra Rituum Congregatio, penes Sellium in Selectis Canonicis, Cap. XXVIII. Num. IV. & Meratum in Notis ad Gavantum. Secundo, Presbyter assistens licet non sit prima Dignitas thurificandus est ante Archidiaconum a dextris Episcopi assistentem, quamvis idem Archidiaconus sit prima Dignitas, ex alio ejusdem Congregationis Decreto die XXIII. Junii anni MDCVII. penes Augustinum Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. XL. & Meratum ibidem. Tertio, Archidiaconus ipse si sustinet Baculum Episcopi, thurificandus est nonnisi immediate post Presbyterum, & Diaconos assistentes juxta Decretum laudatæ Rituum Congregationis in Bracharen die XXVIII. Aprilis anni MDCVII. penes ipsum Barbosam loco citato Num. VIII. & apud Meratum laudato loco. Habere Decretum illud etiam locum, tametsi primus Archidiaconus sit, aliasque habeat prærogativas, cautum est ejusdem Congregationis Decreto in eadem Causa XVIII. Maji, MDCVIII. ut testatur memoratus Barbosa in Tractatu, *De Canonicis*, Cap. V. Numero LII.

IV. Ad Præfationem, simul cum Episcopo, & Diacono submissa voce dicit, *Sanctus &c.* idemque præstabit ad, *Agnus Dei &c.* Ad elevationem autem tantum genuflectit, neque a Libro discedit, nisi quando danda erit pax: *A libro*, inquit Paris de Crassis, *nunquam discedit, nisi ad* Agnus Dei, *ubi continue, & semper stat, nisi in consecratione Sacramenti, donec illud elevatur*. Additque mox: *Igitur ad* Agnus Dei, *ipse assistens dicit cum Celebrante*, Agnus Dei, *& dans locum suum Diacono, qui interim assistere debet pro eo, recedit, & transiens ante Altare, facit reverentiam usque ad terram, & firmat se genuflexum ad dexteram Celebrantis, & eo Altare osculante, etiam ipse illud simul osculatur Celebrantis faciem in maxilla sinistra, cui dicenti*: Pax tecum, *ipse respondet*: Et cum spiritu tuo. *Deinde ducitur ad Legatum, si adest, ante quem primo caput profunde cum humeris inclinat, tum dat osculum in sinistra maxilla ejusdem, dicens*. Pax tecum; *& ille respondet*: Et cum spiritu tuo; *& modicum retrogressus, ut prius inclinat. Deinde vadit ad alios, ad quos per Cæremoniarium ducitur, prout in Capitulo*, De pace danda, *infra suo loco dicetur, semper observans ipsum Cæremoniarium, ut inclinationes, & genuflexiones, sicut per illum monstrabuntur, exequatur. In fine dat osculum eidem Cæremoniario, & sic revertitur ad suam assistentiam, cum reverentiis Altari, & Legato.* Multa sunt in hac Paridis Crassi, quæ nostro Cæremoniali concinunt, in eo autem is Auctor labitur, quod doceat, faciendam esse inclinationem tum ante, tum post quam data est pax, cum alioqui ex nostro Cæremoniali diserte cautum sit, ne cuiquam reverentia fiat, nisi post datam pacem, uti ex sequenti §. constat.

## §. VI.

Advertat autem, ne cuiquam Canonico, neque alteri etiam Principi quantumlibet magno, priusquam ei pacem det, ullam reverentiam faciat, sed solum post datam ei pacem, quæ reverentia solis Canonicis, Magistratui, & Principibus convenit, quando assistens, qui pacem defert, est Canonicus. Dum autem eundo, & redeundo ad Chorum, transit ante Episcopum, vel Altare, servabit debitas reverentias, vel genuflexiones, prout ei a Cæremoniario monstrabitur, ac prout latius in Capitulo, *De reverentiis*, exprimitur. Data pace quibus per ipsum danda est, dat eam ulti-

Digitized by Google

ultimo loco Cæremoniario, qui eum duxit, & redit ad Altare, ubi transfert Librum a cornu Euangelii ad cornu Epistolæ, nisi jam translatus esset a Diacono, & adjuvat ad lotionem manuum Episcopi, ut alias; deinde redit ad Librum, ostendens Episcopo cetera, quæ supersunt; & data benedictione, si Indulgentiæ non fuerint publicatæ, quod contingit, quando non fuit habitus sermo, eas tunc, petita prius licentia ab Episcopo, publicat in forma.

## COMMENTARIUS.

I. CUm plura de ordine dandi pacis osculum Cæremoniale hoc nostrum statuat infra peculiari Capite XXIV. ne bis eadem dicamus, ad ea Lectorem remittimus, quæ in nostris ad varios dicti Capitis paragraphos explicabimus. Porro ex hoc §. illud liquido constat, quod ad calcem superioris Commentarii notatum est, labi Paridem Crassum, cum ait, faciendam esse a Presbytero assistente reverentiam, & inclinationem, etiam antequam alicui pacem præbeat. Est enim id contra expressa, ac perspicua §. nostri verba, quibus cautum est, ut Presbyter ipse assistens *advertat, ne cuiquam Canonico, neque alteri, etiam Principi, quantumlibet magno, priusquam ei pacem det, ullam reverentiam faciat, sed solum post datam ei pacem*. Ceterum ut dum eundo, & redeundo ad Chorum Presbyter ipse assistens, ac pacem deferens, ante Altare transit, aut ante Episcopum, debitas servet reverentias, vel genuflexiones, prout a Cæremoniario monstrabitur, luculentissime ex hoc nostro §. cautum est, docentque id ipsum omnes, qui de sacris Cæremoniis tractant, Augustinus Patricius, Paris de Crassis, Castaldus, Bauldryus, & alii Scriptores passim.

II. Data pace quibus per ipsum Presbyterum assistentem danda est, scilicet Canonicis, Magistratui, & Principibus, non autem Beneficiatis, aut aliis laicis, nisi sit consuetudo, dat eam in Choro ultimo loco Cæremoniario, qui eam aliis distribuit, ut notat Bauldryus; & redit ad Altare, ubi transfert Librum a cornu Euangelii ad cornu Epistolæ, nisi jam translatus sit per Diaconum, qui ejus curam habebat, & ministrat mappam, si fieri potest, ad lotionem manuum Episcopi, uti alias dictum est. Tum redit ad Librum, ostendens Episcopo cetera, quæ supersunt: *Post hæc*, inquit Crassus, *facta purificatione, ipse portat librum ad cornu Epistolæ, nisi prius Diaconus portaverit, ubi firmus ostendit digito cantanda, & sic perficit officium suum*. Notandum vero hic est, quod ait Patricius Lib. III. Sectione II. Cap. IX. & alibi, nempe ad Cardinalem Presbyterum assistentem pertinere, *in Missa infundere vinum pro purificatione ad digitos Papæ*. Præscriptum etiam ex nostro Cæremoniali tradit Bauldryus, ut Presbyter ipse assistens Episcopo in Missa, *infundat vinum in Calicem pro purificatione Episcopi, quod fieri debet ab eo post sumtum pretiosum sanguinem, & datam pacem in Choro*. Sed quicquid sit de hoc ritu, quem alias in Missa Episcopi ad Diaconum spectare non uno in loco nostrum Cæremoniale docet, ut ad hunc præsentem §. deveniamus, data demum benedictione ab Episcopo, ad quam profunde se tantum inclinat, non autem genuflectit, uti ex Decretis Sacræ Rituum Congregationis superius allatis cautum est, si Indulgentiæ non fuerunt publicatæ, quod contingit, quando sermo non fuit habitus, eas tunc, petita prius licentia ab Episcopo, publicat in forma, ut infra, suo loco dicetur. Si dicendum est autem peculiare Euangelium in fine Missæ, ipse etiam transfert Librum, & ministrat ei ad cornu Euangelii, illud ei indicans. Finita vero Missa sequitur Episcopum ad Sedem, ubi deponit Pluviale, & Episcopum redeuntem ad locum suæ habitationis in habitu Canonicali una cum aliis comitatur, uti post Castaldum notat Bauldryus. Sed notandum, quod ait Crassus, finita Missa, ipsum primo exutum Pluviali debere Episcopum exuere *cum lectione Psalmi, ac versiculorum, & orationum, ut in Ordinario*. Alludit ad orationes, quæ post Missam in gratiarum actionem ab Episcopo recitari solent.

## §. VIII.

Episcopo vero non celebrante, sed Vesperis, aut Missæ solemni per alterum cantatæ præsente, tunc Presbyter, Canonicus dignior post Dignitates, assistat, prout & duo Canonici Diaconi, sed in habitu Canonicali sine paramentis, cujus offici unus tunc erit ministrare Episcopo naviculam incensi, quoties benedicendum, & in thuribulo ponendum erit; & eundem Episcopum thurificandi post Euangelium, & post Oblata, & si est paratus cum Mitra, etiam in initio Missæ, & post *Agnus Dei* accipere pacem, eamque deferre Episcopo, qui statim eam dat duobus Diaconis assistentibus; ipse vero reversus ad sedem suam in Choro, illam dabit Subdiacono, qui eam cæteris det; nisi celebraret alius Prælatus, qui haberet proprium assistentem, quem tali casu convenit pacem accipere a Canonico assistente, & distribue-

Digitized by Google

tribuere ceteris; & habebit locum idem Presbyter assistens prope Sedem Episcopi in scabello, ut alias, usque dum inchoatur Præfatio, nisi dum fiunt circuli, ad quos ipse accedit cum aliis, & dum habetur sermo, quo tempore accedit cum aliis ad locum suum.

## COMMENTARIUS.

I. AGitur tandem in hoc §. de muniis Presbyteri assistentis, ubi scilicet Vesperas, vel Missam proprius Episcopus non celebraret, sed alius ab eo, præsente tamen proprio ipso Episcopo; tunc quidem, ut noster §. mandat, Presbyter Canonicus dignior post Dignitates, Canonicali suo habitu tantum indutus, suo loco assistentis munus exercere debet, naviculamque incensi, quoties erit imponendum thus in thuribulum, cum debitis osculis ministrabit, & Episcopum ad Vesperas, & in Missa, post Euangelium, & post Oblata tantum, nisi Episcopus sit paratus cum Mitra, incensabit. Post *Agnus Dei*, ut inter alios observant Castaldus, & Bauldryus, accedit ad Altare, ubi cum debitis reverentiis accipit pacem a Celebrante, illamque defert Episcopo, qui eam statim dat duobus Diaconis assistentibus; ipse vero in loco suo illam dabit Subdiacono, qui eam ceteris deferat. Quod si celebraret ante Episcopum loci Prælatus aliquis, qui suum habeat assistentem, eo casu Canonicus assistens, data pace proprio Episcopo, eam deinde dabit Presbytero illi assistenti, qui pacem deinde aliis distribuet; non enim est Subdiaconi id præstare, uti jam alias notatum est.

II. Locus eo casu Presbyteri assistentis est in scabello nudo prope Episcopum, uti supra dictum est, ibique stabit usque ad Præfationem; nam tunc recedit in Chorum ad locum sui Ordinis, removeturque scabellum ejus per aliquem Acolythum, nec inde recedit, nisi dum fiunt circuli, ad quos ipse cum aliis accedet. Cum etiam fit sermo accedit in Chorum ad locum suum. Ad vesperas non paratus, ad locum assistentiæ suæ pergit, dum cantatur prima Antiphona ante Psalmos, stat enim in Choro cum aliis ad *Deus in adjutorium &c.* Si tamen locus esset arctior, sederet in loco suo cum aliis in Choro usque ad *Magnificat*; comitabitur tunc enim Episcopum ad incensationem Altaris, ubi eum thurificabit, dataque benedictione redit cum aliis collegialiter in Chorum. Vide Bauldryum Parte V. Cap. VII. Num. XXII. & Augustinum Patricium Lib. III. Sectione II. Cap. III.

III. Ceterum ut finem Commentario huic faciam, si aliquando Episcopus velit celebrare Missam in Festis minoribus, aut Feriis, non est necesse, ut prima Dignitas ei assistat, sed sufficit alius, præsertim ubi ordines Canonicorum sunt distincti, videlicet prior Presbyterorum, ut in Dominicis Adventus, in secundo, & tertio die post Nativitatem Domini, in die Cinerum, in Dominicis Quadragesimæ, Palmarum Dominica excepta, in Parasceve, in Sabbato sancto, & Albis, in secunda, & tertia Feria Paschatis, & Pentecostes, in Ordinationibus, & quando in vigiliis celebret. Item in absolutionibus defunctorum, & quoties Episcopus interest divinis, & non celebrat principaliter. Atque hic numerus desumtus est ex Cæremoniali Papæ, Auctore Patricii laudato Lib. III. Sectione II. Cap. VII.

# CAP. VIII.

*Duo Canonici in habitu Diaconi Episcopo celebranti assistunt. Eorum officium in Vesperis, & Missa solemni. Episcopo non celebranti assistunt in habitu Canonicali.*

## §. I.

Episcopo, sive ipse Missam celebret, vel ad Vesperas officium faciat, vel si ipsis tantummodo sit præsens, convenit duos assistere Canonicos, qui, si in Ecclesia sint distincti ordines, seu præbendæ Presbyterales, & Diaconales, erunt duo primi Canonici ex ordine Diaconali. Quod si forte in aliqua Ecclesia nec Dignitates, neque ordines distincti essent, tunc erunt duo primi Canonici, vel Dignitates immediate sedentes post primam Dignitatem, vel primum Canonicum.

## COMMENTARIUS.

I. DE assistentia duorum Canonicorum in habitu Diaconali, Episcopo celebrante, vel eo non celebrante, in ordinario habitu, in hoc præsenti Capite agitur. Primum autem, quod is §. noster edicit, Canonicos duos primos Diaconos, quando præbendæ sunt distinctæ, debere assistere hinc inde Episcopo solemniter celebranti, decrevit etiam Sacra Rituum Congregatio in Placentina die XIX. Maji anni MDCVII. in responsione ad VII. Dubium penes Barbosam, & alios Decretorum laudatæ Congregationis Collectores. Idipsum jam olim docuit ex priscis

Digitized by Google

priscis Ecclesiæ cæremoniis Paris de Crassis Lib. I. *De Cæremoniis Cardinalium, & Episcoporum &c.* Cap. XIX. ubi inter alia hæc habet: *Si ordines Canonicatuum distincti sint, videlicet, alii Presbyterales, alii Diaconales, & alii Subdiaconales, tunc primi duo Diaconi, & non alii assistere debent, quorum altero, vel utroque deficiente, supplebunt vel ultimi Presbyteri, vel primi Subdiaconi, tamquam duo Levitæ Arcam fœderis custodientes.* Atque hæc ratio est, cur Episcopo, sive Missam, vel Vesperas celebret, sive illis tantum sit præsens, conveniat, duos Canonicos assistere, & quidem primos ex Ordine Diaconali, si Præbendæ sint distinctæ in Presbyterales, & Diaconales, ut ait hic §. noster; si enim nulla esset distinctio, *tunc duo primi Canonici, vel Dignitates immediate sedentes post primam Dignitatem, vel primum Canonicum, deberent assistere.* Porro assistentes duos Canonicos debere eligi ex numero Diaconorum, quando scilicet Præbendæ, uti dictum est, sunt distinctæ, decrevit etiam Sacra Rituum Congregatio in Nolana die XXIII. Maji anni MDCIII. apud laudatum Barbosam in Tractatu, *De Canonicis*, Cap. XXXIII. Num. VII. Quod autem assistentia duorum Canonicorum semper conveniat Episcopo, sive celebret, sive divinis Officiis assistat, & etiam dum vadit ad Ecclesiam, decidit quoque Sacra ipsa Rituum Congregatio die X. Maji anni MDCI. penes eumdem Auctorem Augustinum Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum, Collectan. XLVII. Num. XII.

## §. II.

Hi autem; si Episcopus celebret, aut officium faciat, induti esse debent habitu Diaconali, hoc est, Dalmatica supra Rocchettum, si eum usum habeant, sin minus, super Cottam, & Amictum; ac sedente Episcopo in sua Cathedra Episcopali, ipsi sedent hinc inde super scabellis nudis; ac procedente Episcopo a Secretario ad Altare, & ab Altari ad Sedem, & rursus a Sede ad Altare, ipsum medium facientes, ac fimbrias anteriores Pluvialis hinc inde sublevantes, quando eo utitur, etiam apud Altare, cum illud incensat, &, si opus erit, ejus brachia sustentantes, deducunt; videlicet senior, sive dignior illorum a dextris, alter a sinistris, capitibus detectis; & debent Episcopo solemniter celebranti assistere, ultra alios duos, qui serviunt illi in officio Diaconi, & Subdiaconi, pro Euangelio, & Epistola cantandis, de quorum officio, & habitu paulo post dicetur in sequentibus Capitibus. Quod intelligendum est, quando Episcopus celebrans sedet in sua Sede, & Solio Episcopali; secus si sederet in Faldistorio, quia tunc non requiritur alia assistentia, nisi Presbyteri assistentis, & prædictorum Diaconi, & Subdiaconi, ad Euangelium, & ad Epistolam in Missa servientium, qui eo casu supplent apud Episcopum loco illorum, imponendo, & auferendo illi Mitram, & Chirothecas, aliaque omnia faciendo, quæ ipsi duo Diaconi assistentes, cum Episcopus residet in Sede sua Pontificali, facere solent, prout statim inferius dicetur.

## COMMENTARIUS.

I. Diaconos duos assistentes Episcopo celebranti, indutos esse habitu Diaconali debere, hoc est, Dalmatica super Amictum, atque Rocchettum, sive Cottam, si privilegio deferendi Rocchettum careant; ac præterea sedente Episcopo in sua Cathedra Episcopali, sedere & ipsos hinc inde debere super scabellis nudis, §. is noster edicit, omnesque id ipsum Scriptores tradunt, qui sacras Cæremonias enarrant, ac explicant, præsertim vero omnium plane Magister Paris de Crassis Lib. I. Cap. XIX. Item, dum Episcopus Pluviali indutus e Secretario ad Altare procedit, & ab Altari ad Sedem, & rursus a Sede ad Altare comitari, ipsos detectis capitibus, hinc inde illum debere, ac fimbrias anteriores Pluvialis illius elevare, *etiam apud Altare, cum illud incensat*, præter expressam §. hujus nostri auctoritatem, declaravit etiam Sacra Rituum Congregatio in Placentina die XIX. Maji anni MDCVII. in responsione ad VII. Dubium, dicens, Canonicos duos Diaconos assistentes, & non assistentem Presbyterum, debere elevare hinc inde fimbrias Pluvialis, dum Episcopus progreditur, & thurificat Altare.

II. Rursus, uti ex sequenti §. inter alios scite observant Castaldus in Praxi Lib. I. Sectione VIII. Cap. IX. & Bauldryus in Manuali, Parte V. Articulo II. Cap. VIII. non modo cum Episcopus indutus Pluviali ad Altare, vel ad Sedem suam Pontificalem procedit, Diaconi ipsi assistentes hinc inde eum nudo capite comitari debent, ac fimbrias Pluvialis illius elevare; verum etiam cum ille ante Altare genuflectit, munus illorum est, ut decenter latera Pluvialis super eo adaptent. Quoties etiam apud Sedem suam Episcopus manum suam dexteram elevat, ut se, aut



Digitized by Google

alias personas, seu res quascumque signo Crucis signet, sive ut pectus percutiat, aut alia de causa; toties Diaconus a dextris ejus assistens, Pluvialis fimbriam a latere suo elevare paululum debet. Quod si Episcopus ambas elevet manus, ut scilicet aliquid e libro legat, vel ut benedictionem solemnem impertiatur, elevabunt tunc ambo Diaconi hinc inde Pluvialis fimbrias; si vero cantet, vel aliquid e libro legat, apponent & ipsi hinc inde manus super eo, & primus quidem folium volvet, alter locum legendum digito indicabit. Ceterum celebranti Missam Episcopo, & Planeta utenti, non est opus, ut Diaconi ipsi asistentes fimbrias elevent, id enim offici exhibendum est, cum Pluviale adhibetur; tenentur autem ei in aliis servire, & præsertim in ponendo, & auferendo Mitram, ut infra suo loco dicetur.

IV. Quamquam vero tum ex nostro hoc §. tum ex variis Sacrarum Rituum, & Concilii Congregationum Decretis, *duo Diaconi debeant Episcopo solemniter celebranti assistere ultra alios duos, qui serviunt illi in officio Diaconi, & Subdiaconi pro Euangelio, & Epistola cantandis*, de quorum officio, & habitu, suo loco agetur; sciendum tamen, prædictorum illorum Diaconorum asistentiam, tum quidem requiri, *quando Episcopus celebrans sedet in sua Sede, & Solio Episcopali, secus si sederet in Faldistorio*, quia scilicet tunc non requiritur alia asistentia, nisi Presbyteri asistentis, & Diaconi, ac Subdiaconi, qui ad Euangelium, & ad Epistolam Missæ inservient, quique eo casu omnia illa præstabunt, quæ ipsi duo Diaconi asistentes, cum Episcopus residet in sua Sede, seu Solio Pontificali facere solent, ut §. noster mandat, cui etiam Sacrarum Congregationum Decreta consentiunt, omnesque passim Scriptores, qui de sacris Episcoporum cæremoniis tractant.

## §. III.

Officium ergo prædictorum Diaconorum assistentium est, ut cum Episcopus in Vesperis genuflecti t ante Altare super Faldistorium, ipsi aptent hinc inde decenter latera Pluvialis super eo, & junior ex eis, qui assistit ei a sinistris, aufert illi Mitram, quam dat ad manus Ministri de ea servientis, alter vero a dexteris aufert ei biretum, complanando leniter capillos. Cum vero Episcopo Mitra imponitur, Diaconus assistens a dexteris, imposito bireto, illam imponet, altero a sinistris adjuvante, & vittas a tergo Episcopi aptante; & semper quoties Episcopus apud Sedem suam elevat manum dexteram signando se, aut alios signo Crucis, velut cum benedicit thus, cum benedicit Presbyterum assistentem, qui eum thurificavit, vel alias quo ties personas, aut res aliquas benedicit, sive pectus percutiendo, aut alia de causa, toties Diaconus a dexteris parum elevat Pluviale a latere suo, ac etiam cum thurifi cat Altare. Cum autem elevat ambas manus, & quando est lecturus aliquid ex libro, seu daturus benedictionem solemnem, Diaconi assistentes hinc inde elevant fimbrias Pluvialis, & cum Episcopus cantat, vel legit aliquid ex libro, ipsi Diaconi asistentes hinc inde apponunt manus super Librum, & primus volvit folium, alter digito indicat textum, qui legi debet: sed celebranti Missam, quia non habet Pluviale, sed Planetam, non est necessarium fimbrias elevare, sed ei servient in ceteris rebus necessariis, & specialiter in ponendo, & auferendo Mitram, quod sæpius accidit; videlicet, primo, cum pervenerit ante Altare genuflexus. Secundo, post thurificationem Altaris in principio Missæ, cum ipse thurificatur. Tertio cum dicit Introitum, & *Kyrie eleison*; cum dicit, *Gloria in excelsis Deo*; cum dicit Orationes. Quarto, ad Euangelium, idest, statim data benedictione Diacono. Quinto, statim finita confessione per Diaconum post sermonem, ubi sermo habetur, pro absolutione danda. Sexto, ad Offertorium. Septimo, cum post Offertorium ad Altaris gradus pervenerit; sed hoc casu Diaconus Euangelium cantans, aufert ei Mitram, & regulariter cum Episcopus est apud Altare, serviet ei Diaconus Euangelii; cum vero est apud Sedem, serviunt ipsi assistentes, nisi ubi necessitas aliud suadeat, ut post thurificationes Altaris; quia tunc primus Diaconus assistens imponit ei biretum, & Mitram, cum Diaconus Euangelii tunc sit impeditus cum thuribulo, quod de manibus Episcopi accepit, ut eum thurificet. Regulare enim est, tam in Missis, quam in Vesperis, quod, existente Episcopo apud Sedem suam, sedenti semper aufertur, & imponitur Mitra; secus quando genuflectit pro oratione facienda, quia tunc stanti imponitur, genuflexo aufertur, excepto casu primi accessus ad Ecclesiam, ut supra Cap. II. §. v. & quando est apud Altare, in Missa stanti impo-

Digitized by Google

imponitur, & aufertur. Hoc etiam obſervent ipſi aſſiſtentes, ut cum unus ex eis ſurgit, facturus aliquod miniſterium, ad rem divinam ſpectans, pariter & alii coaſſiſtentes ſurgunt; cum autem ſeſſuri ſunt, nutu capitis ſe invicem ad ſedendum invitant. Hæc, quæ diximus, obſervanda ſunt, celebrante Epiſcopo ſolemniter.

## COMMENTARIUS.

I. QUum multa ex iis, quæ in hoc §. continentur, in Commentario ad ſuperiorem §. enarrata jam fuerint, iis iccirco omiſſis ad ea, quæ explicanda ſuperſunt, devenio. Primo itaque, ut laudati Auctores Caſtaldus, ac Bauldryus, aliique paſsim Scriptores docent, in Veſperarum Officio ab Epiſcopo ſolemniter celebrando, Diaconi ipſi aſsiſtentes venientem ad Eccleſiam Epiſcopum in habitu Canonicali comitantur, & dum ſacris induitur indumentis, eum adjuvant, Amictu ipſi, & Dalmatica induti, Epiſcopo autem omnibus paramentis induto, Mitram capiti ejus imponunt. Dum autem idem Pluviali indutus ad Altare procedit, hinc inde eum comitantur, nudo capite, fimbrias Pluvialis elevantes, & cum *in Veſperis genuflectit ante Altare ſuper Faldiſtorium, ipſi aptent hinc inde decenter latera Pluvialis ſuper eo, & junior ex eis, qui aſſiſtit ei a ſiniſtris, aufert illi Mitram, quam dat ad manus Miniſtri de ea ſervientis, alter vero a dexteris aufert ei biretum, complanando leniter capillos*. De Miniſtro ſerviente Epiſcopo in Divinis, ut ajunt, *De Mitra*, dicemus infra in Commentario ad §. IV. Cap. XI. ubi etiam de aliorum Miniſtrorum officio eidem Epiſcopo inſervientium, videlicet, *De Libro*, *De Candela*, *De Baculo*, & aliis agemus. Quod biretum ſpectat, debet illud plane a Diaconis aſsiſtentibus Epiſcopo auferri, atque imponi, ubi nimirum Pluviali, & Mitra indutus Divina peragit, alias enim ſi cum Cappa ille ſedens ad Sedem ſuam ſibi de per ſe debet illud extrahere, uti cenſuit Sacra Rituum Congregatio die IV. Aprilis anni MDCXX. in Teleſina XXII. Decembris MDCXXIX. & in Iſernienſi XXI. Auguſti MDCXXXII. dicens, *neque Dignitates, neque Canonicos aſſiſtentes Epiſcopo, teneri caput Epiſcopo tegere, & detegere quando aſſiſtit divinis cum Cappa, & bireto*; uti videre eſt apud Barboſam, *De Canonicis*, Cap. XXX. Num. XXVI. & XXVII. & apud Meratum in Notis ad Gavantum.

II. Sed ut ipſorum aſsiſtentium Diaconorum munia proſequamur, dum Epiſcopus dicit, *Deus in adjutorium meum intende*, primus elevat partem Pluvialis illius dexteram ſiniſtra, ſe ſignans dextera; & inchoato primo Pſalmo, primus imponit ei Mitram ſimplicem, adjuvante ſecundo. Ad Pſalmos ambo tecto capite ſedent, quod tamen ad verſum, *Gloria Patri*, & alios ſimiles nudabunt, ſe inclinantes. Primus ubi ſtans ſecundam intonabit Antiphonam, & alter ſtabit; id quod etiam a primo ſervabitur, intonante ſecundo Antiphonam quintam, juxta ordinem præſcriptum Libro II. hujus Cæremonialis, Cap. I. §. IX. Ad Capitulum ſtant nudo capite, & reſponſo a Choro, *Deo gratias*, ſecundus aufert Mitram leviorem, ſed prius ei ſtanti cum Mitra præintonatur principium Hymni, & repetita ab eo Antiphona ante *Magnificat*, ſtant cum Presbytero aſſiſtente ad Antiphonam, benedictoque incenſo, primus imponit Mitram pretioſam, quam Epiſcopus defert ad Altare medius inter eos nudum caput habentes. Ubi ad Altare acceſſerunt, ſecundus aufert Mitram, ſtatimque ambo eum adjuvant dum ad Altare aſcendit, & ſimiliter hinc inde procedunt, dum Altare thurificat, nudo ſemper capite, ac parum Pluvialis fimbrias elevantes, ut alias dictum eſt; non enim eſt Presbyteri aſsiſtentis, Epiſcopo, dum incenſat Altare, aſsiſtere, ex Decretis Sacræ Rituum Congregationis ſuperius allatis.

III. Thurificato Altari, primus imponit ei Mitram in parte Epiſtolæ, eumque ambo comitantur redeuntem ad Solium ſuum, ubi poſtquam a Presbytero aſsiſtente thurificatus fuerit, ſecundus aufert Mitram, & ambo thurificantur poſt Presbyterum aſsiſtentem duplici ductu, inclinationibus ſe ad incenſationem interim invitantes, antequam ſcilicet incenſum accipiant, Presbyter aſsiſtens verſus primum Diaconum caput inclinando, iſte vero deinde ſuo tempore erga ſecundum, qui eſt a ſiniſtris, quique ad incenſationem neminem invitabit. Porro quod Presbyter aſsiſtens, licet non prima Dignitas, thurificandus ſit ante Archidiaconum a dextris Epiſcopi aſsiſtentem, quamvis idem Archidiaconus ſit prima Dignitas, decidit jam Sacra Rituum Congregatio die XXIII. Junii, anni MDCVII. Item quod Diaconi aſsiſtentes Epiſcopo licet minus digni ſint, ratione aſsiſtentiæ, ante Dignitates, & ceteros Canonicos thurificari debeant, declaravit non ſemel eadem Sacra Rituum Congregatio, præſertim in Cremonen. die XXVIII. Septembris anni MDCII. in Nolana die XXIII. Maji anni MDCIII. & in Bracharen die XIX. Junii anni MDCIX.

IV. Cum tandem peracta incenſatione repetitur in Choro Antiphona poſt *Magnificat*, ſedenti Epiſcopo primus imponit Mitram, eaque finita, ſecundus aufert. Ad orationem ſtant ambo, manibuſque hinc inde ſuper librum apponunt, *& primus volvit folium, alter digito indicat textum, qui legi debet*. Reſponſo a Choro, *Deo gratias*, poſt *Benedicamus Domino*, Epiſcopo Mitram imponit primus, cum qua in ſua Sede, ipſis ſemper ſtantibus nudo capite, & dumtaxat ſe inclinantibus, benedicit Epiſcopus populo, &, ſi ſit Archiepiſcopus, accedente Cruce, Mitra ei aufertur. Non teneri autem Canonicos & Dignitates ad benedictionem Epiſcopi genuflectere, ſed tantum caput inclinare, deciſum eſt a Sacra Rituum Congregatione



Digitized by Google

tione in Oscen. die IV. Maji anni MDCXIII. Finitis Vesperis, dum Episcopus paramenta sacra deponit in sua Sede, Diaconi ipsi assistentes illum adjuvant, tum depositis Dalmaticis, eundem in habitu Canonicali comitantur, quod, si ad Altare benedictionem dederit, eum illuc comitantur eundo, & redeundo ad Sedem, fimbrias Pluvialis illius parum elevantes, uti alias dictum est.

V. Hæc cæremonias spectant, quæ servari a duobus Diaconis assistentibus debent, ubi Episcopus Vesperas solemniter celebret. Quod autem ad Missam solemnem attinet, Episcopum illam celebraturum ad Ecclesiam procedentem, in habitu Canonicali cum aliis de Capitulo comitantur, deinde ad Sedem, ubi stant eodem habitu Canonicali induti usque ad initium Tertiæ; & dum Episcopus dicit Psalmum, *Quam dilecta*, & alios ad præparationem Missæ præscriptos, respondent ei cum assistente Presbytero; dum vero alii Ministri Celebrantem induunt, stantes ipsi Diaconi duo eos adjuvant, unusquisque a parte sua. Circa finem Tertiæ paulo ante orationem Diaconi ipsi assistentes recedunt, & sua paramenta capiunt, idest Amictum, & Dalmaticam super Rocchettum, aut Cottam. Interim dum ii parantur, *Episcopo assistunt duo alii Diaconi illis proximi in suo habitu Diaconali, & in eorum defectum duo ultimi Presbyteri*, ex Cæremonialis nostri præscripto Lib. II. Cap. XIII. §. v. Qui etiam manus ad librum apponunt, ut supra, ad orationem.

VI. Tertiæ Hora finita, prædicti duo assistentes Diaconi habitu Diaconali parati, idest Amictu, & Dalmatica super Rocchetto, vel Cotta, tunc redeunt ad Episcopum, eique Mitram pretiosam imponit Diaconus Euangelii, uti ex §. XXI. Cap. VIII. Lib. II. Episcopo jam ad Missam parato, procedunt cum illo ad Altare manibus junctis, ac nudo capite, hinc inde a lateribus ejus, ac primus quidem post Presbyterum assistentem, secundus post Diaconum Euangelii; & salutantes Chorum, factaque reverentia Altari, genuflexo ante gradus illius Episcopo, Mitram ei primo auferunt, uti expresse §. is noster præscribit, ubi ait auferendam ab ipsis Diaconis assistentibus Mitram Episcopo, *primo cum pervenerit ante Altare genuflexus*. Unde errat Bauldryus, ubi in suo Manuali Cæremoniarum, Parte V. Articulo II. Cap. VIII. Num. XIV. loquens de ingressu Episcopi, eorumque assistentium duorum Diaconorum ad Altare, scribit: *Nec auferunt ibi Mitram, ibique remanent, donec Episcopus Altare thurificet, & tunc primus facta Altari reverentia, accedit per planum ad cornu Epistolæ, ubi imponit Mitram Episcopo, ut thurificetur cum ea*. Si imponit, ablata ergo erat ei Mitra, tunc scilicet, ubi primum ad Altare pervenit, ibique genuflexit.

VII. Cum fit Confessio, locum dantes Presbytero assistenti, qui erit a dextris, & Diacono Euangelii, cujus locus a sinistris erit, aliquantulum retro & ipsi hinc inde stabunt. Dum vero incensatur Altare, a lateribus hinc inde assistent, quod ubi fuerit incensatum, ipsi in cornu Epistolæ Mitram Episcopo imponent; licet enim regulariter ipsi Episcopo ministrare de Mitra dumtaxat in Solio debeant, nihilominus in incensatione iccirco eo funguntur officio, quod Diaconus Euangelii, qui id præstare deberet, quia est ad Altare, circa thurificationem tunc temporis occupetur, ut scite notat Castaldus Lib. I. *Praxis Cæremoniarum*, Sectione VIII. Cap. XI. Esse Diaconi Euangelii munus Episcopo Mitram ad Altare imponere, decisum etiam habemus a Sacra Rituum Congregatione utraque parte acerrime informante in celebri Romana, die XXVI. Aprilis anni MDCIV. ad relationem Cardinalis Barberini. In illa enim quæstio erat circa impositionem, & depositionem Mitræ, & Gremialis, uno ex DD. Cardinalibus celebrante coram Summo Pontifice, an scilicet impedito Diacono munus illud spectaret ad Subdiaconum, vel ad Magistrum Cæremoniarum.

VIII. Ad demonstrandum autem, quod illud munus spectare poterat ad Cæremoniarum Magistros, ex istorum parte adducta fuere verba celeberrimi Cæremoniarum Magistri Paridis Crassi, qui Lib. I. Cap. XXV. *De usu Mitræ pretiosæ &c.* sic inter alia inquit: *Officium Diaconi .... est ponere, & deponere Mitram, ac biretum in Missa, nisi quando est occupatus in eadem, ut quando post incensatum a Celebrante Altare, ipse capit thuribulum de manu ejus, quia tunc non potest ponere Mitram; sed illo casu pro Diacono supplet Subdiaconus, aut assistens Capellanus, vel Cæremoniarius*: quibus verbis accerrime insistebatur in efficacia, ac virtute dictionis disjunctivæ, *vel*, in alternativum sensum acceptæ, & comprobatæ ab immemorabili consuetudine sub oculis Summi Pontificis, & toto S. R. E. Cardinalium coetu servata. Nihilominus tali consuetudine non attenta responsum fuit, ipsam dictionem, *vel*, uti positam inter personas diversæ qualitatis, importare ordinem, non autem alternativam, & proinde Cæremoniarum Magistros in dicta functione non posse concurrere cum Subdiacono, sed debere ei locum cedere, denegata etiam nova audientia ipsis Magistris Cæremoniarum Capellæ Pontificiæ, prout hæc omnia latius a Dominico Ursaya referuntur Tomo II. Parte I. Disceptatione XXVIII. per totum, & Tomo IV. Parte II. Disceptatione III. Num. XXIX. & XXX.

IX. Sed ut ordinem nostrum prosequamur in recensendis duorum Diaconorum assistentium muniis, incensatione Altaris peracta ipsi Episcopum ad Solium ex Altari procedentem comitantur, ibique illi Mitram auferunt, antequam Introitum legat: legenti Introitum mox illi assistunt; & ad *Kyrie eleison*, alternatim cum Presbytero assistente respondent, deinde iterum pretiosam ei Mitram primus ex ipsis imponit, & secundus Gremiale acceptum a ministro de eo serviente super Episcopi genua ponit, amboque, Episcopo sedente, in suis scabellis tecto capite pariter sedent, ut post laudatum Castaldum notat Bauldryus loco citato, Num. XV. licet rectius alii doceant Gremiale ipsum ponendum a Diacono assistente post impositam Mitram; is enim ritus servatur, ut primus Diaconus assistens Mitram prius, & dein-

Digitized by Google

& deinde Gremiale imponat, secundus Diaconus Gremiale primum, postea Mitram auferat.

X. Cantatis *Kyrie*, surgunt, secundus aufert Gremiale ab Episcopo, illudque tradit Ministro, tum Mitram etiam aufert; & cum Episcopus dicit *Gloria in excelsis Deo*, illud submissa voce simul, & non alternatim complent: quo finito primus leviorem Mitram Episcopo sedenti imponit, & secundus postea Gremiale; *ut plurimum enim*, inquit nostrum Cæremoniale Cap. XI. §. VI. hujus Lib. I. *solent Episcopi in Missa uti Mitra pretiosa usque ad dictum Hymnum Angelicum, postmodum simplici, aut auriphrygiata usque ad finem Symboli*. Dum Episcopus dicit, *Dominus vobiscum*, & *Oremus*, erecti ambo ostendunt dicenda, erratque Bauldryus cum ait, quod tunc *ambo elevant partes anteriores Pluvialis illius*; non enim ad Missam Pluviali utitur Episcopus, sed Planeta, cujus *non est necessarium fimbrias elevare*, ut §. is noster docet. Dicta Oratione, primus mox imponit Mitram, & alter postea Gremiale; & dum Episcopus submissa voce in Solio sedens legit Epistolam, Graduale, & Euangelium, ipsi detecto capite stabunt; sedebunt tamen, dum Epistola ipsa, & Graduale cantatur, surrecturi iterum, ac nudo capite stantes, cum incensum, & Diaconum Euangelium cantaturum benedicit Episcopus. Paulo ante Euangelium secundus aufert ab Episcopo Gremiale, & Mitram, quæ non reponitur ei, nisi post recitatum Symbolum, ad quod genuflectunt ambo ipsi assistentes Diaconi, cum Episcopus genuflectit. Ubi Symbolum una cum Episcopo recitarunt, secundus imponit ei Gremiale, postquam scilicet primus jam imposuit Mitram. Finito autem a Choro, vel a Musicis Symbolo, secundus aufert Gremiale, & Mitram. Licet enim Lib. I. Cæremonialis Cap. XI. præscribatur, ut secundus Diaconus auferat Gremiale, & ex adverso Lib. II. Cap. VIII. id muneris assignetur primo, hoc parum refert, varietas enim est parvi momenti, adeoque parum refert, si primus, aut secundus Diaconus id aliquando efficiat.

XI. Dicto Offertorio ab Episcopo, primus Mitram, & Gremiale imponit, tum annulum, & Chirotecas auferunt, ut lavet manus, iisque lotis, & extersis, annulum reponit primus, amboque Chirothecas, & Gremiale Ministris tradunt, quia non sunt amplius usui. Mox procedentem Episcopum ad Altare hinc inde comitantur, ut prius, suisque in locis stant ante Altare, in plano, habentes post se Subdiaconum, quasi tamen in medio eorum. Dum incensatur Altare, & reliqua omnia perficiuntur, assistunt quidem, non tamen ministrant, hoc enim in Altari Diaconi Euangelii munus est. Post incensationem, quia Diaconus ipse Euangelii est impeditus, primus e Diaconis assistentibus pretiosam Mitram imponit, incensatoque Episcopo, & Presbytero assistente, immediate ante omnes alios incensantur successive ipsi Diaconi assistentes. Postquam Presbyter assistens Pacem accepit, ipsi pariter ad dexteram Episcopi accedentes, Pacem ab ipso Episcopo accipiunt, ante, & post genuflectentes, non tamen Altare osculantes, juxta præscriptum nostri Cæremonialis Lib. I. Cap. XXIV. §. III. & IV. Si facienda sit Communio, eam accipiunt de manu Episcopi post Diaconum Euangelii, & Subdiaconum. Quod si Presbyteri sint, & Missam celebrent, hinc inde collocant se in plano stantes a latere Altaris, ne communicantes impediant. Completa Missa Episcopum comitantur ad Sedem suam, sacrasque exuentem vestes adjuvant, & Episcopum recedentem una cum aliis in habitu Canonicali associant.

XII. Ceterum, uti monet §. noster, observandum est, ut cum unus ex Assistentibus surgit, facturus aliquid ministerium ad rem divinam spectans, *pariter & alii coassistentes surgant; cum autem sessuri sunt, nutu capitis se invicem ad sedendum invitent*. Monet præterea & illud tandem, ea, quæ hactenus dicta sunt, observari debere, *celebrante Episcopo solemniter*. Si enim solemniter ipse non celebret, sed Officio divino intersit, præfati assistentes Diaconi Episcopo in habitu Canonicali inservient, omniaque agent, & observabunt secundum regulas superius explicatas, id enim expresse ex sequenti nostro §. cautum est.

## §. IV.

**Si vero non celebret, sed Officio divino intersit, præfati assistentes Diaconi erunt apud Episcopum in habitu Canonicali, & omnia facient, & observabunt secundum regulas supradictas. Sciendum autem est, quod hujusmodi assistentia facienda est tantummodo Episcopo loci Ordinario, & nulli alteri, etiamsi sit Legatus, qui in Sede Episcopi sederet.**

## COMMENTARIUS.

I. CUm prima pars hujus §. explicata jam fuerit in calce Commentarii superioris, ne actum iterum agam, ad aliam devenio, quam ita explicat Paris de Crassis Lib. I. Cap. XIX. in fine: *Ultimo sciendum est, quod hujusmodi assistentia duorum Canonicorum non fit, nisi Episcopo Ordinario, & nulli alteri, etiamsi sit Patriarcha, vel Archiepiscopus, Metropolitanus, vel alius quivis suffraganeus, nec etiam, si Legatus fuerit*. Assistentiam duarum Dignitatum, vel duorum Canonicorum Episcopo loci Ordinario tantummodo convenire, edixit non semel Sacra Rituum Congregatio, præsertim in Cæsaraugustana, die IX. Maji, anni MDCVI. Quod autem assi-

Digitized by Google

assistentiam ipsam duorum Canonicorum habere non debeat Suffraganeus Episcopus ultra Diaconum, & Subdiaconum, qui cantaturi sunt Euangelium, ac Epistolam, sicut habet proprius Episcopus, decidit eadem Congregatio in Bracharen. die I. Septembris, anni MDCVII. Quod ita quidem intelligendum est, nisi consuetudo antiqua id permittat, ut declaravit Sacra ipsa Congregatio Rituum in Tarraconen. die VII. Julii anni MDCXII.

II. Non omittendum hic tandem, quod docet laudatus Crassus, nempe, *quod in Matutinis quibuscumque tam pro defunctis, ac tenebrosis, quam Natalitiis Jesu Christi, & aliis quantumcumque solemnibus, aut simplicibus, hujusmodi assistentia nullatenus fieri consuevit*. Habere eam locum in Processionibus, in quibus Diaconi ipsi assistentes procedunt cum Episcopo celebrante, elevantes fimbrias Pluvialis, aut Cappæ illius, notat Bauldryus in suo sacrarum Cæremoniarum Manuali, Parte V. Articulo II. Cap. VIII. Num. XXVI. Ceterum sunt & alii actus reverentiales, quos præfati assistentes Diaconi Altari, & Episcopo, itemque sibi invicem, ac aliis exhibere debent, ut ex infra dicendis in decursu hujus Operis ex Cap. VIII. Libri II. quem nos alio Tomo, qui erit secundus hujus Operis, explicabimus, satis patebit. Id quod etiam de Presbytero assistente, & aliis Ministris notandum est.

# CAP. IX.

*Officium Diaconi in Missa solemni, quæ ab Episcopo celebratur. Induit Episcopum sacris paramentis. Euangelium cantat. Quando recitare debeat Confessionem. Episcopum sacris paramentis exuit.*

## §. I.

Diaconus, qui Euangelium cantaturus est, Episcopo solemniter Missam celebrante, debet simul cum aliis Canonicis Episcopum ad Ecclesiam comitari, nam & ipse ex Canonicis Diaconis esse debet; nec refert, an sit de antiquioribus, necne, cum tale onus inter ipsos per vices, vel alias arbitrio Episcopi, vel juxta consuetudinem Ecclesiæ distribuendum sit: & dum alii Canonici accipiunt paramenta, ipse quoque eodem loco accipiet sua, aliquo ex Clericis Ecclesiæ adjuvante; & primo accipiet Amictum, quem in medio osculabitur, qui Crucis figura carere *non debet*, eumque sibi aptabit circa collum, itaut collaria tegat; mox Albam, & Cingulum accipit, succinctus Albam sibi circumcirca aptari faciat, ut æqualiter fluat; tum Stolam prius in medio, ubi Crux est, deosculatam, super humerum suum sinistrum imponet, & sub suo brachio dextero firmiter alligari faciet: demum accipiet Dalmaticam, nisi essent tempora, quibus ipse, & Subdiaconus Planetis plicatis uti debeant, sicut in Capitibus XIII. & XVIII. Lib. II. explicatur; Manipulum vero non hic, sed postea accipiet: qui sic paratus, simul cum Subdiacono, postquam Episcopus laverit manus, stabit ad ejus dexteram, & simul cum Subdiacono stante ad sinistram, capiet paramenta Episcopi de manibus Acolythorum, ea suo ordine ferentium, illisque induet Episcopum modo, & ordine in Capite VIII. Libri II. late, & distincte expositis. Episcopo parato, accipiet suum Manipulum; & cum Episcopus procedet ad Altare, ipse immediate ibit ante illum ad sinistram Presbyteri assistentis; faciet deinde Confessionem cum Episcopo ante Altare stans ad ejus sinistram, & cum dicit, *Tibi Pater*, & *Te Pater*, conversus ad Episcopum, profunde se inclinat. Postquam Episcopus osculatus fuerit Librum Euangeliorum super Altare, porriget ei naviculam incensi, cochleari prius, & manu Episcopi osculatis, & imposito thure in thuribulum, reddit naviculam Acolytho, a quo accipit thuribulum, quod Episcopo porrigit, summmitatem catenularum ponens in manu sinistra ipsius Episcopi, thuribulum vero in dextera, cum debitis osculationibus; & dum Episcopus thurificat Altare, ipse brachium ejus sustentat: quo thurificato, recipit thuribulum de manu Episcopi, cum osculo manus, & catenularum, & thurificat Episcopum in cornu Epistolæ cum Mitra stantem, triplici ductu, ante, & post thurificationem profunde se inclinans, ac reddit thuribulum Acolytho. Recedente Episcopo ab Altari, ipse ibi remanet cum Subdiacono, & dicente, *Kyrie eleison*, Episcopo, ipsi idem dicunt inter se, stantes in eodem loco versus

Digitized by Google

versus Altare; sedente postea Episcopo, & ipsi sedent in scamno aliquo parato in cornu Epistolæ Altaris; & cum Episcopus intonaverit Canticum, *Gloria in excelsis Deo &c.* una cum Subdiacono illud usque ad finem prosequitur.

## COMMENTARIUS.

I. CUm ipse Diaconus, qui inserviens Episcopo in Missa Pontificali, cantaturus est Euangelium, sit ex Canonicis Diaconis, sive ex antiquioribus, sive non, quod parum refert, quia tale onus per vices inter ipsos, vel arbitrio Episcopi, vel secundum consuetudinem Ecclesiarum distribui debet, ipse cum aliis Canonicis in habitu Canonicali Episcopum ad Ecclesiam comitari debet; ut supra de aliis dictum est non modo auctoritate hujus Cæremonialis, sed & ex variis Decretis Sacræ Congregationis, tum Rituum, tum Concilii, in quibus etiam cautum est, Diaconum ipsum Episcopo assistentem, ex Canonicis Diaconis esse debere, nec referre, *an sit de antiquioribus, necne, cum tale onus inter ipsos per vices, vel alias arbitrio Episcopi, vel juxta consuetudinem Ecclesiæ distribuendum sit.*

II. Quod ad sacras Diaconi cantaturi Euangelium attinet vestes, cautum habemus ex hoc nostro §. ut *dum alii Canonici accipiunt paramenta, ipse quoque eodem loco*, nempe in Sacrario, vulgo Sacristia, *accipiat sua, aliquo ex Clericis Ecclesiæ adjuvante*; minoribus scilicet ordinibus, vel prima saltem Tonsura initiatis. Neque enim decet, ut in Ecclesia præsertim Cathedrali, laici adolescentes sacris functionibus inserviant, extatque Decretum Sacræ Rituum Congregationis in Egitanien. die XXIII. Novembris anni MDCII. quo cautum est, Clericos, seu pueros servitio Chori, seu Sacristiæ adscriptos, prima Tonsura debere esse insignitos. Sed ut officia Diaconi in Missa Pontificali Euangelium cantaturi enarremus, debet primo in Libro Euangeliorum, Euangelium suum perquirere, ac legere, ne forte postea erret illud cantando. Tum lavat, & tergit manus in Sacristia, & induit se, *aliquo ex Clericis Ecclesiæ adjuvante*, paramentis ordinis sui, & primo accipit Amictum per latera ambabus manibus, *quem in medio osculabitur, qui Crucis figura carere non debet.* Cruces in vestibus Sacerdotalibus adhibitas esse a temporibus sancti Marci Papæ, tradit Baronius ad annum CCCXXXVI. ex eoque Gavantus in Thesauro Sacrorum Rituum, Parte II. Tit. I. & alii. Hodie in Amictu, Manipulo, & Stola Cruces ex veteri Ecclesiæ consuetudine, & ex variarum Synodorum Decretis apponuntur, ad recolendam Domini passionem. Sicuti autem Stola imponitur collo cum osculo, ut ait Durandus Libro III. *Rationalis divinorum Officiorum*, Cap. V. ita simili ritu imponendus est capiti Amictus in honorem sanctæ Crucis. Quid autem si Amictus careat Cruce? *vel mutetur*, inquit inter alios Meratus, *vel pollice imprimatur Crux, si commode fieri potest, utaliquo modo Crux osculetur.*

III. Amictum, sicut & aliæ vestes sacræ, in medio Cruce insignitum esse, id ex veteri more institutum fuisse docet Joseph Vicecomes, *De Missæ apparatu*, Lib. I. Cap. XXIV. ac ubertim demonstrat Venantii Fortunati Epigrammate, Libro II. Epigrammate III. quod ex editione Chrystophori

ſtophori Boweri emendatitius recudit Clariſſimus Georgius Lib. I. *De liturgia Romani Pontificis*, Cap. XV. Num. VI.

*Denique ſancta Cruci hæc Tẽpla Gregorius offert,*
*Dum pallas coperit, ſigna gerendo Crucis.*
*Dona repente dedit divina potentia Chriſtus,*
*Mox fuit & voti cauſa ſecuta pii.*
*Pallia nam meruit, ſunt quæ Cruce textile pulcra,*
*Obſequiiſque ſuis Crux habet alma Cruces.*
*Serica quæ niveis agnava eſt blattea telis,*
*Et textis Crucibus magnificatur opus.*
*Sic cito Pontifici dedit hæc devota voluntas,*
*Atque dicata Cruci candida vela placent.*
*Unde ſalutifero ſigno tibi clare Sacerdos*
*Hoc cui complacuit, reddere magna valet.*

Hæc Fortunatus Seculo VI. inclinante de Gregorio Turonenſi, Oratorium, ſeu Eccleſiam apud Turones ædificante, cecinit. Nihil porro frequentius, uti etiam obſervat laudatus Georgius, apud vulgatum Anaſtaſium, quam veſtes Eccleſiacæ, *ſtauraceæ*, ideſt, ſigno Crucis variegatæ.

IV. De Amictu, ſicut & de aliis ſacris veſtibus fuſe diximus, tum Lib. II. *De Codice ſancti Euangelii &c.* Cap. IX. tum primo Tomo Romani Pontificalis in Prolegomenis Cap. IX. Tria hic adnotabo. Primum, conſuevisſe olim indui Amictum ſuper Albam, uti docet Martene Libro I. *De antiquis Eccleſiæ Ritibus*, Cap. IV. Articulo I. Num. X. ubi etiam notat, ſervari hodieque hunc morem in Eccleſia Mediolanenſi, & Lugdunenſi, in quibus Amictus ſuper Albam, non Alba ſuper Amictum veſtiri ſolet. Alterum eſt, quod obſervat Gavantus loco citato, præter Rubricam ſignum Crucis nonnullos ſibi facere manu, & Amictu ſimul, a fronte ad pectus; laudat tamen, ſi Crucis ſigno ſe muniant manu dumtaxat, antequam accipiant Amictum. Tertium eſt, quod inter alios tradit poſt alios Bauldryus in Manuali ſacrarum Cæremoniarum, Parte I. Cap. IX. *De Diacono & ejus officio in Miſſa ſolemni*, Articulo I. poſſe ipſum, ſi velit, tametſi ex peritorum judicio non ſit neceſſe, ad Amictum, & ad alia ſingula paramenta orationes in Miſſali poſitas recitare. Debet porro ex §. hujus præſcripto Amictum Diaconus ſibi aptare circa collum, *ita ut collaria tegat*. Amictus enim, ut docet Amalarius Lib. II. *De Eccleſiaſticis officiis*, Cap. XVII. aliique rerum liturgicarum Scriptores, *eſt primum veſtimentum noſtrum, quo collum undique cingimus*. Debet autem Diaconus, ſicut & Sacerdos oſculatum Amictum immediate inducere non ſuper collum, ſed prius ſupra caput, & deinde eum ſibi aptare circa collum, itaut collaria tegat; id enim & §. noſter, & Rubricæ Miſſalis clare præſcribunt. Unde merito graviter Gerlacus Vinitor, Parte II. Tit. I. Num. XXVIII. adverſus Sacerdotes invehitur collaria ſua ante celebrationem deponentes.

V. Ubi Diaconus Amictum induit, *mox Albam, & Cingulum accipit*. Eſt Alba vetuſtiſſimum Epiſcoporum, cæterorumque Eccleſiæ Miniſtrorum indumentum, teſtemque habemus ſanctum Hieronymum Dialogo I. adverſus Pelagianos, ubi candidæ veſtis, qua Epiſcopi, & reliquus ordo Eccleſiaſticus in celebratione Sacrificiorum utebantur, diſerte meminit. Quod Diaconos ſpectat, Concilium Carthaginenſe IV. anni CCCXCVIII. Can. XLI. ſtatuit, *ut Diaconus tempore obiationis tantum, vel lectionis Alba utatur*. Varia de ea Diaconorum veſte teſtimonia extant plane in variis Synodis, inter quas Narbonenſis anni DLXXXIX. Can. XII. ait: *Hæc maxime, & modo diſciplinæ Canonicæ elegimus cuſtodienda, vel tenenda, ut dum Miſſa celebratur, nullus Presbyter, aut Diaconus abſque alia infirmitate, dum Miſſa perficitur, de Altario egredi audeat. Nec Diaconus, aut Subdiaconus certe, vel Lector, antequam Miſſa conſummetur, Alba ſe præſumat exuere*. Videri poſſunt quæ, & de Alba, ac Cingulo diximus tum in Opuſculo, *De Codice ſancti Euangelii &c.* Lib. II. Cap. IX. tum Tomo I. Romani Pontificalis in Prolegomenis Cap. X. & XI.

VI. Alba ne defluat, & greſſum impediat, Cingulo ſtringitur, quod in veteri Teſtamento *baltheus*, a Græcis *zona* dicitur. Hinc S. Hieronymus in Epiſtola ad Fabiolam de veſte Sacerdotali diſſerens, ait: *Tertium genus eſt veſtimenti, quod illi appellant* abner, *nos* cingulum, *vel* baltheum, *vel* zonam *poſſumus dicere*. Aptandum eſſe Cingulum, *itaut æqualiter Alba defluat, & veſtes contegat*, addiſcere licet ex noſtro Cæremoniali Lib. II. Cap. VIII. §. XIII. Cingulum poſſe eſſe coloris paramentorum, cenſuit Sacra Rituum Congregatio die VIII. Junii MDCCIX. Sacerdotes autem, & conſequenter alios Miniſtros in Miſſæ Sacrificio, congruentius uti lineo Cingulo, quam ſerico, Sacra eadem Congregatio cenſuit die XXII. Januarii MDCCX. apud Meratum *in Notis* ad Gavantum. Varii quondam coloris fuiſſe zonam ipſam, ac baltheum, ſeu Cingulum, auroque ornatum, teſtis eſt Riculfus Epiſcopus Helenenſis, qui apud Balutium in Appendice ad Reginonem Pag. 626. legavit Eccleſiæ ſuæ anno CMXVI. *zonas quinque, unam cum auro, & gemmis pretioſis, alias quatuor cum auro*. Falco etiam Judex Vigilienſis apud Ughellum Tomo VII. Pag. 1725. donavit inter cetera ornamenta ſacra anno MCXCVII. Eccleſiæ ſanctæ Margaritæ *unam zonam de ſeta rubea*.

VII. Poſt Cingulum, *Stolam prius in medio, ubi Crux eſt, deoſculatam ſuper humerum ſuum ſiniſtrum imponet, & ſub brachio dextro firmiter alligari faciet*. Nulla hic de Manipulo mentio, quod, ut infra dicemus, poſtea illum accipere debet. Quod ergo Stolam ſpectat, debet & ipſa, ut ſupra dictum eſt, Cruce in medio eſſe inſignita, quam prius deoſculatam Diaconus ſuper humerum ſuum ſiniſtrum imponet. Stolam, quam etiam Orarium vocant, unam eſſe e ſacris Diaconi veſtibus, abunde oſtendimus Tomo I. Romani Pontificalis ad Titulum XI., ubi de Diaconorum ordinatione egimus. Imponendam eſſe a Diacono ſuper humerum ſuum ſiniſtrum, juſſit jam olim Synodus IV. Toletana anni DCXXXVI. Can. XL. *Unum Orarium oportet Levitam geſtare in ſiniſtro humero &c.* Quamvis Orarium commune ſit Diaconis, & Presbyteris, ut ſcite obſervat Joan-

Digitized by Google

Joannes Bona Cardinalis Lib. I. *Rerum liturgicarum*, Cap. IV. Num. VII. a Græcis tamen Diacono proprie tribuitur, Stolam vero Sacerdotalem *Epitrachelion* vocant, quod latius est Orario, nec ullis literarum notis exaratum, sicut Orarium Diaconorum, cui ter inscriptum est verbum, *Agios*, idest, *Sanctus*.

VIII. Stola super humerum sinistrum imposita, & sub dextro brachio alligata, accipit demum Diaconus Dalmaticam proprium Diaconorum indumentum ex institutione sancti Silvestri Papæ, qui, ut legimus in ejus Actis, præcepit, ut Dalmaticis in Ecclesia uterentur, cum antea, teste Alcuino, Colobiis uti solerent. Erant autem Colobia, ut scite inter alios docet Cardinalis Bona Lib. I. Cap. XXIV. tunicæ sine manicis, non quod prorsus manicis carerent, sed quia ad cubitum tantum pertingebant. Dalmaticæ vero manicatæ erant, talares, sericæ, albæ, auro ornatæ, ac plagulis, seu clavis ex purpura assutis distinctæ. In Dalmatia primum inventæ, & illinc Romam translatæ sunt, unde & nomen acceperunt, ut ait S. Isidorus Lib. XIX. *Originum*, Cap. XXII. Mos sane antiquissimus fuit, ut Romani Pontifices aut Episcopis optime meritis Dalmaticas mitterent, earumque usum iis concederent, aut ipsi Episcopi easdem ab Apostolica Sede peterent, atque eorum precibus Diaconis suarum Ecclesiarum Dalmaticas impertirentur. Id quod perspicue ostendit memoratus Georgius Lib. I. *De liturgia Romani Pontificis*, Cap. XXII. Num. X. ubi inter alia affert celebre testimonium Cypriani auctoris Vitæ S. Cæsarii Arelatensis Episcopi, cujus rogatu Symmachus Papa Dalmaticarum usum Diaconis Arelatensis Ecclesiæ concessit: *Diaconos ipsius, ad Romanæ instar Ecclesiæ, Dalmaticarum fecit habitu præeminere*.

IX. Egimus jam nos de Dalmatica Diaconorum tum in laudato Opusculo, *De Codice sancti Euangelii &c.* Lib. II. Cap. XI. tum Tomo I. Romani Pontificalis. Sed ut aliqua hoc loco recenseamus, quæ Dalmaticam spectant, præsefert ipsa Crucis formam, monetque, Auctore Alcuino, Cap. *Quid significent vestimenta*, eum, qui illa induitur, crucifixum esse debere mundo, juxta Apostolum ajentem: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Hæc præterea vestis, ut ait Rabanus Maurus Lib. VII. *De institutione Clericorum*, Cap. XX. in modum est Crucis facta, & passionis Domini indicium est. Habet latas manicas, quo moneantur Episcopi, qui illa etiam utuntur inter alias Pontificales vestes, paratos semper esse ad subveniendum egenis, ac exequi, quod scriptum est Isaiæ Cap. LVIII. *Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam*. Innocentius III. Lib. I. *De mysteriis Missæ*, Cap. LVI. ob id forte ait Diaconos specialiter uti Dalmaticis, quia præcipue electi erant ab Apostolis, ut Mensis ex officio ministrarent. Quicquid sit de mysticis hisce significationibus, illud constat, quod docet Martene, Lib. I. *De ritibus*, Cap. VIII. Articulo IX. Num. VIII. multo tardius Dalmaticæ traditionem introductam esse in ordinatione Diaconorum, nempe ab annis circiter DC. tametsi, uti superius ostensum est, jam longe ante annum Christi millesimum Diaconus in Missa Dalmaticis uteretur: *nisi essent tempora, quibus ipse, & Subdiaconus Planetis plicatis, uti debeant, sicuti in Capitibus* XIII. *&* XVIII. *Libro II. explicatur*. In iis itaque locis curiosus Lector inveniet, quæ ad eam Dalmaticarum mutationem attinent.

X. Dalmatica, & aliis vestibus superius descriptis, excepto Manipulo, quem postea accipiet, paratus Diaconus, *simul cum Subdiacono, postquam Episcopus laverit manus, stabit ad ejus dexteram, & simul cum Subdiacono stante ad sinistram capiet paramenta Episcopi de manibus Acolythorum, ea suo ordine ferentium, illisque induet Episcopum modo, & ordine in Capite* VIII. *Lib. II. late, & distincte expositis*. Plura in eum locum nos adnotabimus; sciendum tamen hic illud est, quod notat Bauldryus Parte I. Cap. IX. Num. IV. quod, quamvis alii ministri adjuvent Episcopum Pontificales vestes induentem, *præcipue tamen operatur in his Diaconus, tamquam præcipuus, & proprius minister*. Scite & illud idem Auctor monet Parte V. Cap. IX. Articulo II. Num. III. de Diacono Euangelii in Missa Episcopi loquens, advertendum illi diligenter, ut quando induere debet Episcopum paramentis, partem eorum posteriorem habeat ad extra, & anteriorem versus se; quod facile fiet, si Capellani ea adferentes, habeant partes posteriores versus se ipsos, & anteriores ad extra. Audiendus hic quoque Paris de Crassis Lib. II. *De cæremoniis Cardinalium, & Episcoporum in eorum Diœcesibus*, Cap. I. ita inquiens: *Loto celebraturo illico adsint omnes Capellani, alius alium sequentes per longam lineam ante faciem Cardinalis, sicque ipsius paramenta ordinate, sicut super Altari posita sunt, portantes, ut supra, quæ sigillatim Diaconus, & Subdiaconus accipientes de manibus illorum, imponunt celebraturo stanti, ex quibus osculanda offerunt Amictum, Crucem pectoralem, & Crucem Stolæ, & non alia*. Sed de his nos infra opportuniori loco fusius dicemus juxta ordinem nostri Cæremonialis. Interim hoc loco adnotare & id operæ pretium duco, quod loco citato paulo superius tradit Crassus, nempe, quod dum Episcopo celebraturo calceamenta sacra ponuntur, *Diaconus, & Subdiaconus etiam paramenta sua capiant*.

XI. Episcopo jam ad Missam parato, *accipiet Diaconus suum Manipulum*, & quidem *cum osculo Crucis illius*, ut ait Bauldryus. Est Manipulus, ut scite docet Cardinalis Bona Lib. I. Cap. XXIV. Num. V. posterioris ævi additamentum, neque enim in antiquis Ritualibus commemoratur, nec a priscis Patribus inter sacras vestes recensetur. Erat autem lintea sindon, sive mappula brachio sinistro alligata, qua sudor, & sordes abstergebantur, ut in memoratis Operibus nostris ostendimus auctoritate veterum Scriptorum, qui de divinis Officiis Tractatus ediderunt. Tempore S. Gregorii Magni soli Clerici Romanæ Ecclesiæ Mappulis utebantur,



Digitized by Google

bantur, ut idem testatur Lib. II. Epistola LIV. ad Joannem Archiepiscopum Ravennatem. Duravit hic mappulæ usus, donec in locum ejus Manipulus, non ad tergendas sordes, sed ad ornatum suffectus est, qui propterea ejus materiæ, & texturæ est, ex qua Stola, & Planeta fieri solent; eamque mutationem mappulæ in Manipulum seculo nonnisi X. factam idem Bona conjicit. Ferendum Manipulum in brachio sinistro a sacris Ministris, docet inter alios Gulielmus Durandus Libro III. *Rationalis divinorum Officiorum*, Cap. VI. ubi etiam varias mysticas ejus ritus significationes affert Num. II. III. & IV. additque Num. VI. *quod Diaconus, & Subdiaconus Pontifici induenti, & exuenti se sacris vestibus, sine manipulis serviunt*, ob eam scilicet rationem, *ut expeditius, & liberius administrent*. Addit mox aliam significationem mysticam, tandemque ritum exponit, cur, *dum Pontifex se induit, vel exuit, Diaconus stat a dextris, & Subdiaconus a sinistris?* Quia scilicet, ut idem Auctor respondet, *Diaconus ex ordine suo ad fortiora, & perfectiora, quæ per dexteram significantur, assumitur, quam Subdiaconus*. Mysticæ hujusmodi explicationes non sunt omnino contemnendæ, nam præterquam a pluribus doctis viris, & ab ipsis Romanis Pontificibus traditæ nobis sunt, Ecclesia ipsa quam frequentissime mysticas ipsas significationes in orationibus adhibet, ut exempli gratia cum Manipulo induimur, dicimus, *Mercar Domine portare Manipulum fletus &c.*

XII. Vestibus proprio ordini congruentibus, ac demum etiam Manipulo paratus Diaconus, *cum Episcopus procedet ad Altare, ipse immediate ibit ante illum ad sinistram Presbyteri assistentis*, nudo scilicet capite, & junctis manibus, ex Bauldryo loco citato, & aliis. Ubi ad Altare pervenit, facta eidem reverentia, *faciet deinde Confessionem cum Episcopo ante Altare stans ad ejus sinistram, & cum dicit*, Tibi Pater, & Te Pater, *conversus ad Episcopum profunde se inclinat*. Eundem servabit ritum inclinationis, cum dicit, *Misereatur tui*; signabitque se Crucis signaculo, cum se signabit Episcopus, ac ter etiam dextræ digitis pectus percutiet ad ea suæ Confessionis, verba, *mea culpa &c.* sinistra infra pectus posita, ex generalibus Missalis Rubricis, atque ex communi Scriptorum sententia, qui de sacris cæremoniis Tractatus ediderunt. Finita confessione, dum Episcopus ad Altare adscendit adjuvat eum, & transit ad ejus dexteram, osculatoque ab Episcopo Euangeliorum Libro juxta ritum supra expositum, Diaconus ipse cum debitis reverentiis, & osculis, *porriget illi naviculam incensi*, de more scilicet dicens: *Benedicite Pater Reverendissime*, vel *Eminentissime*, si sit Cardinalis, eumque adjuvat ad incensationem Altaris, brachium illius sustentans; tum incensatione peracta, *thurificat Episcopum in cornu Epistolæ cum Mitra stantem triplici ductu, ante, & post thurificationem, profunde se inclinans*; acceptaque ab eo benedictione inclinatus, *reddit thuribulum Acolytho*. Recedente ab Altari Episcopo, *ipse ibi remanet*, in plano scilicet, *cum Subdiacono*, a dextris ejus proximior Altari; & dicente, *Kyrie eleison*, Episcopo, ipse una Subdiacono submissa voce idem alternatim dicent, *stantes in eodem loco versus Altare*, facie interim conversa ad Episcopum si sit in Sede a parte Euangelii, ut notat Bauldryus. *Sedente postea Episcopo, & ipsi sedent in scamno aliquo parato in cornu Epistolæ Altaris*; in scabello scilicet nudo, sed tamen picto, quod sit e regione Episcopi, neque enim decet, ut renes Altari vertant. Cum Episcopus vero stans intonaverit Canticum, seu Hymnum, *Gloria in excelsis Deo*, stans una cum Subdiacono illud usque ad finem prosequitur, idest, simul & non alternatim submissa voce canticum ipsum recitabit juxta generales Missalis Rubricas, quas egregie explicant Gavantus, Meratus, Lebrun, & alii.

## §. II.

Cantata per Subdiaconum Epistola, cum per Chorum cantatur ultimus versus Gradualis, sive Tractus, Sequentiæ, seu ante *Alleluja*, aut etiam citius, prout distantia Altaris exquiret, portabit ante pectus ad Altare, debitas faciendo reverentias Librum Euangeliorum clausum, collocans illum in medio Altaris. Deinde accedit ad Episcopum cum debitis reverentiis, illiusque manum osculatur: mox redibit ad Altare, & genuflexus super infimo ejus gradu in medio dicit secrete: *Munda cor meum &c.* Tum surgens resumit Librum de Altari, & rediens ad Episcopum, inclinatus petit ab eo benedictionem, dicens: *Jube Domne benedicere*. Et habita benedictione, accedit ad Euangelium cantandum, portans, ut supra, ante pectus Librum Euangeliorum clausum, & incedens ultimo loco post omnes suos Comministros. Cum erit in loco, ubi solet Euangelium cantari, ponit Librum apertum in manus Subdiaconi, vel in legili, aut alias, juxta consuetudinem Ecclesiæ, ut in prædicto Capite VIII. Libri II. & junctis manibus ante pectus, dicit cantando: *Dominus vobiscum*. Et cum dicet, *Initium*, vel *Sequentia sancti Euangelii &c.* signat pollice dexteræ manus initium Euangelii, ac se ipsum in fronte, ore, & pectore. Et dum respondetur a Choro, *Gloria tibi Domine*, accipit thuribulum de manu Acolythi,

Digitized by Google

lythi, sive Cæremoniarii, & Librum triplici ductu thurificat, primo in medio; tum a parte dextera Libri, mox a sinistra, & reddit thuribulum Cæremoniario, ac manibus junctis incipit Euangelium.

## COMMENTARIUS.

I. Dicto summissa voce Angelico Hymno, *Gloria in excelsis Deo*, sedebit Diaconus capite tecto, & ad orationes stabit junctis manibus nudo capite, sedebitque mox ad Epistolam: *Cantata per Subdiaconum Epistola, cum per Chorum cantatur ultimus versus Gradualis, sive Tractus, aut Sequentiæ, seu ante*, Alleluja, *aut etiam citius, prout distantia Altaris exquiret*, accipit Librum Euangeliorum de manu Cæremoniarii, uti Scriptores docent, & illum clausum ante pectus ad Altare defert, eo semper ritu in illius delatione servato, ut pars ubi aperitur, sinistram deferentis respiciat, *debitas faciendo reverentias*, Episcopo scilicet, & Altari, in infimo gradu, *collocans illum in medio Altaris*. Facta ibidem reverentia Altari, per gradus laterales Euangelii, si scilicet Thronus Episcopi sit ad partem Euangelii, alias vero per medium, *accedit ad Episcopum*, comite Cæremoniario, *cum debitis reverentiis, illiusque manum osculatur*. Inde ad Altare rediens, *genuflexus super infimo ejus gradu in medio, dicit secrete*: Munda cor meum &c. *Tum surgens resumit Librum de Altari*, illumque clausum, ut prius ante pectus deferens, expectat parumper apud Altare in cornu Epistolæ in plano juxta rubricam nostri hujus Cæremonialis Lib. II. Cap. VIII. §. XLII. Interim, ut ibidem §. XLIII. præscriptum legitur, accedit Acolythus ad Episcopum cum thuribulo, & navicula, & ministrante illam Presbytero assistente, Episcopus imponit, & benedicit incensum. Tum Acolythus, recepta navicula de manu Presbyteri assistentis, redit ad Altare, & ibidem cum duobus aliis Acolythis Ceroferariis, Diacono, & Subdiacono expectat, donec tempus sit eundi ad cantandum Euangelium.

II. Placuit eam Rubricam hoc loco describere, ad faciliorem intelligentiam nostri hujus §. in quo nulla iccirco fit mentio benedictionis incensi, quo Euangelium thurificari a Diacono debet, quia scilicet non ad Diaconum, de quo solo in hoc §. agitur, sed ad Presbyterum assistentem munus illud pertinet. Ut itaque nostri Diaconi munia pergam exponere, circa finem ultimi versus Gradualis, sive Tractus, &c. *rediens ad Episcopum*, post omnes scilicet comministros, ut alio loco dicemus, *inclinatus petit ab eo benedictionem*; quia scilicet est Canonicus, nam alias ex generalibus Missalis Rubricis genuflexus benedictionem petere deberet. Non teneri autem Canonicos, & Dignitates ad benedictionem Episcopi genuflectere, sed tantum caput inclinare, decidit non semel Sacra Rituum Congregatio, præsertim in Oscen. die IV. Maji anni MDCXIII. & in Monopolitana die XV. Decembris MDCXXXII. apud Barbosam, *De Canonicis*, Cap. XXXIII. Num. XXIX. & XXX. Accepta benedictione facit ipse Diaconus Episcopo profundam reverentiam, Ministris, qui cum eo sunt, genuflexis permanentibus, donec Episcopus illum benedixerit, statimque procedunt ad locum Euangelii, omnium postremo

mo eunte Diacono, Librum Euangelii clausum ante pectus gestante. Plura de loco, ac ritibus, quibus ex prisca Ecclesiæ disciplina Diaconus Euangelium in solemni Missa cantat, explicuimus in memorato toties Opere nostro, *De Codice sancti Euangelii &c.* Lib. II. Cap. I. & seqq. dicemusque iterum infra Lib. II. Cap. VIII. ubi etiam illos enarrabimus ritus a Diacono in lectione solemni sancti Euangelii servandis, ut nimirum *junctis manibus ante pectus dicat cantando*, Dominus vobiscum; *& cum dicit*, Initium, *vel*, Sequentia sancti Euangelii &c. *signet pollice dexteræ manus initium Euangelii, ac se ipsum in fronte, ore, ac pectore*, ita tamen, ut, cum dicit, *Initium*, vel *Sequentia sancti Euangelii*, signet quidem dextera Librum, tenens sinistram super Librum; cum autem dicit, *secundum &c.* dextera signans se ipsum in notatis locis frontis, oris, & pectoris, sinistram pectori admoveat, quo facto manus jungit. Ritum quoque & illum laudato loco enucleabimus, quem alias in Rubricis Missalis, & in Ordinibus Romanis legere est, ut dum scilicet respondetur a Choro, *Gloria tibi Domine*, accipiat thuribulum de manu Acolythi, sive Cæremoniarii, & Librum triplici ductu thurificet primo in medio, tum a parte dextera Libri, mox a sinistra, redditoque thuribulo, manibus junctis incipiat Euangelium.

III. Hæc locum habent, ubi Episcopus in Solio suo Episcopali celebraret, si enim Faldistorio in celebratione Missæ uteretur, Diaconus posito Libro super Altare, ut supra, ministrabit incensum cum osculis suo tempore; tum ad Altare pergens, dicet, *Munda cor meum*; quo dicto, redibit ad celebrantem Episcopum, a quo petit benedictionem, eaque accepta, inclinatus scilicet, non genuflexus, ut supra dictum est, osculabitur tunc, & non prius, Celebrantis manum Episcopi, juxta adnotationem Bauldryii Parte V. Articulo II. Cap. IX. Num. VII. in fine, & colligitur ex sequenti §. Sane superest adnotare ad calcem hujus Commentarii, quod edicitur infra Libro II. Cap. VIII. ut nimirum cum Diaconus in lectione Euangelii profert nomen, *Jesus*, vel *Mariæ*, tunc se inclinet, sed profundius, cum dicit, *Jesus*; quod & omnes facere debent præter Subdiaconum tenentem sacrum Codicem, & Ceroferarios, qui perstare debent velut immobiles, quemadmodum & cum Diaconum oporteret genuflectere, veluti exempli causa ad illa Euangelii verba in tertia Missa Natalis Domini: *Et Verbum caro factum est*; & in Missa diei Epiphaniæ ad illa verba: *Et procidentes adoraverunt eum*. Docent hæc passim Rubricæ Missalis, & qui inter alios eas explicant, Gavantus, Castaldus, Quarti, ac novissime eruditissimus Meratus. Certe Rubrica Missalis Parte I. Tit. XVII. Num. IV. hæc habet: *Ministri semper genuflectunt cum celebrante, præterquam Subdiaconus tenens Librum ad Euangelium, & Acolythi tenentes candelabra, qui tunc non genuflectunt. Et cum Diaconus cantat ea verba, ad quæ est genuflectendum, ipse versus Librum, Celebrans, & alii versus Altare genuflectunt*. Sed de his vide quæ infra dicemus, Cap. X. & seq.

## §. III.

Quo finito, factis debitis reverentiis, revertitur ad Altare ad locum suum; sed si Episcopus esset apud Faldistorium, ipse eum stantem lecto Euangelio, triplici ductu thurificare debet. Si vero Episcopus est in Sede sua, id spectat ad Presbyterum assistentem. Si fiat sermo per Episcopum sedentem in Faldistorio apud Altare, statim finito sermone, ipse stans ad ejus sinistram, modicum inclinatus recitabit Confessionem in tono, prout infra in Capite XXXIX. Libri II. *De tono confessionis &c.* Et cum in ea dicet, *& tibi Pater*, profundius inclinabit; sic etiam in fine cum dicet, *& te Pater*. Idem faciet, si sermo per alium habeatur; sed quia tunc Episcopus sedet in Solio suo, ipse stans apud infimum gradum Solii, faciet Confessionem eodem tono, & modo, ut supra. Cum Episcopus incœperit cantare Symbolum, *Credo in unum Deum &c.* ipse cum Subdiacono illud submissa voce prosequetur apud Altare, ita tamen ut non præire, sed subsequi debeant Episcopum. Et cum a Choro recitatus fuerit versiculus, *Et incarnatus est*, usque ad finem, ad quem ipse, sicut alii Canonici, profunde se inclinat, accedit ad abacum, & capit Bursam cum corporalibus, quam ad oculos usque elevatam, ambabus manibus portat ad Altare, incedens solus, gravi, & decoro incessu, & solitas reverentias Episcopo, & Altari faciens; ibi extrahit ex Bursa Corporale, quod explicat, & extendit in medio Altaris, collocans a parte Euangelii Bursam, ita ut Altare non impediat, & redit ad locum suum, & ibi sedet.

## COMMENTARIUS.

I. PLura, quæ in hoc §. continentur, descripta reperies in generalibus Missalis Rubricis, quas egregie inter alios explicarunt Gavantus, Quarti, Meratus. Sed ut nos nonnulla etiam dicamus, *Finito Euangelio Diaconus factis debitis reverentiis revertitur ad Al-*

Digitized by Google

*Altare ad locum suum*; dum interim Presbyter assistens, si scilicet Episcopus in Solio celebret, de Solio descendens per anteriores gradus, acceptoque thuribulo de manu Cæremoniarii, vel Thuriferarii, stans in plano thurificat Episcopum stantem ex Rubrica nostri Cæremonialis Lib. II. Cap. VIII. §. XLVII. & ex variis Sacræ Rituum Congregationis Decretis, præsertim in Placentina die XIX. Maji MDCVII. ubi edicitur, Episcopum thurificari debere a Presbytero assistente, sive Dignitas sit, sive Canonicus, & non a Diacono Euangelii, ubi nimirum, uti dictum est, Episcopus in Solio suo celebraret, nam si esset apud Faldistorium, tum ipse Diaconus finito Euangelio, & non alius Episcopum *triplici ductu thurificare debet*, juxta præscriptum nostri hujus §. ubi etiam ea verba habentur: *Si vero Episcopus est in Sede sua, id spectat ad Presbyterum assistentem*.

II. Si erit habendus sermo, quem Episcopo celebrante, ab eo fieri convenit, vel ab aliquo Canonico Presbytero, ut ait nostrum Cæremoniale Lib. II. Cap. VIII. §. XLVIII. statim finito sermone, si habitus fuerit ab Episcopo sedente in Faldistorio, ipse Diaconus stans ad ejus sinistram inclinatus recitabit confessionem in tono prout notatur in fine Cæremonialis, profundius se inclinans ad ea verba, *& tibi Pater, & te Pater*. Si autem sermo per alium habeatur, tunc, quia Episcopus sedet in Solio, ipse stans apud infimum gradum Solii facit confessionem; qua facta, & publicatis Indulgentiis, per Presbyterum assistentem, sive per eundem Canonicum Presbyterum, qui sermonem habuit, cum debitis reverentiis Episcopo, & Altari, redit ad locum suum. Cum autem Episcopus cantare incœperit Symbolum, *Credo in unum Deum*, ipse Diaconus cum Subdiacono illud voce submissa prosequetur apud Altare; ita tamen ut non præire, sed subsequi debeant Episcopum, genuflectens cum eo ad versum, *Et incarnatus est &c.* qui tamen cum a Choro recitatus fuerit, non iterum genuflectet, sed sedens in loco suo, *sicut alii Canonici, profunde se inclinat.* Porro licet ante Radulphum Tungrensem, ut ipse testatur in Libro *De Canonum observantia*, Propositione XXIII. Romani ad ea Symboli verba, *Et incarnatus est*, numquam genuflectebant, ritum tamen ejus genuflexionis in omnibus Missis luculenter tradit Honorius Augustodunensis in Gemma animæ Lib. I. Cap. CXVIII. Quicquid sit, hodie ex Rubrica Missalis Parte I. Tit. XVII. Numero III. in die Annunciationis Deiparæ, & in tribus Missis Nativitatis Domini, etiam quando cantatur in Choro, *Et incarnatus est*, Ministri pariter cum Celebrante genuflectunt. Id quod etiam præscriptum est ex nostro Cæremoniali Libro II. Cap. VIII. §. LIII. & Cap. XVI. §. X.

III. Finito Versiculo, *Et incarnatus est &c.* surgit Diaconus, factaque mediocri reverentia Subdiacono, quod semper facit in simili casu, ut notat cum aliis Bauldryus, *accedit ad abacum, & capit Bursam cum Corporalibus, quam ad oculos usque elevatam ambabus manibus portat ad Altare, incedens solus, gravi, & decoro incessu, & solitas reverentias Episcopo, & Altari faciens, ibi extrahit ex Bursa Corporale, quod explicat, & extendit in medio Altaris, collocans a parte Euangelii Bursam &c.* Similia legere est infra Lib. II. Cap. VIII. §. LIV. & in Rubricis Missalis Parte II. Tit. VI. Num. VII. Convenit autem, ut, quemadmodum inter alios ait Gavantus in suis Notis ad ipsas Rubricas Parte II. Tit. II. §. II. *ora Corporalis oram Altaris tangat, ut manus intra Corporale post consecrationem contineantur commodius*. Plura scitu digna, quæ ad Corporale, ejusque benedictionem, ac lotionem pertinent, videri possunt Tomo II. Romani Pontificalis ad Titulum XII. Extrahendum esse de Bursa cum extenditur in medio Altari, sive a Celebrante Missam privatam, sive a Diacono in Missa solemni, præscribunt Missalis æque, ac Cæremonialis Rubricæ, ex quibus non immerito argui possunt, qui Corporale plicatum super velum Calicis ponunt, ac deinde super Corporale Bursam; debet enim ipsum Corporale intus Bursam ipsam servari, quousque vel a Celebrante, vel a Diacono in medio Altaris extendatur.

IV. S. Pium V. Pontificem Maximum indulsisse Hispanis, ut extra Bursam Corporale deferri ab eis posset, affirmat Hieronymus Canotonus in suo Ordinario divinorum Officiorum, ex eoque Gavantus in Notis ad Rubricas Missalis Parte II. Tit. I. Num. I. & Macryus in Hierolexico, verbo *Bursa*, ubi etiam infert, non posse hoc fieri sine speciali privilegio. Sane ajunt præfati Auctores, Bursam ipsam Corporale intus continentem, ante Remense Concilium minime fuisse in usu, quia scilicet Canone V. ejusdem Synodi jubetur recondi Corporale simul cum Libro, seu cum Calice; deinde vero propter periculum cadendi in terram, visum fuisse decens, ut in Bursam poneretur. Thecam pretiosam, sive peram ad reponenda Corporalia memorat Conradus Episcopus in Chronico Moguntino. Esse antiquissimum Corporalis usum in Missa, ex eo conjicit Joannes Cardinalis Bona, quod vel Apostolos ipsos non in nudo Altari, sed pannis, seu linteis ornato Sacrum celebrasse omnino credendum est, ob maximam scilicet reverentiam, qua sanctissimum Christi Corpus venerabantur. At vero S. Silvester Papa in Libro Pontificali constituisse dicitur, ut Sacrificium Altaris non in serico, neque in panno tincto, sed tantum in lineo ex terra procreato consecraretur, sicut Corpus Domini in sindone linea, & munda sepultum fuit.

V. Græci etiam, ut observat Bona Lib. I. *Rerum liturgicarum*, Cap. XXV. Num. II. velo lineo quadrato utuntur instar nostri Corporalis, quod explicatur lecto Euangelio, & expleta Synaxi complicatur. *Iliton* vocat S. Chrysostomus in sua Liturgia, ejusque Discipulus Isidorus Pelusiota Lib. I. Epistola CXXIII. apposite ad Sancti Silvestri constitutionem ait: *Pura illa sindon, quæ sub divinorum donorum ministerio expansa est, Josephi Arimathensis est ministerium. Ut enim ille Domini corpus sindone involutum sepulturæ mandavit, per quod universum mortalium genus resurrectionem percepit: eodem modo nos propositionis panem*

Digitized by Google

*panem in sindone sacrificantes, Christi corpus sine dubitatione reperimus*. Olim apud Latinos longius, & latius fuit, quam hodie sit, nam totum Altare eo tegebatur, & ideo palla, ac linteamen vocabatur. Colligitur hoc manifeste ex antiquis Ordinibus Romanis a clarissimo Mabillonio editis Tomo II. Musei Italici, ex quibus etiam & illud constat, munus fuisse Diaconorum Corporale super Altare expandere. Certe Ordo I. Romanus, Num. XII. hæc habet: *Pergente Diacono ad Altare, stante Acolytho cum Calice, & Corporali super eum, levat Calicem in brachio suo sinistro, & porrigit Diacono Corporalem, & accipit desuper Calice, & ponit eum super Altari, projecto capite altero ad Diaconum secundum, ut expandant*. Expandi consuevisse Corporale super Altari post dictum Symbolum, constat ex Ordine II. Romano apud eumdem Mabillonium Num. IX. & ex aliis sequentibus. Legitur tandem in Missa Ambrosiana oratio super sindonem, quam dicit Sacerdos ante Offertorium, cum Diaconus in Missa solemni Corporale expandit. Ubi nota, ritus complures, quos hodie Rubricæ Missalis, ac nostrum Cæremoniale servandos præscribunt, ab antiquis Ecclesiæ usibus esse acceptos, non vero, ut perperam hæretici objiciunt, novissime adinventos.

## §. IV.

Finito Symbolo, si Episcopus sedebit in Faldistorio, aufert ei Mitram, & lecto per eum Offertorio, imponit eidem Mitram pretiosam, & simul cum Subdiacono aufert annulum, & chirothecas. Quod si Episcopus erit in Sede sua Episcopali, Diaconi assistentes auferent, & imponent ei Mitram, & auferent chirothecas. Redeuntem Episcopum ad Altare, & gradus Altaris adscendentem ipse a dextris adjuvat; mox ut Episcopus pervenit ad medium Altaris, Diaconus accedit ad cornu Epistolæ, & accepta una ex duabus Hostiis, quas invenit a Sacrista in patena paratas, cum illa tangit alteram, & Patenam, & Calicem circumcirca intus, & foris, & dat illam prægustandam eidem Sacristæ. Idem similiter facit de vino, & aqua, modicum de illis effundens in pateram ad id paratam. Tunc porrigit Episcopo patenam cum altera Hostia pro sacrificio offerendo, cum osculo Patenæ, & manus.

## COMMENTARIUS.

I. PErspicua est Rubrica primæ partis hujus §. *Finito*, inquit, *Symbolo, si Episcopus sedebit in Faldistorio*, ut quia Legatus, vel Cardinalis adesset, ob cujus præsentiam abstineret a sua Sede Episcopali, uti jam nos non semel diximus, & habetur expresse Lib. II. Cap. VIII. §. LVI. *aufert ei*, scilicet Diaconus, *Mitram*, simplicem, ablato prius Gremiali, ut notat Bauldryus; *& lecto per eum Offertorio, imponit eidem Mitram pretiosam, & simul cum Subdiacono aufert annulum, & chirothecas*; quia scilicet lavare manus mox debet. Ceterum *si Episcopus erit in sua sede Episcopali*, ex præscripto hujus §. & §. LVII. Lib. II. Cap. VIII. aliorumque cum iis concordantium, *Diaconi assistentes auferent, & imponent ei Mitram, & auferent chirothecas*, annulum nempe prius, & deinde chirothecas.

II. Episcopum redeuntem ad Altare excipit in infimo gradu Diaconus, & aufert ei Mitram ex Cæremoniali Papæ, auctore Patricio Lib. III. Sectione II. Cap. XV. cujus locum paulo inferius referemus, & a dextris eum adjuvat ascendentem gradus, & cum eo ascendit, se retrahens ad cornu Epistolæ, ubi discooperiat Calicem de more, *& accepta una ex duabus Hostiis*, quæ sunt super patenam a Sacrista positæ, *cum illa tangit alteram, & Patenam, & Calicem circumcirca intus, & foris, & dat illam prægustandam eidem Sacristæ*, ibidem præsenti, uti a nobis notatum est supra Cap. VI. in Commentario ad §. III. ubi inter alia de Sacrista ita edicitur: *Aderit apud Altare in cornu Epistolæ, cum Oblata erunt offerenda, & prægustabit de Hostia, vino, & aqua, porrigente Diacono*. Hinc in hoc nostro præsenti §. postquam dictum est de prægustanda Hostia a Sacrista, præbente illam ei Diacono, ita subjungitur: *Idem similiter facit de vino, & aqua, modicum de illis effundens in pateram ad id paratam*, quæ pariter dat eidem Sacristæ prægustanda. Tum tandem *porrigit Episcopo patenam cum altera Hostia pro Sacrificio offerendo, cum osculo Patenæ, & manus*.

III. Quædam de eo prægustandi ritu Hostiam, vinum, & aquam in Sacrificio offerenda, videri possunt in Commentario nostro ad laudatum §. III. Capitis VI. ubi etiam rationem ipsius ritus exposuimus. Quod autem spectat ritum in hoc §. nostro præscriptum, est is haud dubie antiquus, & a Missa Papali acceptus; agens enim Augustinus Patricius Lib. III. Sectione II. Cap. XV. *De officio Cardinalis Diaconi Euangelium lecturi*, in Missa scilicet solemni Papæ, inter alia hæc habet, quibus egregie hic, & superior §. illustratur: *Subdiaconus ex credentia Sacristæ portat ad Altare Bursam cum Corporalibus, hostiaria, & purificatorio: quæ omnia consignat ad manus Diaconi, qui ponens Bursam super Altare, primo removet ab ea hostiariam cum extractis ex Bursa Corporalibus, magnum Corporale explicat super Altare, parvum super magnum ponit ad partem, Bursam collocat in loco condecenti, vel ante se, vel ad partem:*

Digitized by Google

*tem: deinde veniente Sacrista cum Calice, & Ampullis, primo ex hostiaria tres Hostias capit, quas ponit super patenam per ordinem ad rectam lineam. Et veniente Pontifice ad Altare, ante gradum stans, deponit ei Mitram, & brachium illius dextrum reverenter capiens, & sublevans, deducit ad medium Altaris. Tum conversus ad dexteram, ubi Patena cum tribus Hostiis super Calicem existit, cum Hostia, quæ est a dextris, tangit alias duas, & illam dat comedendam Sacristæ. Deinde Hostiam, quæ est ad sinistram, capiens, cum ea tangit Patenam, & Calicem intus, & extra per totum, & similiter illam dat comedendam Sacristæ. Tum capiens Patenam cum Hostia, quæ in medio remansit, illam prius exosculatus, dat ad manum Pontificis dexteram, quam deosculatur. Tum conversus ad Calicem, pauxillum vini, & aquæ ex ampullis super vasculum infundit, & dat Sacristæ ad prægustandum, & imponit vinum in Calicem ad sufficientiam, ut satis sit pro tribus communicantibus &c.* Hæc Patricius, in quibus plura notatu digna Lector advertet, præsertim vero illud quod alias expresse edicit nostrum Cæremoniale infra Lib. II. Cap. VIII. §. LXI. nempe Diaconum capere de manu Subdiaconi Patenam cum Hostiis, ex eisque unam accipientem, & cum ea tangentem alteram, ac Patenam, & Calicem intus & extra, eandem Sacristæ ibi præsenti prægustandam præbere.

IV. Facta a Sacrista prægustatione Oblatarum, mox Diaconus *porrigit Episcopo Patenam cum altera Hostia pro Sacrificio offerendo cum osculo Patenæ, & manus*; & quidem non modo juxta Cæremonialis, & Missalis Rubricas, uti videre est apud Gavantum Parte II. Tit. VII. Num. IX. ubi de Diacono loquens, *dat*, inquit, *Patenam cum Hostia celebranti, osculando ejus manum*, deosculata scilicet prius Patena; verum ex antiquo Ecclesiæ more, cujus meminit inter alios Durandus Lib. IV. *Rationalis divinorum Officiorum*, Cap. XXX. Num. X. ubi ait, Diaconum ipsum *Patenam cum Hostia ex institutione Concilii Ancyrani Pontifici repræsentare*. Citat præterea Canonem *Perlectis*, apud Gratianum Distinctione XXV. desumptum ex Epistola S. Isidori Episcopi Hispalensis ad Ludifredum Cordubensem Episcopum data, ubi loquens ipse Isidorus de Diaconi muniis, inter alia ita ait: *Ad Diaconum pertinet assistere Sacerdotibus, & ministrare in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Christi, in Baptismo scilicet, & Chrismate, & Patena, & Calice*. Locus Concilii Ancyrani, quod habitum fuit anno CCCXIV. est quidem in Canone II. ubi innuitur, munus esse Diaconi in sacro ministerio Panem & Calicem offerre; idest, Patenam cum Hostia, uti docti Viri exponunt, & Calicem cum vino, & aqua, ut infra dicemus. Porro Patenam æque ac manum Pontificis deosculandam esse a Diacono, ubi illam Pontifici porrigit, Auctores, qui de sacris Cæremoniis tractant, passim docent, inter quos Augustinus Patricius Lib. III. sui Cæremonialis Cap. XV. de Diacono Euangelii in Missa Papali disserens, ait: *Tum*, scilicet post prægustationem, de qua supra dictum est, *capiens Patenam cum Hostia, quæ in medio remansit, dat ad manum Pontificis dexteram, quam deosculatur*. Advertendum autem, debere Diaconum, ubi ambabus manibus Patenam tradit Episcopo, eam prius ad oram deosculari, tum vero ubi in manus illius ponit, ejusdem dexteram; quod iccirco dixi, quia sunt quidam, qui variis modis pro libito suo non recte eum ritum servent.

## §. V.

Dum Episcopus dicit, *Suscipe sancte Pater &c.* Diaconus ex ampullis mittit in Calicem, quem prius purificatorio extersit, vinum pro consecratione, & post admistas illi per Subdiaconum paucas aquæ tunc per Episcopum benedictæ guttas, offert Calicem Episcopo cum osculis etiam Calicis, & manus, cum quo tangens & ipse Calicem, dicit: *Offerimus tibi Domine &c.* Et posito per Episcopum Calice super Corporale, ipse illum palla cooperit; & accedente Thuriferario, ministrat Episcopo naviculam, & mox ponit in ejus manibus, ut supra dictum est, thuribulum, ut thurificet Oblata, & Altare, quem adjuvat, supponendo sinistram brachio illius, & retrahendo Dalmaticam, dexteram vero ad pedem Calicis ponendo, ne, dum Episcopus Oblata thurificat, thuribulo tactus, e loco removeatur, vel aliquid ex illo effluat; & cum thurificanda erit Crux Altaris, ipse opportune Calicem e medio removebit, & Cruce thurificata, in eodem loco illum reponet. Finita thurificatione Altaris, accipiet thuribulum de manu Episcopi cum deosculationibus, & eum stantem cum Mitra in cornu Epistolæ triplici ductu thurificat: mox accedit ad thurificandum Dignitates, & Canonicos, & alios de Choro, ordine in Capite XXIII. Libri I. descripto. Quo facto, dat thuribulum Acolytho, vel Cæremoniario, a quo & ipse stans post Celebrantem in gradu Altaris infra suppedaneum thurificatur. Finita Præfatione, accedit ad dexteram Episcopi, dicens cum eo, *Sanctus, Sanctus &c.* & statim redit ad locum suum post Celebrantem; & cum Celebrans incipit verba Canonis, videlicet, *Te igitur clementissime Pater &c.* attente advertat, ut opportune partem Dalmaticæ

Digitized by Google

maticæ ad brachium illius ſublevet, & diſcooperiat, & cooperiat Calicem, quoties opus fuerit, prout in Rubricis Miſſalis explicatur; & cum Celebrans elevat Hoſtiam, ipſe genuflectit ad ejus dexteram, & ſiniſtra elevat aliquantulum poſteriorem partem Planetæ. Repoſita Hoſtia ſuper Corporale, ſurgit, & detegit Calicem, & ſtatim genuflectit, & iterum ſublevat Planetam, dum Celebrans Calicem elevat, quem repoſitum ſuper Altare Palla cooperit, genuflectit, & redit ad locum ſuum poſt Celebrantem; advertens, dum Celebrans ſignat ſuper Hoſtiam, & Calicem, ut partem Dalmaticæ circa brachium ejus ſemper aliquantulum ſuſtineat; & cum dicit ea verba Canonis, videlicet, *Benedicis, & præſtas nobis*, ipſe accedens detegit Calicem; & quoties Calicem detegit, toties genuflectit, adorans Sanctiſſimum Sacramentum, prius, & poſt. Cum Celebrans ſignat, dicens, *Per ipſum, & cum ipſo &c.* retinebit duobus digitis dexteræ manus pedem Calicis, & repoſita Hoſtia ſuper Corporale, tegit Calicem Palla, & redit ad locum ſuum. Circa finem, *Pater noſter &c.* videlicet, dum Celebrans dicit, *Et dimitte nobis &c.* aſcendit ad cornu Epiſtolæ, & accipit Patenam de manu Subdiaconi, cum purificatorio deterſam, oſculatamque ab ipſo, videlicet, dum dicit verba Canonis, *Libera nos &c.* ponit eam in manu dextera ipſius Celebrantis, quam ſimiliter oſculatur; & cum Epiſcopus ſupponit Patenam Hoſtiæ, ipſe detegit Calicem, ac poſita per Celebrantem particula Hoſtiæ in Calicem, illum tegit, & cum Celebrante dicit, *Agnus Dei &c.* & ſupplet loco aſſiſtentis Presbyteri ad Librum, donec ille redeat ab oſculo pacis, infunditque vinum in Calicem pro purificatione Celebrantis.

## COMMENTARIUS.

1. PErgit Cæremoniale alia Diaconi Euangelii munia in ſolemni Miſſa Pontificali explicare, poſtquam enim ad calcem ſuperioris §. edixit, munus eſſe illius, ut facta prægustatione Oblatarum a Sacriſta, porrigat Epiſcopo Patenam cum Hoſtia pro Sacrificio offerendo cum oſculo Patenæ, & manus, initio hujus §. hæc habet: *Dum Epiſcopus dicit*, Suſcipe ſancte Pater &c. *Diaconus ex ampullis mittit in Calicem, quem prius purificatorio abſterſit, vinum pro conſecratione*. Quamquam ex Rubrica Miſſalis Parte II. Tit. VII. Num. IX. in Miſſa ſolemni *Subdiaconus extergit calicem purificatorio*, ubi tamen ſolemniter Epiſcopus celebret, ut ex hoc noſtro §. liquet,

Digitized by Google

liquet, Calicis illa absterſio cum purificatorio a Diacono quidem, non vero a Subdiacono fieri debet. Idipſum liquet ex Cæremoniali Paridis Craſſi Lib. I. Cap. V. ubi loquens de officio Diaconi in Miſſa Epiſcopi, *Calicem*, inquit, *tergit, & vinum imponit, quantum placet Celebranti*. Vinum a Diacono imponi ex ampulla accepta de manu Subdiaconi, diſerte habetur ex citata Miſſalis Rubrica, docentque idipſum paſſim Auctores, qui tractant de ſacris Cæremoniis.

II. Dum Diaconus vinum in Calicem infundit, Subdiaconus ampullam aquæ Epiſcopo oſtendit, & petit, ut benedicat, dicens, *Benedicite Reverendiſſime Pater*, ex qua benedicta infundit paululum in Calicem, ut dicemus infra Cap. X. in Commentario ad §. V. Poſt admixtas vino per Subdiaconum paucas aquæ guttas tunc per Epiſcopum benedictas, *offert*, ideſt Diaconus, *Calicem Epiſcopo cum oſculis etiam Calicis, & manus illius*, cum quo tangens & ipſe Calicem, dicit una cum eo, *Offerimus tibi Domine &c.* ut diſerte cautum eſt non modo ex hoc §. verum ex Lib. II. Cap. VIII. §. LXIII. & ex Rubricis Miſſalis. Sunt qui cum Caſtaldo Lib. I. Praxis Cæremoniarum, Sectione VII. Cap. I. Num. XV. docent, Diaconam in porrigendo Calice debere ſiniſtra ſua brachium Celebrantis, dextera vero pedem Calicis ſuſtentare; ſed placet aliorum ſententia, quam noviſſime ſequutus eſt Meratus in Notis ad Gavantum, Parte II. Tit. VII. Num. LVII. ubi ait, debere Diaconum in porrigendo Calice Celebranti, tenere ipſum ſiniſtra per nodum, & dextera manu per pedem, vel alio commodiori modo, ſi fieri poteſt. Quicquid ſit de hiſce ſententiis, illud plane conſtat, tum Miſſalis Rubricam, tum noſtrum Cæremoniale, ubi de eo ritu loquuntur, cum particula disjunctiva loqui, uti videre eſt citatis locis.

III. Sed forte rogabit quiſpiam, cur Diaconus concurrat ſimul cum Celebrante ad offerendum Calicem, dicens cum eo, *Offerimus tibi Domine &c.* non vero ad offerendam Hoſtiam, ubi illam cum Patena Epiſcopo celebranti porrigit? Omiſſa myſtica ratione, quam tradit Durandus Lib. IV. *Rationalis divinorum Officiorum*, Cap. XXX. Num. XVII. & ſeq. ſcite admodum docet Meratus loco citato, poſt Joannem Bona Cardinalem, Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. IX. Numero V. ideo juxta Romanum Ritum prædictam orationem, *Offerimus tibi Domine &c.* in oblatione Calicis, non ſolum a Sacerdote, ſed etiam a Diacono recitari, tum quia Diaconus antea vinum Calici infudit, tum quia antiquitus idem Diaconus ſacratiſſimum Sanguinem populo miniſtrabat, non vero Corpus, ſaltem juxta generalem Eccleſiæ diſciplinam primis ſeculis ſervatam. Ceterum ſiquis hic nobis objiciat, prædictam orationem, *Offerimus tibi Domine &c.* quam plurali numero pronuntiari ait Durandus, quod a Celebrante ſimul cum Diacono dici debet, adhiberi etiam in numero plurali a Sacerdote in Miſſa privata, dum celebrat ſine Diacono, dicam breviter, quod ſcitiſſime docet idem Joannes Bona Cardinalis loco citato, formulas pro ſolemni Miſſa inſtitutas nequaquam mutari in Miſſa privata. Sed de hac re alio loco fuſius.

IV. Dicto a Diacono una cum Epiſcopo, *Offerimus tibi Domine &c.* & poſito per Epiſcopum Calice ſuper Corporale, mox Diaconus *illum Palla cooperit*; & Patenam de more tradit Subdiacono, uti edicitur non modo in citata Miſſalis Rubrica, ſed infra Cap. X. §. VI. & Lib. II. Cap. VIII. §. LXIII. his verbis: *Tum idem Diaconus capiens Patenam, ponit illam in manu dextera Subdiaconi*, nuda ſcilicet, contra nonnullos, qui eam medio velo tenent, *ac extremitate veli ab ea parte pendentis contegit, quam Subdiaconus ſtans poſt Epiſcopum, & Diaconum ſpatio congruenti, ſuſtinet elevatam uſque ad* Pater noſter, *ut infra dicetur*, ita ſcilicet eam tenens, ut pars in qua Hoſtia locari ſolet, pectus tenentis reſpiciat. De eo ritu ſuo nos loco nonnulla dicemus; quod autem Pallam ſpectat, cooperiendum eſſe illa Calicem a Diacono, ubi Pontifex ſuper Corporale Calicem ipſum poſuit, docet Patricius in ſuo Cæremoniali Lib. III. Cap. XV. *Cum Papa Calicem ſuper Corporalia poſuerit, Diaconus ſtatim illum Palla, ideſt, parvo Corporali tegit*. Idipſum docent paſſim Libri antiqui Cæremoniales, & Codices antiqui Miſſarum, quibus addi poteſt Ordo Romanus XIV. auctore Jacobo Gaetano. Teſte Micrologo Cap. X. *cooperitur Calix non tam cauſa myſterii, quam cautelæ*; ne ſcilicet in eum aliquid decidat.

V. Cooperto Calice Palla a Diacono, & accedente Thuriferario, miniſtrat mox ipſe Diaconus *Epiſcopo naviculam, & mox ponit in ejus manibus, ut ſupra dictum eſt, thuribulum, ut thuricet Oblata, & Altare, quem adjuvat, ſupponendo ſiniſtram brachio illius, & retrahendo Dalmaticam &c.* De thurificatione Oblatarum in Altari, teſtis eſt Amalarius in Præfatione Librorum, *De Eccleſiaſticis officiis*, Romanos poſt Euangelium, incenſum olim ſuper Altari non obtuliſſe. Concinit Amalario Micrologus in Obſervationibus Eccleſiaſticis, Cap. IX. ubi ita ait: *Romanus Ordo præcipit, ut incenſum ſemper præcedat Euangelium, cum ad Altare, ſive in Ambonem portatur; non autem concedit, ut oblatio in Altari thuricetur, quod & Amalarius in Prologo libri ſui de officiis Romanos devitare fatetur; quamvis modo a pluribus, imo pene ab omnibus uſurpetur*. Errat itaque Radulphus Tungrenſis, ubi Propoſitione XXIII. ex quibuſdam Chronicis inquit, Leonem Papam I. eſſe auctorem incenſationis Oblatorum in memoriam Chriſti; ſed illis Chronicis nulla fides adhibenda eſt, nam ut ſcite obſervat doctiſſimus Cardinalis Bona Lib. II. Cap. IX. Num. V. ſi ſermo ſit de quocumque uſu thuris in Miſſa, jam ab initio Eccleſiæ, Apoſtolorum Decreto thus adhibitum eſt in ſolemni Sacrificio; ſi vero loquamur de thurificatione Oblatorum in Altari, ritus eſt Amalarii ævo poſterior. In eundem Radulphi errorem lapſus eſt etiam Durandus, qui Libro IV. ſui Rationalis, Cap. XXXI. inſtitutionem incenſandi Oblata etiam Leoni Papæ tribuit.

VI. Teſte laudato Micrologo, ſive Auctore ejus Libri, qui vixit circa finem Seculi XI. jam tunc tem-



Digitized by Google

temporis erat in usu thurificatio Oblatorum in Missa, ejusque ritus meminit Durandus Lib. IV. sui Rationalis, Cap. XXXI. & inter alios memoratus Ordo Romanus XIV. auctore Jacobo Gaetano apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici, Pag. 302. ubi etiam illud notatu dignum est, quod mandet, ut *Diaconus ponat thus in thuribulum*; cum alias thus ex Rubrica Missalis, ac Cæremonialis poni debeat in thuribulum a Celebrante, naviculam ministrante Diacono. Sed audiamus Paridem Crassum Lib. I. Cap. V. ubi de officio Diaconi in Missa Episcopi disserens, ita inquit: *Cooperit cum Palla* Calicem: *quo facto, Patenam dat Subdiacono; tum naviculam pro incenso ministrat, dicens*: Jube Domne benedicere; *& cum Celebrans incensat, ipse ejus manicam una manu, & Calicem altera, vel modicum retrahit, vel sustinet, ne forte Calix percussus cadat*. Est ritus jam olim servatus in Capella Papali, teste Patricio, qui in citato Lib. III. Cap. XV. de Diacono Cardinale Euangelium lecturo in Missa Summi Pontificis loquens, hæc habet: *Cum Papa est impositurus incensum, ministrat naviculam, & facit, ut in prima incensatione diximus. Sed cum Papa incensat super, & circa Oblata, tunc Diaconus dextram manum tenet ad pedem Calicis, ne forte rueret, & sinistram ad manicas Dalmaticæ Pontificis, ne cum illis Pallam percutiat*. Consona his sunt quæ in nostro §. præscribuntur de officio Diaconi in thurificatione Oblatorum, ex quibus etiam addiscimus, nullum inde oriri Mysterium, quod in ipsa thurificatione dextera manu pedem Calicis teneat, & sinistra manicam Dalmaticæ Episcopi; adhibenda enim est ea diligentia, *ne dum Episcopus Oblata thurificat*, Calix *thuribulo tactus e loco removeatur, vel aliquid ex illo effluat*.

VII. Postquam incensata fuerint Oblata, *cum thurificanda erit Crux Altaris, ipse Diaconus opportune Calicem e medio removebit, & Cruce thurificata, in eodem loco illum reponet*. Amovebit scilicet Calicem e medio Altaris, non tamen extra Corporale, si capax sit, ut docet Gavantus; sed intra ipsum collocabit versus cornu Epistolæ, ut notat Meratus in suis ad Gavantum Observationibus Parte II. Tit. VII. Num. LXVI. Tum facta a Celebrante, atque a Diacono profunda Cruci reverentia, vel genuflexione, si adsit Sanctissimum Sacramentum in Tabernaculo, Celebrans prosequitur incensationem Crucis, eaque peracta, Calicem in eodem loco reponet Diaconus, idest, in medio Altaris, a quo illum removerat. Porro notat idem Meratus loco citato, eum ritum removendi Calicem in incensatione Crucis non observari ab iis, qui juxta antiquum morem adhibent magnum Corporale, quo Calicem obducunt, ut alibi diximus. Certe apud Carthusianos, qui antiquorum rituum tenaces Corporale adhibent multo longius, latiusque, ejusdemque parte posteriore Calicem, & Hostiam cooperiunt, ritus ille removendi Calicem minime servatur, quem tamen alii passim servant, quia scilicet Calicem parva Palla cooperiunt a Corporali distincta.

VIII. Finita incensatione Altaris, *accipiet* Diaconus *thuribulum de manu Episcopi cum osculationibus*, manus scilicet prius, & deinde thuribuli; & descendens in planum a parte Epistolæ, ad cujus sinistram erit Cæremoniarius, Thuriferarius vero post ipsum Diaconum, facta una cum Cæremoniario profunda capitis inclinatione Celebranti Episcopo, *eum stantem cum Mitra in cornu Epistolæ triplici ductu thurificat*; & iterum caput profunde cum ipso Cæremoniario eidem inclinat, cui tamen ille ne modicum quidem se inclinare debet, sed solum benedicet, uti alibi dictum est. Incensato Episcopo, *mox accedit ad thurificandum Dignitates, & Canonicos, & alios de Choro, ordine in Capite* XXIII. *Libri* I. *descripto*. Quæ in eo Capite præscribuntur, suo loco dicemus; in præsenti sat fuerit illud notare, debere Diaconum thurificato Episcopo, mox incensare Presbyterum assistentem, tum duos assistentes Diaconos, deinde Dignitates, Canonicos, Subdiaconum, & alios de more. *Quo facto dat thuribulum Acolytho, vel Cæremoniario, a quo & ipse stans post Celebrantem*, inter duos scilicet Diaconos assistentes, *in gradu Altaris infra suppedaneum*, junctis manibus ante pectus, caputque inclinans ante, & post, duplici ductu, *thurificatur*, in loco suo, ubi stat usque ad finem Præfationis, facie versa ad Altare, & manibus ante pectus junctis.

IX. Præfatione finita, sive potius, uti habetur in Rubrica Missalis, Parte II. Tit. VII. Num. XI. paulo antequam dicatur, *Sanctus*, idem Diaconus *accedit*, cum debitis reverentiis, *ad dexteram Episcopi, dicens cum eo*, junctis manibus, & capite inclinato, *Sanctus, Sanctus &c. & statim redit ad locum suum post Celebrantem*, idest aliquantum post ipsum stans; uti habetur in citata Missalis Rubrica; nempe a latere dextero, facta scilicet prius Cruci reverentia, vel genuflexione, si in Altari sit Tabernaculum cum Sanctissimo Sacramento, & postquam una cum ipso Celebrante ad ea verba, *Benedictus qui venit &c.* erectus se signo Crucis signavit. Porro Hymnum ipsum *Sanctus &c.* Sacerdos ipse cum aliis necessario debet dicere, ne seipsum sua prece videatur privasse, qui & suas voces, & aliorum Angelicis laudibus admitti deprecatus est in Præfatione, ut ait Micrologus Cap. XI. Plura de eo Hymno dicemus nos alio loco; videri tamen potest Durandus Lib. IV. *Rationalis*, Cap. XXXIV. Stephanus Durantus, Libro II. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. XXXI. & Joannes Bona S. R. E. Cardinalis, Lib. II. *Rerum liturgicarum*, Cap. X. per totum.

X. Ubi finita Præfatione ad dexteram Celebrantis accessit Diaconus, & cum eo dixit, *Sanctus &c.* sine ulla percussione pectoris, ut notat Crassus Lib. I. Cap. V. cautum & illud ex nostro §. est, ut, *cum Celebrans incipit verba Canonis, videlicet*, Te igitur clementissime Pater &c. *attente advertat, ut opportune partem Dalmaticæ ad brachium illius sublevet, & discooperiat, & cooperiat Calicem, quoties opus fuerit, prout in Rubricis Missalis explicatur*. Eundem hunc ritum tradit, ejusque etiam rationem docet in suo Cæremo-

Digitized by Google

remoniali Augustinus Patricius Lib. III. Cap. XV. ita inquiens: *Quotiescumque Pontifex signat super Calicem, aut Hostiam, accedat reverenter, & elevet manicam Dalmaticæ, ne cum ea percutiat Calicem, & Pallam, & mox revertatur ad locum suum, & ab eo puncto, in quo Pontifex incipit Canonem, idest,* Te igitur, *semper attente advertat, ut in tempore possit elevare manicam, tegere, & detegere Calicem, cum sit opus.* Paucis hæc omnia complectitur Crassus loco citato, ubi loquens de Diaconi officio, ait: *Cum celebrans vult signare Hostiam, & Calicem, ipse adsit elevans manicas.*

XI. Rursus, *cum Celebrans elevat Hostiam, ipse genuflectit*, utroque scilicet genu, paulo post Episcopum, *ad ejus dexteram, & sinistra elevat aliquantulum posteriorem partem Planetæ.* Meminit & ejus Ritus laudatus Patricius, dicens: *Cum Pontifex consecrat Hostiam, genuflectit ad dextrum latus, & dum eam elevat, elevat & ipse ab eo latere Planetam.* Concinit Patricio Crassus, ait tamen, debere Diaconum, Celebrante elevante Hostiam, Planetam retro sinistra manu elevare, dextera vero adjuvare manum Celebrantis. Sed audienda Rubrica Missalis, Parte II. Tit. VIII. Num. VIII. ubi ritum ipsum ita præscribit servandum: *Cum autem Celebrans dicit,* Quam oblationem &c. *Diaconus accedit ad ejus dexteram, & ibi in superiori gradu Altaris genuflexus, cum Sacramentum elevatur, fimbrias Planetæ elevat.* Nullum plane in ea elevatione mysterium excogitandum est. Planeta olim, uti diximus Tomo I. Romani Pontificalis, totum involvebat Sacerdotem a collo usque ad pedes, eamque ob causam ortus est usus, ut a Ministro elevetur, cum Sacerdos Hostiam, & Calicem elevat; quæ praxis antiquitus necessaria, ne pedibus obversans flectenti genua Sacerdoti Hostiam, & Calicem elevanti, impedimento esset, adhuc perseverat, tametsi cessante causa superflua sit, ut notat Cardinalis Bona Lib. I. Cap. XXIV. Num. VIII. Sed standum est Rubricis Cæremonialis, ac Missalis eam hodieque cæremoniam præscribentibus.

XII. Reposita Hostia super Corporale, & post genuflexionem Episcopi, *surgit* Diaconus, *detegit Calicem, & statim genuflectit*, utroque scilicet genu, uti superius notatum est, *& iterum sublevat Planetam, dum Celebrans Calicem elevat, quem repositum super Altare, palla cooperit &c.* Brevius Rubrica Missalis loco citato: *Calicem discooperit, & cooperit, & cum Celebrante genuflectit.* Sed audiamus iterum Patricium sic ajentem conformiter ad ritum in hac nostri §. parte præscriptum: *Cum ille*, scilicet Pontifex, *reposuerit Hostiam super Corporalia, ipse*, Diaconus scilicet, *detegit Calicem, & rursus genuflectit. Et similiter attollit Planetam, cum Pontifex elevat Calicem: quo deposito, statim Palla tegit, & redit ad locum suum.* His adde, quæ inquit Crassus citato loco: *Similiter postquam Celebrans reposuerit Hostiam, ac genuflexerit, & non prius, Calicem discooperit ante consecrationem, & post elevationem illum cooperit, interim adjuvans sustinendo Planetam, & manum, ut in elevatione Hostiæ fecit.* Ergo ad utramque elevationem, ut inter alios etiam notat Meratus, postquam scilicet Celebrans genuflexit, *& non prius*, Diaconus elevat Planetam, tenens eam in medio per fimbrias posterioris partis, quam deponendo minime osculabitur. Advertere autem debet, quod §. is noster monet, quodque nos etiam superius adnotavimus ex Patricio, & Crasso, ut nimirum Diaconus, *dum Celebrans signat super Hostiam, & Calicem, partem Dalmaticæ circa brachium ejus, aliquantulum sustineat.*

XIII. Cum vero Episcopus *dicit ea verba Canonis*, Benedicis, & præstas nobis &c. *ipse* Diaconus *accedens detegit Calicem, & quoties Calicem detegit, toties genuflectit*, unico scilicet genu, *adorans SS. Sacramentum prius, & post.* Item, *cum Celebrans signat dicens*, Per ipsum, & cum ipso &c. *retinebit duobus digitis dexteræ manus pedem Calicis, & reposita* a Celebrante *Hostia super Corporale, detegit*, Diaconus, *Calicem Palla, & redit ad locum suum.* Eadem paucis verbis complexus est Patricius, inquiens: *Dum post elevationem Sacramenti Pontifex dicit*, Benedicis, & præstas nobis, *Diaconus accedens detegit Calicem*, cum debitis scilicet cæremoniis superius traditis ab eodem Patricio. Sed audiamus alia hujus Auctoris verba: *Et cum Pontifex*, inquit, *cum Hostia signat super Calicem, dicendo*: Per ipsum &c. *retinet ipse*, Diaconus nempe, *duobus digitis dextræ manus Calicis pedem, & cum Pontifex reposuerit Hostiam super Corporalia, ipse* Diaconus *tegit Calicem, & revertitur ad locum suum.* Porro in ritu hactenus enarrato mysterium contineri, ex variis Scriptoribus affirmat Gavantus in Thesauro sacrorum Rituum, Parte II. Tit. XVI. in mystica expositione Missæ, Num. XX. *Sicut omnium sententia*, inquit, *Calix hoc loco operitur Palla, non, ut hactenus, ad cautelam, sed ad mysterium; ita in Palla designatur lapis ad ostium monumenti, ut ait, Innocentius Lib.* V. *Cap.* I. *vel Corpus Christi involutum syndone a Josepho, ut contemplatur Durandus Lib.* IV. *Cap.* XLVI. *Celebrans enim, & Diaconus, hic tangunt Calicem simul, innuentes ministerium duorum, Nicodemi quidem Celebrans, Josephi vero Diaconus; quia Joseph involvit syndone Corpus, & Diaconus tangens Calicem, eundem Palla cooperit.* Ita ille, citans etiam Rubeum Lib. II. Cap. LXXI.

XIV. Quicquid sit de hac pia, ac mystica memoratorum Auctorum interpretatione, ut nos ea explicemus, quæ in hoc § nostro supersunt, sic ille inquit: *Circa finem*, Pater noster &c. *videlicet, dum Celebrans dicit*, Et dimitte nobis &c. *ascendit ad cornu Epistolæ, & accipit Patenam de manu Subdiaconi cum purificatorio detersam, osculatamque ab ipso, videlicet, dum dicit verba Canonis*, Libera nos &c. *ponit eam in manu dextera ipsius Celebrantis, quam similiter osculatur.* Plura quæ in hac parte desiderantur, suppleri possunt ex Rubrica Missalis, Parte II. Tit. X. Num. VIII. ubi hæc habet: *In Missa solemni Diaconus stans retro post Celebrantem, cum in Ora-*

*tione Dominica dicitur*, Et dimitte nobis debita nostra, *facta ibidem genuflexione, vadit ad dexteram Celebrantis; & Subdiaconus circa finem Orationis Dominicæ, facta item genuflexione, revertitur ad Altare, & stans in cornu Epistolæ, porrigit Patenam Diacono, qui eam discooperit, & purificatorio abstergens dat Celebranti*. His addi possunt, quæ eam in rem scribunt Patricius, & Crassus, quorum prior sic inquit: *Cum vero in fine*, Pater noster, *Subdiaconus reportat Patenam, Diaconus accedens ad latus Pontificis, vertitur ad Subdiaconum, & de manu ejus accipit Patenam, quam cum Pontifex dicit*, Libera nos quæsumus Domine, *dat illi ad manum dexteram, & prius osculatur Patenam, & postea manum Pontificis*. Crassus vero cæremoniam ipsam ita enarrat: *In fine*, Pater noster, *advenienti Subdiacono cum Patena cooperta, ipse*, scilicet Diaconus, *stans in cornu Epistolæ, eam velo discooperit, discoopertamque offert Celebranti*. Ex quibus omnibus addiscere licet. I. Diaconum removere partem veli, quæ est super Patenam, eamque a Subdiacono accipere. II. Diaconum extergere purificatorio Patenam super Altare. III. ipsum Diaconum eam prius ad oram, deinde manum Pontificis deosculari, ubi eam in dexteram Celebrantis ponit, inter pollicem scilicet, & indicem unitos ex una, & medium digitum præfati Celebrantis ex altera parte, quando nempe ipse dixerit, *Amen*, post Orationem Dominicam, & incipit, *Libera nos quæsumus Domine &c.* ex hoc nostro §. & infra §. LXXIV. Lib. II. Cap. VIII. IV. demum dari Patenam per manus in manum Celebrantis, ritum esse antiquum, ejusque meminit Innocentius III. Lib. VI. Cap. I. imo & Ordo vetus Romanus, quem citat Gavantus, Parte II. Tit. X. Num. VIII. ubi etiam notat, Patenam olim transiisse per plures manus, quam per duas.

XV. Tradita a Diacono Patena Episcopo, ubi is Patenam ipsam Hostiæ supponit, Diaconus *detegit Calicem, ac posita per Celebrantem particula Hostiæ in Calicem, illum tegit Diaconus, & cum Celebrante dicit*, Agnus Dei &c. *& supplet loco assistentis Presbyteri ad Librum &c.* Clarius hæc eadem in suo Cæremoniali exponit Patricius, dicens: *Cum Pontifex Patenam supposuerit Hostiæ, ipse detegit Calicem. Et semper, quando ipse detegit Calicem, genuflectit, adorans Sacramentum*. Additque mox: *Et cum Pontifex immiserit particulam Hostiæ in Calice, iterum Calicem tegat, & cum Pontifice dicat*, Agnus Dei &c. *& revertatur ad locum suum &c.* Hæc postrema verba minime cum nostro §. concordant, quippe qui diserte edicit, ut, dicto cum Celebrante, *Agnus Dei &c.* suppleat Diaconus loco assistentis Presbyteri ad Librum, *donec ille redeat ab osculo pacis*. Certe ritum ipsum luculentissime exponit Crassus, ubi ita inquit: *Dicto per Celebrantem*, Pax Domini, *ipse* Diaconus *ascendit, & cum eo dicit ter*, Agnus Dei, *totiens percutiens pectus, nisi sit Missa pro Defunctis, quia non percutit. Quo dicto, vadit ad sinistram ejus*, scilicet Celebrantis, & quidem cum debitis genuflexionibus, *& capit, ac tenet librum, sicut tenebat Assistens, cujus vices ipse exequitur, donec Assistens, distributa pace, reversus ad Altare fuerit*.

XVI. Notandum hic insuper est, quod docet Patricius, nempe, quod ubi cum Celebrante dixit Diaconus, *Agnus Dei &c.*. non capit Pacem a Pontifice, quia illam capiet, postquam communicaverit. Id quod non de Diacono solum, sed & de Subdiacono nostrum Cæremoniale edicit infra in §. VI. sequenti, & in Cap. XXIV. §. III. his verbis: *Diaconus Euangelii, & Subdiaconus Epistolæ capient pacem ab eodem Episcopo celebrante, cum ab eo accipiunt communionem*. Datur enim primum ab Episcopo Celebrante pax Presbytero assistenti, qui deinde, exceptis duobus Diaconis assistentibus, & Diacono Euangelii, ac Subdiacono Epistolæ, qui ab eodem Celebrante Episcopo pacem capiunt, cæteris juxta ritum in nostro Cæremoniali præscriptum præbet. Ceterum ubi ab osculo pacis redit Presbyter ipse assistens, redit tunc quoque ad locum suum, idest, ad dexterum Episcopi latus Diaconus, *infunditque vinum in Calicem pro purificatione Celebrantis*; uti ex nostro §. cautum est, & ex aliis multis locis hujus nostri Ceremonialis.

## §. VI.

Si facienda erit communio generalis, postquam Episcopus Celebrans se, & Diaconum, & Subdiaconum communicaverit, ante purificationem, & antequam digitos abluat, ipse Diaconus stans in cornu Epistolæ inclinatus, Confessionem alta voce cantabit, aliaque faciet, prout in die Paschæ dicitur. Advertendum autem est, quod etiam si non fiat communio generalis, semper a Diacono, & Subdiacono, nisi sint Sacerdotes, & velint celebrare, accipienda est communio ab Episcopo Celebrante, a quo & immediate osculum pacis accipere debent, ut dicitur in Capite XXIX. Lib. II. & in Capite XXIV. Libri I.

## COMMENTARIUS.

I. UBi in Missa Pontificali facienda sit communio generalis, mandat hic primum §. noster, ut *postquam Episcopus Celebrans se, & Diaconum, & Subdiaconum communicaverit, ante purificationem, & antequam digitos abluat, ipse Diaconus stans in cornu Epistolæ incli-*

Digitized by Google

*inclinatus*, *confessionem alta voce* cantet, *aliaque* faciat, *prout in die Paschæ dicitur*, nempe Capite XXIX. Libri II. §. III. ubi Deo dante plura quæ eum ritum spectant in hoc §. nostro præscriptum dicemus. Porro advertendum est, tum ex hac nostra Rubrica, tum ex aliis in hoc §. citatis, etiamsi non fiat communio generalis, semper a Diacono, & Subdiacono, nisi sint Sacerdotes, & velint celebrare, accipiendam esse communionem ab Episcopo celebrante, imo etiam & ab alio Sacerdote, cui in solemni Missa assisterent juxta oraculum Concilii Tridentini Sessione XXIII. *De reformatione*, Cap. XIII. ubi loquens de Diaconis, ac Subdiaconis, sic inter alia inquit: *Sciantque, maxime decere, si saltem diebus Dominicis, & solemnibus, cum Altari ministraverint, sacram communionem perceperint*. Scio, loqui Concilium de veris Diaconis, ac Subdiaconis, qui in solemni Missa celebranti Sacerdoti ministrant, non vero de Sacerdotibus, qui, ut hodieque passim in Ecclesiis fieri assolet, eorum officiis funguntur; servatur tamen hic ritus plerisque in Ecclesiis, præsertim vero in Basilica Vaticana, ubi Presbyteri suplentes in Missa solemni Diaconorum, ac Subdiaconorum vices, a Sacrificio eo die abstinent, quo in Altari ministrant, & communionem de manu Celebrantis sumunt. De pace accipienda a Diacono & Subdiacono, postquam ab Episcopo Eucharistiam percepere, jam in superiori Commentario notatum est. Id quod etiam alibi dicemus.

## §. VII.

Postquam Celebrans digitos abluerit, Diaconus, translato Libro cum pulvino ad cornu Epistolæ, imponit Mitram pretiosam in capite Episcopi, qui abluit manus; mox eidem Mitram aufert, & vadit post eum; & dicto post ultimam Orationem, *Dominus vobiscum*, ipse stans conversus ad Populum, sive ad Altare, quemadmodum Episcopus, cantat, *Ite Missa est*, in tono competenti, vel, *Benedicamus Domino*, prout tempus exigit. Et, si Celebrans est daturus benedictionem, imponit ejus capiti Mitram pretiosam, nisi sit Archiepiscopus, qui sine Mitra, propter reverentiam Crucis benedicit.

## COMMENTARIUS.

I. PEracta communione, *postquam Celebrans digitos abluerit, Diaconus, translato libro cum pulvino ad cornu Epistolæ imponit Mitram pretiosam in capite Episcopi, qui abluit manus*. Perspicua hæc sunt, alioque loco magis illustranda, quemadmodum & ea, quæ sequuntur: *Mox eidem Mitram aufert, & vadit post eum*, scilicet, *infra gradus*, ut notat Crassus Lib. I. *De cæremoniis &c.* Cap. V. *ubi in tempore*, nempe post ultimam orationem, & postquam, *Dominus vobiscum*, dictum est ab Episcopo, *versus ad populum* Diaconus *dicit*: Ite Missa est; *vel pro temporis exigentia versus ad Altare*, Benedicamus Domino, *aut*, Requiescant in pace. *Et si Celebrans sit benedicturus cum Mitra, ut infra suo Capitulo dicemus, ipse eam ponit &c.*

II. Dimissio populi per ea Diaconi verba, *Ita Missa est*, ritus est antiquissimus, cujus inter alios meminit pervetustus Auctor Apostolicarum Constitutionum, Lib. VIII. his tamen verbis: *Ite in pace*. Verum Ordo II. Romanus antiquissimus apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici, debere ait unum ex Diaconis, cui præceperit Archidiaconus, finita oratione ad complendam dicere ad populum, *Ite Missa est*. Esse Diaconi munus per ea verba populum dimittere, omnes passim antiqui pariter ac recentiores Scriptores tradunt, qui de divinis Officiis, & Ecclesiæ ritibus scripsere, quique videri possunt apud Stephanum Durantum Lib. II. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. LVI. Porro quod Christiani a sacris Canonibus prohiberentur, ne ab Ecclesia discederent nondum expletis Missarum solemniis, ideo tempus, quo abire illis liceret, Diaconi voce indicendum fuit. Hinc S. Chrysostomus Homilia, *De Ecclesia non contemnenda*, inquit: *Ingressus es in Ecclesiam o homo; ne exeas nisi dimittaris*. Idem enim est *Missa*, ac *missio*, sive *dimissio*, uti initio Libri I. *Rerum liturgicarum*, Cardinalis Bona explicat.

III. Teste eodem Cardinale eruditissimo Libro II. Cap. XX. Num. III. Græci quoque in fine Liturgiæ *Apolysin* canunt, idest, dimissionem; nam peracta communione, Sacerdos dicit secreto Orationem pro gratiarum actione, postea vero Diaconus hortatur populum ad gratias agendas, eumque dimittit his verbis: *In pace procedamus*. Respondet Chorus: *In nomine Domini*. Quo dicto, deinde Sacerdos benedicit populum, & distributis Eulogiis, facit *Apolysin*, cujus varias formulas pro varietate Festivitatum exhibet Euchologium, sive Rituale Græcorum a doctissimo Jacobo Goar incliti Ordinis Prædicatorum illustratum. Communis hæc pene est: *Gloria tibi Christe Deus noster, spes nostra, gloria tibi*. Constat itaque ex dictis, non modo apud Latinos, sed etiam apud Græcos factam esse in fine Sacrificii a Diacono dimissionem, & quidem in Ecclesia Orientali per ea verba, *Ite in pace*, quibus populo abeundi facultas datur, uti in Occidentali Ecclesia, per verba illa, *Ite Missa est*.

IV. Apud nos Latinos jam non semper in fine Missæ dicitur, *Ite Missa est*; aliquando enim dicitur, *Benedicamus Domino*; & quandoque, ut

Digitized by Google

ut in Missa pro defunctis, *Requiescant in pace*, uti docent Rubricæ Missalis, & laudatus superius Crassus. Cur certis diebus omissa dimissione per illa verba, *Ite Missa est*, dicat Diaconus, *Benedicamus Domino*, hanc rationem affert Micrologus in Libro, *De Ecclesiasticis observationibus*, Cap. XLVI. *Congrue in Festivis diebus*, Ite Missa est, *dicitur, quia tunc generalis conventus celebrari solet, qui per hujusmodi denunciationem licentiam discedendi accipere solet. Ad quotidiana autem Missarum solemnia non generaliter ab omnibus, sed a Religiosis convenitur, qui plus spiritualibus negotiis, quam secularibus invigilant, qui & reliqua dum licet officia frequentant. Ergo convenienter illis post Missam, non ut statim discedant, sed ut Dominum benedicant, denunciatur. Huic assertioni & Ecclesiastica consuetudo videtur adstipulari, quia, cum*, Ite Missa est, *dicimus, ad populum vertimur, quem discedere jubemus; cum autem*, Benedicamus Domino, *dicimus, non ad populum, sed ad Altare, idest ad Dominum vertimur, nosque ipsos, non ad discedendum, sed ad benedicendum Domino adhortamur. Sciendum tamen, quod*, Ite Missaest, *infra Adventum Domini, & Septuagesimam non recitetur, non quasi eo tempore nullus fiat conventus, qui sit dimittendus, sed potius pro tristitia temporis insinuanda*.

V. Tradit hæc quidem Micrologus, sed non satis apposite, ubi ait, quotidianis Missarum solemniis populum minime interfuisse. Id enim illi probandum erat, ut scite advertit laudatus Bona Cardinalis Lib. II. Cap. xx. Num. III. ubi autumat, potius tunc omissam dimissionem cum Fideles Missa peracta, non statim abibant, sed permanebant in Ecclesia, donec recitatis Canonicis precibus, & statione soluta, abire fas erat; deinde inquit extensum hunc morem ad Missas minus solemnes, & quotidianas. Recte autem illud docet Micrologus, ea verba, *Ite Missa est*, dici a Diacono versus populum, quia dimittitur, illa autem, *Benedicamus Domino*, versus Altare, quia ibi peculiari modo Dominus adest. In die Paschatis, & per totam Octavam verbis illis, *Ite Missa est*, adduntur duo *Alleluja*, uti videre est in Rubricis Missalis, & apud Meratum in Notis ad Gavantum Parte II. Tit. x. Num. IV. sciteque observat Num. v. ibidem, quod quamvis per illa verba, *Ite Missa est*, dimittatur populus, ille tamen non discedere debet, nisi prius a Celebrante Benedictionem suscipiat; uti statuitur in Can. *Convenit*, De consecratione, Distinctione v. Ceterum, uti dictum est, tertio modo completur Missa, dicendo, *Requiescant in pace*, & hoc contingit in Missis Defunctorum, quæ verba pariter dicuntur versus Altare, quia sermo est de absentibus, ut notat Gavantus. Ejus ritus mentionem facit Durandus, Lib. IV. sui Rationalis Cap. XLVII. & ante ipsum Stephanus Edvensis, *De Sacramento Altaris*, Cap. XVIII.

VI. Si Celebrans Episcopus est daturus benedictionem, ex præscripto nostri §. Diaconus *imponit ejus capiti Mitram pretiosam*; &, ut ait Crassus, *tum manet in loco suo genuflexus*: quod tamen intelligendum est de Diacono non Canonico; si enim Canonicus sit, inclinat se tantum profunde, non vero genuflectit, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis in Oscen. die IV. Maji anni MDXIII. de quo alias mentionem fecimus. Ceterum abstinebit Diaconus Celebranti daturo benedictionem Mitram imponere, si scilicet Archiepiscopus sit, *qui sine Mitra propter reverentiam Crucis benedicit*. Id quod etiam præter Scriptores Sacrorum Rituum docent etiam Canonici Jurisconsulti, Barbosa, *De jure Ecclesiastico*, Libro I. Cap. VII. Num. CXXVI. Ventriglia, *De jurisdictione Archiepiscopi*, Cap. XVIII. in fine, & alii complures. Sed de hoc ritu jam nos non uno in loco hujus Operis diximus.

## §. VIII.

**Si Celebrans sit Archiepiscopus, & cum Pallio celebraverit, data benedictione, & publicata Indulgentia, Diaconus extrahit illi Pallium, & super Altare illud deponit; denique comitatur Episcopum, donec depositis Manipulis per ipsum Diaconum, & Subdiaconum, illum exuit sacris paramentis; quo exuto, etiam ipse sua deponit, & recedit in pace.**

## §. IX.

**Si celebratur pro Defunctis, observabit, quæ in Missali de Missa Defunctorum dicuntur. In Collegiatis, vel absente Episcopo, & in Dominicis Adventus, & Quadragesimæ, ac Feriis servabit, quæ de iis in propriis Capitibus, & in Rubricis Missalis Romani leguntur.**

## COMMENTARIUS.

I. BRevi hic me expediam, nihil enim in duobus hisce §§. continetur, quod nos cogat diu in hoc Commentario immorari: *Si Celebrans*, inquit §. VIII. *sit Archiepiscopus, & cum Pallio celebraverit*, diebus scilicet, & solemnitatibus statutis, quibus illi uti Pallio permissum est, *data benedictione, & publicata Indulgentia, Diaconus extrahit illi Pallium, & su-*

Digitized by Google

*& super Altare illud deponit*. Tradunt hæc eadem Castaldus Lib. I. Sectione VII. Cap. VIII. Num. XVIII. & Bauldryus, Parte V. Articulo II. Cap. IX. Num. XXVI. Comitatur denique Diaconus Episcopum ad Sedem, ubi una cum Subdiacono, depositis scilicet prius Manipulis, *illum exuit sacris paramentis*; *quo exuto*, & non prius, *etiam ipse sua deponit*, *& recedit in pace*, postquam scilicet juxta ea, quæ alibi a nobis dicta sunt, eundem Episcopum una cum aliis Canonicis in habitu Canonicali ad Palatium suum comitatus fuerit. Quæ ultimum §. spectant, consulenda sunt loca Rubricarum Missalis Romani pro Cæremoniis a Diacono servandis in Missa Defunctorum, itemque alia Cæremonialis nostri loca, in quibus de cæremoniis agitur, quæ servare debet idem Diaconus *in Collegiatis*, *vel absente Episcopo*, *& in Dominicis Adventus*, *& Quadragesimæ*, *ac Feriis*.

II. Hæc autem, quæ huc usque dicta sunt in Commentariis hujus Capitis IX. servantur quidem, uti post Castaldum monet Bauldryus, si Episcopus celebret in Sede sua; nam si in Faldistorio sederet sine assistentia Diaconorum, tunc Diaconus, & Subdiaconus ei tantum assisterent; & Mitra tantum a Diacono imponeretur, & auferretur, nisi esset impeditus; quia tunc, aut Subdiaconus, aut alter id præstaret, prout fit Episcopo existenti ad Altare. Præterea cum Episcopus sedebit, ipse etiam Diaconus Mitram Episcopo imponet sedenti, & postea Gremiale; quando vero surgendum erit Episcopo, prius Gremiale, & postea Mitram.

# C A P. X.

*Canonicus antiquior ex ordine Subdiaconorum, seu dignior ex eodem ordine assistat Episcopo solemniter celebranti. Quæ paramenta afferat Episcopo. Quando imponere debeat Manipulum Episcopo. Eistolam cantat. Ministrat ampullas vini Diacono, & infundit aquam in Calicem. Patenam sustinet, Calicem abstergit, & reponit, ac Diaconum adjuvat in exuendo Episcopum.*

## §. I.

Eodem tempore, eodemque loco, & modo, prout de Diacono dictum est, Subdiaconus, qui & ipse de numero Canonicorum erit, &, si inter Canonicos distinctus erit ordo Subdiaconalis, antiquior, seu dignior ex eodem ordine comitabitur Episcopum ad Ecclesiam procedentem, & accipiet paramenta sibi convenientia, quæ eadem fere sunt, quæ superius Diacono conveniunt, excepta Stola, qua Subdiaconus non utitur; accipiet autem super Alba Tunicellam, quæ ejusdem formæ est, cujus est Dalmatica Diaconi, nisi quod strictiores, longioresque aliquantulum manicas habet.

## COMMENTARIUS.

I. SUbdiaconus eodem tempore, eodemque loco, & modo, quo Diaconus, qui & ipse de numero Canonicorum esse debet, &, si inter Canonicos distinctus erit ordo Subdiaconalis, antiquior, seu dignior, comitari debet Episcopum una cum aliis Canonicis in habitu Canonicali, uti alias dictum est, a Palatio suo ad Ecclesiam procedentem, & accipiet deinde sua paramenta, *quæ eadem fere sunt*, *quæ superius Diacono conveniunt*, Amictum scilicet, Albam, Cingulum, *& excepta Stola*, quæ vestis est Diaconalis, atque Sacerdotalis; *accipiet super Alba Tunicellam*, *quæ ejusdem formæ est*, *cujus est Dalmatica Diaconi &c.* Nulla nunc, ut scitissime observat Joannes Bona S. R. E. Cardinalis Lib. I. Cap. XXIV. Num. XIX. differentia reperitur inter Dalmaticam Diaconi, & Tunicam, sive Tunicellam Subdiaconi, nisi quod hujus manicæ strictiores, & breviores sunt: quæ differentia sæpe etiam negligitur. Constat autem ex Ordine antiquo Romano, ut idem Auctor notat, magnum olim discrimen inter Dalmaticam Diaconi, & Tunicam Subdiaconi extitisse; nam Titulo, *De ordine processionis ante Missam*, loquens de vestibus Diaconorum, Stolas quidem, & Dalmaticas recenset; Subdiaconis vero sibi congruas vestes præbendas esse dicit, *quæ apud quosdam*, inquit, *Subdiaconales nominantur*, *& mappulæ in sinistra manu ferendæ*; sed quæ illæ fuerint nominatim, minime exprimit. Quæ Tunicam, seu Tunicellam spectant, qua pluribus ab hinc seculis Subdiaconi utuntur divinis Officiis, explicuimus in nostro I. Tomo Romani Pontificalis ad Titulum X. *De ordinatione Subdiaconi*. Ceterum si veterem Ecclesiæ disciplinam inspiciamus, constat sane ex Sancto Gregorio Lib. VII. Epistola LXIII. laudati Pontificis ævo Subdiaconos in Albis ministrasse.

## §. II.

Episcopo igitur incipiente legere Psalmos, *Quam dilecta &c.* affert illi Caligas, & Sandalia ex Credentia sumta, quæ portat super bacili. vel super velo, alio velo serico cooper-

Digitized by Google

cooperta, ambabus manibus ad oculos usque elevatis; & adjuvante uno ex familiaribus Episcopi, induit primo tibiam, & pedem dexterum Episcopi, mox sinistrum, genuflexus sub Cappa illius, & cum tempus erit, simul cum Diacono adjuvabit Episcopum, dum ceteris paramentis sacris induitur: quod munus licet ad Diaconum præcipue spectet, Subdiaconus tamen coadjuvat, ubi opus est, ut infra in Capite VIII. Lib. II. Et postquam Episcopus fuerit paratus, ipse accipiet Manipulum; & procedente Episcopo ad Altare, immediate ibit post Crucem, Librum Euangeliorum clausum ante pectus portans, in quo inclusus erit Manipulus Episcopi; & facienti Episcopo Confessionem, ipse parum retro stans apud Diaconum, respondet simul cum Presbytero assistente, & Diacono; & interim deponit dictum Librum Euangeliorum in manibus Cæremoniarii; & cum Episcopus dicit, *Indulgentiam, absolutionem &c.* accipiet ex dicto Libro Manipulum, illumque a latere osculatur, & Episcopo, ubi est signum Crucis, osculandum porrigit a sinistris; mox illum imponit sinistro brachio Episcopi, & manum Episcopi osculatur; & eidem, cum supremum Altaris gradum ascenderit, adjuvante Presbytero assistente, porrigit osculandum dictum Librum Euangeliorum apertum, ubi est principium Euangelii illius Missæ: stans in cornu Euangelii a sinistris Episcopi, ab ea parte adjuvat illum Altare thurificantem, sicut Diaconus a dexteris. Redeunte autem Episcopo ad suam Sedem, ipse remanet cum Diacono Euangelii apud Altare. Et cum Episcopus dicit, *Kyrie eleison &c. Gloria in excelsis Deo &c.*, & *Credo in unum Deum &c.* ipse in eodem loco ea dicit cum Diacono; & quando sedendum est, sedet cum eodem. In fine Orationis, seu Orationum, cum Episcopus dicit, *Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.* accipiens Librum Epistolarum, & factis reverentiis Altari, & Episcopo, comitante Cæremoniario, Episcopo sedente cum Mitra, ipse Librum tenens incipit alta voce cantare Epistolam in loco consueto.

## COMMENTARIUS.

I. SAcris vestibus Ordini suo congruentibus Subdiaconus indutus stat cum Diacono initio Tertiæ juxta ritum superius explicatum, & *Episcopo incipiente legere Psalmos*, Quam dilecta &c. *affert illi Caligas, & Sandalia ex credentia sumta*. De Caligis, & Sandaliis, eorumque vario usu abunde loquuti nos fuimus, tum in Opusculo, *De Codice sancti Euangelii &c.* Lib. II. Cap. VIII. tum Tomo I. nostri Romani Pontificalis in Prolegomenis, Cap. VIII. & alibi. Quamvis apud S. Hieronymum Lib. V. in Isaiam, Cap. XX. Caligæ, & Sandalia idem sint, soleæque etiam dicantur ab Alcuino, Cap. *Quid significent vestimenta*, distinguuntur tamen in habitu Episcopali ex Innocentio III. Lib. I. Cap. XLVIII. nam Caligæ primum induuntur usque ad genua, Sandalia vero tantum pedes contegunt. Caligæ, quia ligantur, sic dictæ, ex S. Isidoro Hispalensi Episcopo Lib. XIX. *Originum*, Cap. XXXIV. Appellantur & aliis etiam nominibus a priscis Scriptoribus Ecclesiasticis, inter quos Rabanus Libro I. *De institutione Clericorum*, Cap. XXII. eorum usum ait manare ab Apostolis, probatque ex Euangelio sancti Marci, Cap. VI.

II. Quamquam olim Caligæ, & Sandalia usui essent aliorum Ecclesiæ ministrorum, uti alias a nobis dictum est, his hodie Episcopi utuntur, cum scilicet solemniter celebrant, iisque antiquo ritu ante alias Pontificales vestes induuntur, cum quinque Psalmos ad præparationem Missæ præscriptos legere incipit. Testem ejus rei habemus Gulielmum Durandum Lib. III. *Rationalis divinorum Officiorum*, Cap. VIII. Num. II. ubi ita ait: *Celebraturi igitur Pontifices, pedes interea, dum dicuntur quinque Psalmi, in præparatione Euangelii pacis, Caligis, & Sandaliis calciantur, quorum pulcritudinem admirabatur Propheta, dicens*: Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. *Unde Apostolus ad Ephesios*: Calciati pedes calceamentis virtutum. *Et in Euangelio legitur, Dominum misisse Discipulos suos sandaliis calciatos, utique in præparatione Euangelii pacis*. Affert tum varias mysticas significationes, quibus Caligas ipsas, atque Sandalia Episcoporum exponit. Porro Caligæ Episcopales, ex S. Carolo in Actis Ecclesiæ Mediolanensis, ita longæ esse debent, ut usque ad genua protensæ ligulis in ea parte adstringantur; quemadmodum cum mysterii significatione conveniens est. Sandalia quoque, calcei scilicet, quibus Episcopus ad Missæ sacrum solemniter faciendum utitur, a solea integra subtus constent, a parte autem superiori decenter ornata, quæ fenestrata etiam superne olim fuisse, Innocentius III. Pontifex ostendit.

III. At vero licet descripta hactenus Caligarum, & Sandaliorum forma a S. Carolo, antiqua sit in Ecclesia, variaque in se contineat mysteria, ut præter Innocentium III. Pontificem Maximum complures rerum Liturgicarum Scriptores

Digitized by Google

ptores notant tum veteres, tum recentiores, nihilominus non sine abusu, sicut & de aliis plurimis Ecclesiasticis rebus factum est, passim hodie Episcopi, ubi Pontificalia celebrant, pro sandaliis, utuntur calceis a superiori parte omnino tectis, instar scilicet calceorum illorum, quibus quotidie uti solent. Forte hæc nonnulli riserint; sed ipsi potius ridendi sunt, qui instar secularium hominum hujus temporis, Majorum nostrorum disciplinam, ac ritus contemnentes, in rebus Ecclesiasticis novitatem amant; quia scilicet veteris Ecclesiæ disciplinæ ignari, non considerant, quanta ex ejus neglectu absurda, & quidem non levis momenti oriantur. Sed hæc obiter.

IV. Ubi Episcopo solemniter celebranti Subdiaconus *affert Caligas, & Sandalia, ex credentia sumta*, ex præscripto nostri hujus §. illa *portat super bacili, vel super velo, alio velo serico cooperta, ambabus manibus ad oculos usque elevatis; & adjuvante uno ex familiaribus Episcopi, induit*, detractis prius calceis ordinariis ejus, quos tradit ad locum congruum deferendos alicui Ministro, nisi Scutiferi Episcopi id efficiant, *primo tibiam, & pedem dexterum Episcopi, mox sinistrum genuflexus sub Cappa illius*. Quamquam vero id esse Subdiaconi munus §. is noster edicit, ut nimirum, & Caligas, atque Sandalia ex abaco sumta sub præscriptis cæremoniis solemniter celebraturo Episcopo afferat, illumque iisdem genuflexus induat, traditum nihilominus est ex Paride Crasso Lib. II. *De cæremoniis Cardinalium, & Episcoporum in eorum Diœcesibus*, Cap. I. ejusmodi officium ad Scutiferos pertinuisse: *Interim*, dum scilicet Episcopus legit Antiphonam, & Psalmos præparationis ad Missam cum Presbytero assistente, genuflexo Librum tenente, & alternatim cum ipso legente, *duo scutiferi credentiarii accepta Sandalia discooperta cum Caligis de abaco, portant alte usque ad vultum elevata ad Cardinalem, & genuflexi ante ipsum, communibus calceamentis excalceant, & sacris calceant*. Additque mox: *Unus tamen ex eis portat omnia illa, & alius vacuus comitatur, & illico Capellani octo in gyrum ante faciem Domini genuflexi, oram Cappæ elevant, ut sub illa Scutiferi duo prædicti subeuntes, commode calciare possint ipsum*. Porro antiquam esse ejus ritus partem, qua Subdiaconus jubetur genibus flexis, Caligis, & Sandaliis Episcopum vestire, docet in suo Cæremoniali Gulielmus Durandus, qui floruit Seculo XIII. sic inquiens: *Interim unus de servitoribus suis accedens sibi detrahit communia calceamenta, incipiens a dextero pede, & Subdiaconus genuflectens, uno Acolytho eum juvante, calciat illum Caligas, & Sandalia, a dextero pede similiter inchoando*.

V. Docet præterea & illud laudatus Crassus, dum calceamenta ponuntur Episcopo, debere Diaconum, & Subdiaconum etiam paramenta sua capere: quod tamen, sicut & alia superius tradita Cæremoniale nostrum corrigit, statuens, ut supra dictum est, Subdiaconum debere Caligas, & Sandalia afferre Episcopo, non quidem discooperta, ut ait Crassus, sed *super bacili, vel super velo, alio velo serico cooperta, ambabus manibus ad oculos usque elevatis; & adjuvante uno ex familiaribus Episcopi* induere *primo tibiam, & pedem dexterum Episcopi, mox sinistrum*, genuflexum *sub Cappa illius*. Puto equidem, eam genuflexionem fieri a Subdiacono, ut commode possit Caligas ipsas, & Sandalia ponere Episcopo, non autem obsequii gratia; extat enim Decretum Sacræ Rituum Congregationis in Oscen. die IV. Maji anni MDCXIII. iterum atque iterum a nobis jam memoratum, quo cautum est, Canonicos, & Dignitates non teneri ad benedictionem Episcopi genuflectere, sed tantum caput inclinare. Si itaque Subdiaconus, qui Episcopo assistit, Canonicus est, & is ad illius benedictionem genuflectere non tenetur, multo minus dum tibias, ac pedes ipsius Caligis, & Sandaliis induit. Genuflectit ergo, ut commodius eam rem peragat, non autem in Episcopi obsequium. Ceterum, quod ea tibiarum, ac pedum indumenta *portat super bacili, vel super velo, alio velo serico cooperta ambabus manibus ad oculos usque elevatis*, non mirum videri debet, si ea illis reverentia exhibeatur; denotant enim Caligæ, & Sandalia Incarnationis Dominicæ calceamentum, de quo Dominus ait in Psalmo LIX. *In Idumæam extendam calceamentum meum*, idest, *in gentibus notam faciam incarnationem meam: venit enim ad nos calciata Divinitas, ut pro nobis Dei filius Sacerdotio fungeretur*. Hæc Rupertus Abbas Tuitiensis Lib. I. *De divinis officiis*, Cap. XXIV. Durandus Episcopus Mimatensis Lib. III. *Rationalis divinorum Officiorm*, Cap. VIII. Stephanus Eduensis in Libro, *De Sacramentis Altaris*, Cap. XI. & alii, quorum interpretationem amplexi sunt inter alios duo viri doctissimi, Stephanus Durantus Libro II. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. IX. & Gavantus Parte II. Tit. I. in expositione anagogica vestium Pontificalium de Christo. Non omittendus hic ritus, qui hodie in Pontificia Capella, ac in aliis etiam Cathedralibus asservatur, in quibus Subdiaconus velo ad humeros tectus, gestat Bacile cum ipsis Sandaliis, & Caligis ad Episcopum, extremitate ejusdem veli coopertis.

VI. Caligis, & Sandaliis Episcopo induto, idem Subdiaconus, *cum tempus erit*, idest, postquam lavit manus juxta ritum infra Lib. II. Cap. VIII. expressum, & a Crasso Lib. II. Cap. I. laudatum, atque ab aliis etiam Scriptoribus passim, *simul cum Diacono adjuvabit Episcopum, dum cæteris paramentis sacris induitur*. Sed afferamus Crassi verba ita citato loco ajentis: *Finita per Celebrantem semper sedentem Psalmorum, Versuum, & Orationum omnium a prima usque ad ultimam lectione, ipse jam calciatus, deposita Cappa sedens in Rochetto lavat manus &c.* Lotis itaque ab Episcopo manibus, aliisque peractis, Subdiaconus *simul cum Diacono adjuvabit Episcopum, dum ceteris paramentis induitur*. Hoc munus induendi Episcopum ait hic §. noster, citans etiam locum Lib. II. Cap. VIII. præcipue ad Diaconum spectare, quem *Subdiaconus tamen coadjuvat, ubi opus est*. Diaconum æque ac Subdiaconum debere Epi-

Episcopum induere sacris Pontificalibus indumentis, docet non modo Crassus Lib. II. Cap. I. sed & Durandus in suo Cæremoniali annorum circiter D. quod olim usui fuit insigni Ecclesiæ Catalaunensi, tandemque publici juris fecit Edmundus Martene Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo XII. Ordine XIX. Quod si priscum Romanæ saltem Ecclesiæ morem inspiciamus, non Diaconi, sed Subdiaconi Regionarii sacris vestibus Pontificem induebant, uti constat ex variis Ordinibus Romanis a Mabillonio allatis Tomo II. Musei Italici: *Subdiaconi Regionarii*, inquit Ordo I. Romanus, Num. VI. *secundum ordinem suum accipiunt ad induendum Pontificem ipsa vestimenta, alius lineam, alius cingulum, alius anagolaium, idest, Amictum, alius lineam Dalmaticam, & alius majorem Dalmaticam, & alius Planetam, & sic per ordinem induunt Pontificem*. Eadem legere est in aliis sequentibus Ordinibus, quorum meminit Clarissimus Georgius Lib. I. *De liturgia Romani Pontificis*, Cap. VII. Num. III. & Cap. XII. Num. I. Porro Subdiaconos Romanæ Ecclesiæ in tres ordines distinguit vetus Libellus a Baronio laudatus ad annum MLVII. in hæc verba: *Subdiaconi sunt omnes numero viginti & unus: septem Regionarii, qui Epistolas, & Lectiones cantant in stationibus: septem Palatini, qui idem munus præstant in Ecclesia Lateranensi: septem alii, qui dicuntur Schola Cantorum, qui cantant tantummodo, quando Summus Pontifex celebrare consuevit*.

VII. Hæc juxta veterem Ecclesiæ praxim, hodie enim ex præscripto nostri Cæremonialis, est præcipuum Diaconi munus Episcopum sacris Pontificalibus vestibus induere, *Subdiaconus vero, solummodo coadjuvat, ubi opus est*, ut ait Cæremoniale Lib. II. Cap. VIII. §. XII. *& postquam Episcopus fuerit paratus*, inquit §. noster, *ipse accipiet Manipulum*; ut enim notat Durandus Lib. III. sui Rationalis, Cap. VI. Num. VI. *Diaconus, & Subdiaconus Pontifici induenti, & exuenti se a sacris vestibus, sine Manipulis serviunt. Primo, ut expeditius, & liberius administrent. Secundo, ad notandum, quod in tali obsequio non debent fructum quærere, qui quandoque per Manipulum significatur*. Episcopo itaque parato, capiet Subdiaconus Manipulum, & non prius; *& procedente Episcopo ad Altare, immediate ibit post Crucem, Librum Euangeliorum clausum ante pectus portans, in quo inclusus erit Manipulus Episcopi*. Quo ordine Episcopus cum suis Ministris e Secretario processionali ritu procedit ad Altare, in quo Missa est celebranda, late exponit nostrum Cæremoniale infra Lib. II. Cap. VIII. §. XXIV. & seqq. ubi tamen Subdiaconus non *immediate ibit post Crucem*, uti in hoc nostro §. notatur, sed longe post reliquum Clerum, ac ipsos etiam Canonicos, immediate ante Diaconum Euangelii, & Presbyterum assistentem, quos demum Episcopus sequitur medius inter Diaconos assistentes. Sed de hac difficultate vide quæ infra dicemus ad §. XXV. Lib. II. Cap. VIII. ubi etiam plura de ritu accessus, ac processionis celebraturi Missarum solemnia Pontificis ad Altare opportune explicabimus.

VIII. Quod Euangelii Codicem spectat, clausum a Subdiacono deferendum in ea solemni processione ad Altare, est quidem antiquus ritus, cujus præter recentiores meminit etiam Durandus in laudato suo Cæremoniali, & in Rationali, Libro IV. Cap. VI. ubi etiam hanc mysticam affert significationem: *Subdiaconus antecedens significat Joannem Baptistam, qui præcessit in spiritu, & virtute Eliæ præparare Domino plebem perfectam, & fert ante Pontificem Codicem Euangelii, quia Joannes ante Christum prædicationem Euangelicam inchoavit, dicens*: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Cælorum. *Diaconus vero repræsentat Prophetas, qui annuntiaverunt futuram ex Euangelio vitam*. Et mox: *Episcopus ideo sequitur Euangelium, ad notandum, quod debet semper illud intueri, & in mente habere, & ante illum portatur, quia doctrinam Euangelii ad Christum vitam via præparatur*. Et iterum: *Potest etiam dici, quod per Subdiaconum Librum ferentem, & per Diaconum Euangelii præconem, Sanctos novi Testamenti, per Librum vero Euangelii, novum intelligimus Testamentum &c.* Longe ante Durandum viguisse hunc ritum, diserte ostendit Durantus Lib. II. *De ritibus*, Cap. XII. ubi inter alia affert præclarissimum Innocentii III. testimonium, qui Lib. II. Mysteriorum Missæ, Cap. III. hæc habet: *Subdiaconus, qui præcedit, Joannem Baptistam significat, qui præcessit Christum. Hic ante Pontificem portat Codicem Euangelii, quia Joannes ante Christum inchoavit prædicationem Euangelii*: Pœnitentiam, *inquit*, agite. *Quod autem Liber clausus tenetur, donec Pontifex ad Altare perveniat, hoc insinuat, quod in Apocalypsi describitur, Cap.* V. Quoniam nemo inventus est dignus aperire Librum, qui scriptus erat intus, & foris, signatus sigillis septem, nisi Leo de Tribu Juda.

IX. Consuevisse jam olim non modo in accessu, & Processione ad Altare, sed & in aliis etiam processionibus Codicem Euangelii deferri, jam diximus Lib. III. *De Codice sancti Euangelii*, Cap. II. Puto equidem ritum illum minime esse recentiorem, cum illius meminerit Patricius in suo Cæremoniali Lib. II. Sectione I. Cap. XIV. *De Missa majori Papa personaliter celebrante*; itemque Crassus Lib. I. *De cæremoniis Cardinalium, & Episcoporum in eorum Diœcesibus*, Cap. VI. & Lib. II. Cap. III. ut nimirum in ipso Euangelii Libro quem ante pectus clausum Subdiaconus portat, inclusus sit Manipulus Episcopi. Ait ergo laudatus Crassus citato Cap. III. quod in ea processione pergit *Subdiaconus solus cum Libro Euangeliorum clauso, & Manipulo in eo*. Ante hunc Auctorem jam apud memoratum Patricium in citato loco, ubi ordinem describit, ac ritum, quo Papa ad Altare solemniter celebraturus procedere solet, recensetur *Subdiaconus Latinus Librum Euangeliorum, & in eo Manipulum Papæ inclusum ante pectus gestans*. Ubi nota, quod alias non semel a nobis dictum est, Ritus fere omnes in hoc nostro Cæremoniali Episcoporum contentos

Digitized by Google

tos, ex antiquo Cæremoniali Romanæ Ecclesiæ, quod usui est Summo Pontifici, prodiisse. Quemadmodum duo Diaconi, quorum alter Latinus, alter Græcus, ita & Subdiaconi duo, Latinus, & Græcus Missæ Romani Pontificis ex antiquo ritu inserviunt. Eundem ritum servatum olim fuisse in aliis Ecclesiis præsertim nostri Regni Neapolitani, ostendimus Lib. II. *De Codice sancti Euangelii &c.* Cap. II. luculento Viri Clarissimi Sebastiani Pauli testimonio in Lib. *De Ritu Ecclesiæ Neritinæ*, Parte II. Num. v. itemque alio Andrææ de Monaca Lib. v. *Historiarum Brundusinarum*, Cap. xi. & ultimo, ubi narrat, semel in anno Dominica Palmarum Brundusii in Sallentinis Epistolam item & Euangelium non modo Latina, sed & Græca lingua ex prisca, laudabili, & immemorabili ejusdem Latinæ Ecclesiæ consuetudine recitari consuevisse.

X. Sed, ut ea, quæ ad §. hunc nostrum spectant, agamus, *facienti Episcopo Confessionem, ipse*, nempe Subdiaconus, *parum retro stans apud Diaconum*, qui scilicet cantaturus est Euangelium, *respondet simul cum Presbytero assistente, & Diacono, & interim deponit dictum Librum Euangeliorum in manibus Cæremoniarii*, prope se scilicet genuflexi; *& cum Episcopus dicit*, Indulgentiam, absolutionem &c. *accipiet ex dicto Libro Manipulum, illumque a latere osculatur, & Episcopo, ubi est signum, osculandum porrigit a sinistris: mox illum imponit sinistro brachio Episcopi, & manum Episcopi osculatur*. Legere est eundem ritum apud superius memoratos Paridem Crassum, & Augustinum Patricium, in cujus Cæremoniali, loco citato præfinitur, ut Subdiaconus Latinus, completa a Pontifice Confessione, & dicto, *Indulgentiam &c.* imponat Manipulum Papæ, prius ejus manu deosculata. Sane omnes pene Liturgiæ statuunt, Manipulum sumendum post reliqua Sacerdotalia indumenta, quod Planeta ambiret olim totum corpus, & ea super brachia duplicanda, vel triplicanda esset; quare cum brachia essent expedita, revoluta Planeta, Manipulus porrigebatur; & tunc Presbyteri, & Episcopi extremo loco Manipulum accipiebant, quod modo soli Episcopi præstant, inquit Joannes Bona S. R. E. Cardinalis Lib. i. *Rerum Liturgicarum*, Cap. xxiv. Num. v. ut expleta Confessione Manipulum accipiant, quia prisco more post Confessionem Casula elevabatur.

XI. Esse Manipulum ultimam vestem Episcopi, tradit inter alios Gulielmus Durandus Libro iv. *Rationalis*, Cap. vii. Num. iv. ubi etiam varias mysticas affert significationes, ob quas *Pontifici facturo Confessionem Subdiaconus Manipulum coram Altari immittit*; ad notandum primo scilicet, quod concessa temporalia per manum alienam, puta Subdiaconi, vel alterius, & non per propriam recipere, & administrare debet. Secundo, ad designandum, quod non sufficit oris confessio, nisi & boni operis fructus per Manipulum significatus sequatur. Tertio, ut videns se in inferioris Ministerii ornamento ornari, animo humilietur. Rursus ex ejusdem Auctoris interpretatione, ideo Pontifex post acceptam Casulam, & non ante, Manipulum recipit, quia Christus, cujus typum gerit, non prius manipulos operum, qui per Manipulum ipsum designantur, obtulit, quam cælestem haberet conversationem, qui per Casulam figuratur. Sacerdos vero e contra ante indutam Casulam Manipulum sumit, quoniam cælestem conversationem adipisci nequit, nisi prius sanctorum operum manipulos portet. Affert tandem hanc aliam ejus ritus rationem, ideo scilicet Pontificem, postquam ad Altare pervenit, Manipulum recipere, ad notandum, quod tunc demum bonorum operum effectivum præmium percipiemus, cum ad æterni tribunal Judicis perveniemus. Laudat mysticas hasce significationes Gavantus Parte II. Tit. i. Num. vi. & alii ajentes solemnius duxisse sacrorum Rituum Interpretes, ut sentit Vicecomes Parte II. *De Apparatu Missæ*, Cap. xxxv. Episcopos expleta Confessione ad Altare, postquam scilicet vitæ ante actæ noxas damnassent, Manipulum, quo bona opera, & mundæ cogitationes, uti varii Auctores prisci docent, significantur, accipere.

XII. Expleta Confessione, idem Subdiaconus Episcopo, *cum supremum Altaris gradum ascenderit, adjuvante Presbytero assistente, porrigit osculandum dictum Librum Euangeliorum apertum, ubi est principium illius Missæ*. Est enim antiquus Ritus, de quo, uti superius notatum est, mentionem faciunt antiqui Libri Cæremoniales, ac prisci etiam Scriptores, inter quos videri potest Durandus in suo Cæremoniali apud Edmundum Martene, & in Rationali divinorum Officiorum, Lib. iv. Cap. ix. ubi ait, primo osculandum esse ab Episcopo Altare, ubi scilicet ad supremum illius gradum ascendit, & deinde Euangeliorum Librum, *a parte sinistra*, nempe in cornu Euangelii. Agunt de eodem ritu in Cæremonialibus suis Patricius, & Crassus, quorum prior Cap. xiv. de solemni Papæ Missa loquens, hæc habet: *Facta confessione, Papa ascendit ad Altare, & illud in medio osculatur: Subdiaconus Librum Euangeliorum aperiens, illum osculandum Papæ offert in cornu Euangelii, Episcopo Cardinale assistente ipsum juvante*. Crassus vero rem ita exponit Lib. II. Cap. iii. ubi de Episcopo solemniter celebrante disserit conformiter ad §. xxxiii. nostri hujus Cæremonialis Lib. II. Cap. viii. *Cum dicit*, Quorum Reliquiæ hic sunt, *osculatur Altare, & ambabus manibus, tangens Librum Euangeliorum, osculatur illum, quem Subdiaconus apertum in folio Euangelii currentis offert, adjuvante Assistente*. Offerendus est itaque Euangelii Codex a Subdiacono in cornu Euangelii Episcopo, & quidem ab eodem Subdiacono apertus, ex præscripto etiam nostri hujus §. tametsi laudatus Durandus non sine mystica significatione asserat, rectius facere Episcopum, *cum ipsemet aperit Librum Euangeliorum, ad insinuandum illud quod in Apocalypsi describitur, quod nemo dignus est aperire librum, qui intus erat scriptus, & foris sigillis septem signatus, nisi Leo de Tribu Juda, clavis David, qui Librum aperuit, & septem*

*ptem ejus signacula solvit*. Sed quamvis hasce pias reflexiones minime contemnamus, dicimus tamen standum esse præscripto nostri Cæremonialis, ajentis Librum aperiendum a Subdiacono, in eumque ritum, si tempus vacaret, etiam fieri possent aliæ piæ reflexiones.

XIII. Tria hic adhuc explicanda supersunt circa osculationem Sacri Euangelii Codicis initio Missæ Pontificalis, & quidem ex ritu antiquo, quem lubet hoc loco exponere. Primum est, varias in variis Ecclesiis consuevisse Episcopum, ubi Euangelium osculabatur, precum formulas recitare. In Remensi, ut testatur Martene Libro I. *De ritibus*, Cap. IV. Articulo II. Num. III. Subdiaconus porrigens Euangelium Celebranti osculandum dicebat: *Hæc est lex Sancta, Pater*. Respondebat ille: *Credo, & Confiteor*. Ex Missali Ambrosiano jussu S. Caroli Mediolanensis Archiepiscopi anno MDLX. impresso, ad osculandum Euangelium, ita quidem ait Sacerdos: *Pax Christi in visceribus nostris permaneat*. In Missa ab Illyrico edita, & in pervetusto Codice insignis Monasterii S. Dionysii in Francia circa tempora Caroli Magni exarato, itemque in Pontificali Prudentii Trecensis Episcopi, atque in Codice Chisiano a Cardinale Bona edito, & in aliis plerisque, in deosculatione Euangelii hæc recensetur formula: *Pax Christi, quam nobis per sanctum Euangelium suum tradidit, confirmet, conservet corda, & corpora nostra in vitam æternam, Amen*. Ex Cæremoniali tandem Gulielmi Durandi jubetur Episcopus osculari Euangelium, quod ea die legi debet sub hac formula: *Per hos sermones sancti Euangelii Domini nostri Jesu Christi filii sui indulgeat nobis Dominus omnia peccata nostra, Amen*. Alterum est, quod docet laudatus Martene loco citato, Num. V. nempe in Ecclesia Viennensi, si alter ab Archiepiscopo Missam decantet, absoluta Confessione Subdiaconum Euangelii textum eidem Celebranti, & Diacono osculandum præbere; additque, ex Cæremoniali Parisiensis Ecclesiæ Subdiaconum offerre *sanctam Crucem deosculandam Celebranti, & aliis omnibus Ministris Altaris, etiam Thuriferario, & Ceroferariis*. Tertium tandem illud est, quod ex antiquo ritu tradit Crassus Lib. VI. dicens, debere Subdiaconum, osculato per Celebrantem Altari, stare continue ad ejus sinistram, idest, in cornu Euangelii offerre ei *osculandum semper præter quam in Missis pro Defunctis, quia tunc non osculatur Librum*.

XIV. Ubi Altare primum, & deinde Euangelium osculatus est Episcopus, tradit mox Subdiaconus Cæremoniario, aut alteri ipsum Librum; & *stans in cornu Euangelii, à sinistris Episcopi*, ubi scilicet oscalandum Librum illi apertum obtulit, *ab ea parte adjuvat illum, Altare thurificantem, sicut Diaconus a dexteris &c.* Id quod etiam docet Crassus Lib. I. Cap. VI. ubi de officio Subdiaconi agens, inter alia ait: *Circa incensationem adjuvat hinc*, Episcopum, *sicut Diaconus inde*. Dum autem Diaconus Episcopum thurificat, stat ipse a sinistris ejus de more; *& redeunte Episcopo ad suam Sedem, ipse remanet cum Diacono Euangelii apud Altare*, ad Sedem scilicet paratam, ubi cum eodem Diacono stat, vel sedet, dicens, *Kyrie eleison &c. Gloria in excelsis Deo &c.* & *Credo in unum Deum &c.* juxta ritum superius fuse explicatum, Cap. IX. ubi de officio Diaconi in Missa solemni, quæ ab Episcopo celebratur, egimus. *In fine orationis, seu orationum, cum Episcopus dicit*, Per Dominum nostrum Jesum Christum &c. *accipiens Librum Epistolarum*, de manu scilicet Cæremoniarii, seu alterius, *& factis reverentiis Altari, & Episcopo, comitante Cæremoniario*, non eum scilicet præcedente, ut nonnulli autumant, sed ad ejus sinistram incedente, uti constat ex nostro Cæremoniali Libro II. Cap. VIII. §. XL. *Episcopo sedente cum Mitra, ipse Librum tenens incipit alta voce cantare Epistolam In loco consueto*. Exponit hunc Ritum Crassus loco laudato, notatque nonnulla, quibus luculentius Rubrica nostri hujus §. explicatur: *Dum orationis*, inquit, *idest, Collectæ unicæ, vel ex multis ultima conclusio dicitur*, Per Dominum nostrum Jesum Christum, *in verbo*, Jesum Christum, *inclinatione simul cum Celebrante, ante ipsum Celebrantem facta, ipse sibi Librum portans, vadit simul cum Cæremoniario solo præcedente ad lectionem suæ Epistolæ, & factis cum Cæremoniario reverentiis Altari, & Legato, si præsens est, versa facie ad Altare ante cornu Epistolæ, ac tenens sibi Librum elevatum usque ad oculos, cantat suam Epistolam, in qua si Nomen* Jesu Christi *profert, caput omnino inclinat, non autem in verbo Christi solum, sicut pro Euangelio dictam est*.

XV. Quando Subdiaconi in sua Ordinatione Epistolarum Librum acceperint, Epistolasque in Missa cœperint legere, dictum a nobis est Tomo I. Romani Pontificalis, ubi de eorum Ordinatione egimus. Joannes Belethus in explicatione divinorum Officiorum, Cap. XXXVIII. & Gulielmus Durandus Libro IV. *Rationalis*, Cap. XVI. summopere cavendum esse ajunt, ne quis Epistolam legere præsumat in Missa, nisi sit Hypodiaconus, aut Diaconus, aut etiam Sacerdos, melius esse, *ut Sacerdos etiam Missam cantans, illam legat, quam si ab Acolytho, vel alio inferioris Ordinis legatur*. Hanc ipsi Auctores doctrinam accipere potuerant a Trullano Canone XXXIII. in quo præcipitur, *ut nulli ex omnibus permittant, juxta ordinem eorum, qui sunt in Clericorum ordinem relati, populo in suggestu divinas Scripturas recitare, nisi is Sacerdotali tonsura usus fuerit, & benedictionem a suo Pastore canonice susceperit*. Hoc munus obiisse olim ipsos etiam Episcopos liquet ex S. Gregorii Turonensis Lib. VIII. Cap. VII. ubi Palladius Episcopus Sanctonensis Prophetiam pronunciasse memoratur; licet hoc olim proprium esset Officium Lectorum, quibus ex ritu Ecclesiæ antiquissimo Liber in Ordinatione porrigitur, uti ostendimus laudato I. Tomo Romani Pontificalis ad Titulum VI. *De ordinatione Lectorum*; non vero Subdiaconorum, qui seculo tantum VIII. Epistolam in Missa legere videntur incœpisse, uti docet Joannes Bona S. R. E. Cardinalis, Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. VI. sive

Digitized by Google

sive ut alii rectius tradunt, a S. Gregorii Magni temporibus, quippe qui in Concilio Romano decrevit, ut Diaconus Euangelicæ lectionis officium inter Missarum solemnia exolveret; Psalmos vero, ac ceteras lectiones Subdiaconi recitarent. Hodie, ubi ab uno Sacerdote cantatur Missa, solet Clericus, qui illi inservit, Epistolam cantare, ex Rubrica Missalis, Parte II. Tit. VI. Num. VIII. his verbis: *Si quandoque Celebrans cantat Missam sine Diacono, & Subdiacono, Epistolam cantat in loco consueto aliquis Lector Superpelliceo indutus, qui in fine non osculatur manum Celebrantis.* Decisum etiam & illud habemus a Sacra Rituum Congregatione die VI. Julii anni MDCXCVIII. quod deficiente Subdiacono pro Missa solemni, data necessitate, potest permitti per Superiores, ut substituatur constitutus in minoribus Ordinibus ad cantandam Epistolam, paratus scilicet absque Manipulo, uti videre est apud Meratum.

XVI. Nunc illa §. nostri explicanda sunt verba, quibus dicitur, cantandam esse *alta voce* a Subdiacono Epistolam *in loco consueto*. Est enim modus legendæ Epistolæ in Ecclesia Lugdunensi omnino singularis, & observandus; neque enim cantando, ut in omnibus aliis Ecclesiis, sed alta, clara, distincta, & intelligibili voce simpliter pronunciando eam legit Subdiaconus. Quod locum consuetum spectat, ajunt Auctores passim, cantandam esse Epistolam a Subdiacono contra Altare ad partem Epistolæ; sed si veterem Ecclesiæ disciplinam spectemus, solebat Epistola olim, sicut & Euangelium in Ambone cantari. Certe in Romana S. Clementis Ecclesia tres habentur Ambones, duo in cancellis dexteris, unus scilicet pro Epistola versus Altare, alter pro legendis Prophetiis versus populum, tertius in sinistris paulo altior, & ornatior pro Euangelio. In pervetusta quoque S. Laurentii Basilica in Agro Verano duo in navi visuntur Ambones pro Epistola, & Euangelio, eumque ritum cantandi in Ambone Epistolam luculenter tradit inter alios Benedictus Papa III. in Epistola ad Episcopos in Regno Caroli constitutos, ubi narrat, quomodo Humbertus Bosonis filius *sacrorum fuit conjunctus numero Clericorum; adeo ut in divinis celebrandis mysteriis, more Subdiaconorum sacras lectiones conscendens Ambonem populo nunciaret*. Varia de Ambone notavimus jam nos in nostro Opusculo, *De Codice sancti Euangelii*, Lib. II. Cap. VI. Ceterum ex Anonymo Turonensi in suo ms. Speculo Ecclesiæ apud Martene Lib. I. *De ritibus*, Cap. IV. Articulo IV. Num. III. *Epistola debet legi in inferiori loco, Euangelium vero in superiori pulpito*; eamque praxim retineri ait laudatus Martene in insignibus Galliæ Ecclesiis, Lugdunensi, & Viennensi, in quibus Epistola in Chori parte inferiori legitur, Euangelium in Odeo; in præcipuis tamen ejusdem præsertim Galliæ Ecclesiis, Epistolam perinde, ac Euangelium in Odeo, seu superiori pulpito cantari affirmat.

XVII. Varios ritus in cantanda Epistola affert quidem, ac mystice etiam suo more explicat in suo Rationali Durandus Lib. IV. Cap. XV. *Legi*, inquit, *debet Epistola secundum Magistrum Petrum Antisiodorensem in dextera parte Ecclesiæ, quia Christus primo venit ad Judæos, qui dicebantur in dextera esse. Melius tamen fit in medio Ecclesiæ, pro eo quod Joannes fuit medius inter Apostolos, & Prophetas, ut jam dicetur. Dicitur quoque Epistola in loco inferiori &c.* Quicquid sit de mysticis hisce significationibus, cantanda est Epistola *in loco consueto*, nempe juxta variam variarum Ecclesiarum consuetudinem. Rursus præmitti ait Durandus Epistolam Euangelio, quod illa scilicet designat officium, quod Joannes ante Christum exercuit, qui præivit ante faciem Domini parare vias ejus, sicut ipse testatur. Quod Subdiaconum Epistolam lecturum unus tantum comitetur Acolythus, hoc ideo fieri inquit, *quia prædicationem Joannis pauci sequuti sunt, quoniam lex neminem ad perfectionem ducit*. Et mox: *Sed Diaconum Euangelium lecturum, tam Subdiaconi, quam Acolythi, & ceteri comitantur, quia prædicationem Euangelii, quæ perfectionem facit, plurimi susceperunt &c.* Tandem, ut & in hoc Commentario Papalis Capellæ ritum notemus, ita quidem illum describit Patricius Lib. II. Cap. XIV. *Finitis Orationibus Subdiaconus stans in loco consueto, videlicet inter cornu Epistolæ, & Sedem eminentem Papæ per transversum, ita quod a dextris Altare, & a sinistris Papam habeat, sibi ipsi Librum tenens cantat Epistolam; & Papa cum Mitra sedet; Subdiaconus vero finita Epistola retrahat se aliquantulum, & immediate Subdiaconus Græcus per Cæremoniarium cum debitis reverentiis ad eundem locum, in quo Latinus cantavit, ducitur, ubi & ipse stans, & Librum tenens, ut alter, cantat Epistolam Græcam.* Viguisse hunc olim ritum in plerisque Neapolitani Regni Ecclesiis, ut Epistola Latine, & Græce in solemni Missa cantaretur, superius jam dictum fuit, Num. IX. ubi doctos etiam viros citavimus, qui de eo ritu, qui hodie in ipsa Pontificia Capella viget, præclarissima exhibent testimonia.

## §. III.

Qua finita, accedit ad Episcopum, cui profunde inclinatus, Librum super ejus genibus ponit, & osculatur illius manum super Libro positam; accedit deinde cum Diacono ad lectionem Euangelii, procedens manibus junctis immediate ante illum; & illi legenti Euangelium, tenet ambabus manibus Librum apertum ante pectus, vel Legile manibus tenet, aut adhæret Diacono, si in ambone, aut pulpito Euangelium legatur, ut in Capite VIII. Libri II. latius explicatur; & si forte Diaconus

Digitized by Google

nus proferendo aliqua verba Euangelii, inclinaret se, aut genuflecteret, Librum, vel Legile tenens, ipse nullatenus movetur, cum repræsentet Legile immobile.

## COMMENTARIUS.

I. EXplicat hunc ritum Durandus Lib. IV. Rationalis, Cap. XVII. *Post lectam*, inquit, *Epistolam Subdiaconus cum Acolytho ad Sacerdotem accedit*. Et iterum paulo inferius: *Præterea, quia dextera Domini fecit virtutem, ideo Subdiaconus in quibusdam Ecclesiis osculatur dexteram Sacerdotis*. Tum etiam mox subjicit: *Adhuc lecta Epistola, Subdiaconus Librum clausum Episcopo repræsentat, ipse vero supra illum manum ponit, quam Subdiaconus osculatur. Nempe Episcopus Christum figurat, cui clausus Liber repræsentatur, ad designandum, quod solus Christus potuit aperire Librum, & solvere signacula ejus, in quo ipse Christus, & ejus mysteria clausa erant, donec cœpit ab Episcopo Christo per prædicationem Euangelii aperiri*. Addit & alia, quibus memoratos ritus mystice exponit, quemadmodum & illum, cujus fit mentio Lib. II. Cap. VIII. §. XL. ubi edicitur post osculatam reverenter Episcopi manum dexteram, accipere Subdiaconum ab ipso benedictionem. Sed audiamus Paridem Crassum Lib. I. Cap. VI. ita de eo ritu ajentem: *Cantata Epistola, ipse*, Subdiaconus, *clauso Libro, ac factis solitis reverentiis, præcedente Cæremoniario, revertitur ad Celebrantem, ubi genuflexus osculatur ejus manum dexteram porrectam super Libro clauso. In Missa vero pro Defunctis, Epistola cantata, non genuflectit ante Celebrantem cum Libro in manu; nec manum Celebrantis osculatur*. Quod in Missa pro Defunctis Subdiaconus lecta Epistola non osculetur manum Celebrantis, nec benedictionem ab eo accipiat, cautum expresse est ex Rubrica Missalis, Parte II. Tit. VI. Num. IV. & quidem ex prisco ritu, cujus meminit laudatus Durandus, eam rationem reddens, *quia in illa Missa quælibet solemnitates subtrahuntur*. Porro quod genuflectere debet Subdiaconus, ubi post lectam Epistolam Episcopi manum osculatur, non modo Crassus, sed memorata Missalis Rubrica docet, quæ tamen intelligenda est, ubi alius, quam Canonicus Epistolam in solemni Missa caneret, juxta superius a nobis non uno in loco notata.

II. Accepta ab Episcopo benedictione, redit deinde Subdiaconus ad Altare, expectatque tempus eundi ad Euangelium a Diacono cantandum, stans, vel sedens, prout alii: *Accedit deinde cum Diacono ad lectionem Euangelii, & illi legenti Euangelium tenet ambabus manibus Librum apertum ante pectus, vel legile manibus tenet &c.* De variis ritibus in solemni Euangelii lectione a Diacono servandis, diximus jam in nostro Opusculo, *De Codice sancti Euangelii &c.* Lib. II. itemque supra Cap. IX. dicemusque iterum fusius infra in Commentariis ad Caput VIII. Libri II. Porro hic illud notandum, quod etiam alias dictum est, *si forte Diaconus*, ubi Euangelium canit, *proferendo aliqua verba Euangelii inclinaret se, aut genuflecteret*, nullatenus moveri debere Subdiaconum Librum, vel Legile tenentem, *cum repræsentet Legile immobile*. Sed neque omittendum, quod de ritibus a Subdiacono servandis, dum Diaconus Euangelium cantat, memoratus Crassus scribit loco citato: *Ad lectionem Euangelii comitetur Diaconum, ante quem præcedit sine Libro, & postea in loco Lectionis capit Librum a Diacono, & tenet Librum apertum stans facie ad faciem ejus inter duos Ceroferarios, manibus infra Librum positis, ita ut superior pars Libri mentum suum attingat*. Additque mox conformiter ad nostram Rubricam, quod *inter legendum Euangelium, si Diaconus genuflectit, aut caput inclinat, ipse non genuflectat, sed omnino immobilis perstet, tamquam si esset Legile marmareum, maxime ut non turbet folium, nec visum cantantis*. Idem docent qui Rubricas Missalis enarrant.

## §. IV.

Finito Euangelio, tenens adhuc Librum apertum, nulla tamen facta reverentia, illum sic apertum offert Episcopo osculandum in loco, ubi est principium Euangelii cantati: quo osculato, & clauso Libro, facit Episcopo reverentiam, & revertitur ad Altare.

## COMMENTARIUS.

I. EST & is antiquus ritus, quem etiam antiqui Auctores explicant, ut finito Euangelio, idem Subdiaconus *tenens adhuc Librum apertum, nulla tamen facta reverentia, illum sic apertum offerat Episcopo osculandum in loco ubi est principium Euangelii &c.* Paucis ritum ipsum describit Rubrica Missalis Parte II. Tit. VI. Num. V. *Finito Euangelio*, inquit, *Sacerdos osculatur Librum a Subdiacono sibi delatum*. Plura in hanc Rubricam jam notarunt eruditi Auctores, Gavantus, & Meratus; sed præstat audire Crassum sacrarum cæremoniarum peritissimum, ubi ita loco citato ait: *Euangelio finito, ipse* Subdiaconus *tenens Librum apertum facit solum reverentiam consuetam Altari, & eum sic apertum in folio, ubi est principium Textus Euangelii cantati, osculandum celebranti Cardinali, vel Legato portat, cui priusquam Librum offerat, ipse non genuflec-*

Digitized by Google

*nasflectit, sed Libro exosculato, illum claudit, & ante Celebrantem, ac Legatum reverentias tunc facit, & non prius*. Sane in eo labi videtur Crassus, quod ait, Subdiaconum finito Euangelio, deferentem Librum apertum Episcopo osculandum facere *reverentiam consuetam Altari*. Etenim, ut scite docet Gavantus, & alii docti Auctores passim, *Subdiaconus defert Librum apertum ad Sacerdotem sine ulla reverentia tam Altari, etiam in quo adest Sacramentum, quam Sacerdoti, ob reverentiam sacri Euangelii*. Idem docet Meratus in suis ad Gavantum Notis, sic inquiens: *Defert Librum Euangeliorum apertum in folio, in quo incipit Euangelium, elevatum ob oculos, solus, modeste, nulla facta reverentia Celebranti in accessu, aut genuflexione, nec Altari, neque Sanctissimo Sacramento etiam exposito, ob reverentiam sacri Euangelii*.

II. Plura de ritu osculandi Euangelium post ejus solemnem in Missa lectionem notavimus in laudato nostro Opusculo, *De Codice sancti Euangelii &c.* Sed vide quæ infra opportuniori loco dicemus. Ceterum quod in Missa defunctorum non deferatur Episcopo Euangelium osculandum, ratio est, *quia in Missa illa omnis solemnitas subtrahitur, ne festivæ solemnitates cum desolationis mœroribus misceantur*, ut docet Durandus, Lib. IV. *Sui Rationalis*, Cap. XXIV. Num. XXXIII. Qui ritus servandus sit a Subdiacono circa Euangelii Librum in Missa pro defunctis, hunc in modum exponit Crassus: *Non portat Librum apertum osculandum Legato, neque Celebranti, sed illo ibi tunc clauso, & factis reverentiis ibi, quibus debentur, revertitur ad Celebrantem simpliciter, & Librum dat Clericis*. Si tandem non sit habendus sermo post Euangelium, incensato Episcopo, & intonanto, *Credo in unum Deum &c.* Subdiaconus una cum Diacono submissa voce illud dicit, apud Altare in locis suis; & dum Diaconus defert Bursam Corporalium ad Altare, ipse stat nudo capite, vel etiam sedet, donec redierit, uti habetur Lib. II. Cap. VIII. §. LIV. ubi de Subdiacono dicitur: *Sedet Subdiaconus, si forte expectabit stans ex consuetudine multorum*, juxta additionem huic §. factam in novo hoc Cæremoniali jussu Benedicti XIII. edito, ut suo loco dicemus.

## §. V.

Postquam vero Episcopus lavit manus post Offertorium, ipse accedit ad abacum, & extenso sibi, adjuvantibus Acolythis, circa humeros velo serico, quo Calix, Patena, & alia super dicta mensa cooperiebantur, ita ut a latere dextero longius pendeat, accipit manu sinistra Calicem cum Patena, & Hostiis Palla tectis, eaque omnia longiori ea parte veli cooperit, altera manu super ea apposita, caute advertens, ne aliquid forte decidat, & accedit ad cornu Epistolæ Altaris, eodem tempore, quo Episcopus illuc pervenerit; eaque omnia, remoto velo, dat in manibus Diaconi; mox eidem Diacono tradit ampullam vini ab Acolytho receptam; ampullam vero aquæ ipse Episcopo ostendit, & petit, ut benedicat, dicens: *Benedicite Reverendissime Pater*. Ex qua benedicta infundit paululum in Calicem.

## COMMENTARIUS.

I. Quid præstandum a Subdiacono sit finito Euangelio, & dum dicitur Symbolum, jam supra explicuimus ad calcem Commentarii superioris: *postquam vero Episcopus lavit manus post Offertorium, ipse accedit ad abacum, & extenso sibi, adjuvantibus Acolythis, circa humeros velo serico*, oblongo, *quo Calix, Patena, & alia super dicta Mensa cooperiebantur, itaut e latere dextero longius pendeat*, ut commodius scilicet Calicem cooperire possit, *accipit manu sinistra Calicem cum Patena, & Hostiis Palla tectis &c.* Eadem plane docet Rubrica Missalis Parte II. Tit. VII. Num. IX. quam Gavantus æque, ac Meratus egregiis Notis illustrant; sed audiamus primum Paridem Crassum, qui ita eum ritum enarrat Lib. I. Cap. VI. ubi de officio Subdiaconi agit in Missa Pontificali: *Lecto Offertorio, illico vadit ad abacum, ubi velo super humeris ejus extenso, capit dextera manu Calicem cum Patena, Hostia, Palla, & Purificatorio: quæ omnia simul extremitate ipsius veli cooperta, manu sinistra leviter apposita, ne cadat aliquid, sequente se Capellano cum ampullis plenis, ac Celebrante ad Altare præcedente, portat ad cornu Epistolæ, ubi prædicta suo tempore, & præsertim ampullam vini Diacono offert, & posito per Diaconum in Calicem vino, ipse capiens de manu Capellani ampullam aquæ, eam Legato, seu Cardinali celebranti prætendit inclinatus, dicens mediocri voce*: Benedicite Pater Reverendissime; *quam benedictam ipse in Calicem ponit*. Adjungit his & alia Crassus, qui tamen sæpe in quibusdam variat a nostra Rubrica.

II. Est autem antiquus ritus, ut Subdiaconus Calicem cum Patena, & Hostia manu sinistra tenens, ac dextera velo cooperiens ab humeris illius pendente ad Altare deferat; ejus enim ritus non modo Innocentius III. Pontifex Maximus, Gulielmus Durandus, aliique recentiores, sed & antiqui Romani plerique Ordines meminere. Ex more itaque veteri Subdiaconus accedit ad abacum, acceptoque velo oblongo serico, manu sinistra

Digitized by Google

ſtra nuda, non autem velo pendente ab humeris cooperta, ut poſt Gavantum docet Meratus, accipit Calicem per nodum, cum Patena, ſuper qua ſint duæ Hoſtiæ mundæ Palla coopertæ ex Cæremonialis noſtri præſcripto Libro II. Cap. VIII. §. LX. quia ſcilicet de una facienda eſt prægustatio, ut alibi notatum eſt; partemque longiorem veli ſuper ea extendit, dextera ſuper ipſum velum, & Calicem leviter poſita, ne aliquid decidat, & ſic ad cornu Epiſtolæ Altaris accedit, comitatus ſcilicet ab Acolytho, vel ab aliquo alio Miniſtro, qui acceptis ab eodem abaco vini, & aquæ ampullis, ipſas ſuper pelvi elevatas uſque ad pectus ſine operculis, Subdiaconum ſubſequens, non eum præcedens, ut laudati Auctores tradunt, defert ad idem cornu Epiſtolæ, porrigitque Subdiacono, poſtquam ſcilicet is, remoto velo, Calicem ipſum cum Patena, & Hoſtiis in manibus Diaconi dedit; cui etiam deinde tradet *ampullam vini ab Acolytho receptam: ampullam vero aquæ ipſe*, Subdiaconus, *Epiſcopo oſtendit, & petit, ut benedicat &c.* Sive ut legitur Lib. II. Cap. VIII. §. LXII. *Subdiaconus vero urceolum aquæ parumper verſus Epiſcopum elevans dicit*: Benedicite Reverendiſſime Pater; *Epiſcopus autem, facto verſus eum*, ideſt urceolum aquæ, *ſigno Crucis, dum infundit*, ſcilicet Subdiaconus, & quidem ſine oſculis, ut poſt Gavantum, Bauldryus, & alii notant, *pauculum aquæ in Calicem, dicit*, Epiſcopus nempe, *Orationem*: Deus, qui humanæ ſubſtantiæ &c.

III. In Miſſa pro Defunctis aqua ipſa, ut Rubricæ Miſſalis, earumque Interpretes docent, ac præſertim Craſſus Lib. I. Cap. VI. *neque per Legatum, neque per Celebrantem benedicitur, ſed abſolute ponitur in Calicem; licet Innocentius Papa III. qui fuit Magiſter Cæremoniarum, quique ſcripſit Myſteria Miſſæ*, ut idem Craſſus teſtatur, *expreſſe dicat, aquam nonniſi per Epiſcopum poni debere, & reddit bonam cauſam. Sed hodie ſervatur, ut ipſe Epiſcopus ſolum benedicat, non ponens aquam in Calicem*. Innocentio Papæ concinit inter alios Durandus Lib. IV. *Rationalis*, Cap. XXX. Num. XVIII. ubi etiam ejus ritus rationem aſſignat dicens: *Solus Epiſcopus, vel Sacerdos aquam vino commiſcet in Calice, quod nulli inferiori facere licet, quoniam ſolus Chriſtus populos ſanguine ſuo redemit*. Additque mox: *Præterea admiſtio hujus, unionem populi cum Chriſto deſignat..... quæ fieri non poteſt, niſi per gratiam Chriſti, cujus typum gerit Pontifex, & Sacerdos.* Sed neque omittendum, quod ibidem Numero XXV. refert de more quarumdam Eccleſiarum, in quibus ſuo ævo, ideſt Seculo XIII. quo ipſe floruit, Subdiaconus quidem portabat Calicem in ſiniſtra, Patenam in dextera, & deſuper Corporale; unus Cantor oblatam cum fanone, & vinum cum ampulla; alter vero præbebat aquam vino miſcendam; ultimo Diaconus fundens aquam in Calice offerebat Presbytero, ſeu Epiſcopo.

IV. Aquam ex antiquiſſima traditione miſceri vino, fuſe oſtendimus Tomo II. Conciliorum in Commentario ad Canonem XXXII. Trullanum, ubi etiam expoſuimus ritum Græcorum, bis aquam miſcentium, dicemuſque iterum alio loco inferius. Quod autem in Eccleſia Romana Subdiaconi aliquando aquam in Calice immiſerint, docet nos antiquus Ordo V. Romanus a Mabillonio editus Tomo II. Muſei Italici: *Cantor*, inquit, *per juniorem ſuum cannam cum aqua involutam mappula tranſmittat Subdiacono Calicem in manu tenenti, & ipſe eandem in Calicem infundet aquam, reddatque Diacono, qui, annuente Epiſcopo, ponat eum ſuper Altare*. Ubi nota jam ante Innocentium III. munus fuiſſe Subdiaconi in Miſſa Pontificali aquam immittere in Calicem; ejuſque moris in Eccleſia Romana ſervati jam ante Craſſum meminit Eccleſiaſticæ antiquitatis peritiſſimus Auguſtinus Patricius Libro II. ſui Cæremonialis, Sectione I. Cap. XIV.

## §. VI.

Poſt oblationem Hoſtiæ, & vini factam, accipit de manu Diaconi Patenam, quam veli prædicti extremitate, adjuvante Cæremoniario, contegit; eamque elevatam ſuſtinet uſque ad finem *Pater noſter &c.* ſtans retro in loco conſueto, & conveniente; nec movet ſe, niſi cum ad elevationem Sanctiſſimi Sacramenti genuflectit; quo elevato, ſtatim ſurgit; & cum Celebrans dicit in Oratione Dominica, *Et dimitte nobis &c.* facta debita genuflexione, accedit ad Altare in cornu Epiſtolæ, dictamque Patenam Diacono offert, qui eam a Cæremoniario, vel a ſe ipſo velo diſcoopertam accipit: tunc ipſe Subdiaconus, depoſito velo in manibus Cæremoniarii, vel Acolythi, redit ad locum ſuum, & ſupplet a dextera Epiſcopi pro Diacono, dum ille inſervit loco Presbyteri aſſiſtentis a ſiniſtra, diſcooperiendo Calicem, & alia faciendo, quæ erunt neceſſaria, & opportuna, donec Epiſcopus communionem ſumſerit; & eo communicato, ipſe poſt Diaconum accipit communionem, & pacem ab eodem Epiſcopo, ut in proximè præcedenti Capite §. VI. de Diacono dictum eſt. Mox imponit vinum in Calicem pro purificatione, niſi prius redierit ad locum ſuum Presbyter aſſiſtens, quia tunc hoc facit Diaconus reverſus ad dexteram Epiſcopi. Demum, accepta per Epiſcopum purificatione, dum lavat manus, ipſe tergit

Digitized by Google

tergit Calicem, plicat Corporalia, illaque simul cum Palla, Purificatorio, & Bursa, ad abacum reportat cum debitis reverentiis; mox redit ad locum suum post Episcopum; & ibi stat usque ad finem Missæ; &, ea finita, adjuvat Diaconum in exuendo Episcopum.

## COMMENTARIUS.

I. COoperto per Diaconum cum Palla Calice, ipse idem Subdiaconus stans, dextera *accipit de manu Diaconi Patenam, quam veli prædicti extremitate, adjuvante Cæremoniario, contegit, eamque elevatam sustinet, usque ad finem* Pater noster &c. *stans retro in loco consueto, & conveniente*, post Episcopum scilicet, & Diaconum, *spatio congruenti*, ut nostrum Cæremoniale ait Lib. II. Cap. VIII. §. LXIII. sive ut exponit Bauldryus Parte V. sui Manualis Cæremoniarum, Cap. X. Articulo II. *in plano retro post Episcopum, & post duos assistentes Diaconos, quasi tamen in medio eorum*, ubi etiam, ut idem notat, *incensatur*; de quo incensationis ritu nos suo loco inferius. Ad Patenam quod attinet, quam & Cæremonialis, & Missalis Rubricæ a Subdiacono sustinendam esse præscribunt, docentque etiam non modo recentiores, sed & prisci Auctores, sciendum tamen varium in ea re fuisse Ecclesiarum ac temporum ritum. Antiquus Ordo II. Romanus Num. XI. ita eam enarrat cæremoniam: *Quando inchoatur Canon, venit Acolythus sub humero habens sindonem in collo ligatam, tenens Patenam ante pectus suum in parte dextera usque ad medium Canonem. Tunc Subdiaconus sequens, suscipit eam super Planetam, & venit ante Altare, expectans, quando eam suscipiat Subdiaconus regionarius. Finito autem Canone, Subdiaconus regionarius stat cum Patena nuda post Archidiaconum. Quando dixerit*, Et ab omni perturbatione securi, *vertit se Archidiaconus, & osculata Patena, dat eam tenendam Diacono secundo*. Eadem legere est in Ordine III. Romano, Num. XVI. ac in aliis quoque nonnullis, ac præsertim in Romano V. Ordine, Num. IX. ubi etiam duarum Patenarum fit mentio.

II. Porro illud constat ex laudatis hisce Romanis Ordinibus, sive una, sive duæ adhiberentur Patenæ in Missa Pontificali, ab Acolythis primum, ac deinde a Subdiaconis, gestatas has quidem fuisse ad Canonem Missæ; ab Acolythis *super humero habentibus sindonem in collo ligatam*, deinde vero a Subdiaconis. Delatam fuisse Patenam in Missa ab Acolythis, & a Subdiaconis sustentatam, docent passim Codices antiqui Missarum a Martenio allati Lib. I. *De ritibus*, Cap. IV. Articulo XII. Sed non omittendum, quod idem Auctor refert eodem Cap. IV. Articulo VII. Numero VIII. de ritu Ecclesiæ Viennensis, in qua Subdiaconus initio Præfationis humeris, & brachio dextero velo tectis acceptam ab Altari Patenam ad oculos elevatam gestat detectam, donec *Sanctus &c.* incipiatur. Tunc enim eam ad Altare deponit, resumturus ad Orationem Dominicam, ac mox depositurus ad verba, *Sicut in Cælo, & in Terra*. In Ecclesia Parisiensi, Catalaunensi, & in aliis plerisque Galliæ Ecclesiis, ut memoratus Martene testatur, non Subdiaconus, sed antiquior puerorum Chori, cum *Sanctus* incipitur, Patenam usque ad Orationem Dominicam tenet. Longum esset per alias Ecclesias vagari, quarum suppresso nomine mentionem facit Durandus Libro IV. Cap. XXX. dicens, in aliquibus absconsam sub velo, in quibusdam vero omnino discoopertam suo ævo teneri Patenam a Subdiacono consuevisse, variique ritus varias mysticas significationes refert.

III. Quamquam vero olim, uti ex allatis testimoniis liquet, vel in Ecclesia Romana Acolythi Patenam tenerent, recte nihilominus in Cæremoniali Patrum Augustinensium præscriptum est, Subdiaconis tantum in solemni Missa dari Patenam tenendam, non vere aliis inferioris Ordinis, quando contingeret, in aliquo casu necessitatis, exercere illos in Missa solemni Subdiaconi officium. Scio equidem improbari in hac parte a Clarissimo Merati Cæremoniale ipsum Augustinensium Patrum, quia scilicet sine scrupulo usus aliquando invaluit in Ecclesia Romana etiam extra casum necessitatis teneri in Missa Pontificali ab Acolythis ipsis Patenam. Verum licet ea fuerit aliquando non modo Romanæ Ecclesiæ, sed & aliarum complurium disciplina, standum tamen hodie plane est, ubi scilicet alia laudabilis non invaluit alicubi consuetudo, præscripto nostri hujus §. & Rubricæ Missalis Romani, quibus cautum primo est, post oblationem hostiæ, & vini factam, accipere debere Subdiaconum de manu Diaconi Patenam; neque enim aliis, quam Subdiacono datur tenenda ex Innocentio III. Lib. II. *De Mysteriis Missæ*, Cap. LIX. Secundo, ipsam Patenam extremitate veli pendentis ab humero Subdiaconi, ope scilicet Diaconi, ut ajunt Interpretes Rubricæ Missalis, adjuvante etiam Cæremoniario, esse cooperiendam, ex Decreto Silverii Papæ, ut ait Petrus de Ruiz in suo Cæremoniali. Tertio, elevatam ad oculos sustineri debere a Subdiacono usque ad finem Orationis Dominicæ, stante retro *in loco consueto, & conveniente*, idest in plano, retro post Episcopum, & duos assistentes Diaconos, quasi in medio eorum, ut superius notatum est, ita tamen, ut pars nobilior Patenæ, hoc est pars interior respiciat ipsum Subdiaconum, uti post Gavantum docent Meratus, & alii. Quarto, movere se non debere Subdiaconum Patenam tenentem, *nisi cum ad elevationem Sanctissimi Sacramenti genuflectit &c.* Hinc, licet ex Rubrica Missalis Parte II. Tit. VII. Num. XI. in solemni Missa paulo antequam dicatur, *Sanctus*, debeat Subdiaconus ad Altare accedere una cum Diacono, ibi-



Digitized by Google

ibique cum Celebrante hinc inde dicere, *Sanctus*, & quæ sequuntur usque ad Canonem; id tamen non habet locum in Missa Pontificali, in qua post acceptam Patenam sustinere illam debet *usque ad finem* Pater noster &c. *stans retro in loco consueto, & conveniente, nec movet se, nisi cum ad elevationem Sanctissimi Sacramenti genuflectit &c.* Dum incensatur tamen, licet ab eo loco, in quo stat, se movere non debeat, convertet se nihilominus versus Diaconum, & aliquantulum Patenam magno velo obtectam demittit, quam postea iterum elevat, uti communiter Rubricarum Interpretes docent.

IV. Cum Celebrans tandem dicit in Oratione Dominica, *Et dimitte nobis &c.* debet tunc Subdiaconus quidem *facta debita genuflexione*, (in aliis Cæremonialibus ante emendationem Benedicti XIII. editis legitur, *factis debitis reverentiis*) accedere ad cornu Epistolæ, dictamque Patenam Diacono offerre, *qui eam a Cæremoniario, vel a seipso velo discoopertam accipit*. Eadem plane docent Augustinus Patricius, & Paris de Crassis, quorum alter Lib. I. Cap. VI. cæremoniam ipsam ita enarrat: *Quando dicitur per Celebrantem*, Pater noster, *in versu*, Sicut & nos dimittimus, *ipse cum reverentiis revertitur ad Altare, habens Patenam semper velo coopertam, & stans rectus in cornu Epistolæ, Patenam discooperiendam Diacono stanti offert, ac remoto per Cæremoniarium ex humeris velo, ad suum locum revertitur*. Meminit & ejus Ritus Durandus Lib. IV. Cap. L. his plane verbis: *Subdiaconus interea, dum Chorus respondet*, Sed libera nos a malo, *accedens ad Diaconum, tradit illam Patenam involutam &c.* Et infra loquens de velo, quo Patenam ipsam absconsam tenuerat, *Post traditam*, inquit, *Diacono Patenam, Subdiaconus manipulum, quo Patenam tenuerat involutam, plicatum non super pallam Altaris, sed alibi deponit*. Duo ait nonnihil a nostris Rubricis diversa. Primum, debere Subdiaconum, post dictum a Choro, *Sed libera nos a malo*, ad Altare accedere, & tradere Patenam Diacono; debet enim ad ea Orationis Dominicæ verba, *Et dimitte nobis debita nostra &c.* loco suo se movere, & accedere ad Altare. Alterum, debere Subdiaconum *Manipulum*, seu velum, quo Patenam involutam tenuerat, plicare, ac deponere; cum alias ex Rubrica nostri Cæremonialis Lib. II. Cap. VIII. §. LXXV. *Subdiaconus statim reddita Patena Diacono deponit velum ad manus Cæremoniarii, vel alicujus Acolythi, qui illud ad abacum reportat &c.* Sed hæ varietates, quas observare hic placuit, sunt quidem parvi momenti.

V. Deposito velo, *redit ad locum suum*; *&*, ad orationes scilicet ante communionem, & ad sequentia, *supplet a dextera Episcopi pro Diacono, dum ille*, stans nempe ad Librum, *inservit loco Presbyteri assistentis a sinistra, discooperiendo Calicem, & alia faciendo, quæ erunt necessaria, & opportuna, donec Episcopus communionem sumserit, & eo communicato, ipse*, post Diaconum, si nimirum non sint Presbyteri, *accipit communionem, & pacem ab eodem Episcopo*; ut in proxime præcedenti Capite §. VI. de Diacono dictum est: *Mox imponit vinum in Calicem pro purificatione, nisi prius redierit ad locum Presbyter assistens*, de Choro scilicet, ad quem, ut alibi notatur, pacem detulerat; *quia tunc hoc facit Diaconus reversus ad dexteram Episcopi*. His sane concinunt, quæ Crassus tradit Lib. I. Cap. VI. sic dicens: *Assistente daturo osculum pacis per chorum, quia Diaconus supplet vices assistentis, ipse stat ad dexteram Celebrantis, discooperiens Calicem in tempore, & alia faciens, donec Celebrans communionem fecerit, tunc vadit ad cornu Epistolæ, ubi accepta ampulla, ponit de vino in Calicem pro purificatione*. Porro ait Bauldryus Parte V. sui Manualis Cæremoniarum Cap. X. Articulo II. videri *ex Cæremoniali Episcoporum Lib. II. Cap.* XXV. *& ex Cæremoniali Papæ multis in locis colligendum, quod Presbyter assistens debeat infundere vinum in Calicem pro purificatione manuum Episcopi*. Sed plane labitur, quantum ad locum Cæremonialis Episcoporum attinet; expresse ibi enim dicitur, vinum pro purificatione Episcopi a Diacono infundi. In Capella autem Pontificia ob peculiarem Papæ Celebrantis prærogativam Episcopus assistens pro purificatione manuum vinum infundit.

VI. Dum demum post acceptam purificationem Episcopus *lavat manus, ipse*, Subdiaconus, *tergit Calicem, plicat Corporalia, illaque simul cum Palla, Purificatorio, & Bursa ad abacum reportat*, sine tamen velo humerali; per gradus anteriores Altaris, facta illi reverentia, uti habetur Lib. II. Cap. VIII. §. LVIII. Paris de Crassis Lib. II. Cap. III. ait, quod interim Postcommunio dicitur, *Subdiaconus omnia utensilia, videlicet, Calicem, Patenam, Corporalia, & Purificatorium cum Bursa ad abacum reportat solus per gradus anteriores descendens*. Ergo Calix instructus omnino ab Altari removeri debet, & deferri ad abacum, & quidem a Subdiacono, non vero a Cæremoniario, per viam breviorem, adeoque per gradus laterales Altaris, facta illi reverentia. Pergit autem Subdiaconus tunc solus sine comite, ut ait Crassus, & Gavantus, Merati, ac alii Rubricarum Missalis Interpretes, tenens dictum Calicem sinistra per nodum, & dextera posita super Bursam, ne aliquid decidat. Non me latet, in Rubrica Missalis Parte II. Tit. XI. Numero III. collocandum esse Calicem ipsum a Subdiacono *in Altari, vel super Credentia*; sciendum tamen jam usum obtinuisse, quod ad Credentiam Calix ipse deferatur, ut post Bauldryum, & alios testatur Merati in locum ipsum Rubricæ Missalis. Fuisse autem hunc antiquum ritum, ut peracta communione, *Calix, & Corporale de Altari totaliter amoverentur*, docet in suo Rationali Durandus Lib. IV. Cap. LIV. in fine. Ceterum post delatum ad abacum Calicem, *mox redit* Subdiaconus *ad locum suum post Episcopum*, ad cujus benedictionem profunde se inclinabit; *& ibi stat usque ad finem Missæ*; *&*, *ea finita*, comitatur Episcopum, eum præcedendo sine Libro ad Sedem suam, ibique *adjuvat Diaconum*

Digitized by Google

*num in exuendo Episcopum*; tum vero tandem in habitu Canonicali, una cum aliis Canonicis eundem comitabitur ad domum suam redeuntem. Sed de his jam alias, & quidem fusius dicendum est.

## §. VII.

Si celebrabitur pro defunctis, alio ordine, & ritu multa faciet, ut in Capite XI. Libri II. Idem dicitur, quoad habitum, & alia quædam in Missis, quæ celebrantur in Dominicis Adventus, & Quadragesimæ, & in aliquibus Feriis. In Collegiatis vero, & Episcopo absente, ipse servit loco Assistentis in danda pace, ac etiam Episcopo præsente, si celebratur Missa ab aliquo Canonico, vel alio, qui non habeat Presbyterum assistentem.

## COMMENTARIUS.

I. PAucis hic me expediam, quod multa, quæ in hoc §. præscribuntur, aliis opportunioribus locis explicanda sint. Quæ autem forte in hoc Capite X. ubi de officio Subdiaconi actum est in Missa Pontificali solemni, ab aliquibus desiderantur, intelligi ex iis poterunt, quæ de ejusdem Subdiaconi officio aliis locis hujus Cæremonialis, prout se occasio dederit, ac præsertim ex Cap. VIII. Libri II. ubi Pontificalis Missæ ritus describitur, dicentur.

## CAP. XI.

*Episcopo Vesperas solemniter cantanti, præter Presbyterum, & duos antiquiores Diaconos, septem Acolythi inserviant. Dum Missam solemniter celebrat, alii sex Ministri addantur. Munia Ministri de Libro, de Candela, de Baculo, de Mitra, de Thuribulo, de Candelabris, de Gremiali, de Ampullis, & de Abaco explicantur. Si Celebrans est Cardinalis, vel Archiepiscopus, aut Episcopus valde insignis, convenit, ut Magistratus, vel Proceres Civitatis bacilia, & aquam opportune ministrent. Magistratus, & nobiliores sedeant loco eis assignato extra Presbyterium.*

## §. I.

Ut Episcopales functiones præsertim in Ecclesia, & in divinis Officiis commodius, digniusque exerceri valeant, plures necessarii sunt Ministri, licet pauciores in Vesperis sufficiant, quam in Missis. Cum ergo Episcopus Vesperas solemniter cantabit, ultra Presbyterum assistentem, duosque antiquiores Diaconos assistentes, qui ceteris dignores sint, de quorum officio supra dictum est, ubi commode fieri poterit, septem saltem alios Ministros habere eum convenit, aspectu, habitu, & tonsura decentes, ac Cottis mundis indutos. Primus erit, qui de Libro; secundus, qui de Candela servient; tertius de Baculo pastorali; quartus de Mitra; (qui quatuor, si adsit consuetudo, induantur etiam Pluvialibus); quintus de Thuribulo & Navicula; sextus, & septimus, de Candelabris, & Cereis.

## COMMENTARIUS.

I. COæva est nascenti Christianæ Religioni illa Ecclesiæ disciplina, ut Episcopo Sacra peragenti Clerus omnis assisteret, ac ministraret. Presbyteros etiam consuevisse priscis seculis Episcopo suo concelebrare jam fuse ostendimus Tomo nostro I. Romani Pontificalis, Tit. XII. in Commentario ad §.XVII. & Tomo II. nostrorum Commentariorum in Concilia Oecumenica. Ipsum Ritum inprimis videre est in pervetustis Constitutionibus Apostolorum, quæ toto fere Lib. VIII. ac præsertim Cap. XVI. Episcopum Sacris operantem cum Presbyteris simul offerentibus describunt. Præclarissimum ejusdem Ritus testimonium docet nos Relatio Concilii Oecumenici III. ad Cælestinum I. Pontificem Maximum, ubi inter alia inquit: *Fratribus itaque nostris, & comministris, Cyrillo, & Memnoni, quos contumelia affecerunt* (Nestoriani), *communicamus omnes, & post temerariam illorum sententiam, una cum ipsis sacris operati sumus, & operamur.* In Concilio etiam Chalcedonensi Actione XI. Bassianus modum exponens, quo expulsus fue-



Digitized by Google

fuerat ex Ecclesia Ephesina ab Episcopis, *Crastina*, inquit, *die Missas celebravimus omnes simul, & post Missas manus injicientes inclusserunt me*.

II. Sed hæc consecrantes Altaris Ministros spectant, qui Episcopo juxta antiquum morem concelebrabant; quod autem attinet ad assistentes, inservientesque Episcopo ipsi Ministros, jam olim quoque Diaconi septem, totidemque Subdiaconi, atque multi Acolythi ministrare Episcopo Celebranti consuevere. De septenario Diaconorum numero inservientium Altari notum est, quod scribit Prudentius in Libro, *De Coronis*, ubi de S. Laurentio Hymno II. ita canit:

*Hic primus e septem Viris,*
*Qui stant ad Aram proximi,*
*Levita sublimis gradu,*
*Et cæteris præstantior.*

De Subdiaconis fidem facit Romanus Ordo a Baronio laudatus ad annum MLVII. *Subdiaconi*, inquit, *sunt omnes numero viginti & unus. Septem Regionarii, qui Epistolas, & Lectiones cantant in Stationibus. Septem Palatini, qui idem munus præstant in Ecclesia Lateranensi. Septem alii, qui dicuntur Schola Cantorum, qui cantant tantummodo quando Summus Pontifex celebrare consuevit*. Igitur quamvis viginti & unus essent Subdiaconi Romæ, nonnisi septem Altari ministrabant, una cum Acolythis multis, aliisque ministris, uti ex antiquis Romanis Ordinibus a Mabillonio Tomo II. Musei Italici allatis manifestum est.

III. Neque vero singulare extitit Romanæ Ecclesiæ, ut celebranti Pontifici septem Diaconi, totidemque Subdiaconi, & Acolythi ministrarent, eundem enim usum in insignioribus aliis Ecclesiis diu obtinuisse, diserte ostendit Edmundus Martene Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Articulo VIII. Cap. III. ubi etiam notat, longe etiam copiosiorem fuisse sacrorum Ministrorum apparatum, cum Summus Pontifex in Ecclesia Lateranensi celebraret, probatque ex Actis Concilii Ravennatis anni CMLXVII. in quo Joannes Papa XIII. Magdaburgensi Archiepiscopo concessisse dicitur, *duodecim Presbyteros, septem Diaconos, viginti quatuor Subdiaconos Cardinales ad morem sanctæ Romanæ Ecclesiæ ordinare, qui ad principale Altare ministrantes quotidie, excepto jejunio, Dalmaticis, Festis vero, Sandaliis uterentur*. Fuit sane singulare privilegium, nam cæteroqui non ita passim Seculo saltem X. & XI. tam copioso Ministrorum numero uti Episcopus poterat, ubi Sacris operabatur. In Concilio Lemovicensi II. anni MXXXI. illud quidem statutum est, ut *non plus, quam tres Diaconi Abbatibus, & reliquis Sacerdotibus in solemnitatibus adhiberentur, Episcopis autem aliquando tres, aliquoties quinque, nonnunquam septem Diaconi pro opportunitate Festivitatum, & ad omnes publicas Missas præsto sint*.

IV. Auctum fuisse in sacris functionibus Ministrorum numerum pro opportunitate Festorum, antiqui Codices Missarum testantur. In antiquo Suessionensis Ecclesiæ Rituali tempore Nivelonis II. Episcopi scripto ita describitur Sacrorum Ministrorum numerus cum Episcopo in Natali Domini die ad Altare procedentium: *Primum Ceroferarii, Thuribula, Cruces, Ypodiaconi tres ferentes Euangelium, Diaconi tres; post hos duodecim Cardinales, bini, & bini incedentes. Post hos Capellanus, deinde Episcopus, ad dexteram ejus Decanus, ad sinistram autem Sacerdos hebdomadarius, cum Cappis, & pallio, & per majus ostium chori sic intrant*. Ex antiquis quoque Statutis Ecclesiæ Lugdunensis, *in majoribus Festivitatibus, scilicet B. Mariæ, & similibus debent esse quinque Sacerdotes, & quinque Diaconi, & totidem Subdiaconi*. Et mox iterum: *In præcipuis Festivitatibus, videlicet Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostæ, & Natalis S. Joannis Euangelistæ, & die Cœnæ, si Chrisma conficiatur, debent esse* VII. *Sacerdotes, &* VII. *Diaconi, & totidem Subdiaconi, & totidem Ceroferarii*. Ordinarium ms. insignis Ecclesiæ Laudunensis, ubi ritum describit Missæ solemnis in die Natali Domini, aliisque præcipuis anni Festis, hunc exhibet Ministrorum numerum, qui una cum Episcopo e Sacrario ad Altare ibant: *Procedunt duo Clericuli cum cereis, duo cum Thuribulis, quatuor Subdiaconi, bini, & bini, quinto subsequente, & textum deferente* (idest Codicem Sancti Euangelii). *Postea quatuor Diaconi bini, & bini; quintus Euangelium lecturus subsequitur. Et si fuerit dies Dominica, septem sunt Subdiaconi, & septem Diaconi, ad ultimum Episcopus cum duobus Sacerdotibus præeuntibus, & Abbate S. Vincentii*.

V. Agit & de numero Ministrorum, qui Pontifici scilicet Missam solemniter celebranti sunt necessarii, Gulielmus Durandus in suo Pontificali, quod olim variis Ecclesiis usui fuit: *Celebranti*, inquit, *Missam Pontifici necessari sunt hi Ministri, videlicet, Capellanus* (is est Presbyter assistens, ut ex eodem Pontificali liquet), *Diaconus, Subdiaconus, quatuor Acolythi ad minus, unus qui Mitram servet, alius, qui sit Thuriferarius, & duo Ceroferarii, & etiam alii, quot necessarii fuerint, cum Superpelliceis servitores*. Paris de Crassis Lib. I. Cap. IV. ubi agit de numero, & qualitate Ministrorum Cardinalis Celebrantis, quindecim ait eum habere Ministros *ex consuetudine, & Pontificali tolerantia*. Mox ordinem singulorum recenset dicens: *Primo Assistentem, qui esse poterit Vicarius ejus, dummodo non Suffraganeus, nec Prælatus Apostolicus, sed Sacerdos sit, & in Sacerdotalibus expertus; sin autem alium ex senioribus Canonicis habeat: tum Diaconum, & Subdiaconum, necnon novem Capellanos superpelliceis indutos, habitu tamen, & tonsura irreprehensibiles, non irregulares, nec aliqua corporali nota deformes, neque aliqua Ecclesiastica censura famosos*. Et infra numerum ipsum Ministrorum complens, recenset *tres, aut quatuor scutiferos de nobilioribus, modestioribusque suæ familiæ, æque notabiles, & circumspectos, qui abaci Domini custodes, & ministri lotionis manuum erunt*. Porro duos alios in recitato loco Ministros omisit Crassus, & quidem præcipuos, quos tamen recenset Cap. XIX. ejusdem Libri I. suntque

Digitized by Google

que duo Diaconi assistentes. Meminit præterea Cap. xv. alterius Ministri, cujus officium esse ait intimare Pontifici divina Officia celebranti Hymnum Angelicum, & Symbolum, ac etiam salutationem ad populum in Missa, videlicet *Gloria in excelsis*, *Pax vobis*, & *Credo*; in Vesperis vero Antiphonas. Quibus omnibus si Cæremoniarius addatur, jam decem & octo erunt Ministri Episcopo assistentes.

VI. Itaque ex dictis liquet, varium quidem, sed multum semper fuisse olim ministrorum numerum, qui Episcopo solemniter divina Officia celebranti ministrabant, ut nimirum *Episcopales functiones præsertim in Ecclesia*, ut ait hic §. noster, *& in divinis Officiis commodius digniusque exerceri possent*. Quicquid autem fuerit de prisco, ac vario Ecclesiarum ritu circa numerum Episcopo ministrantium, *plures & hodie necessarii sunt Ministri, licet pauciores in Vesperis sufficiant, quam in Missis*; quia scilicet ad has ad minus debent esse novem, & ad Vesperas septem, nempe, *ultra Presbyterum assistentem, duosque antiquiores Diaconos assistentes, qui cæteris digniores sint*, juxta ea quæ de eisdem superius dicta sunt. Ad alios quod attinet septem inferiores Ministros, debent ii esse *aspectu, habitu, & tonsura decentes, ac Cottis mundis* induti. Cottæ vocabulo jam Seculo XII. Superpellicea designari consuevisse, pluribus docet ejus ævi testimoniis eruditissimus Georgius Lib. II. *De liturgia Romani Pontificis*, Cap. II. Num. XIV. ubi inter alia citat locum testamenti, quo sub finem XII. Seculi Gregorius Archiepiscopus Antibarensis legavit Monasterio S. Chrysogoni apud Jaderam, *duas Mitras, & virgam pastoralem, Planetam, & Pluvialem, Dalmaticam, & Camisum, & Manipulum, & Cingulum cum Cotta*. Videri etiam potest Carolus Dufresnius in suo Glossario verbo *Cotta*, ubi plura affert vetera monumenta, quibus olim Superpelliceum, quo hodie utimur, Cotta appellabatur, qua etiam voce hodieque utimur. Successit porro in locum Albæ, sive linei indumenti oblongi, quo olim in divinis Officiis, vel inferiorum Ordinum Clerici utebantur. Id quod alibi a nobis non semel notatum est.

VII. Ex septem tandem Ministris, qui præter Presbyterum assistentem, duosque antiquiorer assistentes Diaconos, qui Episcopo solemniter Vesperas celebraturo ministrare debent, aspectu, habitu, & tonsura decentes, non scilicet deformes, comaque fictitia ornati juxta abusum nostri ævi, a variis Synodis, ac præsertim a celebri Lateranensi Benedicti XIII. anno MDCCXXV. habita damnatum, *Primus erit, qui de libro; secundus, qui de candela inservient; tertius de Baculo pastorali; quartus de Mitra.... quintus de Thuribulo, & Navicula; sextus & septimus de Candelabris & Cereis*. Quæ istorum sunt munia, videbimus infra hoc eodem Capite. Notandum hic tamen, quod ait §. noster, quatuor scilicet primos, *si adsit consuetudo*, indui etiam Pluvialibus debere. Id quod tamen in aliis Cæremonialibus ante hoc nostrum novissime Benedicti XIII. auctoritate correctum, atque probatum, minime legitur, ab ipso enim additum fuit, ut quatuor primi e septem Ministris, scilicet, de Libro, de candela, de Baculo pastorali, & de Mitra, *si adsit consuetudo, induantur etiam Pluvialibus*. Sane Crassus Lib. I. Cap. VIII. ubi officium Ministri de Baculo enarrat, oportet hunc esse ait, *Cotta, & Pluviali, vel Planeta indutum*. Quod tamen quantum ad Planetam, est contra ritum Ecclesiæ communem. Unum illud in hoc §. supplendum ex aliis Cæremonialis nostri locis, una cum memoratis Ministris, assistere etiam debere unum, vel duos Cæremoniarum Magistros, qui pro suo munere jam supra, Cap. v. fusius explicato sacram Episcopalem functionem dirigant, sive Episcopus Vesperas, sive Missam solemni, & Pontificali ritu celebret.

## §. II.

Cum vero Missam solemniter celebrat, ultra prædictos, ac Diaconum, & Subdiaconum, de quorum officiis etiam supra dictum est, habebit alios sex, quorum duo eodem habitu Clericali, & Cottis induti servient, alter de Gremiali, alter de ampullis. Reliqui quatuor poterunt esse Cubicularii, sive familiares Episcopi Clericali habitu, sed sine Cottis, stantes apud abacum. Et hi quidem Ministri omnes, si haberi non poterunt ex gremio Ecclesiæ, vel de familiaribus ipsius Episcopi, poterunt jussu Episcopi convocari ex Parochiis, & Ecclesis Civitatis, iidemque omnes præter jam dictos quatuor familiares, servient etiam Episcopo, cum induitur, & exuitur sacris paramentis, tam in Vesperis, quam in Missis, dicta paramenta portando, & reportando; ex quibus, qui de Baculo pastorali, de Mitra, de Thuribulo, de Candelabris, de Ampullis vini, & aquæ serviunt, ubi commode fieri potest, sint in Ordine Acolythatus, ut disciplinæ dignitas, quoad ejus fieri possit, conservetur.

## COMMENTARIUS.

I. PRæter memoratos in §. superiori Ministros, quibus Episcopus habet opus in Vesperis, sunt ei alii sex necessarii in Missa, *quorum duo eodem habitu Clericali, & Cottis induti servient, alter de gremiali, alter de ampullis: reliqui quatuor poterunt esse Cubicularii,*

Digitized by Google

*tularii, sive familiares Episcopi Clericali habitu, sed sine Cottis, stantes apud abacum*. Hic non immoror ipsorum Ministrorum qualitates, ac munia recensere, cum in hoc eodem Capite, peculiari §. & Commentario de unoquoque agendum sit juxta methodum, ac ordinem, a nostro Cæremoniali præscriptum. Duo hic itaque notanda sunt, ac primum quidem, Ministros omnes, quibus habet opus Episcopus in divinis Officiis solemniter celebrandis, *si haberi non poterunt ex gremio Ecclesiæ, vel de familiaribus ipsius Episcopi, posse jussu Episcopi convocari ex Parochiis, & Ecclesiis Civitatis*, & quidem non modo, ut Pontificali functioni inserviant, verum *etiam Episcopo, cum induitur, & exuitur sacris paramentis, tam in Vesperis, quam in Missis, dicta Paramenta portando, & reportando*.

II. Admonendum hic illud est, quod tametsi in hoc §. edicitur, si ministri haberi non possint ex gremio Ecclesiæ, posse jussu Episcopi *convocari ex Parochiis, & Ecclesiis Civitatis*, cogi tamen haud possunt Regulares ad inserviendum Episcopo Missam celebranti in eorum Ecclesiis ex communi Doctorum sententia, quos citat Ursaya Tomo I. *Disceptationum Ecclesiasticarum*, Parte I. Disceptatione XIX. Num. XV. Ut enim alios omittam, ita sane ad rem inquit Novarius in Summa Bullar. Tom. XIX. Num. XI. Parte I. *Nec Regulares cogi possunt ad assistendum Missæ, vel ei occurrere, seu obviam facere, cum hoc potius sit de honestate, & ea, quæ sunt honestatis, non inducunt coactionem*. Idipsum totidem pene verbis ait noster Donatus, *Rerum Regularium*, Tomo I. Tractatu XIII. *De exemtione Religiosorum*, Quæstione LXXIV. in fine: *Tertio limita, ut Regulares cogi non possint ad assistendum Missæ, vel ei occurrere, seu obviam ire, quia hæc sunt honestatis, proinde non possunt coactionem inferre*.

III. Alterum quod notari hc debet, illud est, ut ii, *qui de Baculo pastorali, de Mitra, de Thuribulo, de Candelabris, de Ampullis vini, & aquæ serviunt, ubi commode fieri potest, sint in ordine Acolythatus, ut disciplina quoad ejus fieri possit, conservetur*. Non ergo decet laicis uti.

## §. III.

Igitur primi Ministri officium erit, cum Episcopus celebrabit Vesperas, aut Missas solemniter, curare, ut signacula in Libro, ex quo Episcopus Antiphonas, aut Hymnum est intonaturus, aut Orationem cantaturus, sint recte suo loco disposita, ne cum dicendum aliquid erit, indecenter huc illuc folia vertere cogatur; Librum ipsum custodiet, & reponet in loco decenti, quem cum opus erit illum Episcopo offerre, sustinebit ambabus manibus ab inferiori parte Libri positis, altius, vel demissius pro statura Celebrantis, nec se loco movebit, nec unquam genuflectet, etiamsi ipsemet Celebrans, & alii omnes genuflecterent; cum, ut dictum est Capite præcedenti de Subdiacono, instar legilis sit; nisi cum fortasse ob commoditatem Episcopi legentis, eum genuflectere magis expediret, uti cum Librum tenebit pro Psalmis a Pontifice legendis, antequam paramentis Missalibus induatur. Locus autem ejus erit prope Altare. Cum vero Presbyter assistens paratus Librum sustinebit ante Episcopum in cantu legentem, ipse a sinistris Episcopi stans adjuvabit in sustentatione Libri ipsum Assistentem.

## COMMENTARIUS.

I. Minister de Libro primum omnium curabit, *cum Episcopus celebrabit Vesperas, aut Missam solemniter*, ut Liber, quem ipse custodire debet, coopertus veste coloris convenientis signaculis rite disponatur, *ne cum dicendum aliquid erit, indecenter huc illuc folia vertere cogatur*; sive, ut ait Crassus Lib. I. Cap. X. & cum eo Rubricarum Interpretes passim, *ne cum tempus erit, oporteat cum scandalo volvere, & revolvere folia diversa*. Signaculo rite disposito, tum Librum ipsum reponere debet in loco decenti; *quem cum opus fuerit illum Episcopo offerre, sustinebit ambabus manibus ab inferiori parte Libri positis altius, vel demissius &c.* Concinit huic Rubricæ laudatus Crassus, nonnulla etiam tradens, quæ ipsam Rubricam magis magisque illustrant, ac explicant: *Ipse*, inquit, *Librum tenens stare debet inter Altare, & Faldistorium, itaut renes de directo vertat Cruci super Altari positæ, Librum autem extollat, & deprimat pro statura Celebrantis, communiter tamen usque ad frontem inclusive, & illi adhærentem ambabus manibus nudis in inferiori parte Libri positis sustineat, & advertat, ne se loco moveat, neque unquam genuflectat, etiamsi ipsemet Celebrans, vel Legatus, & Magistratus, & omnes genuflecterent*.

II. Multa sunt, quæ hic observaverit sacrarum Cæremoniarum studiosus, præsertim vero teneri debere a Ministro Librum pro statura quidem Celebrantis, communiter tamen usque ad frontem inclusive, & illi adhærentem, ambabus manibus nudis, & nunquam genuflexo, sed stante, etiamsi Celebrans ipse, Legatusque Summi Pontificis,

Digitized by Google

tificis, & Magistratus, aliique omnes, qui interessent, genuflecterent. Idipsum profecto edicit §. noster, eamque etiam rationem reddit, quod hujusmodi Minister de Libro, *instar legilis sit*; *nisi*, ut recte mox subjicit, *cum fortasse ob commoditatem Episcopi legentis, eum genuflectere magis expediret*; cum ille scilicet sedens legit Psalmos, *antequam paramentis Missalibus induatur*; tunc enim necesse videtur, ut Minister ipse genuflexus Librum teneat, nam alias si staret, vix illi cum summo incommodo ab Episcopo sedente legi possent. Genuflexum itaque esse oportet Ministrum de Libro, cum Episcopus sedens legerit; stantem autem, si ille staret; cavendumque ipsi illud potissimum est, *ne forsan*, ut Crassi verbis utar, *errante Celebrante, ipse errorem detegat, vel indicet, aut reprehendat, sed in statu suo maneat immobilis, velut si marmoreum legile esset, cujus instar figuratur*. Sed & illud quoque Ministro ipsi de Libro observandum est, ut semper Librum clausum deferat, tunc vero aperiat, cum ante Episcopum aliquid in eo lecturum se præsentaverit, claudatque deinde post lectionem, ponens illum, si commode fieri potest, supra aliquod scabellum prope Thronum Episcopi, ut in promtu habeat, cum eo opus fuerit.

III. Ejus locus erit *prope Altare*, ut ait §. quem puto ita esse explicandum juxta communem Ecclesiarum morem, ut una cum aliis Ministris inferioribus sedeat in gradibus Solii Episcopi, vel Altaris. Cum autem *Presbyter assistens paratus, Librum sustinebit*, supra caput *ante Episcopum in cantu legentem, ipse* Minister de Libro *a sinistris Episcopi stans adjuvabit in sustentatione Libri ipsum Assistentem*; videlicet, cum Episcopus dicit Orationem ad Tertiam, & ad Vesperas; & in Missa ad *Gloria in excelsis*, ad Orationem, & ad *Credo*. At cum verbi gratia Episcopus intonaverit *Gloria in excelsis*, statim recipiet Librum de manibus Assistentis Presbyteri, & illum super caput sustinebit usque ad finem. Sed audiamus hic iterum Crassum: *Recedit autem*, inquit, *finitis omnibus orationibus, & conclusionibus, ante responsum*, Amen. *Item post lectum Introitum, ac Hymnum Angelicum, & Symbolum, & Offertorium, & non prius*. Sane cum vadit ad Celebrantem, nullam penitus eidem inclinationem, aut reverentiam facere debet, sed finito cantu, ipse clauso prius Libro recedens reverentiam suam faciet, uti scite post laudatum Crassum tradunt Castaldus in sua Cæremoniarum praxi Lib. I. Sectione V. Cap. II. Bauldryus in Manuali Cæremoniarum, Parte V. Cap. XI. Articulo II. & alii sacrarum Cæremoniarum Interpretes.

IV. Quid autem dicendum, si Episcopus non celebret, sed assistat tantum ad Vesperas, & ad Missam? Dicam cum laudatis Castaldo, Bauldryo, & aliis, debere Ministrum de Libro tunc etiam Cotta indutum Librum Episcopo ministrare, ipsum tenentem super caput, stantem, vel genuflexum, ut supra; scilicet in principio Missæ, & primo quidem ad Introitum, & *Gloria in excelsis*; secundo ad Epistolam usque ad Euangelium inclusive; tertio ad Offertorium, & absolutionem, si fiat sermo; quarto ad Postcommunionem. Ceterum si adsit Cardinalis, aut eo major, abstinebit Episcopus a Libro in omni officio, si ipse non celebret.

## §. IV.

### Alter in eodem habitu de candela, serviet etiam ad Altare.

## COMMENTARIUS.

I. A Colythus, seu Minister de candela, qui scilicet Episcopo ministraturus candelam accensam dextera defert, sinistra scilicet aperta pectori semper admota, ex instrumento argenteo, quod *Bugiam*, seu *Palmatoriam* vocant, Superpelliceo mundo indutus, & Pluviali etiam, si sit consuetudo, ut supra dictum est, una cum Acolytho de Libro inserviente, pari disciplina procedit. Episcopo itaque, dum legit in Missa Pontificali Psalmos, *Quam dilecta &c.* ante celebrationem dici solitos, itemque Orationes ad paramenta, & Orationem Tertiæ, Introitum Missæ, Orationem, Epistolam cum Graduali, sive Tractu, & cetera usque ad Euangelium inclusive, ac item alia, ut infra, Cap. XX. §. II. semper lumen ministrabit, & regulariter cum socio suo, Acolytho, sive Ministro de Libro a dextris Episcopi celebrantis, etiamsi aer sit lucidus, & Episcopus lumine non egeat ad legendum. Dixi autem *regulariter*, quia nimirum cum Episcopus est ad Altare, Minister de Libro ad illud non debet accedere, cum eo non opus sit, sed sufficit ille, qui est de candela; qui Episcopo, uti dictum est, aliquid ex Libro legenti semper lumen ministrat, etiamsi ipse non celebret, sed tantum assistat.

II. Ad Vesperas intonante Episcopo primam Antiphonam, Hymnum, Antiphonam ad *Magnificat*, Orationem, vel plures, candelam etiam sustinere debet a dexteris illius; & cum Episcopus de sua Sede ad Altare procedit, aut ad Faldistorium descendit, semper eum sequitur cum Ministro de Libro, si eo opus est; & quando redit, sequitur eum quoque eodem cum socio suo, idest, initio Missæ, & post Offertorium, non vero quando ad Vesperas thurificaturus est Altare; & cum ii, qui Episcopo assistunt, sedent, sedere & ipsi possunt super gradum scilicet infimum Altaris juxta Ecclesiarum consuetudinem, uti supra notatum fuit. Porro ad Episcopum cum accedunt, prius ante ipsum genuflectere debent, itemque etiam cum ab ipso recedunt.

III. Con-

Digitized by Google

III. Constant hæc ex variis nostri Cæremonialis locis, eademque passim docent Castaldus, Gavantus, Bauldryus, Meratus, aliique Auctores de sacris Cæremoniis agentes, ex quibus etiam addiscimus, quod dum Episcopus privatim celebrat, ipse, qui de Libro inservit, lumen ministrare debet, cum opus est, & si alii Ministri desint, videlicet dum legit Introitum, *Gloria in excelsis*, Orationem, Epistolam, Graduale, Euangelium, Symbolum, Offertorium, Orationes, Præfationem, Canonem &c. & alter ampullas ministrabit, & Calicem aptabit, eum cooperiendo, & discooperiendo, cum opus erit, si scilicet est in sacris. Ambo autem eum adjuvabunt, cum manus lavat, & cum sacris induitur, & exuitur vestibus; item cum genuflectit, hinc inde, ut surgat, manum præbendo, eumque sustentando; & cum ascendet ad Altare, fimbrias vestium ejus elevabunt, & depositis sacris vestibus, communes dabunt, adjuvantes eum, cum illas accipit; sicut etiam dum iis se exuit, eas congruo loco deponent. Sed de his iterum infra. Porro cavendum, ne unus Minister alterius officium occupet, ut rite scilicet sacræ Episcopales functiones peragantur; neque autem decet, ut unus privatæ Missæ Episcopi inserviat, non enim poterit simul tenere Candelam, & Calicem ministrare, ut alia absurda omittam, quæ ex assistentia unius oriri solent.

## §. V.

**Tertius Minister eodem habitu, seu Pluviali indutus juxta locorum, & Ecclesiarum consuetudinem, ipsius Baculi custodiendi, portandique ante Episcopum, quoties opus erit, curam habebit, quem manu dextera Cottæ extremitate cooperta tenebit, sed nudum, nulloque panniculo appenso, illum Episcopo, cum opus erit, offeret. Quo autem tempore, & in quibus actibus Episcopus Baculo pastorali uti debeat, inferius in suo Capite describetur.**

## COMMENTARIUS.

I. AGit inter alios de hoc tertio Ministro, qui de Baculo dicitur, quod *Baculi Episcopalis custodiendi, portandique ante Episcopum*, Pontificaliter paratum, & non aliter, sive longius, sive propius processurum, *quoties opus erit, curam habet*, in suo Cæremoniali Paris de Crassis Lib. I. Cap. VIII. *Ejus officium*, inquit, *honorabile est, qui præter Assistentem, & Canonicos Ministros, ante omnes Capellanos Celebrantis præcedit tamquam dignior*. Tum mox: *Hunc autem oportet esse Cotta, & Pluviali, vel Planeta indutum, nisi sit Missa pro defunctis, quia non solum tunc ille non induitur Pluviali, sed nec habendus est Baculus, alioquin semper, & ubique habendus est, quoties Cardinalis Episcopus Pontificaliter paratus, non modo a loco ad locum procedit, ut a Sacristia ad Altare, sed etiam quoties a Faldistorio ad Altare, ac etiam tam a cornu Epistolæ ad medium Altaris vadit, quam ab eodem ad aliud cornu Euangelii, atque inde revertitur*. Varios tum recenset actus Episcopales, in quibus ab Episcopo adhibendus est Baculus, quos tamen nos nostri Cæremonialis methodum, ac ordinem sequentes, peculiari Capite infra suo loco enarrabimus.

II. Ne vero quæ in hoc §. præscripta sunt, omittamus, debet Minister de Baculo quoties opus erit illum gestare ante Episcopum, *manu dextera Cottæ extremitate cooperta* tenere Baculum, sed *nudum, nulloque panniculo appenso illum Episcopo cum opus erit, offerre*. Plura de Baculo, ejusque origine, ac usu, aliisque scitu dignis diximus jam Tomo I. Romani Pontificalis in Prolegomenis, Cap. XII. & ad Titulum XIII. *De consecratione electi in Episcopum*; præteriri hic tamen debet, quod laudatus Crassus citato loco ad rem, de qua agimus, inquit: *Sciat autem Minister Baculi, quod a lituo arcuato prædicti Baculi nullus debet pendere panniculus, qui si alligatur, inferius alligetur, & non ideo alligatur, ut aliquod mysticum figuret; sed quia honestius est, & reverentius agitur, si ipse Minister illum manu non tangat, etiamsi sit Sacerdos, sicut etiam facit Capellanus de Mitra, quam nonnisi panno manibus obvoluto tenere debet*. Statimque subjicit, quod etiam ex nostro hoc §. cautum est, ut nimirum *cum Episcopus Baculum manu capit, nudum omnino, & sine panniculo capiat, prius osculatum ab ipso Ministro porrigente*. Tradit sane in Actis Ecclesiæ Mediolanensis, S. Carolus veterum Sacrorum Rituum peritissimus, Abbatialem Baculum sudario esse ornandum ad differentiam Baculi Episcopalis, quem sine ullo prorsus panniculo nuda manu tenere debet Episcopus; Minister autem, si forte aliquis Alba esset indutus, convenit ut habeat velum pendens de collo ejus, manuque dextera eo velo cooperta illum, quum opus erit, teneat; si autem Cotta, extremitate illius præsertim si Pluviali sit indutus, uti in §. hoc nostro, & sequenti præscriptum est. Videlis Meratum, Castaldum, Bauldryum, Josephum Vicecomitem, Gavantum, & alios de ea re differentes.

## §. VI.

**Quartum Ministrum de Mitra servientem oportet velum, seu mappam sericeam oblongam a collo pendentem gerere, qua utitur ad Mitram sustinendam, nisi, ut supra, sit**

Digitized by Google

sit Pluviali indutus, ne illam nudis manibus tangat: caute autem advertat, ut cum ea Episcopo imponenda, auferendave erit, immediate lateri Diaconi assistentis, illam imposituri, vel ablaturi adhæreat, Mitram offerens, vel recipiens. In Vesperis, incœpto primo Psalmo, deposita Mitra pretiosa super Altari in cornu Epistolæ, offert simplicem; incœptaque Antiphona Cantici, *Magnificat anima mea &c.* offert pretiosam, & simplicem super Altari in eadem parte locabit. In Missis, dicto per Episcopum celebrantem, seu non celebrantem, Hymno Angelico, adsit cum Mitra simplici, vel auriphrygiata, imponenda Episcopo sedenti, ipsa pretiosa super Altari deposita. Ut plurimum enim solent Episcopi in Missa uti pretiosa usque ad dictum Hymnum Angelicum, postmodum simplici, aut auriphrygiata, usque ad finem Symboli; tum lecto Offertorio reassumere pretiosam, eamque tenere usque ad finem Missæ, suo tempore. Cum prædictus Minister Mitram tenet, habeat vittas, seu infulas illarum versus seipsum, & cum illas deponit, sive super Altari, sive super mensa, aut abaco, vittæ exterius pendeant.

## COMMENTARIUS.

I. Quoties Episcopus est solemniter celebraturus cum Pluviali, & Mitra, tunc oportet semper, *Ministrum de Mitra servientem*, Cotta munda indutum, sive Capellanus, seu Acolythus sit, *velum, seu mappam sericeam oblongam a collo pendentem gerere, qua utatur ad Mitram sustinendam, nisi, ut supra dictum est, sit Pluviali indutus, ne illam nudis manibus tangat*. Hunc ritum jam olim servatum egregie describit Crassus Lib. I. Cap. IX. ubi de officio Capellani Mitram ministrantis disserens, hæc habet: *Ex cujus collo hinc inde æqualiter pendeat mappa sericea longa, cum qua capit Mitram, non autem nudis manibus; & dum illam tenet, habet infulas versus se; & dum recipit, redditque Diacono illam imposituro, id faciat, quantum potest, commode; & surgente, & stante Diacono, illi coadhæret tergo ejus, capturus, vel daturus Mitram Diacono, prout opus erit*. Multa hic habes, quæ multum conferunt ad nostræ hujus Rubricæ explicationem.

II. Ergo Minister de Mitra serviens, cum Mitram recipit, vel eam reddit, diligenter advertere debet. I. ut infulas, seu vittas ipsius versus se habeat, & cum illam deponit, sive supra Altare, sive supra Credentiam, vel Abacum, vittæ semper exterius pendeant, uti §. hic noster edicit; docentque passim sacrarum Cæremoniarum Interpretes, Crassus, Castaldus, Bauldryus, & alii, locum regulariter, in quo Mitra præparari, aut deponi debet, esse Altare, a latere, scilicet Epistolæ, vel, si plures sint, hinc inde a lateribus ipsius Altaris, vel supra Credentiam pro loci opportunitate, ne scilicet Altaris incensatio impediatur. II. ut cum illam Episcopo imponendam, Diacono assistenti præbet, tali modo præbeat, quo eam ille facile possit Episcopo imponere. III. ut semper ipsius Diaconi assistentis lateri adhæreat, ut cum res postulaverit, facile Mitram præbere, vel recipere possit. IV. ut non manibus nudis ob reverentiam ejus ornamenti Episcopalis, eam tangat, sustineatve, sed ope veli, seu mappæ sericeæ oblongæ ab ejus collo pendentis.

III. Mox ut Mitram a Diacono assistente, vel ab alio ministrante Episcopo accepit, facta statim eidem Episcopo genuflexione, ad locum suum redit, eam tenens ambabus manibus velo e collo pendente tectis ante pectus elevatam, nisi brevi temporis spatio esset Episcopo reponenda, tunc enim locum suum non petet, sed expectabit paulisper, donec Mitra sit imponenda, stans a latere illam imposituri. Regulariter autem locus est a parte Episcopi, & a parte, in qua imponi, aut auferri debet. Sic initio Missæ a parte Epistolæ genuflexus manet, donec Episcopus recedat ad Sedem suam, quæ est ad partem Euangelii, & ibi locus ejus erit versus sinistram partem Episcopi prope parietem Altaris, & sedet, quando sedendum erit, in inferiori gradu Sedis Episcopalis, si fieri possit, a sinistris Ministri de Baculo. Item ad lotionem manuum, & cum ad Altare redierit post Offertorium, & dum lavabit Episcopus manus post communionem, stabit a parte Epistolæ; & cum Episcopus, finita Missa, redibit ad Sedem suam, ipse eum sequetur, ut initio, & sumta Mitra, eam super Abacum reponet, servatis semper cæremoniis tenendi illam non manibus nudis, sed velo, seu mappa sericea e velo pendente coopertis.

IV. At vero, ut Minister de Mitra sciat ea, quæ sui muneris sunt, sciendum illi est, triplicem esse Mitram, uti docet Cæremoniale infra Cap. XVII. Una enim est pretiosa ex serico auro intexta, ac gemmis, & margaritis ornata; altera auriphrygiata sine gemmis, & laminis aureis, vel argenteis, sed ex tela aurea simplici sine laminis, & margaritis; tertia ex serico albo damasceno cum laciniis ex serico rubeo in infulis ex vittis pendentibus, quæ dicitur simplex, qua utuntur Domini Cardinales in Pontificia Capella, dum alii Prælati utuntur Mitra etiam simplici, sed ex lino tantum purissimo, ac tenuissimo, albi tamen coloris, cum liciniis pariter rubris ex vittis pendentibus. Porro Mitra nunquam debet esse alterius coloris, quam albi, ideoque male agunt complures, qui contra nostri Cæremonialis præscri-



Digitized by Google

ptum Mitris rubei, aut viridis, alteriusve coloris pro suo libito utuntur.

V. Hisce hoc loco notatis in gratiam Ministri de Mitra, de eo enim Episcopali ornamento agendum proprie erit infra Cap. XVII. ut ea pergam exponere, quæ in hoc §. præsenti habentur, *in Vesperis, incœpto primo Psalmo, deposita Mitra pretiosa super Altari in cornu Epistolæ, offert* Minister ipse de Mitra Diacono assistenti *simplicem; incœptaque Antiphona Cantici*, Magnificat anima mea &c. *offert pretiosam, & simplicem super Altari in eadem parte locabit*. Puto equidem, nullum in ea Mitrarum mutatione excogitari debere mysterium, fit enim ea mutatio in solum Episcopi commodum; *nam gravaretur Celebrans si auriphrygiata continue uteretur, nisi secus placeret*; ut docet Crassus Lib. I. Cap. IX. ex quo etiam addiscimus, per illa postrema ejus verba, *nisi secus placeret*, in Episcopi arbitrio esse videri, si velit semper Mitra pretiosa uti. Id quod alio ejusdem Auctoris testimonio comprobari potest, qui in loco citato, postquam dixit, incœpto primo in Vesperis Psalmo, Ministrum de Mitra inservientem, deposita super Altari in cornu Epistolæ pretiosa, levem offerre, ita statim addit: *nisi aliter placeat*, utique Episcopo.

VI. Ad solemnes quod attinet Missas, *dicto per Episcopum Celebrantem, vel non Celebrantem*, cum scilicet illis tantum assistit, *Hymno Angelico*, mandat hic §. noster, ut Minister ipse *adsit cum Mitra simplici, vel auriphrygiata imponenda Episcopo sedenti, ipsa pretiosa super Altari deposita*; quia scilicet, ut statim subjicit, *ut plurimum solent Episcopi in Missa uti pretiosa usque ad dictum Hymnum Angelicum; postmodum simplici, aut auriphrygiata usque ad finem Symboli; tum lecto Offertorio, reassumere pretiosam, eamque tenere usque ad finem Missæ, suo tempore*. Perspicua hæc sunt; legi tamen etiam possunt inter alios Castaldus, & Bauldryus, qui inter Acolythi de Mitra inservientis officia pileoli, seu subbireti Mitralis curam recensent, quod etiam ajunt debere esse *ex serico nigri coloris*, pro Cardinalibus rubei. Meminit hujus pileoli in Actis Ecclesiæ Mediolanensis, ubi agit de sacra supellectili Episcoporum, Sanctus Carolus atque ipsum pileolum debere quidem esse nigri coloris, sed tamen laneum.

## §. VII.

**Quintus Minister Acolythus thuribulum, & naviculam incensi ministraturus, debet aliquando ceteris robustior eligi, quo pondus illorum sustentare possit, eaque debet elevatis æqualiter manibus tenere; videlicet, thuribulum dextera, pollice in annulum majorem immissio, medio vero ejusdem manus digito minorem annulum catenulæ elevanti, coopertorium thuribuli appositum reget, & sustinebit; sinistra manu pedem naviculæ cum incenso, & cochleari caute gestabit, Cottam super brachia prius reflectens, ne forte contingat illam cum thuribulo, aut navicula implicari, aut comburi. Quo autem loco, & ordine incedere, stare, vel genuflectere cum aliis Ministris ad Euangelium euntibus, & redeuntibus debeat, & de aliis, quæ ad suum officium spectant, suo tempore a Cæremoniariis docendus erit.**

## COMMENTARIUS.

I. Officium quinti Capellani, sive Acolythi thuribulum, & naviculam ministrantis, iisdem fere verbis, ac is §. noster, descripsit Paris de Crassis Lib. I. Cap. XI. *Quintus Capellanus*, inquit, *de thuribulo, & navicula incensi serviens, debet esse aliquantulum fortis, & robustus, quoniam ipsum thuribulum grave esse solet, & navicula non levis; quæ duo simul necesse est, ut teneat æqualiter elevatis manibus, videlicet thuribulum dextera, & sinistra naviculam clausam*. Tum ait, pro iis tenendis debere ipsum Acolythum, quem communiter thuriferarium vocant, primo infigere pollicem dexteræ manus in annulum magnum extremæ catenulæ, & aliam catenam, quæ coopertorium Thuribuli elevat, *minimo ejusdem manus digito* tenere stricte elevatam, *ita quod thuribulum sit quasi per duos digitos apertum, ut fumus spirare possit, ne ignis extinguatur*; deinde vero clausæ naviculæ cum thure scilicet, & cochleari, pedem sinistra capere.

II. Omnes plane conveniunt, a ministraturo thuribulum infigendum primo esse pollicem dexteræ manus in annulum magnum catenulæ extremæ thuribuli; in eo autem discrepant, quod alii, ut Crassus, aliam catenulam, quæ coopertorium thuribuli elevat, velint *minimo ejusdem manus digito* teneri stricte debere elevatam; quidam, inter quos Bauldryus Parte I. Cap. XV. Articulo I. digito *annulari*; §. noster in hoc novissime emendato Cæremoniali, *medio*; in anterioribus vero ante emendationem Benedicti XIII. Cæremonialibus, *digito altero*, idest, indice. Scio, hanc varietatem levissimi esse momenti, sed lubet minutias etiam adnotare variationum novissimi hujus Cæremonialis. Ceterum ne ipsemet Acolythus de thuribulo, & navicula, igne possit aliquo casu Superpellicium suum comburere, recte ex nostro §. cautum est, ut Cottam, idest, manicas Cottæ super brachia prius reflectat. Id quod tamen a Cæremoniario præstandum esse Crassus affir-

Digitized by Google

affirmat, sic inquiens loco citato: *Cæremoniarius extremitates manicarum Superpellicei ejus reflectat circa brachia decenter, admonens eum, ut quanto remotius potest, a se ipso manum thuribuli amoveat, & brachia æquali spatio protrahat.*

III. Est autem Cæremoniarii munus Ministrum hunc de thuribulo docere, *quo loco, & ordine incedere, stare, vel genuflectere cum aliis Ministris ad Euangelium euntibus, & redeuntibus debeat, & de aliis, quæ ad suum officium spectant*. Cum enim vadit ad locum Euangelii cantandi, primus post Cæremoniarium ante Ceroferarios, cum eis æqualiter genuflectat oportet, ac surgat, firmetque se ad latus dexterum Diaconi, etiamsi renes Altari vertat, & in tempore det, & accipiat thuribulum a Cæremoniario, sicut ille petit; & dum dicitur totum Euangelium, sit vel post cantantem, vel ad aliam partem commode versus ad illum, & continue thuribulum leviter moveat, at non ideo, ut incensetur cantans, sed ne ignis extinguatur, & finito cantu non amplius incensetur Liber, sed factis reverentiis Altari, & Legato, si adsit, redit ad locum suum, & venit, & ibi dat thuribulum Diacono, qui incensat Episcopum Celebrantem solum, non autem Legatum. Atque hæc docet laudatus Crassus Lib. I. Cap. XI. Observanda autem sunt quæ de Ministro de thuribulo, & navicula incensi serviente, ac de ejus muniis nostrum Cæremoniale multis in locis præscribit, & quæ fuse de eadem re docent Castaldus, Bauldryus, Gavantus, Meratus, & alii docti sacrarum Cæremoniarum Interpretes, qui minutissima quæque explicare solent.

## §. VIII.

Acolythi duo Ceroferarii debent & ipsi robusti, & in statura, quantum fieri potest, æquales eligi, & lumina æqualiter teneant, & deferant; cumque sumturi sunt candelabra, accipient quidem manu dextera, itaut qui a parte dextera incedit, ponat manum sinistram ad pedem candelabri, dexteram vero ad medium candelabri globum; & qui incedit a parte sinistra, ponat dexteram ad pedem, sinistram ad eundem globum; cumque reverentias erunt facturi, illas æqualiter, & eodem tempore faciant; ac denique eundo, stando, ac redeundo in omnibus actibus inter ipsos, & cum aliis Ministris se conforment, prout per Cæremoniarium admonebuntur. Quod si, dum cantatur Euangelium, genuflectendum sit, ac propterea omnes genuflectant, ipsi stabunt simul cum Subdiacono Librum tenente, ac si immobiles essent.

## COMMENTARIUS.

I. A Colythi Græce, Ceroferarii dicuntur Latine a cereis ferendis juxta suam ipsorum ordinationem, de qua abunde loquuti sumus Tomo I. Romani Pontificalis ad Titulum VIII. Quod autem ad præsentem rem attinet, nihil luculentius afferri potest ad illustrandum magis hunc §. nostrum alias perspicuum, quam quod scribit Crassus Lib. I. Cap. XIV. *Duo Capellani*, inquit, *servientes de candelabris, dum Euangelium, sive orationes pro Vesperis, aut etiam pro Tertiarum hora cantantur, in statura, quantum potest, conveniant; ne unus nimis oblongus, alter e contrario brevis*. Debent esse ambo pares statura, quantum scilicet fieri potest, sicut eorum candelæ, & candelabra recta, & non inclinata deferenda, ut passim docent sacrarum Cæremoniarum Scriptores. Cum autem ea sumturi sunt semper ea nudis manibus sument, & discoopertis, & ita quidem, ut is qui est a parte dextera, ponat dexteram in medio candelabri globo, sinistram vero in pede; qui vero ad sinistram, e contra accipiat globum sinistra, dextera vero pedem, uti ex nostro hoc §. addiscimus, licet Crassus nulla habita distinctione, absolute velit, ut cum Acolythi ipsi, seu Capellani *capturi sunt candelabra, capiant quidem dextera nodum, qui in medio manubrii esse solet, & sinistra pedem ejusdem manibus discoopertis*.

II. Sed minutiis hisce omissis, advertere id plane debent, cum reverentias *erunt facturi, illas æqualiter, & eodem tempore faciant; ac denique eundo, stando, ac redeundo in omnibus actibus inter ipsos, & cum aliis Ministris se conforment*. Eadem plane tradit Crassus, & alii, qui sacras Cæremonias enarrant: *Admoneantur*, inquit ille, *facturi reverentias tam in eundo, quam in stando, & redeundo, ut æqualiter, & simul, ac eodem contextu faciant illas, & non unus post alium; cumque seipsos firmabunt pro illuminatione Euangelii, ambo ponant Subdiaconum in medio eorum; & sint hinc inde faciebus ad Diaconum pariter versis, sicut ipse Subdiaconus est, idest, ante faciem Diaconi, & hoc in quocumque loco Euangelium cantetur*. Itaque genuflexiones æqualiter, & eodem tempore simul facere debent, nisi tamen aliquid obstet. Incedere etiam semper debent pari, & æquali passu, & in omnibus aliis semper convenire, & conformes esse sibi invicem, quantum scilicet fieri potest. Dum stant, esse debent corpore recto, ac firmo, demissisque ad terram oculis, & instar statuarum immobiles.

III. Sed audiamus hic nostram Rubricam: *Quod si, dum cantatur Euangelium*, inquit, *genuflectendum sit, ac propterea omnes genuflectant, ipsi stabunt simul cum Subdiacono Librum tenente, ac si immobiles essent*. Jam non modo ad Euangelium,



Digitized by Google

lium, ubi scilicet ad aliqua ejus verba alii genuflectere debent, ipsi non genuflectent, sed ad alia etiam multa, ut initio Hymnorum, *Veni creator Spiritus*, & *Ave maris stella*: quia scilicet ipsi Ceroferarii instar statuarum immobiles stare debent, uti docent passim Rubricæ Missalis, ac Cæremonialis, & omnes Scriptores sacrarum Cæremoniarum, inter quos omnium Magister Paris de Crassis hæc habet: *Et si inter legendum Euangelium Diaconos genuflectit, ut in Circumcisione, & in Nativitate Domini nostri Jesu Christi, aut alias, ipsi non genuflectant, sed immobiles stent cum Subdiacono similiter immobili; quoniam hi duo tamquam marmorea candelabra, & Subdiaconus tamquam aureum pulpitum figuratur*. Forte Crassi ævo ad Euangelium Circumcisionis genuflectebatur; certe hodie ex Rubricis Missalis, nulla, dum illud Euangelium dicitur, genuflexio occurrit. Ut ut autem ea res sit, plura de Ceroferariis, eorumque muniis videri possunt apud Castaldum, Bauldryum, Gavantum, ac novissime apud Meratum in suis ad ipsum Gavantum Notis, præsertim vero Parte II. Tit. II. Rubrica v. ubi inter alia docet, ipsos Ceroferarios, dum ad aliqua Euangeli verba, vel alias genuflectendum esset, non modo ipsos genuflectere non debere, sed nec caput inclinare.

IV. Non omittendum insuper, quod ait Bauldryus Parte I. Cap. XIV. Articulo I. de Ceroferariis, eorum nempe habitum semper esse Cottam, sive Superpelliceum, *& licet in quibusdam locis utantnr Albis*, regulariter tamen convenientius esse, ut utantur Cottis, *quia est eorum habitus Clericalis*; & etiam quia ita nostrum Cæremoniale præscribit Cap. XI. §. I. ubi recensens Ministros Ordinis inferioris, qui inservire debent Episcopo solemniter celebranti, & inter eos, Ministros de Candelabris & Cereis, idest Ceroferarios, ait debere ipsos tonsura esse decentes, *ac Cottis mundis indutos*.

## §. IX.

Duo præterea alii, sed in Missa tantum, adhibentur Ministri, quorum unus de Gremiali, alter vero, qui saltem sit Acolythus, de ampullis serviat; & qui Gremiale ministrat, intentus esse debet, ut cum celebrans Episcopus surgit, antequam Mitra ei auferatur, ipsum Gremiale per assistentem a sinistris, de gremio Episcopi ablatum, reverenter accipiat, illudque complicatum ante pectus ambabus manibus teneat; & cum opus erit, alteri assistenti a dexteris porrigat, reponendum in gremio Episcopi sedentis; ac demum post lotionem manuum Episcopi, lecto Offertorio, illud super abaco reponet, cum eo amplius utendum non sit.

## COMMENTARIUS.

I. GRemiale, de quo alias nonnihil diximus Tomo I. Romani Pontificalis in Prolegomenis, Cap. XXII. ut illud definit Joannes Bona S. R. E. Cardinalis Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XXIV. Num. XV. *pannus est, qui in gremio Episcopi Celebrantis ponitur, cum sedet, & cum Ordines confert*. Hocce ornamentum, Succinctorium appellari putat Vicecomes Lib. III. *De Missæ apparatu*, Cap. XV. sed re vera Succinctorium cum Gremiali non debet confundi, quia est peculiare solius Summi Pontificis ornamentum, quo utitur, quando solemniter celebrat, estque instar parvi cujusdam Manipuli, & e sinistro latere pendet, habetque in medio figuram agni acu expressam. Usos olim, & quidem ex antiquo ritu fuisse Episcopos Succinctorio, variis veterum Scriptorum testimoniis ostendit Georgius Lib. I. *De Liturgia Romani Pontificis*, Cap. XVII. Num. V. & seqq.

II. Episcopum, cum Planeta est indutus, Gremiali uti debere *in Missa tantum*, & non extra Missam prorsus, perspicue edicit hic §. noster, & omnes passim sacrarum Cæremoniarum Scriptores, quos inter Crassus Lib. I. Cap. XII. ubi agit de officio Capellani Gremiale ministrantis, sic inquit: *In Vesperis, & aliis officiis, & Processionibus, Gremiali numquam utimur, & nisi cum Planeta*. Idipsum docet Bauldryus Parte V. Cap. XI. Articulo VI. ubi etiam merito multos sugillat, *qui utuntur eo etiam ad Vesperas, & cum Episcopus procedit ad Altare, expresse contra Cæremoniale*. In Missa ait esse adhibendum coloris aliorum paramentorum. Cujus autem formæ esse debeat, docet in Actis Ecclesiæ suæ Mediolanensis S. Carolus dicens: *Gremiale longe constet cubitis circiter duobus, late cubito uno tantum, & unciis item circiter duodecim intrinsecus tenui serico ejusdem coloris vestitum; undique vero cinctum laciniarum auro, argentove intextarum ornatu*.

III. Minister de Gremiali, sive is, qui Gremiale ministrat, *intentus esse debet, ut cum Celebrans Episcopus surgit, antequam Mitra ei auferatur per assistentem a sinistris, de gremio Episcopi ablatum reverenter accipiat*, & cum osculo ipsius, ut ait Crassus, contra communem usum; ut quid enim osculari Gremiale, cum cetera Episcopi ornamenta numquam osculentur. Quamobrem non adhæreo sententiæ Castaldi Lib. I. Sectione V. Cap. VI. & Bauldryii loco citato, quod quoties Minister ipsum Gremiale tradit, aut recipit, toties illud osculari debet propter reverentiam Episcopi. Sane ubi reverenter Gremiale acceperit, cautum est ex nostro §. ut *illud complicatum ante pectus ambabus manibus teneat*; & cum

Digitized by Google

*cum opus erit*, *alteri assistenti*, Diacono scilicet secundo, aut Subdiacono, *a dexteris porrigat*, *reponendum in gremio Episcopi sedentis*; postquam scilicet capiti ejus Mitra fuerit imposita, uti superius dictum est. Post lotionem demum manuum Episcopi, lecto Offertorio, illud super abaco reponet, cum eo amplius utendum non sit, uti §. noster mandat, cui omnes tum antiqui, tum recentiores Sacrarum Cæremoniarum Scriptores consentiunt.

IV. Utitur autem Gremiali Episcopus in Missa, quando sedet, dicto *Kyrie eleison*; post Hymnum Angelicum; ad Epistolam, donec Diaconus cantet Euangelium; ad Symbolum; ad sermonem, seu concionem; & dum Episcopus recipit oblationes, si quando offerri contingit, uti videre est infra Lib. II. Cap. VIII. & apud Castaldum, & Bauldryum locis citatis. Porro ait Bona Cardinalis, cujus locum initio Commentarii attulimus, in conferendis etiam Ordinibus Episcopum uti Gremiali, & ut alii etiam inquiunt, in unctionibus, seu consecrationibus etiam sæpe; sed istud proprie mappa linea est, non Gremiale sericum, de quo hic agimus, ut scite Bauldryus observat, additque etiam eadem mappa linea Episcopum uti, dum tradit candelas, ramos olivarum, & distribuit cineres initio Quadragesimæ, & ungit Ordinandos.

## §. X.

Acolythus autem, qui de Ampullis servit, post lectum Offertorium curam habebit portandi Ampullas, sive Urceolos vini, & aquæ super aliquo parvo bacili pariter dispositos, sequens immediate Subdiaconum Calicem, & Patenam ad Altare portantem; easdemque Ampullas ipsi Subdiacono porriget; & vino, & aqua ex illis in Calicem immissis, eis ad Abacum reportabit; & demum easdem ad Altare post Communionem, iterum pro purificatione afferet, & pariter ad Abacum reportabit.

## COMMENTARIUS.

I. DUo proprie ex sua ipsorum Ordinatione sunt Acolythorum officia, deferre scilicet Ceroferarios, & vinum, ac aquam in Eucharistiam sanguinis Christi suggerere, uti fuse explicuimus Tomo I. Romani Pontificis ad Titulum VIII. constatque ex Synodo Carthaginensi IV. anni CCCXCVIII. Can. VI. De primo Acolythorum officio jam supra dictum est in Commentario ad §. VIII. agitur de altero in præsenti, ubi primo edicitur, ut *Acolythus*, *qui de ampullis servit*, *post lectum Offertorium*, *curam habeat portandi ampullas*, *sive urceolos vini*, *& aquæ super aliquo parvo bacili pariter dispositos*. Aliter olim servatam fuisse hanc cæremoniam, constat sane ex antiquis Ordinibus Romanis apud Mabillonium in Museo Italico Tomo II. & ex aliis Codicibus priscis Missalium, ac præsertim ex ms. Ordinario insignis Ecclesiæ Bajocensis apud Martene Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo XII. in quibus legimus, ampullas ipsas, sive urceolos vini & aquæ, non quidem super bacili ab Acolythis fuisse delatos, sed manibus, vestibus ordini suo tunc temporis congruentibus protectis.

II. Puto autem, recentiorem omnino esse cæremoniam, quam hic §. noster præscribit de portandis ipsis ampullis super bacili; etenim Paris de Crassis, qui floruit Seculo XVI. Lib. I. *De Cæremoniis*, Cap. XIII. loquens de officio septimi Capellani ampullas ministrantis, veteri Ecclesiarum cæremoniæ concinens, hæc habet: *Hic septimus Capellanus parum habet laboris*, *& operæ*, *quia solum debet sequi Subdiaconum post lectum Offertorium ab abaco ad Altare euntem*, *portans duas ampullas*, *vini in dextera*, *& aquæ in sinistra manibus Superpelliceo tectis*. Porro tametsi ex nostro hujus Rubricæ præscripto curandum sit Ministro de ampullis, deferre illas *super aliquo parvo bacili*, & quidem argenteo, si fieri potest, dispositas, docent tamen sacrarum Cæremoniarum Interpretes, etiam qui post editum Cæremoniale Episcoporum floruerunt, Castaldus, & Bauldryus, aliique etiam plures, debere illas velo cooperiri, & non prius ad Altare deferri, quam *facta a Credentiariis prægustatione*, uti docet laudatus Castaldus Lib. I. Sectione V. Cap. VIII. juxta præscriptum scilicet ejusdem nostri Cæremonialis Lib. II. Cap. VIII. §. LX. & juxta veterem Ecclesiæ praxim, cujus testem habemus etiam Crassum, qui loco citato ita concludit: *Numquam tamen vinum*, *vel aquam in ampullis prædictis a Credentiariis capit portandas ad Altare*, *nisi prius*, *& expresse viderit*, *factam fuisse credentiam*, *idest*, *prægustationem vini*, *& aquæ*, *quia ipse similiter de utroque apud Altare facturus est prægustationem*, *videnti Cardinale*; idest, Episcopo celebrante; inscripsit enim Crassus Libros suos, *De cæremoniis Cardinalium*, *& Episcoporum in eorum Diœcesibus*.

III. Ubi Minister ipse de ampullis post lectum Offertorium sequutus immediate Subdiaconum Calicem, & Patenam a credentia, sive ab abaco ad Altare portantem, detulit & ipse ampullas, mox illas *opportune ipsi Subdiacono porriget*, primo scilicet vini, tum aquæ; *& vino*, *& aqua ex illis in Calicem immissis*, *eas ad abacum reportabit &c.* Perspicua hæc sunt, sed audiamus, ut eam cæremoniam enarret Crassus: *Eas*, inquit, *ampullas dat eidem Subdiacono petenti*, *& similiter receptas reportet ad abacum simpliciter*

Digitized by Google

*citer. Item post communionem, unam tantum ampullam, scilicet vini pro purificatione, eo modo simpliciter ad Altare portet, quem det Diacono, & simili modo reportet ad abacum.* Ubi nota, ex sententia Crassi, *post communionem unam tantum ampullam, scilicet vini pro purificatione* esse deferendam; verum standum hodie omnino est præscripto nostri hujus §. jubentis ambas ampullas vini pariter ac aquæ *post communionem iterum pro purificatione* afferendas esse. Id quod etiam observare est infra Lib. II. Cap. VIII. §. LXXVII.

IV. Locus tandem Ministri de ampullis est regulariter ad credentiam, seu abacum, & stat prope primum Ceroferarium, nisi in aliis sit occupatus, potest enim & ipse, si tamen placet Cæremoniarum Magistro, cui omnes, ut suo loco dictum est, in divinis Officiis parere debent, ministrare etiam Gremiale, & Chirothecas, præsertim si pauci sint Ministri, ita ut si numerus Ministrorum sit exiguus, ipse possit tria hæc munia exercere, uti inter alios docet Bauldryus Parte V. Cap. XI. Articulo VIII.

## §. XI.

**Quatuor Ministri familiares, de quibus supra mentio habita est, serviunt ad lotionem manuum Episcopi, incipiendo a juniori, seu minus digno, unusquisque per ordinem vice sua: quater enim Episcopus in Missa solemni lavat manus; primo, antequam capiat paramenta; secundo, statim post lectum Offertorium; tertio, post incensationem oblatorum; quarto, & ultimo, post communionem.**

## COMMENTARIUS.

I. FAmiliares Episcopi, quos alii Scutiferos, alii Credentiarios vocant, licet tres sufficerent, *cum*, ut inquit Crassus Lib. I. Cap. XVI., *plures non dentur Cardinali in Capella Papali, sed cum quater sint manus lavandæ, ideo etiam quatuor poterunt esse ipsi Ministri, ætate, & habitu omnes laudabiles, ut supra de Capellanis dictum est, ex quibus singuli minus digni servient prius, deinde vero digniores, & sic quisque sua vice, cum genuflexionibus usque ad terram, Altari, Legato, & Cardinali celebranti, tam in eundo, quam in redeundo &c.* Habes hic explicatam non modo Rubricam hujus §. XI. sed etiam §. II. quantum ad hosce familiares attinet, de quibus ita legitur in ipso II. §. *Reliqui quatuor poterunt esse Cubicularii, sive familiares Episcopi Clericali habitu, sed sine Cottis stantes apud abacum.* Assistere ergo debent decenter induti *Clericali habitu*, & consequenter veste talari, & nigra, non autem habitu brevi nec cum calcaribus, & armis, nec induti esse debent ad modum laicorum diverso colore, sed tamen *sine Cottis*, ut ibidem præcipitur.

II. Regulariter quatuor isti familiares ex Rubrica sequentis §. stare ad Credentiam debent, dicti iccirco *Credentiarii*, inter eam scilicet, & parietem, nudo capite, & facie ad Episcopum conversa; nec inde debent discedere, nisi quando Episcopum exuunt, & calceant communibus indumentis, & calceamentis, & maxime dum aquam pro manuum lotione ministrant, ut loco citato tradit Crassus. Horum itaque præcipuum munus est inservire *ad lotionem manuum Episcopi, incipiendo a juniori, seu minus digno, unusquisque per ordinem vice sua: quater enim Episcopus in Missa solemni lavat manus*; & quidem ex ritu antiquo: *primo antequam capiat paramenta*, sedens scilicet in Secretario deposita Cappa, & tecto capite, ut alias dictum est, ejusque primæ ablutionis faciendæ ab Episcopo antequam ad Altare accedit, non modo Scriptores sacrarum Cæremoniarum, sed & prisci Ecclesiæ Patres meminere, quos legere est apud Stephanum Durantum, Lib. II. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. XXVIII. *Secundo, statim post lectum Offertorium*, in sua Sede cum Mitra sedens; eamque cæremoniam, sicut & primam docent ipsi sacrarum Cæremoniarum Scriptores. *Tertio post incensationem oblatorum*, ad Altare cum Mitra, ejusque ablutionis, sicut & primæ meminit inter alios Durandus Lib. IV. Cap. III. & XXVIII. *Quarto & ultimo post communionem*, stando cum Mitra; de eaque ablutione Auctores etiam liturgici passim disserunt, inter quos videri potest Eminentissimus Bona Lib. II. *Rerum liturgicarum*, Cap. XX. Num. I. Sed de his nos alias fusius. Admonendum hic, esse superfluam aliam manuum lotionem, quæ alicubi fit ab Episcopo, postquam celebrata Missa, sacris paramentis se exuit; quia scilicet ad differentiam ceterorum Sacerdotum, jam apud Altare manus lavit.

III. Denique omitti hic illud non debet, quod idem Crassus docet, familiares ipsos aquam pro manuum lotione ministraturos, pro actu primo euntes genuflectere ante debere usque ad terram; inde ante Altaris Crucem in eodem loco manentes; tum ante Celebrantem, ubi sic permanentes infundunt aquam prægustatam; denique vero facta lotione cum eisdem reverentiis *Ordine retrogrado* ad locum suum reverti. Porro aquæ istius prægustatio ex nostro Cæremoniali infra §. sequenti, fit quidem, si Celebrans *est Cardinalis*. Non debent autem isti familiares, seu credentiarii ministrare mappam ad extergendas manus Episcopi, ut non recte alicubi fieri vidi, sed semper, aut Presbyter assistens, aut alii Clerici id præstare debent, ut infra suis locis dicetur. Nec valet in his consuetudo, tam expresse contra Cæremoniale aliter præscribens, ut scite docet Bauldryus

Digitized by Google

dryus Parte v. Cap. xi. Articulo xv. Num. iv. postquam dixit supra Num. iii. cavendum esse familiaribus prædictis, ne aquam lotionis in terram projiciant, sed in pelvi prope credentiam ad id præparata effundant. Id quod etiam tradit Castaldus Lib. i. Sectione vi. Cap. xv. Unum ego addiderim, curandum esse Episcopo, ut ii, qui ad lotionem manuum sunt ipsi inservituri, illustriores sint, *ætate*, *& habitu omnes laudabiles*, ut ait Crassus, cujus tamen rationem, quam affert, non probo; tradit enim, quod *istis credentiariis datur incensum*, *& pacis osculum tamquam ministris egregiis*, *in ordine*, *& vice sua*. Sed de hac re nihil prorsus Cæremoniale nostrum præscribit, ideoque ritus ipse, quem docet Crassus, minime servandus.

## §. XII.

Si Celebrans esset S. R. E. Cardinalis, vel Archiepiscopus, aut Episcopus valde insignis, possent ad hujusmodi ministerium ablutionis manuum ipsius Celebrantis invitari aliqui ex Magistratu, vel Proceribus, & Nobilibus viris illius Civitatis, qui velo sericeo circum spatulam extenso, duas argenteas lances, seu fontes, si commodum erit, vel bacile, & buccale, cum aqua odorifera, extremitate ejusdem veli coopertos, suo tempore ministrent, præeunte Clavigero, seu Mazzerio cum clava argentea, si est Cardinalis; quo casu convenit etiam, prægustationem dictæ aquæ fieri apud abacum a Ministris, vel Scutiferis, illam ipsi Nobili exhibentibus; omnesque prædicti, sive ex Familiaribus Episcopi, sive ex Nobilibus Civitatis sint, eundo, & redeundo genuflectent usque ad terram ante Altare, ante Legatum, si adsit, & ante Episcopum; sed præsente Legato Cardinali, Cardinali non Legato, vel Metropolitano, non ita profunde ante Episcopum genuflectant. Eorum locus, si fuerint ex familiaribus Episcopi, erit apud abacum, ubi stabunt inter mensam, & murum, nisi abacus ipse adhæreat parieti, capite semper detecto, & versa facie ad Episcopum; si ex Magistratu, vel ex Nobilioribus Civitatis, sedebunt in loco pro ipsis deputato extra Presbyterium, unde suo tempore per Cæremoniarium vocabuntur, & associabuntur euntes, & redeuntes. Iidem Ministri adhibentur, si Episcopus celebrans non sit proprius illius Civitatis, perinde, ac si in propria Ecclesia celebraret, excepto Acolytho de Baculo pastorali, nisi hujus usum ei concederet loci Episcopus. Dicti omnes Ministri necessarii sunt etiam in Missis, non per Episcopum celebratis, in Ecclesiis collegiatis, præter illos, qui ministrant Mitram, Baculum pastoralem, & Gremiale, quæ sunt Episcopalis dignitatis propria. Familiares autem minime sunt necessarii, cum nec abacus, aut mensa erigatur, sed ad ablutionem manuum Celebrantis post Offertorium serviet Acolythus.

## COMMENTARIUS.

I. AGitur & in hoc §. iterum de officio Credentiariorum, qui scilicet S. R. E. Cardinali, vel Archiepiscopo, aut etiam Episcopo valde insigni solemniter Celebranti inserviunt: *Possent*, inquit, *ad hujusmodi ministerium ablutionis manuum ipsius Celebrantis invitari aliqui ex Magistratu*, *vel Proceribus*, *& Nobilibus illius Civitatis*, *qui*, scilicet tunc ipsi, non vero Scutiferi, seu familiares Episcopi, *velo sericeo*, oblongo scilicet, ut notat Castaldus Libro II. Sectione II. Cap. v. *circa spatulas extenso*, *duas argenteas lances*, *seu fontes*, *si commodum erit*, *vel bacile*, *& buccale*, *cum aqua odorifera*, quæ potest esse *rosea*, seu alias, *ut libuerit*, ex Crasso, admista scilicet aqua communi, ut notat Bauldryus, *extremitate ejusdem veli coopertos suo tempore ministrent*, facta scilicet prius prægustatione dictæ aquæ apud abacum a Ministris, vel Scutiferis illam nobili viro exhibentibus, qui etiam advertere debent, ne aquam lotionis in terram projiciant, sed in aliqua pelvi prope credentiam ad id præparata effundant. Verba illa, *vel bacile*, *& buccale*, addita sunt huic §. in novo nostro Cæremoniali, nam in antiquis ita quidem legebatur, *duas argenteas lances*, *seu fontes*, *si commodum erit*, *quos bacilia vocant &c.*

II. Ubi ipsi Nobiles ministraturi sunt aquam Episcopo, si is sit S. R. E. Cardinalis, accedent ad illum, *præeunte Clavigero*, *seu Mazzerio cum clava argentea*, ac etiam comite Cæremoniario, juxta ritum Pontificiæ Capellæ, de quo mox infra, imo & juxta Rubricam nostri hujus §. ubi edicitur, Nobiles ipsos aquam ministraturos per Cæremoniarium vocari, & associari euntes, & redeuntes. Omnes autem prædicti, ut ait hic §. noster, sive ex Familiaribus Episcopi, sive ex Nobilibus Civitatis sint, eundo, & redeundo genuflectent usque ad terram ante Altare, ante Legatum, si ad-

Digitized by Google

si adsit, & ante Episcopum celebrantem, ubi esset præsens S. R. E. Cardinalis Legatus, vel etiam Cardinalis non Legatus, aut proprius Metropolitanus, juxta regulam non modo in hoc nostro præsenti §. sed alias etiam traditam, & allegatam frequenter a Crasso, Castaldo, Bauldryo, ac ab aliis passim Sacrarum Cæremoniarum Expositoribus in eorum Cæremonialibus.

III. Ritus hucusque explicatus, quo scilicet Nobiles aquam ministrant ad lotionem manuum Episcopi, desumtus videtur a Ritu Pontificiæ Capellæ, licet is cum solemnioribus Cæremoniis ob summam Pontificis Maximi dignitatem, ac majestatem peragatur, quem ita quidem describit Patricius in suo Cæremoniali Lib. III. Sectione V. Cap. IV. Princeps nobilis, sive Orator, qui aquam ferre debet ad lavandum manus Pontificis, in tempore vocatur a Cæremoniario, & a duobus servientibus armorum conducitur ad credentiam Papæ, & cum eo duo Auditores Rotæ, huic apud credentiam imponitur circa collum mappula sericea longa, quæ utrinque ante pectus ei dependet, manu dextera capit inferiorem pelvim, in quo Credentiarius aquam imponit in vasculum, quam Credentiarius prægustando bibit; tum sinistra manu capit superiorem pelvim, & a Magistro Hospitii, vel Scalco Papæ cooperiuntur pelves mappula a dextera parte pendente. Tum elevatis manibus cum pelvibus usque ad oculos, adjuvantibus hinc inde Magistro Hospitii, & Scalco Papæ, vel saltem altero, si alter abest, ad Pontificem proficiscitur hoc ordine.

IV. Primo præcedunt duo servientes armorum, hos sequuntur Cæremoniarii, qui genuflexiones, & gestus ostendunt, tum duo Auditores, quorum senior portat duabus manibus mantile, quod a Credentiario acceperat, illo prius ab eo osculato; demum Nobilis cum pelvibus aquæ, medius, ut diximus, inter Magistrum Hospitii, & Scalcum. Cum transeunt ante Altare, omnes genuflectunt, & antequam ad Pontificem perveniant, tertio genu terram tangunt. Cum pervenerint ad ejus pedes, Auditor mantile deosculatum, deponit super genua Pontificis, & Diaconi assistentes illud explicant, & ipsi Auditores genuflexi hinc inde extremitates mantilis retinent. Cardinalis assistens interea, sive Episcopus, sive Presbyter, accedit ad Pontificem, & ponit manus ad pelves; Nobilis aquam portans, elevata superiore pelvi, positaque in loco inferiori, super ejus labium imponit pauxillum aquæ, quam prægustando sorbet; & deinde, adjuvante assistente Cardinali, infundit aquam super manus Pontificis in subjectam pelvim, dextera superiorem cum aqua, inferiorem sinistra, ubi aqua recipitur, retinens. Interim laici omnes circumstantes genuflectunt, Cardinales surgunt sine Mitris, Prælati surgunt detecto capite; lotis manibus Diaconi assistentes replicant mantile super manus Papæ. Nobilis iisdem reverentiis, & ordine revertitur ad credentiam. Auditor, reassumto mantili, cum socio sequitur Nobilem, & id reddit Credentiario, & revertitur ad locum suum.

V. Hactenus Pontificiæ Capellæ ritus, qui licet solemniori cum majestate peragatur, ob supremam scilicet Summi Pontificis dignitatem, multa tamen nos docet servanda etiam in lotione manuum Episcopi, quoties ipsi ministraturi sunt aquam aliqui ex Magistratu, vel Proceribus, & Nobilibus Viris illius Civitatis, qui ad eam lotionem peragendam invitari possent ex præscripto nostri §. Porro eorum locus, qui ministraturi sunt aquam abluendis Episcopi manibus, ex nostro eodem §. *si fuerint ex familiaribus Episcopi, erit apud abacum, ubi stabunt inter mensam, & murum, nisi abacus ipse adhæreat parieti, capite semper detecto, & versa facie ad Episcopum, si ex Magistratu, vel ex Nobilioribus Civitatis, sedebunt in loco pro ipsis deputato extra Presbyterium, unde suo tempore per Cæremoniarium vocabuntur, & associabuntur, euntes, & redeuntes*. Tradit autem Crassus nullum ex Credentiariis debere esse Cotta, aut Caputio indutum.

VI. Restat alia quædam exponere, quæ in hoc nostro §. præscripta sunt, ait enim, quod *iidem Ministri adhibentur, si Episcopus celebrans non sit proprius illius Civitatis, perinde ac si in propria Ecclesia, excepto Acolytho de Baculo pastorali*, nempe juxta clausulam huic §. in novo Cæremoniali adjunctam, per ea verba, quæ in antiquis Cæremonialibus ante hoc novum, jussu, & auctoritate Benedicti XIII. concinnatum, ac probatum editis, *nisi hujus usum ei concederet loci Episcopus*. Ubi enim Episcopus loci extero Episcopo facultatem præberet exercendi Pontificalia in sua Ecclesia, tunc ille, & Baculum adhiberet, & consequenter eidem inserviet Acolythus, sive Capellanus de Baculo. Ceterum, ut concludit tandem hic noster §. *dicti omnes Ministri necessarii sunt etiam in Missis non per Episcopum celebrantis in Ecclesiis Collegiatis, præter illos, qui ministrant Baculum pastoralem, quæ sunt Episcopalis dignitatis propria*. Addit, Familiares quoque minime esse necessarios, *cum nec abacus, aut mensa erigatur, sed ad ablutionem manuum Celebrantis post Offertorium serviet Acolythus*. Sed hæc minime intelligenda sunt de Abbatibus, qui multis jam ab hinc seculis gaudent privilegiis, exercendi Pontificalia more Episcoporum, juxta regulas tamen Pontificalis, ac Cæremonialis, præsertim vero juxta Decretum a Sacra Rituum Congregatione ordinaria habita coram sanctæ memoriæ Alexandro Papa VII. emanatum die XXVII. Septembris anni MDCLIX. quod est circa usum Pontificalium Prælatis Episcopo inferioribus concessorum, quodque nos integrum una cum aliis monumentis initio Tomi I. descripsimus; cum Legibus, & institutis Cæremonialibus Sanctissimi Domini Nostri Regnantis Papæ BENEDICTI XIV. jussu editis initio sui Pontificatus, unaque cum aliis generalibus ejusdem Sacræ Rituum Congregationis Decretis, quæ extant in calce veteris Cæremonialis Episcoporum Romæ editi anno MDCCXIII. & Clementi Papæ XI. dicati.

CAP. XII.

Digitized by Google

# CAP. XII.

*Ornatus Ecclesiæ in diebus festis, & solemnioribus splendidior esse debet, quam in aliis. Valvæ, porticus, & parietes Ecclesiæ, Sedes Episcopi, & subsellia, quibus ornamentis instrui debeant. Apparatus Altarium. Ubi, & quo ordine, collocanda sint paramenta Missalia pro Episcopo. Quid observandum circa ornatum Ecclesiæ, Episcopo non celebrante, & in Collegiatis Ecclesiis.*

## §. I.

Quia regulariter in Ecclesia solemnia sacra peraguntur, consentaneum est, ut de ejus ornatu, ac de Officiis, & Sacrificiis, quæ ibidem fiunt, sermo nunc habeatur. Igitur habenda est ratio in iis ordinandis, temporis, & loci, ac personarum. Decet enim, ut in diebus festis splendidior appareat, quam in aliis non festivis, eoque magis, quo ipsi dies festivi erunt solemniores. Sic major etiam cura adhibenda erit in ornatu Ecclesiæ Cathedralis, aut Collegiatæ, quæ & numerosum Clerum habeat, & supellectilem amplam, quæve congruenter situata, & in suis partibus apte distincta, commodiorem ornandi præbeat facultatem.

## §. II.

Personarum etiam, quæ ad Ecclesias in Celebritatibus conveniunt, & divinis Officiis præsunt, aut intersunt, dignitas, prout major, vel minor erit, majorem, minoremve apparatum exposcit.

## COMMENTARIUS.

I. QUamquam coæva sint nascenti Christianæ Religioni domestica, & privata Oratoria, in quibus, ut alias dictum est, hodieque Missæ celebrantur; quia tamen *regulariter in Ecclesia solemnia sacra peraguntur*, consentaneum merito nostrum Cæremoniale esse censuit, *ut de ejus ornatu, ac de Officiis, & Sacrificiis, quæ ibidem fiunt, sermo nunc habeatur*. Non defuerunt autem hæretici, qui sicut Templorum constructionem, ita & eorum ornatum contemnerent, ut late ostendimus tum alibi sæpe, tum Tomo II. Romani Pontificalis ad Titulum I. *De benedictione, & impositione primarii lapidis pro Ecclesia ædificanda*. Ergo ut ad §. hunc nostrum deveniamus, *habenda est*, inquit, *ratio in iis ordinandis, temporis, & loci, & personarum. Decet enim, ut in diebus festis splendidior appareat, quam in aliis non festivis, eoque magis, quo ipsi dies festivi erunt solemniores*.

II. Veteris disciplinæ de vestiendo Templo pretiosiori ornatu festis, solemnioribusque diebus, testem inter alios antiquos Patres habemus S. Leonem Magnum, Pontificem Maximum Sermone III. *De Quadragesima*, ubi diserte inquit, festis istis diebus solemnioribusque familiare fuisse Fidelibus, ut gestientis animi lætitiam ad Christi carnis mysterium proderent, paulo exquisitiore cultu, & veste ornari, uti & Presbyteri, ac Episcopi tum pretiosiori ornatu Ecclesias vestiebant: *Si enim*, inquit, *rationabile, & quodammodo religiosum videtur, per diem festum in vestitu nitidiore prodire, & habitu corporis hilaritatem mentis ostendere; si ipsam quoque Orationis domum propensiore tunc cura, & ampliori cultu, quantum possumus, adornamus: nonne dignum est, ut anima Christiana, quæ verum vivumque Dei Templum est, speciem suam prudenter exornet, & Redemtionis suæ celebratura sacramentum, omni circumspectione præcaveat, ne ulla eum macula iniquitatis obfuscet, aut duplicis cordis ruga dedecoret*.

III. Constat itaque ex S. Leone, morem esse antiquum ornandi Ecclesias exquisitiori apparatu diebus solemnioribus, ut ornatus scilicet isti decentiores muta essent quodammodo magisteria, quibus subinde admonentur Fideles, ut quemadmodum Ecclesiæ ipsæ solemnioribus diebus propensiore cura, & ampliore cultu ornantur, ita & ipsi tunc præsertim temporis animæ venustatis cupidiores tanto sint, quanto hæc una vere venustas est, quæ a virtutibus proficiscitur. Sed audiamus iterum sanctissimum æque, ac eloquentissimum Pontificem ita in exordio memorati sermonis loquentem: *Semper quidem nos dilectissimi, sapienter, & sancte vivere decet, & in voluntates nostras actionesque dirigere, quod divinæ novimus placere justitiæ. Sed cum ii appropinquant dies, quos illustriores nobis salutis nostræ sacramenta fecerunt, diligentiore sollicitudine corda nostra sunt mundanda, & studiosius exercenda est disciplina virtutum, ut sicut ipsa Mysteria quadam sui parte majora sunt, ita & nostra observantia superet in aliquo consuetudinem suam; & cui Festivitas est celebranda sublimior, ipse quoque in ea reperiatur ornatior*. Idem est & aliorum Patrum sensus,



Digitized by Google

ſus, quos longo agmine affert eruditiſſimus Thomaſſinus in celebri Opuſculo, *De dierum feſtorum celebratione*, Lib. III.

IV. Jam non modo temporis, ſed & loci quoque, ac perſonarum in Templorum ornatu habenda eſt ratio; & ut ait §. noſter, *major etiam cura adhibenda erit in ornatu Eccleſiæ Cathedralis, aut Collegiatæ, quæ & numeroſum Clerum habeat, & ſupellectilem amplam, quæve congruenter ſituata, & in ſuis partibus apte diſtincta, commodiorem ornandi præbeat facultatem*. Idipſum plane docent Caſtaldus, Bauldryus, aliique Auctores, eaque deberet eſſe Præſulum diligentia, ut Eccleſiæ Cathedrales, Collegiatæque iis præditæ eſſent dotibus, quas hic §. noſter recenſet; verum multæ adhuc ſunt, in quibus, gravi Præpoſitorum oſcitantia fœdave avaritia quærentium, quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, neceſſaria etiam deeſt ſupellex. Certe narrat Bellarminus Lib. II. *De gemitu columbæ*, Cap. v. quod cum aliquando ex itinere apud Epiſcopum nobilem, & prædivitem hoſpitaretur, vidit aulam vaſis argenteis ſplendidam, & menſam omni genere præſtantium ciborum refertam; mappas quoque, & reliqua omnia nitida, & odorem ſuavem ſpirantia; ſed cum die ſequenti ſummo mane ad Eccleſiam Palatio contiguam deſcendiſſet, ut ſacris operaretur, invenit omnia contraria, ideſt, vilia, & ſordida, ut vix auderet in tali loco, & cum tali apparatu divina myſteria celebrare.

V. Recte inſuper noſtrum Cæremoniale in §. II. ait, quod *Perſonarum etiam, quæ ad Eccleſias in celebritatibus conveniunt, & divinis Officiis præſunt, aut interſunt dignitas, prout major, vel minor erit, majorem, mineremve apparatum expoſcit*. Itaque ubi Epiſcopi divina Officia Pontificaliter celebrarent, iiſve aſſiſterent, vel ad eadem Principes Viri, aut Magiſtratus convenirent, majori certe apparatu ornanda eſt Eccleſia, ſicut mos eſt in Eccleſiis inſignioribus, quæ etiam aliquando non ſine abuſu, & ingenti redituum Eccleſiaſticorum jactura, more aularum Magnatum parari ſolent. Abuſus autem hujuſmodi alicubi potiſſimum in Eccleſiis Monialium graſſari ſolet, cui tollendo tametſi aliquando zeloſiores Epiſcopi operam ſuam impenderint, importunitate nihilominus Monialium victi operam ipſam perdidere. Sed tollendus omnino eſt nimii, ac indecentis ornatus Eccleſiarum abuſus, ex quo duo plerumque oriuntur abſurda, & quidem ſumma. Unum nempe, quod nonnulli, ut inde gloriolam captent, ære alieno gravantur ipſi, vel gravant Eccleſiam; aliud, quod Fideles ut plurimum Eccleſiam adeuntes, attoniti ad contemplandum ornatum illum aulicum, nec tantiſper genua flectunt ad Sanctiſſimum Sacramentum adorandum, quod in Tabernaculo aſſervatur, multoque minus ad venerandum Sanctum, in cujus honorem ornata eſt Eccleſia. Commendamus itaque ornatum probatum a ſacris Canonibus, atque a Summis Pontificibus, & prudentibus Eccleſiarum Præſulibus, noviſſime vero a noſtro Cæremoniali, non vero aulicum, non indecentem, non theatralem.

## §. III.

Si igitur Feſtivitas erit præcipua, & de ſolemnioribus illius Eccleſiæ, primum a parte exteriori ornandæ erunt valvæ ipſius floribus, ramis, & frondibus virentibus, bracteolis, aut faſciis diverſi coloris, appenſis, vel colligatis, quo ſplendidius pro locorum conſuetudine, ac temporum qualitate fieri poterit; ſupra vero portæ ſuperliminare imago Sancti, vel Sanctorum, quorum dies feſtus agitur, pariter ornata, & ſub illis inſignia Summi Pontificis, Legati, Cardinalium, aut Nuntii Apoſtolici, Epiſcopi, Reipublicæ, Principis, aut Civitatis, pro libito ponentur, ſervando in eorum poſitione ordinem dignitatum: inferioris vero ordinis hominum, maxime laicorum, inſignia non ſunt apponenda.

## COMMENTARIUS.

I. TEmplum, Altaria, ſacras Imagines, ſanctarumque Reliquiarum thecas conſueviſſe jam olim ornari floribus, præſertim in celebri, feſtoque die, luculentiſſime oſtendit admirabilis Scriptor Antonius Caracciolus Clericus Regularis in Notis ad Conſtitutiones ſui Ordinis, Parte I. Cap. III. moriſque ejus veſtigium videre eſt in Pſalmo CXVII. ubi Regius Vates ita inquit: *Conſtituite diem ſolemnem in condenſis uſque ad cornu Altaris*; hoc eſt, ut eruditus alter Ordinis Clericorum Regularium Scriptor Agellius e Symmaco, & LXX. adnotat: *Diem feſtum agentes, Templum denſis frondibus, florumque ſertis ornate uſque ad Altaris angulos*. Hebræis itaque mos iſte ſolemnis fuit, qui etiam, cum flores per hyemem deeſſent, ramos, frondeſque ſufficiebant. Ita ad ingreſſum Simeonis Machabæi in arcem Hieroſolymitanam, uti habetur Lib. I. Machabæorum, Cap. XIII. Feſtivitatem celebrarunt. Chriſtum item Hieroſolymam regaliter ineuntem ſimiliter exceperunt, teſte S. Matthæo in Euangelio, Cap. XXIII.

II. E Judæis igitur, ut ſcite autumat memoratus Caracciolus, ad nos ornatus iſte, & pleraque alia tranſiere. Sanctorum Martyrum Ædes, atque Altaria floribus inſpergi ſolita, ſæpe S. Auguſtinus Lib. XXII. *De Civitate Dei*, Cap. VIII. & ſeqq. aliique Patres, atque Hiſtorici meminere. S. Gre-

Digitized by Google

S. Gregorius Nazianzenus ante Beatæ Mariæ icunculam ita canit.

*Ego fretus his tibi me ardentius*
*In verba supplex offeram, & suavissimo*
*Contextam ab horto, qua tuum exornes caput,*
*Coronam, o Domina, proferam.*

Gregorio synchronus Prudentius rosis, floribusque aliis, sacrorum ossium thecas, sive aras, vel media hyeme purpurandas piissime meditatur Hymno III. Peristephanon, dicens:

*Carpite purpureas rosas,*
*Sanguineosque crocos metite:*
*Non caret his genialis hyems,*
*Laxat & arva tepens glacies,*
*Floribus ut tumulet calathos.*
*Sic venerarier ossa libet.*
*Ossibus altar & impositum.*

Servatur hodieque hæc disciplina, ut in Festis solemnioribus vel ipsæ valvæ Ecclesiæ, juxta nostri §. hujus præscriptum, *floribus, ramis, & frondibus virentibus, bracteolis, aut fasciis diversi coloris, appensis, vel colligatis, quo splendidius pro locorum consuetudine, ac temporum qualitate fieri potest, a parte exteriori ornentur.*

III. Commendat hunc ritum exornandi inter alia solemnioribus Festis valvas Ecclesiæ in Actis Ecclesiæ suæ Mediolanensis S. Carolus Sacrorum Rituum, ac Cæremoniarum peritissimus, sed lubet hic locum describere ex ejus Concilio v. Provinciali Mediolanensi, Cap. *Quæ ad dies Festos, & sacra tempora pertinent*, ubi etiam ritum illum esse longe antiquum affirmat, usu Romano comprobatum, & a S. Hieronymo laudatum: *Sicut in anniversariis Solemnitatum sanctioribus Celebritatibus festivis canimus laudes, solemniusque Ecclesiastica celebrantes Officia, modulamur organis, preciosioriqne vestium apparatu induimur; ita diligenter nos domus Dei decorem, & locum habitationis gloriæ ejus, curare debemus, ut quo spiritualis lætitiæ nostræ manifestiora signa demus, divinorum beneficiorum, quæ iis potissimum solemnitatibus recolimus, memoria excitati, Templa etiam ornatiora, quam aliis diebus appareant, tum ad augustiorem cultum, tum ad Fidelium consolationem. Itaque die Natali Domini, & reliquis quatuor deinceps festis diebus, in Epiphania, Pascha Resurrectionis, in Ascensione, tribus Pentecostes diebus, in solemnitate Corporis Domini, festoque die sancti Patroni, Ecclesiarum Cathedralium, Collegiatarum, Parochialium præsertim insignium, curet Præfectus uniuscujusque Ecclesiæ, pro locorum ratione, proque facultatibus, ut januæ, quemadmodum veteris instituti est, usuque Romano comprobati, & a Beato Hieronymo laudati, frondibus etiam ornentur, prout tempora tulerint &c.* S. Hieronymi testimonium laudantis Nepotianum Presbyterum, quod Ecclesiæ Basilicas diversis florum, & arborum comis, vitiumque pampinis adumbraret, a nobis superius allatum est, ubi egimus de Officio Sacristæ Cap. VI.

IV. Ritum quoque esse antiquum, ac pium, ut in ipsis festis diebus solemnioribus, *super Portæ superliminare imago Sancti, vel Sanctorum, quorum dies festus agitur, pariter ornata, & sub illis insignia Summi Pontificis, Legati, Cardinalium, aut Nuntii Apostolici, Episcopi, Reipublicæ, Principis, aut Civitatis pro libito*, ponantur, ex eodem S. Carolo addiscimus, qui in memorato Concilio Provinciali v. Mediolanensi, Cap. cit. postquam dixit, ut *parietes interiores, atque intercolumnia peristromatis, aulæis, tapetibus, sacrarumque Imaginum tabulis exornata sint*, ita statim addit: *Quo in apparatu, ornatuque sacræ Imagines etiam in ipsis foribus adhibeantur*; deinde vero mox etiam subdit: *Insignia vero, & alia profana absint*. Iis nimirum exceptis quæ laudabili Ecclesiarum consuetudine, & ex nostro Cæremoniali permittuntur, qualia sunt, *Reipublicæ, Principis, aut Civitatis* insignia; si scilicet Princeps sit absolutus, ut ajunt, & non recognoscat superiorem, non enim hic Principis nomine intelligi debent Barones veris Principibus subjecti, licet alias plerique illorum inter alios titulos specioso etiam Principum nomine appellitentur. Porro *inferioris ordinis hominum, maxime laicorum, insignia non sunt apponenda*, ex præscripto nostri hujus §. quod tamen intelligendum est, nisi adsit immemorialis consuetudo ex decreto Sacræ Rituum Congregationis in Perusina XXIII. Martii MDCII. apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. CDXXIV. Sacra enim ipsa Congregatio edixit, Archipresbyteri insignia in Valvis Ecclesiæ cum in Festivitatibus ornantur, apponi minime debere, nisi adsit immemorialis consuetudo.

## §. IV.

**Si Ecclesia habebit porticum, congruum erit etiam illam pannis aliis pulcris ex serico, sive ex corio, ex aliave honesta materia confectis, seu elaboratis, prout haberi poterunt, exornari; in quibus tamen picturæ intextæ, seu pictæ, non sint profanæ, vel indecentes; quod & in aliis pannis, in apparatu interiori, & exteriori Ecclesiæ observandum erit; & maxime ut non ponantur ibidem ullæ effigies, nisi Sanctorum, vel Summorum Pontificum.**

## COMMENTARIUS.

I. EXtant hodieque Ecclesiæ veteres tum in Urbe, tum alias, porticus suas ex prisco Ecclesiæ ritu habentes. Porticus etiam ipsas pannis pulcris ex serico, sive ex corio, aliaque honesta materia confectis, seu elaboratis, prout haberi poterunt, congruum erit,



Digitized by Google

juxta §. nostri literam, & praxim omnium fere Ecclesiarum, quibus pii Rectores præsunt. Sed notanda omnino sunt, atque observanda, quæ mox noster idem §. subdit, de eisdem pannis in Ecclesiæ porticibus sic dicens: *In quibus tamen picturæ intextæ, seu pictæ, non sint profanæ, vel indecentes*. Sane si hujusmodi picturæ præsertim indecentes, & quæ oculos perstringunt, mentem corrumpunt, & ad turpium voluptatum movent incendia, a secularibus domibus ablegandæ sunt, uti fuse ostendimus in Commentario nostro ad Canonem c. Trullanum; quanto magis a Porticibus Ecclesiarum eliminari debent, multoque magis ab ipsis Ecclesiis, in quibus nihil debet esse profanum, juxta innumera pene Conciliorum Decreta, quæ tamen non semel oscitantia Rectorum Ecclesiarum temere, & non sine Fidelium scandalo negliguntur. Notum enim est, in multis Ecclesiarum Porticibus, dum solemniora earum Festa celebrantur, variarum imaginum tabulas poni profanarum etiam atque indecentium, ut ab iis qui ad Celebritatem confluunt cum plausu cernantur. Utinam Ecclesiarum Præsules abusui huic occurrant, argumento Legis 1. §. II. ff. *Nequid in loco sacro &c.* qua cautum est, curare debere Prætorem, nequid incommodi, & deformitatis in loco sacro fiat.

II. Quod hactenus de apparatu porticus dictum est, id *& in aliis pannis, in apparatu interiori, & exteriori Ecclesiæ*, ex eodem hoc nostro §. *observandum erit, & maxime, ut non ponantur ibidem ullæ effigies, nisi Sanctorum, vel Summorum Pontificum*. Perspicua hæc quidem sunt, sed consuetudo tamen invaluit, ut in interiori apparatu Ecclesiarum etiam Urbis non modo Imago Summi Pontificis, sed & Cardinalium, ac Regum quoque, & Reginarum conspiciatur. Porro labente Seculo XIII. Cardinalium viventium Imagines non jam in Ecclesia, sed, ut mireris, supra ipsum Altare collocari consuevisse, docet Clarissimus Mabillonius Præfatione in Seculum IV. Benedictinum, Num. CLXXXV. ex literis Gerardi Episcopi Sabinensis, & Benedicti S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconi Cardinalis anno MCCXC. datis, quibus ob sententiam inter Archiepiscopum, & Capitulum Remensis Ecclesiæ ab se pronuntiatam decernunt, ut suæ amborum Imagines argenteæ *pretii quingentarum librarum Turonensium ad minus* fiant, supra majus Altare singulis solemnibus Festivitatibus exponendæ; *& ambæ ipsæ Imagines sint Mitratæ*.

III. Sed ut rem altius repetamus, fuisse jam olim Romæ jus Imaginum, pluribus docet Sigonius Lib. II. *De antiquo jure Civili Romanorum*, & post eum Lipsius Lib. I. *Electorum*. Ajunt autem, Romæ alios fuisse nobiles, quorum nempe Majores Curulem Magistratum gesserant, & ita eorum habebant Imagines: alios fuisse novos, qui per se, & ex sola virtute sua cogniti Magistratum illum gerere cœperant, sicque tantum erant unius Imaginis: alios fuisse ignobiles, qui erant sine Imaginibus, quod nec ipsi, nec eorum Majores Curulem Magistratum gessissent. Ajunt præterea, & in domorum atriis expositas fuisse Imagines illas, & in funeribus elatas; sed iis addendum, & quod olim scutis, aut clypeis continerentur, & postmodum velis, quodque in ipsis etiam Templis appenderentur. Utrumque enim adstruit Plinius Libro XXXV. Historiæ naturalis, Cap. III. his verbis: *Posuit*, Appius Claudius, *in Bellonæ æde Majores suos, placuitque in excelso spectari, & titulos honorum legi*. Nec multo post: *Scutis enim, qualibus apud Trojam pugnatum est, continebantur Imagines*. Idem testatur Plautus in Querolo, *Isti sunt*, inquiens, *qui in Fanis, & Sacellis observant vela, & limina*.

IV. Ea vela Exodi Capite XXXVIII. dicuntur tentoria, in quibus opere plumario describebantur tituli potentiorum, & depingebantur nobilium Imagines, ut docet Salmasius ad Vopiscum, & post eum eruditus Roye Lib. I. *De juribus honorificis in Ecclesia*, Cap. VIII. ubi etiam affert egregium locum S. Epiphanii in Epistola ad Joannem Hierosolymitanum Episcopum, quæ est sexagesima inter Epistolas S. Hieronymi. Constat enim ex ea Epistola consuevisse in Ecclesia IV. Christi sæculo appendi Imagines Potentiorum: *Cum interrogassem*, inquit, *quis locus esset, didicissemque, esse Ecclesiam, & intrassem, ut orarem, inveni ibi velum pendens in foribus Ecclesiæ*. Tum paucis interjectis: *Cum ergo hoc vidissem in Ecclesia Christi, contra auctoritatem Scripturarum, hominis pendere Imaginem &c.* Eadem fere omnia, quæ apud Gentiles, invaluerant ea in re apud Christianos, quibus innata est eadem honoris cupiditas, quæ omnibus aliis hominibus. Ceterum monumenta illa, nempe *tituli*, & *imagines*, simpliciter apud Scriptores, frequentius vero apud S. Augustinum, dicuntur *vela*; sicque continens pro contento, ut scite observat memoratus Roye loco citato laudati Opusculi, *De juribus honorificis in Ecclesia*.

V. Porro nostro huic §. apprime concinunt, quæ inter alios, in Actis Ecclesiæ suæ Mediolanensis, S. Carolus de aulæis ipsis edixit: *Aulæa in ornanda Ecclesia, sive ex corio, sive ex lana constent, ne profanis imaginibus humanis, aut belluarum picturis, sed religiosis, piisque figuris Mysterii sacri historiam significantibus, & iis potissimum, quæ Christi Domini, vel Sancti, cujus nomine Ecclesia, Capellave nuncupatur, res gestas exprimunt*. Rursus ne aulæa ipsa Ecclesiæ addicta, ad domesticum usum adhibeantur, edixit jam in Concilio IV. Provinciali Mediolanensi, Cap. *Quæ ad Sanctorum cultum, sacrorumque temporum celebritatem pertinent*, his plane verbis: *Caveant Ecclesiarum Rectores, aliive Ministri, ne aulæa, peristromata, tapetia, aliaque supellectilis, & ornamentorum genera, Ecclesiæ, aut Sacristiæ addicta, ad domesticum usum ullo modo unquam adhibeant, nec vero aliis utenda dent*. Ea aliis commodare in multis Ecclesiis, illarum Rectores, seu Sacristæ vetiti sunt sub pœna anathematis, qui tamen deinde non erubescunt ab aliis Ecclesiis sacram Supelectilem, cujus ipsi indigent, emendicare.

§. V.

Digitized by Google

## §. V.

**Intus quoque, si fieri poterit, parietes Ecclesiæ similiter aulæis, tribunæ vero holosericis, aut nobilioribus cortinis, coloris cæterorum paramentorum, pro Festi qualitate contegantur.**

## COMMENTARIUS.

I. ESse & hunc antiquum morem, ut Ecclesiæ aulæis, seu peristromatis ornarentur, quæ scilicet, ut hodieque fieri assolet, parietibus appendi solebant, fidem facit in Vitis Romanorum Pontificum Anastasius Bibliothecarius, qui etiam aulæa ipsa antiquo vocabulo *vela* appellitat. Ait ergo, Gregorium III. vela serica alba fecisse ornata blatto circumquaque in Basilica pendentia. Eodem teste Auctore, & aliis, qui Vitas Pontificum Romanorum scripserunt, Zacharias quoque ex palliis sericis fecit vela pendentia inter columnas. Adrianus per universos arcus Basilicæ Principis Apostolorum fecit vela numero LXV. de palliis tyriis, atque fundatis. Idem in Basilica S. Mariæ ad Præsepe fecit vela numero XLII. & in Lateranensi per diversos arcus LVII. Plura in diversis Ecclesiis vela fecit Leo III. & in Basilica S. Pauli pendentia in arcubus XLIII. Paschalis fecit in Basilica Vaticana S. Petri vela de chrysoclavo per arcus Presbyterii habentia historiam de mirabilibus Apostolorum numero XLVI. Sergius II. obtulit cortinas Alexandrinas pretiosissimo opere contextas, & alia vela holoserica, & ex auro texta. Nicolaus tandem, ut alios omittam, fecit vela auro texta cum gemmis.

II. Servatum & in aliis Ecclesiis fuisse hunc ritum, ut vela in Templis, præsertim cum Festi dies celebrabatur, appenderentur, docet nos S. Paulinus in Natali III. S.Felicis hisce versibus.

*Aurea nunc niveis ornantur limina velis,*
*Clara coronantur densis Altaria lychnis.*
*Lumina ceratis adolentur odora papyris;*
*Nocte dieque micant; sic nox splendore diei*
*Fulget, & ipsa dies cœlesti illustris honore,*
*Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.*
*Nos quoque felices, quibus istam cernere coram,*
*Et celebrare diem datur, & spectare Patroni*
*Præmia; præstantique suis tam gaudia Christo*
*Gratari, & lætos inter gaudere tumultus.*

Egregium hoc S. Paulini carmen abunde nos docet, quo ritu Seculo Christi IV. quo ipse floruit, ornaretur Ecclesia, præsertim ubi solemnis sancti illius Patroni Festivitas celebrabatur. Neque vero in foribus tantum, sed per totam etiam Ecclesiam appedebantur vela, sive aulæa, uti ex superius dictis patet. Ornata autem potissimum fuisse velis Altaria, testis est Theodoretus Lib. I. *Historiæ*, Cap. XXXI. ubi loquens de Encæniis, seu consecratione Templorum, quæ a Constantino Magno Hierosolymis edificata fuerunt, divinum Altare inquit aulæis regalibus, vasisque aureis omni genere gemmarum collucentibus insignitum fuisse: *Ornabatur autem & divinum Altare regiis velis, & donariis aureis gemmatis*. Justinianus in Epistola ad Hormisdam Papam, se duo pallia serica eidem direxisse ait ad ornamentum Altaris Sanctorum Apostolorum. Adrianum quoque Pontificem Maximum fecisse vestes duas super Altare, majorem unam ex auro purissimo, atque gemmis, in qua erat expressa Dei Genitricis in Cælum assumtio; aliam vero de stauratio ornatam in ambitu blattis, testatur in ejus Vita Anastasius.

III. Erant vela ipsa Templorum sæpius Sanctorum Imaginibus insignita, maxime eorum, quibus offerebantur. Certe Evodius Lib. II. Cap. IV. *De miraculis S. Stephani*, meminit veli divinitus oblati cum Imagine S. Stephani Crucem gestantis, & draconem pede calcantis, quod ad memoriam S. Protomartyris suspensum est. Forte etiam de velis Imaginibus Sanctorum insignitis capienda sunt, quæ in Natali VI. S. Felicis scribit S. Paulinus:

*Cedo, alii pretiosa ferant donaria, meque*
*Officii sumptu superent, qui pulcra tegendis*
*Vela ferant foribus, seu puro splendida lino,*
*Sive coloratis textum fucata figuris.*

Vela ipsa Crucibus fuisse distincta, præter laudatum superius Evodii locum, testem etiam habemus Venantium Fortunatum, qui Lib. II. Carmine III. de Oratorio Crucis apud Turones per S. Gregorium Turonensem excitato ita scribit:

*Denique sancta Cruci hæc Tepla Gregorius offert*
*Dum pallas coperit signa gerendo Crucis.*

Idest, dum pallas Cruce insignitas cooperit, quod ex mente ejus est, dum Altare pallis Cruce insignitis cooperit, quas pallas mox vela vocat.

*Atque dicata Cruci condita vela placent.*

IV. Tandem quamvis, si fieri posset, Cæremoniale nostrum in hoc §. mandet, aulæa ipsa, quibus diebus festis parietes Ecclesiæ interius conteguntur, *coloris sint cæterorum paramentorum pro Festi qualitate*; sciendum tamen, ut plurimum olim vela ipsa, sive aulæa fuisse albi coloris, uti ex Anastasio constat, qui in Stephano IV. ita scribit: *Super Altare in Ecclesia S. Laurentii coopertorium fecit, & inter columnas Altaris dextera lævaque vela alba*. Idem in Leone III. de Templo S. Petri loquens: *Fecit vela alba holoserica majora tria, quæ pendent ante regias in introitu*. Crebra velorum coloris albi ante regias, seu majores Templi portas mentio apud laudatum Scriptorem in ipso Leone III. tametsi ibibem rubei coloris meminerit, coccineique etiam in Stephano IV. Quicquid sit, quamvis colorum distinctio in paramentis pro qualitate Festorum ab Innocentio III. primum, ut multi autumant, præscripta

Digitized by Google

scripta sit, mandetque hic §. noster ut ipsa distinctio in aulæis quoque observetur, quibus dum celebrantur solemnes, ac festi dies, parietes Ecclesiæ interius contegi solent, invaluit nihilominus consuetudo, ut Romæ passim in Ecclesiis, ubi Festa celebrantur, panni sericei rubri coloris adhibeantur, licet Sanctorum solemnitates agantur, quæ ex recepto dudum Ecclesiæ ritu colorem album requirerent. Quid de aulæis ipsis in Concilio IV. Provinciali, & in Actis Ecclesiæ Mediolanensis statuerit S. Carolus, vide nostrum ad præcedentem §. Commentarium in fine.

## §. VI.

**In primis autem Sedes Episcopalis, aliquanto etiam pulcrioribus sericis ornetur ejusdem coloris Festivitati congruentis. Similiter & Sedes Legati Apostolici, aut alterius Cardinalis, qui forte sacris officiis interesse debeat, ornamentis condecentibus præparabitur.**

## COMMENTARIUS.

I. MUlta de Cathedra, & Sede Eiscopali jam diximus nostro I. Tomo Romani Pontificalis in Prolegomenis Cap. V. acturi de eadem opportuniori loco inferius. Velo & ipsam fuisse jam olim ornatam, tum ex S. Paciano ostendimus, qui in Epistola II. ad Sympronianum, Novatiano exprobrat, quod *consecrante nullo linteatam Sedem* acceperit; tum etiam ex S. Augustino, qui in Epistola XXIII. ad Maximum Episcopum Donatistam inquit, *nec absidas gradatas, nec Cathedras velatas* cuiquam in tremendo Christi judicio profuturas. Omnium certe antiquissimum, ac celebre, quod de eo ritu afferri potest monumentum, legitur in Vita S. Cypriani per Pontium Diaconum scripta, Num. XVI. Loquens enim laudatus Auctor de accessu S. Episcopi ad Prætorium Proconsulis, *Illic*, inquit, *cum post iter longum nimio sudore madidatus sederet (sedile autem erat fortuito linteo tectum, ut & sub ictu passionis, Episcopatus honore frueretur) quidam ex thesserariis quondam Christianus res suas obtulit, quasi vellet ille vestimentis suis humidis sicciora mutare &c.*

II. Ritus itaque antiquus fuit, ut Sedes ipsa Episcopalis aulæis etiam ornaretur, eique veteri instituto §. is noster inhærens merito statuit, ut *Sedes Episcopalis aliquanto etiam pulcrioribus sericis ornetur ejusdem coloris Festivitati congruentis*. Colorum distinctionem ritus esse non ita antiqui, jam supra ostendimus; concinit nihilominus nostro §. & plurium seculorum praxis, & inter alios S. Carolus veterum Ecclesiæ rituum peritissimus, ac summe tenax, qui in Actis Ecclesiæ suæ Mediolanensis Parte IV. de vestitu Sedis Episcopalis ita inquit: *Sedes Episcopalis, ut a Patrum instituto collocatur loco conspicuo, atque illustri; ita vestitu decenti pro solemnitatum ratione ornari debet*. Tum mandat, ut *vestitus ejus sit e pannis sericis rasis, non villosis, nec auro, argentove intextis*. Et mox de gradibus illius loquens, ait tapetibus illos, pannisve laneis sterni debere. In Concilio autem Provinciali II. Decreto XIX. statuit, ne ad ejusdem Episcopalis Sedis ornatum pallia, aliaque sacra indumenta Altarium usui, & ornatui addicta, ullo modo adhibeantur.

III. Quantum ad Sedem Legati Apostolici, aut alterius Cardinalis, qui forte sacris officiis interesse debeat, ex præscripto hujus §. *ornamentis condecentibus præparabitur*, nempe præparabitur Sedes, *non cameralis, nec auro ornata*, inquit Crassus Lib. I. Cap. XXXIII. *ut sunt Sedes gestatoriæ, sed alta Cathedra cum postergali elevato circumquaque tapetibus, seu pannis sericis rasis, non autem villosis, nec ex auro textili ornata; gradus quoque tapetibus seu pannis, ut supra, ornatos, & tres pulvinos, videlicet unum serico villoso coopertum pro genuflexione, & alium similem pro accubitu habens, & tertium majorem pro sessione*. Ita Crassus citato loco, ubi agit de Sede Legati, & ejus positione; sed unum hic adnotabo, debere ipsam Sedem Baldachino etiam esse ornatam, ornamentisque pulchrioribus vestitam, quam Sedes Episcopi, ob supremam Legati Apostolici dignitatem. Id quod etiam dico de Sede alius S. R. E. Cardinalis, qui forte sacris officiis interesset, quam decet etiam pulchrioribus, quam Sedes ipsa Episcopi, esse indutam ob eminentem dignitatem Cardinalitiam, de qua jam alias diximus.

## §. VII.

**Subsellia quoque pro Prælatis, Canonicis, Magistratibus, aliisque Magnatibus, Nobilibusque laicis, pro Ecclesiarum, locorumque consuetudine, commoditateque ornari decet.**

## COMMENTARIUS.

I. DEcet quoque, ut ait hic §. noster, subsellia pro Prælatis, Canonicis, Magistratibus &c. ornari pro Ecclesiarum, locorumque consuetudine, commoditateque, semper tamen ornatu inferiori, quam est Episcopi Sedes; ideoque, uti mos hodieque est, panno viridi

Digitized by Google

viridi laneo ornari possunt, sive etiam violaceo, juxta præscriptum novi Cæremonialis editi jussu BENEDICTI XIV. pro Provinciarum Præsidibus, Gubernatoribus Prælatis, & Apostolicis Vice-Legatis, Cap. IV. §. III. in quem vide quæ infra dicemus Tit. XIII. in Commentario ad §. XIV. prope finem; integrum autem hoc novum Cæremoniale jussu, & auctoritate memorati Regnantis Summi Pontificis BENEDICTI. XIV. editum initio hujus Tomi descripsimus.

## §. VIII.

Cum Episcopus est venturus ad Ecclesiam prius præparandum est Faldistorium, seu genuflexorium accommodatum ad genuflectendum ante Altare Sanctissimi Sacramenti, & ante majus, panno viridi, seu violaceo pro qualitate temporum coopertum; sed si Episcopus erit Cardinalis, serico, vel panno rubei, seu violacei coloris, prout erunt vestes ipsius Cardinalis, pro temporum diversitate; appositis pulvinaribus superius, & inferius, super quæ Episcopus genuflexus orabit. Aliud simile ante Altare, seu alium locum, ubi est Sanctissimum Sacramentum, quod diversum esse solet ab Altari majori, & ab eo, in quo Episcopus, vel alius est Missam solemnem celebraturus. Nam licet sacrosancto Domini nostri Jesu Christi Corpori, omnium Sacramentorum fonti præcellentissimus, ac nobilissimus omnium locus in Ecclesia conveniat, neque humanis viribus tantum illud venerari, & colere unquam valeamus, quantum decet, tenemurque; tamen valde opportunum est, ut illud non collocetur in majori, vel in alio Altari, in quo Episcopus, vel alius solemniter est Missam, seu Vesperas celebraturus; sed in alio Sacello, vel loco ornatissimo, cum omni decentia, & reverentia ponatur. Quod si in Altari majori, vel alio, in quo celebrandum erit, collocatum reperiatur, ab eo Altari in aliud omnino transferendum est, ne propterea ritus, & ordo Cæremoniarum, qui in hujusmodi Missis, & Officiis servandus est, turbetur.

## COMMENTARIUS.

I. CUm Episcopus venturus est ad Ecclesiam, præscribit hic primum §. noster, ut duo prius præparanda sint faldistoria, seu genuflexoria, unum scilicet ad Altare Sanctissimi Sacramenti, aliud ad majus Altare; nam majus Altare, quod etiam *princeps*, *principale*, *Capitaneum*, *Cardinale*, aliisque etiam nominibus a medii ævi Scriptoribus appellitatur, diversum debet esse ab eo Altari, ubi est Sanctissimi Sacramenti Tabernaculum, ut mox infra dicemus. Quod autem duplex hoc genuflexorium spectat, sciendum est, quod inter alios Auctores docent Castaldus, & Bauldryus, cum Episcopus scilicet ad Ecclesiam accedit, semper intra Presbyterium ante Altare majus præparari debere in medio plani faldistorium, seu genuflexorium cum *pulvinaribus superius*, *atque inferius*, *super quæ Episcopus orabit*, panno viridi, seu violaceo, pro temporum qualitate coopertum; & si Episcopus ipse esset Cardinalis, panno serico violacei, vel rubei coloris, prout vestes ejus erunt. Præparandum esse præterea inquit aliud faldistorium ejusdem formæ ante Altare, ubi est Sanctissimi Sacramenti Tabernaculum, ante quod etiam genuflectet prius quam ad majus Altare accedat.

II. Descripta hucusque genuflexoria strato scilicet, ac pulvinaribus ornata, appellantur passim a Scriptoribus *genuflexoria qualificata*, adeoque proprio Episcopo conveniunt, ut a Sacra Rituum Congregatione in Veliterna die VI. Septembris anno MDCXCVIII. qualificatum genuflexorium denegatum fuerit etiam Episcopo Titulari Suffraganeo Cardinalis Decani, qui est proprius Veliternæ Civitatis Episcopus, testemque ejus rei habemus Monacellum in Formulario Tomo II. Tit. XIII. Formula II. Num. XIII. ubi ait, quod disputato sequenti secundo hoc Dubio: *An eidem Suffraganeo debeatur genuflexorium cum strato, & pulvinaribus ad orandum?* respondit ipsa Sacra Rituum Congregatio: *Ad secundum in voto Magistri Cæremoniarum*. Votum autem, ut idem Monacellus subdit, Num. XIV. *Erat negativum, nempe genuflexorium cum strato, & pulvinari non deberi Suffraganeo, sed pulvinar super genuflexorio nudo*. Extant in ea re & alia Sacræ Rituum Congregationis Decreta, ex quibus addiscimus, multo minus genuflexorium qualificatum, cum pulvinaribus scilicet ac tapeto, seu strato, concedi debere homini laico, licet loci Baroni, dum illud denegatum fuit Suffraganeo Veliterno, in illa Ecclesia, in qua gerebat vices proprii Episcopi, in Episcopali & ipse constitutus dignitate licet cum solo titulo, qui tamen operatur, ut omni jure honorandi, ac venerandi sint hujusmodi Episcopi Titulares, ex adductis per Ricciul. Lib. II. *Variarum lucubrationum*, Tit. *De Episcopo Titulari*, Cap. VI. per totum, Frances, *De Ecclesia Cathedrali*, Cap. XXXII. Num. XIX. & seqq. Pignatellum Consultatione CXXXVII. per totum Tomo II. & alios.

III. Rur-

Digitized by Google

III. Rursus testis est Crispinus Parte II. libri sui pastoralis visitationis Italice scripti, §. VII. Num. XXI. gratiam similis genuflexorii qualificati denegatam etiam fuisse a Sacra Rituum Congregatione die XXIV. Januarii anni MDCLXV. Agenti, & generali Gubernatori Principis Neoburgi; notumque est in hac parte, celebre factum Cardinalis Gregorii Barbarici, qui cum esset Archiepiscopus Corcyrensis, *qualificatum genuflexorium noluit permittere qualificatissimæ seculari personæ, ejusque factum approbatum fuit a venerabili Dei Servo Innocentio XI.* ut testatur in Disceptationibus suis Ecclesiasticis Dominicus Ursaya, Tomo IV. Parte II. Disceptatione IV. Num. LVII. ubi etiam Num. LXXXIX. & seq. alia ejusdem Sacræ Rituum Congregationis Decreta affert, quibus Baronum uxoribus genuflexorium ejusmodi non semel denegatum fuit; at puto servandam esse ea re veterem locorum consuetudinem, præsertim si agatur de Baronibus illustrioribus; nam ad tollenda dissidia, & odia, quæ foveri possent in hac materia inter Episcopos, & Dominos seculares, Episcopi omni conatu, & studio, omnibusque decentibus officiis incumbere debent conservationi amicitiæ cum Baronibus secularibus præsertim potentioribus, eisque faciles se præbere in concessione eorum, quæ eorumdem Principum gratiam, & benevolentiam concilient, citra tamen præjudicium Episcopalis dignitatis, ut prudenter monet Altogradus Lib. II. Num. LXII. & post eum Pignatellus Tomo I. Consultatione VII. Num. XXXI.

IV. Præstat itaque, ut aliquando ad evitanda dissidia inter Episcopos, & Barones, ex quibus, uti experientia docet, mala ingentia oriri solent, nonnulla tolerentur, quæ scilicet Episcopalem Majestatem, ac jurisdictionem minime lædant; tametsi non inficier, abusum esse, ut laici homines pulvinaribus in domo Dei utantur. Apud Romanos, uti diximus Lib. II. *De Codice Sancti Euangelii &c.* Cap. XIII. pulvinaria lectuli erant, qui Diis sterni solebant in Templis, uti post Ciceronem Oratione II. in Catilinam, & Plinium in Panegyrico ad Trajanum ait Alexander ab Alexandro Lib. V. *Dierum genialium*, Cap. XXVII. ubi pulvinaria apparatas lecticas vocat Divorum, in quibus Numina pro majestate juxta Aras sublimia extabant. Sed uti ibidem ex illustri Auctore etiam notavimus, paulatim humana ambitio adeo excrevit, ut quod olim Deorum proprium fuit, ad se transmitti non sine ambitione permiserit. Hinc holoserica auro intexta pulvinaria luxus adinvenit, quibus illustriores Matronæ in Sanctorum Templis incumbunt, ut hoc etiam irreligiosæ levitatis argumento languescentem pietatem, ac imminutum Christiani spiritus fervorem in locis sacris coram Deo & hominibus ostentarent. Sed de his satis. Ceterum cavendum illud Episcopo omnino est, ne quæ sacra indumenta Altarium usui, & ornatui addicta sunt, ad sui genuflexorii stratum adhiberi permittat, multoque minus pulvinaria Missalium usui destinata, genibus suis, cubitisve supponi, juxta Decretum S. Caroli in Concilio Provinciali V. Mediolanensi editum, Capite inscripto, *De Ecclesiis, earumque supellectile.*

V. Sed age reliquam §. nostri Rubricam explicemus, ubi edicitur, Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum in alio Altari ab Altari majori distincto esse collocandum. Fateor videri id esse contra veterem Ecclesiæ morem, cui semper inhærens S. Carolus, Parte IV. Actorum Ecclesiæ Mediolanensis, in Rubricis, seu Instructionibus, *De Sacramento Eucharistiæ*, ubi de ejusdem custodia agit, ita quidem Parocho, seu Ecclesiæ Rectori mandat: *Sacrosanctam Eucharistiam, ut decentissime fieri potest, in Altari majori custodiat, & asservet.* Ipsum ritum in omni quavis Ecclesia, etiam Cathedrali ab Episcopo esse servandum, statuit quidem in Provinciali Concilio Mediolanensi, Cap. *Quæ pertinent ad Sacramentum sacræ Eucharistiæ*, ubi ita inquit: *Episcopus diligentissime curet, ut in Cathedrali, Collegiatis, Parochialibus, & aliis quibusvis Ecclesiis, ubi sacrosancta Eucharistia custodiri solet, vel debet, in majori Altari collocetur, nisi necessaria, vel gravi de causa aliud ei videatur.* Notanda est postrema ejus Decreti clausula, quæ egregie favet disciplinæ nostri Cæremonialis, ubi edicitur, in alio Altari, quam in Majori collocandum esse Tabernaculum Sacratissimæ Eucharistiæ.

VI. Licet enim, ut recte ait noster §. *Sacrosancto Domini nostri Jesu Christi Corpori, omnium Sacramentorum fonti præcellentissimus, ac nobilissimus omnium locus in Ecclesia conveniat, neque humanis viribus tantum illud venerari, & colere unquam valeamus, quantum decet, tenemurque; tamen valde opportunum est, ut illud non collocetur in Majori, vel in alio Altari, in quo Episcopus, vel alius, solemniter est Missam, seu Vesperas celebraturus, sed in alio Sacello, vel loco ornatissimo, cum omni decentia, & reverentia ponatur.* Et iterum mox subjicit: *Quod si in Altari Majori, vel alio, in quo celebrandum erit, collocatum reperiatur, ab eo Altari in aliud omnino transferendum est*; ob eam scilicet rationem, quam statim affert: *Ne propterea ritus, & ordo Cæremoniarum, qui in ejusmodi Missis, & Officiis servandus est, turbetur.* Tradit eandem hanc disciplinam Crassus Lib. I. Cap. XXVIII. de Sacramento Corporis Christi ex Tribuna removendo, dum Episcopus est celebraturus ibidem, eamque rationem affert: *Quia alioquin regularis actio rei divinæ alterabitur; siquidem incensatio non rite illo præsente fieri potest; nam Celebrans cum Mitra rite incensari non poterit ob illius reverentiam.* Et iterum luculentius: *Insuper Episcopum celebrantem inhoneste, & irreverenter in Faldistorio, ut supra, locato sedere oporteret, versis ad Sacramentum renibus, cum Episcopus illo præsente semper ob illius reverentiam stare deberet facie ad faciem conversus; & quia ipsum Sacramentum etiam incensandum esset, necessario sequeretur, ut Episcopus, antequam Altare, Crucem, ac Oblata incensaret, ipsemet Celebrans iret ad illud incensandum, & sine Mitra inter eundum esset, quæ legibus Cæremoniarum repugnant.*

VII. Ea-

Digitized by Google

VII. Eadem plane docent inter alios Castaldus, & Bauldryus, quorum alter in Manuali sacrarum Cæremoniarum Parte v. Cap. XII. Numero x. postquam dixit, si in Majori Altari, vel alio, in quo celebrandum erit, collocatum reperiatur Tabernaculum cum Sanctissimo Sacramento, ab eo Altari omnino esse removendum; & postquam eam nostri §. rationem reddit: *ne propterea ritus, & ordo Cæremoniarum interturbetur*; ita statim rationem ipsam explicat: *Quod eveniret certe, si ibi remaneret; nam nec Altaris thurificatio, nec Celebrantis Actio, nec Ministrorum, rite fieri, aut servari possent, cum necesse sit, quoties ante illud transimus, genua ad terram flectere, nec deceat Celebrantem ante illud stare, aut sedere cum Mitra*. Concludendum itaque cum laudato Crasso, qui loco citato post explicatum ritum, ejusque rationem removendi sacratissimam Eucharistiam ab Altari Majori, sive ab alio, in quo erit solemniter celebrandum, ita ait: *Igitur ipsum Sacramentum omnino, præsertim in celebratione Pontificalis Missæ, & Vesperarum, removeri debet*. Notandum hic illud *præsertim*, quo non obscure innuit servandam esse eandem disciplinam removendi Sacramentum ab Altari majori, & in alio collocandum, tametsi non Episcopus Pontificali ritu, sed alius inferioris ordinis esset Vesperas, vel Missam solemniter celebraturus. Qui ritus servatur passim in Ecclesiis Urbis, in quarum etiam plerisque non in majori Altari, sed in alio Sacello sacratissima Eucharistia custoditur. Verum hæc disciplina non videtur probanda, nam præter gravem, & necessariam causam hactenus explicatam, *ne ritus*, scilicet, *& ordo cæremoniarum turbetur*, servari deberet laudatum superius Concilii I. Provincialis Mediolanensis Decretum veteri disciplinæ consentaneum, nempe, curandum esse ab Episcopo, *ut in Cathedrali, Collegiatis, Parochialibus, & aliis quibusvis Ecclesiis, ubi sacrosancta Eucharistia custodiri solet, vel debet, in majori Altari collocetur, nisi necessaria, vel gravi de causa aliud ei videatur.*

## §. IX.

Quod si aliquando contingeret, coram Episcopo, vel per ipsum Episcopum celebrari, existente Sanctissimo Sacramento super Altari, quod Feria quinta in Cœna Domini, & Feria sexta in Parasceve, & in Missa, quæ celebratur in Festo Sanctissimi Corporis Christi, vel cum exponitur Oratio quadraginta Horarum, ante processionem evenire solet; tunc omnes genuflexiones, & reverentiæ, ad unguem observari debent; & Episcopus nunquam sedere, sed stare sine Mitra, prout suis locis declaratur; & ideo non incongruum, sed maxime decens esset, ut in Altari, ubi Sanctissimum Sacramentum situm est, Missæ non celebrarentur, quod antiquitus observatum fuisse videmus; aut saltem Celebrans in eo, sive solemnes, sive planas Missas, reverentias, & genuflexiones prædictas omnino observare debet. Ante sanctissimam Eucharistiam Episcopus genuflectens, prius in plana terra, deinde super faldistorio, vel genuflexorio ibidem præparato orabit, priusquam ad Altare majus se conferat; & surgens iterum genuflectet, ut prius. Ante Altare majus caput Cruci profunde inclinabit; postea genuflectet, & orabit; demum surgens, iterum caput, ut prius, inclinabit.

## COMMENTARIUS.

I. TAmetsi in superiori §. cautum sit, ne in majori Altari, vel in alio, in quo divina solemniter celebranda sunt officia, Tabernaculum cum sacratissima Eucharistia extet, ne scilicet ritus & ordo cæremoniarum, uti superius dictum est, interturbetur; recte nihilominus ex §. præsenti admonemur, ut, *si aliquando contingeret coram Episcopo celebrari, existente sanctissimo Sacramento super Altari, quod Feria quinta in Cœna Domini, & Feria sexta in Parasceve, & in Missa, quæ celebratur in Festo sanctissimi Corporis Christi, vel cum exponitur Oratio quadraginta Horarum, ante processionem evenire solet, tunc omnes genuflexiones, & reverentiæ ad unguem observari debeant, & Episcopus nunquam sedere, sed stare sine Mitra, prout suis locis declaratur*. Ritus sane is recens est, quia scilicet pia praxis exponendi omnium oculis super Altari sanctissimum Sacramentum, ut paucis ab hinc seculis fieri assolet, antiquis ignota fuit, ut eruditi Auctores docent, inter quos Jueninus, in Opere, *De Sacramentis*, Dissertatione IV. ubi agit de Eucharistia, ut est Sacramentum, Quæstione IV. Cap. III. Articulo IV. §. III. ait, publicam expositionem Corporis Christi processioni solemni, cum qua circumgestatur, suam debere originem, itemque tunc tantum in usu esse cœpisse, cum primum adhibita sunt Tabernacula portatilia, quæ vulgo *Ostensoria* dicuntur, quæque a Concilio Coloniensi anno MCDLII. *Monstrantiæ* vocantur; de quibus nos alias nonnihil diximus Tomo II. Romani Pontificalis ad Titulum XVIII.

II. Quod attinet ad expositionem Sanctissimi Sa-



Digitized by Google

Sacramenti pro Oratione XI. Horarum, est haud dubie recentissima, &, ut ajunt, a S. Carolo primum inventa; nihil enim de eo ritu extat in Rubricis Missalis Romani, ut notat Gavantus, Parte II. Tit. XIV. *De his quæ addenda sunt in Missa, quæ celebratur ad Altare, in quo expositum est Sanctissimum Sacramentum*; ubi inter alia ad hunc §. nostrum alludens, ita inquit: *In Cæremoniali Episcoporum Libri* I. *Capite* XII. *optime monentur ex antiquorum documentis, ut abstineamus a Missa celebranda coram Sacramento etiam in suo Tabernaculo occluso; quod si ferat necessitas, vel suadeat alia justa casa, puta, infra Octavam Corporis Christi, & Romæ in fine publicæ Orationis* XL. *Horarum; eo casu genuflexiones omnes, & actus reverentiales debiti diligenter sunt observandi, quos variis libris Ritualibus præscriptos, & sparsim, hoc loco collegimus*. Notat mox varios ritus in Missa coram Sanctissimo Sacramento exposito a Sacerdote, ejusque Ministris servandos, quos egregie illustrat, novisque suis additionibus, atque observationibus dilucidat Clarissimus Cajetanus Merati in Notis ad ipsum Gavantum, laudata Parte II. Tit. XIV. ubi etiam varia ad eam rem pertinentia Sacræ Rituum Congregationis Decreta affert, præsertim vero instructiones, atque ordinationes a sanctæ memoriæ Clemente XI. editas die XX. Januarii anni MDCCV. quæ etiam ab ejus Successoribus, Innocentio XIII. Benedicto XIII. & Clemente XII. confirmatæ fuere.

III. Consentanee ad nostrum §. quo edicitur, *non incongruum, sed maxime decens esse, ut in Altari, ubi Sanctissimum Sacramentum situm est, Missæ non celebrarentur*, censuit jam Sacra Rituum Congregatio in Bononien. die IX. Augusti anno MDCLXX. non licere Missam in Altari majori, ubi est expositum publice Sanctissimum Sacramentum, celebrare, præsertim si in Ecclesia adsint alia Altaria, in quibus celebrari possit. Quod autem Celebrans in ipso Altari, *sive solemnes, sive planas Missas, reverentias, & genuflexiones prædictas, omnino observare debet*, docent Auctores passim, qui ritum Missæ coram Sanctissimo Sacramento celebrandæ exponunt, inter quos laudatus Merati in Notis ad Gavantum loco citato inter alia ait, Celebrantem, & Ministros in ingressu ad Presbyterium, seu Capellam, in qua est expositum Sanctissimum Sacramentum, debere statim omnes caput nudare, & cum ad Altare pervenerint, ante illius infimum gradum omnes utrumque genu omnino in plano flectere, & etiam caput profunde inclinare, tunc solum scilicet, cum primum ad Altare accedunt, & in fine Missæ, nam in processu deinde Missæ, unicum tantum genu flectent, ut facilius scilicet, & commodius surgant. Advertendum, quod faciendo genuflexionem unico genu, non debent caput inclinare, sufficit enim genuflexio, ut docet Bissus.

IV. Tandem ubi Episcopus ad Ecclesiam accedit, *ante Sanctissimum Sacramentum, utrumque genu flectens, in plana terra prius, deinde super faldistorio, vel genuflexorio ibidem præparato orabit*, nudo scilicet capite, *priusquam ad Altare majus se conferat, & surgens, iterum genuflectet, ut prius*, nempe in plana terra, caputque profunde inclinabit, juxta sententiam Clarissimi Viri Cajetani Merati superius memoratam, quæ dicit, Sacerdotem, ubi ad Altare pervenerit, ubi est expositum Sanctissimum Sacramentum, & in fine cum celebrata jam Missa inde recedit, debere utrumque genu omnino in plano flectere, & caput profunde inclinare. Ceterum facta Episcopus oratione ad Altare primum, ubi Sanctissimum Sacramentum expositum est, deinde, *sumta Mitra*, ait Bauldryus, *procedet ad majus Altare, ad quod profunde se inclinabit Cruci; tum genuflectet, auferetur ei Mitra, & orabit; deinde surgens, imponatur ei, factaque reverentia, ad Sedem se recipiet*. Porro, ut hunc demum Commentarium absolvam, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis in una Urbis, die XIX. anno MDCLI. quando SS. Eucharistiæ Sacramentum publice discoopertum exponitur, omnes ante illud transeuntes, cujuscumque conditionis, & ordinis sint, seu ad illud accedentes, seu ab eodem recedentes, semper utroque genu facere genuflexionem debent.

## §. X.

Faldistorium quoque, si eo utendum erit pro sessione Episcopi celebrantis, parum distans ab infimo gradu Altaris, a latere Epistolæ collocandum est, itaut Episcopus celebrans, in eo sedens, habeat ad dexteram suam Altare, respiciens eandem partem, quam ipsa anterior facies Altaris respicit, sive illa versa sit ad Tribunam, sive ad reliquum corpus Ecclesiæ, & populum, secundum varios Altarium situs: quod quidem Faldistorium coopertum sit undique ad terram serico ejusdem coloris, cujus erunt cetera paramenta, & sub dicto serico tegumento aptetur pulvinus. Regulariter autem Faldistorium hujusmodi ponitur in plano, seu pavimento Presbyterii, quod totum usque ad infimum gradum Altaris convenienter deberet pannis viridibus contegi.

## COMMENTARIUS.

I. IN hoc nostro Jure, ut verbis utar eruditissimi Paridis Crassi Lib. I. Cap. XXXII. passim, & communiter sedem Prælati cujusvis Pontificaliter celebrantis, non quidem amplam, & eminentem, sed pressiorem, ac sacris celebrationibus dicatam similem Curuli illi, quæ in

Digitized by Google

in antiquis numismatibus inspicitur, Cæremonistæ autem *Faldistorium* appellant; sed qua de causa, aut qua etymologia sic appellent, seu quare nominis hujusmodi primogeniam sic figurent, haud satis constat; nisi fortassis eam unius literæ subditiæ vitio adulteratam divinare velimus, ut videlicet pro Faldistorio, Fandistorium dicamus, quod scilicet interpretemur pro loco fandi, sicut Consistorium pro loco consistendi. Verum ne potius hoc, quam illo, aut alio modo, aut e contra usurpemus; satis est, quod per hanc qualemcumque dictionem Sedes designatur Pontificalis celebrationibus dicata.

II. Tradit hæc quidem Crassus loco citato; plura nos jam de Faldistorio adnotavimus Tomo I. Romani Pontificalis in Prolegomenis, Cap. V. Num. X. & seq. ubi ex Clarissimo Viro Dominico Georgio Tomo I. Lib. I. *De liturgia Romani Pontificis*, Num. VI. & seq. inter alia diximus, Faldistorii nomen barbaris seculis plane exaratum esse, quum prius a Latinis *Sella*, deinde Græco vocabulo *Cliothedrum*, quod *Sellam plicatilem* significat, sit appellatum. Id quod laudatus Auctor variis medii ævi Scriptorum auctoritatibus probat, quinimo & celebri quodam S. Gregorii testimonio, Lib. X. Epistola XXIII. Indictione V. ubi de Sellis plectilibus mentio fit. Porro figura ipsius Sedis, qualis erat in usu Seculo IX. visitur in insigni Codice ms. qui olim ad Christinam Svecorum Reginam pertinuit, deinde vero ab Alexandro VIII. Pontifice Maximo una cum aliis ab eadem Regina, miræ vetustatis, ac veritatis comparatis mss. Codicibus, Bibliothecæ Vaticanæ attributus est. Ergo in quadam Codicis ipsius figura sedet S. Martinus Episcopus in Sella quadrata, nimirum quatuor ligneis fulcris flavi, seu aurei coloris fabrefactis compacta sine fulcimento ad declinandum dorsum, habetque suppedaneum, & super Sellam est pulvinus, in quo assidet S. Martinus Pontificalibus ornamentis indutus.

III. Quamquam autem hac pictura Faldistorium designari constet; occurit quidem vox *Faldistorium*, seu *Faudestolium* in multis antiquis mss. Ritualibus Libris a doctissimo Viro Edmundo Martene editis, Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. VIII. Articulo XI. ac præterea in priscis monumentis, quæ in suo Glossario affert Carolus Dufresne, verbo *Faldistorium*. Apud Cencium quoque Camerarium non semel Pontificis *Faldistorium* occurrit, uti videre est in Ordine Romano XII. a Mabillonio edito Tomo II. *Musei Italici*, Pag. 168. & 183. In Actis tandem Adriani IV. Papæ, de ipso habetur, quod *descendit, & in præparato sibi Faldistorio sedit*; & in Gestis Alexandri Papæ III. legitur itidem, quod *in eminentiori loco positus, in Faldistorio suo resedit*. Ex quibus omnibus liquido patet, antiquum esse usum Faldistorii Pontificalis, quod quidem ex præscripto hujus nostri §. *parum distans ab infimo gradu Altaris a latere Epistolæ collocandum est, itaut Episcopus Celebrans in eo sedens, habeat ad dexteram suam Altare, respiciens eandem partem, quam ipsa anterior facies Altaris respicit, sive illa versa sit ad Tribunam, sive ad reliquum corpus Ecclesiæ, & populum secundum varios Altarium situs*.

IV. Notat hæc eadem eruditus Crassus citato Lib. I. Cap. XXXII. cujus locum hic lubet describere, quo ritus nostri hujus §. hucusque descriptus, magis magisque illustretur. Loquens itaque de hac Sede Pontificali, ejusque positione, ritum ita enarrat: *Hæc semper locari debet ad cornu Altaris sinistrum, quod est Epistolæ, itaut ipse Celebrans habeat ad dexteram suam Altare, cui honorem defert, & sic locari cum moderamine debet, ut post renes suos Celebrans non utique Altare habeat, sed nec etiam nimis ante faciem suam, sic ut ab omni populo sedens ipse videatur*. Locandam ita Episcopi Sedem, ut cunctos respiciat, & ut cunctorum oculi in ipsum respiciant, ritus Ecclesiæ antiquus est, cujus meminit S. Ambrosius in Libro, *De dignitate Sacerdotali*, Cap. VI. itemque alii Patres, ac Scriptores Ecclesiastici, quorum loca afferre supervacaneum est; res enim est omnibus nota: *Nam quid aliud interpretatur Episcopus, nisi superinspector*, ait S. Ambrosius, ut scilicet, uti dictum est, ita resideat in Sede sua, ut ab omni populo sedens ipse videatur, cunctosque ipse perspiciat.

V. Ceterum is ritus non semper servari potest ob varios Altarium situs, de quibus audire præstat laudatum Crassum loco citato, ubi postquam dixit omnino locandum esse ipsum Faldistorium, ut Celebrans super illo sedens vertat faciem suam, sicut est Altaris frontispicium, non autem semper ad populum, nec semper ad corpus Ecclesiæ, rationem hanc subjicit ex vario Altarium situ variarum Ecclesiarum Civitatis Bononiensis: *Nam in Ecclesia nostra Cathedrali Bononiensi, ubi Altaris frontispicium, idest, pars anterior, respicit ad populum, sive ad corpus Ecclesiæ, tunc ibi Celebrans dum sedet, vertit faciem ad corpus Ecclesiæ, & ad populum: sed in Ecclesia sancti Petronii Collegiata, ubi Altaris frontispicium, idest, pars anterior non respicit ad populum, sed e contra, nam pars Altaris posterior versa est ad populum, similiter ipse Celebrans non frontem, sed humeros ad corpus Ecclesiæ, idest, ad populum vertet: quod etiam in omnibus locis pari ratione servabitur*. Quibus verbis puto equidem satis dilucide explicari §. hujus nostri Rubricam.

VI. Quod autem in hoc eodem §. edicitur, ut *Faldistorium coopertum sit undique ad terram serico ejusdem coloris, cujus erunt cetera paramenta, & sub dicto serico tegumento aptetur pulvinus*, ita eum ritum enarrat laudatus Crassus: *Insuper Faldistorium ipsum coopertum sit de colore aliorum paramentorum, & sub pedibus suis habeat, præter grandia tapetia pavimentum universale tegentia, aliud parvum, & pulcrius tapete ad longum ante faciem Domini extensum*. Ait mox, id esse privilegium Cardinalium Episcoporum, non autem minorum Prælatorum; tandemque ritum enarrans, ac rationem subdens, cur pulvinaria in Faldistorio adhibeantur, sic Caput ipsum XXXII. concludit: *Et quia non decet, Episcopum*

*ſcopum ſuper illo nimis profunde incubare, ideo ſeſſio ejus cum uno, vel etiam duobus pulvinaribus, ut opus erit, coopertorio ſuppoſitis, elevetur, ut altius ſedeat.* Eſt ſane ritus is antiquus, nam uti ſuperius notatum eſt, ex quadam figura antiqui Codicis ms. ſedet S. Martinus Epiſcopus in Sede quadrata, habetque illa ſuppedaneum, & ſuper Sellam eſt pulvinar, in quo ille aſſidet Pontificalibus ornamentis indutus. Agit & de pulvinaribus Faldiſtorii in Actis Eccleſiæ ſuæ Mediolanenſis S. Carolus, ubi inter alia ita inquit: *Pulvinaria Faldiſtorii unum genuflexionis, alterum ſeſſionis uſui, e ſerico villoſo conſtent: eorum longitudo ſeſquicubitalis erit; latitudo porro cubitalis.* Neque omittendum, quod de ipſo Faldiſtorii integumento edicit, nempe ſubveſtitum illud eſſe debere tela bombycina, ita vero diſſectum, ut ſedili tantum inhærens, a reliquis partibus in pavimentum defluat.

VII. Ait denique noſter §. regulariter Faldiſtorium poni in plano, ſeu pavimento Presbyterii, quod totum uſque ad infimum gradum Altaris convenienter deberet pannis viridibus contegi. Ubi collocatur Faldiſtorium adhiberi debere *grandia tapetia pavimentum univerſale tegentia*, jam ex Paride Craſſo in ſuperiori Commentario notatum eſt; addique hic poteſt, quod idem Auctor de eodem ritu inquit Lib. I. Cap. XXXI. his verbis: *Circumcirca Altare per terram ſint tapetia ſtrata in Presbyterio, maxime omnes gradus Altaris tegentia, ubi Miniſtri ſacrificaturi ſedere poſſint decenter, & honeſte.* Porro Faldiſtorium, ut ex ſacris Eccleſiæ ritibus in Actis ipſis Eccleſiæ Mediolanenſis S. Carolus docet, Parte IV. Lib. II. non amplum, neque alte extructum, ut Sedes, Cathedraque Epiſcopalis, ſed longe depreſſius eſſe debet; nec præterea a tergo, nec a lateribus quicquam habeat, quo ſedens Epiſcopus nitatur. E quaternis lignis nuceis, binis ſcilicet ab interiori, totidemque a poſteriori parte inauratis, laminarum argentearum tegmine ornatis, iiſque ſingulis ab omni laterali angulo, formam capitis leonini, paulum prominentis, in ſummo exhibentibus, (ſive potius formam orbicularem, ut eſt uſus Eccleſiarum Urbis) decore, apte, firmiterque conſtans, ſedile coraceum habeat ſolidum, idemque non pluma, ſed tomento, piliſque minutim conciſis plenum.

## §. XI.

Sed ſi Altare haberet plures gradus, itaut Faldiſtorium in pavimento poſitum remaneret nimis depreſſum, poſſet ei ſuponi aliquod ſuggeſtum, ſeu tabulatum æqualis altitudinis a terra cum infimo gradu Altaris, ſi ſuper eo ſeſſurus ſit proprius Epiſcopus celebrans, qui tamen regulariter non in Faldiſtorio, ſed in propria Epiſcopali Sede ſtare, & ſedere debet. Ipſum vero Altare majus in Feſtivitatibus ſolemnioribus, aut Epiſcopo celebraturo, quo ſplendidius poterit, pro temporum tamen varietate, & exigentia ornabitur: quod ſi a parte disjunctum, & ſeparatum ſit, apponentur, tam a parte anteriori, quam poſteriori illius, pallia aurea, vel argentea, aut ſerica, auro perpulcre contexta, coloris Feſtivitati congruentis, eaque ſectis, quadratiſque lignis munita, quæ telaria vocant, ne rugoſa, aut ſinuoſa, ſed extenſa, & explicata decentius conſpiciantur. Tum in ſuperna linea mappæ mundæ tres ſaltem explicentur, quæ totam Altaris planitiem, & latera contegant. Nullæ tamen coronides ligneæ circa Altaris angulos ducantur, ſed earum loco apponi poterunt faſciæ ex auro, vel ſerico elaboratæ, ac variegatæ, quibus ipſa Altaris facies apte redimita, ornatiorque appareat. Supra vero in planitie Altaris adſint candelabra ſex argentea, ſi haberi poſſunt; ſin minus ex aurichalco, aut cupro aurato nobilius fabricata, & aliquanto altiora, ſpectabilioraque his, quæ ceteris diebus non feſtivis apponi ſolent, & ſuper illis cerei albi, in quorum medio locabitur Crux ex eodem metallo, & opere præalta, itaut pes Crucis æquet altitudinem vicinorum candelabrorum, & Crux ipſa tota candelabris ſuperemineat cum Imagine ſanctiſſimi Crucifixi, verſa ad interiorem Altaris faciem. Ipſa candelabra non ſint omnino inter ſe æqualia, ſed paulatim, quaſi per gradus ab utroque Altaris latere ſurgentia, itaut ex eis altiora ſint immediate hinc, inde a lateribus Crucis poſita.

## COMMENTARIUS.

I. STatuit hic primum §. noſter perſequens ritus, qui ad Faldiſtorium ſpectant, ut *ſi Altare haberet plures gradus, itaut Faldiſtorium in pavimento poſitum remaneret nimis depreſſum, poſſit ei ſupponi aliquod ſuggeſtum, ſeu tabulatum æqualis altitudinis a terra cum infimo gradu Altaris, ſi ſuper eo ſeſſurus ſit proprius Epiſcopus celebrans.* Tradunt id ipſum paſſim Eccleſiaſtici Auctores, qui ſacras Cæremonias peculiaribus libris enarrant, inter quos omnium peritiſſimus

Digitized by Google

tissimus Paris de Crassis Lib. I. Cap. XXXII. ubi fuse, atque eleganter de Faldistorio, & ejus positione agit, ita de hoc ritu inquit: *Si gradus Altaris tres, aut plures erunt, tunc fiat unus suggestus, seu tabulatum ligneum altum, sicut est gradus unus infimus Altaris, vel duo, ut placet, & super eo Faldistorium imponatur, itaut Sedes Cardinalis modicum altius emineat, non autem sic, si alius Prælatus celebraret.* Loquitur de more sui temporis, nam alias ex nostro hoc §. non modo Cardinalis Episcopus, verum etiam quivis Episcopus celebrans, præsertim proprius, uti potest Faldistorio suppedaneum habente æqualis altitudinis cum infimo gradu Altaris, si Altare scilicet *haberet plures gradus, itaut Faldistorium in pavimento positum remaneret nimis depressum.* Fuisse autem antiquum ritum, ut Faldistorio suppedaneum supponeretur, jam supra ostendimus ex quadam S. Martini Episcopi Imagine, qui in ms. Codice visitur, ornatus Pontificalibus ornamentis in sella quadrata sedens suppedaneum habente. Ceterum tametsi Faldistorio uti possit Episcopus in Pontificalibus suis functionibus, sciendum tamen, quod *regulariter* Episcopus *non in Faldistorio, sed in propria Episcopali Sede stare, & sedere debet*, ut recte hic admonet §. noster; sed de ea re infra nos fusius in Commentariis ad Caput XIII.

II. Ergo ut hic ceteros ritus enarremus, qui in præsenti §. descripti sunt, *ipsum Altare majus*, inquit, *in Festivitatibus solemnioribus, aut Episcopo celebraturo, quo splendidius poterit, pro temporum tamen varietate, & exigentia ornabitur*; citra tamen profanas delicias, aut luxum superfluum, ut notat Crassus Lib. I. Cap. XXXI. Porro Altaria, ac præsertim majus Altare, magnifico apparatu esse ornanda, docent nos passim Sancti Ecclesiæ Patres, ac Sacræ Synodi, itemque veterum exempla Pontificum, ac Principum superius a nobis allata; ut enim alia hic omittam, Theodoretus Lib. I. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. XXIX. loquens de Encæniis, sive Consecratione Templorum, quæ a Constantino Magno Imperatore ante medium Seculum IV. Hierosolymis ædificata fuerunt, divinum Altare aulæis regalibus, vasisque aureis omni genere gemmarum collucentibus ornatum fuisse refert. Justinianus quoque Imperator in Epistola ad Hormisdam Romanum Pontificem, se duo pallia serica eidem direxisse ait ad ornamentum Altaris Sanctorum Apostolorum. Quanta ea in re fuerit pietas, ac religio Romanorum Pontificum, legere est passim apud Anastasium, qui eorum Vitas scribens, varia ornamenta recenset, quibus illi Altaria præsertim instruere satagebant. S. Carolus in historia Ecclesiastica summe versatus, in Actis Ecclesiæ sue Mediolanensis, antiqui esse instituti inquit Altaria palliis exornare, probatque exemplo Zachariæ Papæ, quod nos inferius referemus.

III. Sed ut ordinem nostræ Rubricæ prosequamur, si Altare, inquit, *a pariete disjunctum, & separatum sit, apponentur, tam a parte anteriori, quam posteriora illius, pallia aurea, vel argentea, aut serica, auro perpulcre contextis coloris Festivitati congruentis &c.* Antiqua Altaria parieti, ut nunc passim cernuntur, non semper adhæsisse, sed in medio Ecclesiæ plerumque collocata fuisse, ut Sacerdos offerens omni ex parte facilius posset videri, ex antiquis Scriptoribus liquet. Eusebius Libro X. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. IV. celeberrimum Tyri Templum a Paulino extructum describens, *Sanctum Sanctorum*, inquit, *Altare videlicet, in medio constituit, utque hæc sacraria multitudini inaccessa essent, ea rursus ligneis cancellis munivit.* In monte Oliveti, eo ipso in loco, ex quo Christus Cælos ascendit, *habetur Ecclesia rotunda sine tecto, in cujus medio, hoc est, in loco Ascensionis Domini habetur Altare sub dio patens, in quo celebrantur solemnia Missarum*, uti scribit Bernardus Monachus in suo Itinerario, Cap. XIV. In Selgenstadiensi Monasterio Ludovici Pii Imperatoris impensis condito Altare S. Salvatoris *in media Ecclesia positum erat*, testante Eginardo Lib. IV. *De translatione SS. Petri, & Marcellini.*

IV. Sed quid alia memorem? Multa id genus Altaria tum alibi, tum Romæ potissimum in variis Ecclesiis conspiciuntur, cumque tam a parte anteriori, quam a posteriori exposita sint, merito ab utraque parte palliis esse ornanda præscribitur, & quidem in solemnioribus Festivitatibus, auro contextis, juxta veterem Ecclesiæ ritum, ut paulo superius exemplis Constantini Magni, & Justiniani Imperatoris ostensum est. Palliorum aureorum meminit inter alios Alcuinus Poemate III. sic inquiens:

*Plurima Basilicæ sunt ornamenta recentis.*
*Aurea contortis flavescunt pallia villis,*
*Quæ sunt Altaris sacri velamina pulcra.*

Sunt itaque hic pallia Altaris, vestimenta, quæ scilicet ante Altare tenduntur suspensa, quæ etiam alio nomine *pallea* dicta sunt, quemadmodum etiam, & pallia alba, sive aulæa, quæ vel olim ornatui Ecclesiæ usui erant. Unde laudatus Alcuinus Poemate LXVI. ita inquit:

*Pallia suspendit parietibus, atque lucernas*
*Addidit.*

Utitur & palleorum vocabulo Durandus Libro I. sui Rationalis, Cap. III. Num. XXIII. & XXIV. ad utrumque ornatum significandum, Ecclesiæ scilicet, atque Altaris: *Ornatus Ecclesiæ*, inquit, *consistit in cortinis, & aulæis, & palleis sericis, & purpureis, & similibus.* Et paulo post: *Altaris vero ornatus consistit in capsis, in palleis, & phylacteriis &c.*

V. Plura de palliis, seu palleis, aulæisve, quibus parietes Ecclesiæ ornantur, jam suo loco attulimus; reliquum est, ut aliqua hic adnotemus, quæ de pallio Altaris scite scribit in Actis Ecclesiæ suæ Mediolanensis S. Carolus: *Pallium*, inquit, *seu palla, vestimentum scilicet, quod ante Altare tenditur suspensum, paulo longius, quam Altare patere debet, eoque altius, ut ab ima parte paululum sub cornice scabelli ejusdem Altaris occultetur. A superiori parte, palmum a summo distante, laciniis, quas frangias dicunt, auro, sericove ela-*

Digitized by Google

*elaboratis pro colorum ratione ex Ecclesiæ ritu præscripta ornetur*. Et non multo post: *Instruatur etiam a summo intrinsecus parvulis minutisque annulis æreis, ferreisque, quibus suspendatur, affixum telari Altaris*. Habemus hic, quod ex nostro §. cautum est, ut nimirum pallia, quibus Altare ornatur, sint *coloris Festivitati congruentis, eaque sectis, quadratisque lignis munita, quæ telaria vocant, ne rugosa, aut sinuosa, sed extensa, & explicata decentius conspiciantur*. Rursus, ut pallium ipsum pretiosius, utpote usui solemniorum Officiorum, ac dierum, sit e serico, auro, argentove intexto, *nempe opere aulico, quod brocatum dicunt, vel acu decore picto*, edicit idem sanctissimus Præsul conformiter ad nostram Rubricam, & ad veterem Ecclesiæ ritum, cui magis magisque adhærens, mandat, ut pallio ipsi ab exteriori parte Crux, aut Imago Sancti, Sanctorumque, quorum nomine Altare dicatum est, aut alia sacra Effigies apte, recteque in medio assuatur. Id quod antiqui instituti esse ex eo probat, *quod Zacharias Pontifex pallam auro intextam, Nativitatis Domini nostri Jesu Christi imagine ornatam, Beati Petri Apostoli Altario obtulit*. Ceterum hic illud notandum, quod inter alios docet Gavantus in Rubricas Missalis Parte I. Tit. xx. posse etiam sine pallio celebrari, *puta si Altare est ornatum auro, vel lapide pretioso*.

VI. Ipsum præterea majus Altare, imo & cetera etiam Altaria Ecclesiæ, in quibus Corpus Dominicum consecratur, Sanguisque ejus hauritur, non modo palliis ornanda, sed & *mundissimis linteis* cooperienda, ex prisco Ecclesiæ ritu docet Synodus Remensis apud Burchardum Wormaciensem Episcopum Lib. III. Decretorum, Cap. XCVII. fuseque de iis nos egimus nostro II. Tomo Romani Pontificalis. Certe Optatus Milevitanus vetustus Ecclesiæ Pater Lib. VI. contra Donatistas, tamquam morem ubique receptum commemorat, quod Altaria lignea operirentur. Ait enim: *Quis fidelium nescit, in peragendis Mysteriis ipsa ligna*, Altaria scilicet, quæ in Africa lignea erant, ut observat Joannes Bona Cardinalis Lib. I. Cap. XXV. Num. XV. *Linteamine cooperiri? Inter ipsa sacramenta velamen potuit tangi non lignum*. Victor quoque Episcopus Vitensis Lib. I. *De persecutione Vandalica*, Proculum quendam ab impio Genserico in Provinciam Zeugitanam adversus Catholicos missum scribit, qui rapaci, & sacrilega manu cuncta devastans, de palliis Altaris camisias sibi, & femoralia fecit: *De pallis Altaris*, inquit, *pro nefas! camisias sibi, & femoralia faciebat*. Fuse de eo ritu diximus nos Tom. II. Romani Pontificalis ad Tit. II. §. LXXV. sicut & de alio, quem hic §. noster præscribit, ut scilicet *in superna linea* Altari *mappæ mundæ tres saltem explicentur, quæ totam Altaris planitiem, & latera contegant*.

VII. Operiendum esse Altare tribus mappis, seu tobaleis mundis ab Episcopo, vel alio habente potestatem benedictis, superiori saltem oblonga, quæ usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata, expresse edicit Rubrica Missalis Parte I. Tit. xx. Errat Durandus ubi Lib. IV. sui Rationalis, Cap. XXIX. Num. VII. debere Altare duplici mappa operiri ait; est enim antiquus mos, ut tres saltem adhibeantur juxta veterem Canonem S. Pio I. Pontifici adscriptum apud Gratianum, Can. *Si per negligentiam*, De consecratione, Distinctione II. ubi quartæ Altaris Mappæ fit mentio. Benedictionem ejusmodi Mapparum esse antiquissimam, ostensum a nobis jam fuit loco citato secundi Tomi Romani Pontificalis. Ex necessitate posse in Mappis non benedictis celebrari, docet Sylvester in Summa verbo, *Benedictio*, Quæstione V. & alii, inter quos tamen non bene Suarez Parte III. Disputatione LXXXI. Sectione VI. negat hac de re jus aliquod esse; expresse enim ait Rubrica Missalis, quam paulo superius descripsimus, operiendum esse Altare *tribus mappis, seu tobaleis mundis ab Episcopo, vel alio habente potestatem benedictis*.

VIII. In ornatu Altaris illud omnino cavendum, ne ullæ coronides ligneæ circa illius angulos ducantur, sed earum loco apponi poterunt fasciæ ex auro, vel ex serico elaboratæ, ac variegatæ, quibus ipsa Altaris facies apte redimita, ornatiorque appareat. Id inter alia mandat §. hujus nostri Rubrica, quam in Notis suis ad Rubricas Missalis Parte I. Tit. xx. laudat Gavantus, ejusque rei hanc rationem affert, quod *vere coronides ligneæ corrodunt etiam Planetas*. Qualis debeat esse ornatus frontispicii Altaris, egregie explicat S. Carolus in suæ Mediolanensis Ecclesiæ Actis: *Velamentum*, inquit, *quod ad ornatum frontispicii Altaris in Missæ sacro adhibetur, superiorique parti pallii in ipso Altari tanquam frontale quoddam obtenditur, ejusmodi sit, ut demissum usque ad serica filamenta, quæ pallio assui solent, vel paulo infra perveniat. Longe præterea pateat, ut adæquet Altare, aut paulo amplius: ejus extremitas, quæ in hominum conspectu est, fimbria decore exornetur*. Tum paulo post de pretiosiori ornamento loquens in solemnioribus Festis adhibendo, ait insignius esse illud debere, *auro scilicet argentoque contextum*.

IX. Ad candelabra quod attinet, quæ in majori Altari in Festis solemnioribus collocari debent, *in planitie Altaris*, ait §. nostri Rubrica, *adsint candelabra, seu argentea, si haberi possunt, sin minus ex aurichalco &c. cupro aurato nobilius fabricata &c. & super illis cerei albi*. Sicut cereorum ita & candelabrorum antiquum esse in Ecclesia usum, docent passim, qui de sacris ritibus tractant. Certe illustrem candelabrorum mentionem facit S. Paulinus in Natali XI. S. Felicis, ubi describens ejusdem Ecclesiæ ornamenta, sic inter alia scribit:

*. . . . . Sed præter & aulæ*
*Ipsius in spatio variis insignia formis*
*Munera erant de more sita, hæc, quæ cernitis illic*
*Omni promta die, vel circumfixa per omnes*
*Ordine dimenso quasi candelabra columnas*
*Depictas extare gerunt, quæ cuspide ceras,*
*Lumina ut inclusis reddantur odora papyris*.

Quia scilicet mos tum Ethnicis, tum Christianis scyr-

Digitized by Google

scyrpum papyri speciem cera circumdare, atque ex illo candelas efformare. Sed ut alios omittam Patres, ac priscos Ecclesiæ Scriptores, S. Augustinus, Paulino coævus Sermone XVII. in dedicatione Ecclesiæ non solum candelabrorum meminit, sed & mysticum intellectum docet, necnon etiam ipsa suo ævo, IV. scilicet Christi seculo benedici candelabra consuevisse affirmat his plane verbis: *In illo*, scilicet, Christo, *ædificatur Ecclesia, quæ abscondi non potest; neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Bene occurrit lectio, quando candelabra dedicantur, ut sit, qui operatur, lucerna posita in candelabro. Lucerna est enim bonus, qui bene operatur. Quod autem candelabrum? Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi. Qui ergo secundum Christum facit, ut non glorietur, nisi in Christo candelabrum etsi luceat omnibus &c.* Ita ille, sed videlis, quæ de candelabris, eorumque dedicatione diximus nos Tomo II. Romani Pontificalis ad Titulum II. §. LXVI.

X. Jam vel primis Christi seculis habuisse Ecclesiam sicut aurea vasa sacra ad sacrificium peragendum, ita & candelabra aurea, quibus erant affixi cerei, docent nos luculentissime Acta Sancti Laurentii a Prudentio concinnata, ac versibus descripta, in quibus Tyrannus ita alloquitur Sanctum Laurentium Romanæ Ecclesiæ Diaconum, & inclitum Christi Martyrem.

*Hunc esse vestris orgiis*
*Moremque, & artem, proditum est,*
*Hanc disciplinam fœderis,*
*Libent ut auro Antistites.*
*Argenteis scyphis ferunt*
*Fumare sacrum sanguinem*
*Auroque nocturnis sacris*
*Adstare fixos cereos.*

Candelabra aliaque vasa affabre facta ex auro, argento, aliove metallo, quibus fixæ candelæ, ellychnia oleo sota accendebantur ad præbendum lumen, ubi sacræ functiones agebantur, ab ipsis Apostolorum temporibus fuisse in Ecclesia, inde ostendit Baronius ad annum Christi LVIII. quia hic usus jam ante vigebat apud Hebræos, quibus in Templo, & lucernæ succensæ erant, & aureum candelabrum pretiosissimum, Exodi Capite XXV. egregie descriptum. Quam vero sumtuosa hæc essent post datam Ecclesiæ pacem, satis expressum habemus apud Anastasium, & alios, qui Summorum Pontificum, & Principum donaria recensentes, frequenter enumerant pharos coronatos, lampades cum delphinis, canthara cereostata, & lucernas aureas, atque argenteas, multique ponderis, in quibus non solum cera, & oleum commune, sed aliquando oleum pretiosissimum, & opobalsamum incendebatur.

XI. Notat hæc & alia Joannes Bona S. R. E. Cardinalis Lib. I. *Rerum liturgicarum*, Cap. XXV. Num. VII. sed videri etiam potest clarissimus Muratorius in Notis, ac Dissertationibus ad S. Paulinum Nolanum, præsertim Dissertatione XVI. itemque Georgius Lib. I. *De Liturgia Romani Pontificis*, in disquisitionibus de sacro ministerio, Capite XI. ubi vetera affert monumenta, quibus ostendit, jam olim fuisse in Ecclesiæ usu candelabra aurea, argentea, cuprina, & ærea. Monumentis hisce apprime edoctus, & in Ecclesiastica historia, ac sacris ritibus versatissimus S. Carolus, in Actis Ecclesiæ suæ Mediolanensis, de sex candelabris in Altari majori apponendis, ubi solemnia Festa celebrantur, hæc habet: *Candelabra Altaris majoris, quæ etiam aurea olim fuisse animadvertimus, si ex auro per facultates fieri non possint, saltem ex argento conficiantur ad usum solemniorum Officiorum, itaut & metalli genere, & opere cum Cruce congruant. Alia vero, quæ usui quotidiano sunt, ex aurichalco constare poterunt.* Porro cautum est ex Rubrica nostri hujus §. ne candelabra ipsa sint omnino inter se æqualia, sed paulatim quasi per gradus ab utroque Altaris latere surgentia, itaut ex eis altiora sint immediate hinc inde a lateribus Crucis posita. Idipsum tametsi hodie non ita exacte in omnibus Ecclesiis observetur, servandum ajunt Castaldus, Bauldryus, & alii, inter quos Gavantus in suis ad Rubricas Massalis Notis illud etiam monet, Parte I. Tit. XX. in Festis solemnioribus plura quidem debere candelabra apponi, *non tamen ultra sex in linea recta etiam in Missa solemni, non Pontificali*; quia scilicet, ut infra dicemus, tunc etiam septimum adhibendum est.

XII. Crucis tandem in Altari collocandæ ritus est quidem & ipse antiquus, testaturque S. Bonaventura in Libro, *De Mysteriis Missæ*, sanctos jam olim Patres statuisse, ne quisquam Missas agat, nisi in Altari adsit Imago Crucifixi. Ab aspectu siquidem Crucis, ut scite notat Joannes S. R. E. Cardinalis Bona loco superius citato, Num. VIII. Sacerdoti celebranti passio Christi in memoriam revocatur, cujus passionis viva Imago, & realis repræsentatio hoc Sacrificium est, mortem cruentam Salvatoris nostri incruente exprimens, tanquam idem Sacrificium, quod in Cruce oblatum est, quamvis diverso modo offeratur. Ob hanc itaque rationem consuevit jam olim Ecclesia tum Latina, tum Græca in Altari Crucem collocare, quidquid obmurmurent heterodoxi. Certe S. Paulinus non semel ejus ritus meminit tum in Epistola XXXII. ad Severum, tum in Natali XI. S. Felicis. Chrysostomus quoque in illa celebri oratione, *Quod Christus sit Deus*, diserte ait: *Immensa sacra Crux*. Afferri ea in re possent innumera Patrum testimonia, qui de eodem ritu antiquitus servato fidem luculentissimam faciunt; non omittendus tamen egregius Sozomeni locus, Libro II. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. III. ubi narrat Probiano cuidam, qui ex Ethnico Christianus factus, Crucis tamen virtutem non admittebat, oblatum per visionem fuisse, *Crucis signum, seu effigiem, quæ in sacro ejus Altari collocata erat*.

XIII. Hanc quidem historiam mendacissimi Centuriatores Centuria IV. Cap. XIII. superstitiosam vocant, & a Constantini tempore alienam, a Sozomeno confictam, vel stulte pro vera acceptam. Sed hæc solita est hæreticorum calumnia; ete-

Digitized by Google

etenim eodem IV. Seculo, quo Constantinus, floruit S. Chrysostomus in Ecclesia Orientali, & in Occidentali Paulinus, qui ejus quidem ritus testes sunt omni exceptione majores. Sed audiamus hic ipsum Paulinum, qui in laudata ad Severum Epistola ritum illum versibus hisce describit:

*Divinum veneranda tegunt Altaria fœdus,*
*Compositisque sacra cum Cruce Martyribus.*
*Cuncta salutiferi coeunt insignia Christi,*
*Crux, corpus, sanguis Martyris, ipse Deus.*

Ut postremus versus intelligendus sit, egregie exponit Mabillonius Lib. I. *De Liturgia Gallicana*, Cap. IX. Num. XXIV. sic dicens: *Crux in summo Ciborii vertice, Corpus & Sanguis, idest Reliquiæ Martyris in imo, scilicet subtus Altare; ipse Deus, hoc est, ipsum Domini corpus in columba appensum in medio.* Consuevit enim olim, uti Tomo II. Romani Pontificalis diximus ad Titulum XVIII. sacram Eucharistia alicubi loco Tabernaculi in Columba apud Altare appensa custodiri.

XIV. Auro, & argento confectas, gemmisque pretiosissimis ornatas, sicut alia sacra donaria, oblatas, & sanctis Altaribus aut appensas, aut affixas sacratissimas Cruces fuisse, docet passim Liber Pontificalis, aliique Auctores allati longo agmine ab erudito Georgio, loco citato, *Disquisitionum de sacro Ministerio*, Cap. XXXII. & ante ipsum a Clarissimo Viro Jacobo Gretsero in aureis Libris suis, *De sancta Cruce*. Docet sane inter alios Sigibertus ad annum Christi CDLI. Crucem auream in Altari fuisse, quum Episcopus Casatensis Missam celebraret. Meminit Crucis aureæ in Altari Venerabilis Beda Libro II. *Historiæ Anglorum*, Cap. XX. Baronius non uno in loco in suis Annalibus, &, ut alios omittam, in Actis Ecclesiæ Mediolanensis S. Carolus, qui apparatum Altaris majoris enarrans ita ait de Cruce: *Ex aureis, aut si minus per facultates possit, argenteis laminis Crux Altarii majoris erit in Basilica Cathedrali, Ecclesiisque Collegiatis, hæcque usui solemniorum dierum, atque officiorum: altera autem; aut ex aurichalco inaurato condecenter cælata, elaboratave, aliis diebus adhibenda.*

XV. Collocandam insuper esse Crucem in medio Altaris inter candelabra, non uno in loco edicunt Rubricæ Missalis, docuitque jam olim ex prisco ritu Innocentius III. Lib. II. *De Mysteriis Missæ*, Cap. XX. Quocirca satis mirari nequeo, cur Franciscus Suarez insignis ceteroqui Theologus, Parte III. Disputatione LXXXI. Distinctione VI. Crucem in Altari locandam in Missa, negat esse de præcepto. Porro quidquid alii sentiant, tenenda est Rubrica nostri hujus §. quæ dicit locandam esse Crucem, & quidem non nudam, *sed cum Imagine SS. Crucifixi versa ad interiorem Altaris faciem*, in Altaris medio præaltam inter candelabra, *ita ut pes Crucis æquet altitudinem vicinorum candelabrorum, & Crux ipsa tota candelabris superemineat*; ob mysticam forte illam rationem, quam docet Gavantus in Rubricas Missalis Parte I. Tit. XX. *quia Christus*, inquit, *etiam in Cruce major est super omnes populos significatos in candelabris*; sive potius, quia, ut ajunt Auctores Liturgici, Crux certe in Altari est tanquam signum Regis in Regia sua: insignita autem esse debet Sanctissimi Crucifixi Imagine; ut ab ejus conspectu, & Sacerdoti celebranti, & Christiano populo Sacrificio assistenti Passio Christi in memoriam revocetur. Ceterum quod Crux parva licet Crucifixi imagine insignita, super Tabernaculum, in quo asservatur inclusum SS. Sacramentum in Altari, non sit sufficiens, quum Missa celebratur, sed apponi omnino debeat alia Crux in medio candelabrorum, decidit jam Sacra Rituum Congregatio in Rossanen. die XVI. Junii anno MDCLXIII. quemadmodum & illud, in Altari scilicet, in quo adest magna Statua SS. Crucifixi, non esse opus, ut ponatur alia Crux parva, dum Missa celebratur. Rursus quod super Altare, in quo SS. Sacramentum expositum est, Crux de more collocari debeat, & quidem cum imagine Crucifixi apposita, decisum etiam ex Sacra ipsa Congregatio habemus in Senen. die XXIV. Maji anno MDCCVII.

## §. XII.

Celebrante vero Episcopo candelabra septem super Altari ponantur; quo casu Crux non in medio illorum, sed ante altius candelabrum in medio cereorum positum locabitur, a cujus lateribus, si haberentur aliquæ Reliquiæ, aut tabernacula cum Sanctorum Reliquiis, vel Imagines argenteæ, seu ex alia materia staturæ competentis, congrue exponi possent; quæ quidem sacræ Reliquiæ, & Imagines, cum sex tantum candelabra super Altari erunt, disponi poterunt alternatim inter ipsa candelabra; dummodo ipsa Altaris dispositio, & longitudo id patiatur; sed & vascula cum flosculis, frondibusque odoriferis, seu serico contextis, studiose ornata adhiberi poterunt.

## COMMENTARIUS.

I. RItum hactenus in §. hujus Rubrica descriptum egregie enarrat Lib. I. Cap. XXXI. Paris de Crassis sic inquiens: *Super medio Altaris*, ponenda est, *omnino unica Crux insertis, vel appositis Reliquiis, & ad ejus latera per longum Altaris aliquæ Imagines Sanctorum*. Et paulo post: *Item candelabra septem ad plus, sed non pauciora, quam sex post Crucem loca-*

Digitized by Google

*locata, & magis parieti proxima, itaut Imagines proximiores sint Celebranti, ut cum ipse incensat Altare, non impediatur a candelabris.* Ut is ritus in Capella Papæ ex antiquo haud dubie more servetur, de septem scilicet candelabris, sacris Imaginibus, & Reliquiis Sanctorum super Altare ponendis, diserte exponit Augustinus Patricius Lib. III. *Sacrarum Cæremoniarum*, Sectione V. Cap. V. *Super Altare*, inquit, *cum divina peraguntur, sive Cardinalis, sive alius Prælatus celebret, candelabra sex.* Et paulo post: *Si Papa celebrat, super Altare candelabra septem ardent.* Et in fine Capitis: *Imagines, & Reliquiæ ponuntur super Altare, quando utuntur Mitra auriphrygiata, & non aliter.* Sed de his nos infra.

II. Quod nostram Rubricam attinet, ait quod *celebrante Episcopo*, (id quod etiam intelligendum est de Cardinalibus solemniter in suis Titulis celebrantibus) *candelabra septem super Altari ponantur*, cum scilicet non alia divina Officia, sed cum Missam solemnem tantum, & non tamen pro defunctis celebrat, uti jam decidit Sacra Rituum Congregatio die XIX. Maji anno MDCVII. in Placentina, Dubio VIII. apud Meratum in suis ad Gavantum Notis. Rursus candelabrum septimum poni quidem debere super Altari, quando nimirum celebrat Episcopus Ordinarius, non vero Suffraganeus, id etiam decisum habemus ab ipsa Sacra Rituum Congregatione in Bracharen. die I. Septembris eodem anno MDCVII. uti videre est apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. LXXXV. Numero I. & II. Item non posse Episcopum deputatum administratorem alterius Ecclesiæ, dum in illa solemniter celebrat, habere super Altare septimum candelabrum cum candela accensa, eadem Congregatio edixit in Sarsinaten. die XXII. Augusti anno MDCCXXII. teste Ursaya Tomo I. *Disceptationum Ecclesiasticarum*, Parte I. Disceptatione II. & Merato ibidem. Tandem quod in sacris solemnibus non debeant Abbates tametsi Pontificalium usum habentes, in Altari habere septem candelas accensas, cum hoc solum Episcopis concessum sit, a memorata Sacra Rituum Congregatione die XXIX. Januarii MDCXX. & iterum die XXVII. Septembris MDCLIX. declaratum refert in suo Hierolexico Macrius verbo, *Abbas*. Extat Decretum ejusmodi in calce Cæremonialis Episcoporum Romæ editi anno MDCXIII. eoque plures alii abusus sublati sunt.

III. Cur celebrante Episcopo septem candelabra cum totidem cereis accensis in Altari adhibeantur, ait memoratus Macryus, verbo *Candela*, alludere eum ritum ad septem illa candelabra, quæ S. Joannes vidit in sua Apocalypsi Cap. I. & ad denotandum quod Episcopus septem Sancti Spiritus donis per ipsa candelabra significatis ornari debeat. Sed quidquid sit de ea explicatione, qua Ursaya ipse contendebat, septenarium candelabrorum numerum proprie convenire omnibus Episcopis solemniter celebrantibus, standum omnino est laudatis Sacræ Rituum Congregationis Decretis, quæ nonnisi ordinario Episcopo dumtaxat Missam Pontificaliter celebranti, non illam tamen pro defunctis, vel alia divina Officia peragenti usum septem candelabrorum permittunt. Sane Crassus Lib. I. Cap. XXVI. *Convenienter*, ait, *per Patres nostros institutum est, ut super Altari celebrante Episcopo, si commode poni possunt, septem luminaria æqualia tamquam septem planetales stellæ apponantur; sin autem, sex omnino, & non plures quam septem, nec pauciores quam sex.*

IV. Ubi celebrante Episcopo septimum super Altari ponitur candelabrum, ex Rubrica nostri hujus §. *Crux non in medio candelabrorum, sed ante altius candelabrum in medio cereorum positum locabitur, a cujus lateribus si haberentur aliquæ Reliquiæ, aut tabernacula cum Sanctorum Reliquiis, vel Imagines argenteæ, seu ex alia materia, staturæ competentis, congrue exponi possent.* SS. Reliquias consuevisse antiquitus vel sub Altari, vel subtus apsidem recondi, non vero Altaribus imponi, prout postea moris fuit Seculo IX. pluribus probat Mabillonius in Præfatione ad Seculum II. Benedictinum Num. XLV. & seqq. Certe sero invaluitea consuetudo, ejusque testis est Ivo Carnotensis Episcopus, qui Parte II. sui Decreti, Cap. CXXXII. ex quodam Concilio Remensi ait: *Nihil super eo*, idest Altari, *ponatur, nisi capsæ cum Sanctorum Reliquiis, & quatuor Euangelia.* Locandas esse Reliquias Sanctorum, sacrasque eorum Imagines super Altare Capellæ Papalis, *quando utuntur Mitra auriphrygiata, & non aliter*, jam supra audivimus ab Augustino Patricio, qui diu Romæ Apostolicarum cæremoniarum fuit præfectus. Quidquid sit de Papalis Capellæ ritibus, ex §. nostri Rubrica, sacræ Reliquiæ, & Imagines, argenteæ scilicet, vel etiam ex alia materia, staturæ competentis, *cum sex tantum candelabra super Altari erunt, disponi poterunt alternatim inter ipsa candelabra, dummodo ipsa Altaris dispositio, & longitudo id patiatur.*

V. Quod insuper *vascula cum flosculis, frondibusque odoriferis studiose ornata adhiberi* in Altari possint, vetus est Ecclesiæ disciplina, de qua testimonium habemus S. Augustini Lib. XXII. *De Civitate Dei*, Cap. VIII. ubi enarrat inter miracula S. Protomartyris Stephani, virum primarium Martialem nomine multum a Christiana Religione abhorrentem, conversum ad Christum, oratione pro ipso a genero ejus fusa in B. Stephani Oratorio, & admotis floribus ex ejus Altari desumtis: *Visum*, inquit, *est genero ejus, ut iret ad memoriam Sancti Stephani, & illic pro eo, quantum posset, oraret: deinde abscedens, aliquid de Altari florum, quod occurrit, tulit; eique cum jam nox esset, ad caput posuit ... & se credere dixit.* Celebris quoque est ea in re S. Hieronymi locus in Epitaphio Nepotiani, quem egregie laudat, quod *Basilicas Ecclesiæ, & Martyrum conciliabula diversis floribus, & arborum comis, vitiumque pampinis adumbraret.* Teste S. Gregorio Turonensi in Libro, *De Gloria Confessorum*, Cap. L. S. Severus solitus erat flores liliorum tempore, quo nascebantur colligere, ac per parietes sacræ Ædi appendere.



Digitized by Google

VI. Porro tametsi hisce exemplis, & præscripto Cæremonialium Librorum floribus, & exquisitis quibusdam ramulis apte, & concinne dispositis, seu veris, seu fictis, pro temporum varietate, sive in vasculis elegantioribus, sive alia ratione ornari possint Altaria, diebus præsertim festis, abstinendum nihilominus ab iis est, sicut & Imaginibus, & Reliquiis Sanctorum inter candelabra apponendis, Dominicis Quadragesimæ, excepta quarta, ut notat Meratus in suis ad Gavantum additionibus Parte IV. Tit. VI. Num. XXII. Sciendum præterea & illud est, quod ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis die XXII. Januarii anno MDCCI. in una Camaldulensium Montis Coronæ, ante ostiolum Tabernaculi Sanctissimi Sacramenti, in quo depicta, vel insculpta est imago Domini nostri Jesu Christi, non est retinendum vas florum, vel quid simile, sed potest collocari in humiliori, & decentiori loco. Unum autem hic ego addiderim, consultius esse adhiberi in Altari flores fictos ex serico contextos, quam naturales, si ii, ut non semel accidit, nimio odore caput offendant, adeo ut coacti aliquando fuerint Sacerdotes ab Altari discedere.

## §. XIII.

**Quod si Altare parieti adhæreat, applicari poterit ipsi parieti supra Altare pannus aliquis cæteris nobilior, & speciosior, ubi intextæ sint Domini nostri Jesu Christi, aut gloriosæ Virginis, vel Sanctorum Imagines, nisi jam in ipso pariete essent depictæ, & decenter ornatæ: desuper vero in alto appendatur umbraculum, quod baldachinum vocant, formæ quadratæ, cooperiens Altare, & ipsius Altaris scabellum, coloris cæterorum paramentorum. Quod baldachinum etiam supra statuendum erit, si Altare sit a pariete sejunctum, nec supra habeat aliquod Ciborium ex lapide, aut ex marmore confectum.**

## COMMENTARIUS.

I. PRæter Imagines Sanctorum, quæ ex veteri ritu super Altari inter candelabra diebus solemnioribus ad illius ornatum locandæ sunt, si ipsum *Altare parieti adhæreat*, ait hic §. noster, *applicari poterit ipsi parieti supra Altare pannus aliquis cæteris nobilior, & speciosior, ubi intextæ sint Domini nostri Jesu Christi, vel Sanctorum Imagines, nisi jam in ipso pariete essent depictæ*. Esse hunc antiquum ritum, ut sacræ Imagines in Altari ponantur, jam non semel a nobis ostensum fuit, tum alibi, tum vero præsertim II. nostro Tomo Conciliorum in Commentariis ad Concilium II. Nicænum, & VII. Oecumenicum, tum etiam superius. Sed ut nonnulla hic referam vetera monumenta, quibus Rubrica hæc illustretur, testatur Anastasius, Adrianum Pontificem fecisse vestes duas super Altare majorem unam ex auro purissimo, atque gemmis, in qua expressa erat Dei Genitricis in Cælum Assumtio, aliam de stauracio ornatam in ambitu blattis. Eodem teste Auctore Paschalis itidem Pontifex fecit in Altari sancti Petri vestem miræ magnitudinis pulcram, & decoratam nimis, ex auro gemmisque contextam, præfigurantem historiam sancti Apostoli a vinculis per Angelum erepti.

II. Romæ, ut alias omittam, in Basilica sancti Joannis Laterani omnium Ecclesiarum matre, & magistra super Altare majus pannus hodieque conspicitur nobilior, ac speciosior, ubi intextæ sunt Imagines Sanctorum, Joannis scilicet Præcursoris Domini nostri Jesu Christi, & Joannis Apostoli, atque Euangelistæ. Ita quoque in Capella Pontificia in majoribus solemnitatibus panni Imagines Sanctorum eleganter repræsentantes, pro ratione Festivitatum, & ipsorum Sanctorum locari solent; id quod etiam fit in Capella Sixtina, quæ est in Palatio Vaticano, tametsi in ipsius pariete universale judicium depictum sit, in quo Christus Dominus, Beata Virgo, Apostoli, aliique Sancti conspiciuntur. In aliis passim Ecclesiis, quod vel in ipso pariete super Altare, vel in tela eidem Altari adhærente Sanctorum Imagines depictæ sunt, non est opus, ut pannus ipse nobilior cum Sanctorum Imagine ibidem intexta collocandus sit, nisi tamen alicujus alius Sancti solemnitas in ipso Altari celebretur, tunc enim super picturam ibidem permanentem Imago illius poni assolet, cujus Festum celebratur, ut accidit potissimum, cum in Ecclesiis solemni pompa Sanctorum recens Canonizatorum celebritas agitur, quorum Imagines elegantissime ornatæ in majori Altari ponuntur Fidelium venerationi expositæ.

III. Umbraculum, seu baldachinum super Altari apponendum ex veteri more Scriptores passim Liturgici tradunt: *Supra Altare ab alto pendeat aliquod umbraculum, quod baldachinum vocant, pulcre compositum*. Verba sunt Paridis Crassi Lib. I. Cap. XXXI. Plura de eo integumento, quod scilicet super Altare appendendum est, ut & Sacerdos, & Altare, a pulvere, omnique labenti sorde defendatur, Decreta legere est in Synodis Episcoporum, ac præsertim in Actis Ecclesiæ Mediolanensis, & Conciliis a S. Carolo editis ad communem Ecclesiarum utilitatem. Sane in Concilio Mediolanensi IV. ubi de Altari agit, ita quidem ea de re statuit: *Tegmen omnino habeat, vel fornicatum, vel saltem ex asseribus, aut e tela cærulea, decenter picta, vel e serico, aut panno pretiosiori confectum; ubi scilicet fornix non est, quæ totum Altare, ac præterea Sacerdotem celebran-*

Digitized by Google

*brantem tegat; aut si fornix est, ab Altari tamen ita distet, ut ea sæpe purgari facile, & commode queat.* Consona hæc sunt §. hujus nostri Rubricæ, ex cujus etiam præscripto *baldachinum etiam supra statuendum erit, si Altare sit a pariete sejunctum, nec supra habeat aliquod Ciborium ex lapide, aut ex marmore confectum.*

IV. Quamquam vero varia sit appellatio Ciborii, hic certe nihil aliud significat, quam turritam ædiculam quatuor columnis innixam Altari impositam, ut videre hodieque est Romæ in variis Basilicis, ac præsertim S. Petri, S. Joannis Laterani, & S. Mariæ Majoris. Ornari consuevisse hujusmodi Ciboria ex auro, argentoque, aliisque ornamentis, testem inter alios habemus Chronographum Centulensem, Lib. III. Cap. III. ubi hæc habet: *Super illa tria Altaria habentur tria Ciboria ex argento, & auro parata, in quibus tres dependent coronæ, singulæ per singula ex auro gemmisque paratæ, cum aliis cruciculis, aliisque ornamentis.* Occurrunt Ciboria hujusmodi apud Anastasium in Vitis Romanorum Pontificum, solebant enim ii Altaribus Basilicarum Urbis Ciboria argentea donare. Porro cum olim Sanctorum corpora subtus Altare recondita essent, eorum tumuli turritis illis ædiculis exornabantur, eo fere modo quo antiqui Basilicas super Sanctorum sepulcra ædificabant. Hinc teste Paulo Diacono Warnefridi filio, Lib. III. *De gestis Longobardorum*, Cap. XXXV. *Guntramnus Rex Ciborium solidum ex auro miræ magnitudinis, & magni ponderis fecit, multisque illud pretiosissimis gemmis decoratum ad sepulcrum Domini Hierosolymam transmittere voluit; sed cum minime potuisset, idem supra Corpus B. Marcelli Martyris, quo in Civitate Cavallono situm est, poni fecit.*

V. Reliquum est, ut de baldachino, seu umbraculo super Altari appendendo minime illud prætermittamus, quod in §. nostro edicitur, debere scilicet ipsum esse *formæ quadratæ, cooperiens Altare, & ipsius Altaris scabellum, coloris cæterorum paramentorum*: quæ quidem, quantum scilicet ad colorem, intelligenda sunt, si commode fieri possit, ut scite docet Gavantus in Rubricas Missalis Parte I. Tit. XX. dicens: *Umbraculum, seu baldachinum super Altari appendi convenit forma quadrata, colore, ubi commode fieri possit, conformi colori ceterorum paramentorum, pro temporum, ac Celebritatum varietate.* Porro cujusmodi sit operimentum super Altari imponendum, admonente S. Carolo in laudatis toties Actis Ecclesiæ Mediolanensis, undique ita late patere debet, ut Altare ipsum, & Sacerdos ibi Missæ sacrum faciens, omnino contegatur.

## §. XIV.

**Si autem adsit tale Ciborium, non est opus umbraculo, sed ipsum Ciborium floribus, frondibusque exornari poterit.**

## COMMENTARIUS.

I. Quando opus sit super Altari umbraculo, jam superius dictum fuit, auctoritate etiam Concilii IV. Provincialis Mediolanensis S. Caroli. Hic satis erit describere, quod idem S. Antistes de ea re statuit in Mediolanensis Ecclesiæ suæ Actis, ut nimirum non modo majus, sed Altaria singula, *quæ non tota cum Sacerdote item Celebrante opere fornicato, sed tecto laqueato, teguntur, aut fornice ita alte extructa, ut ea fornix commode, sæpiusque purgari non queat, integumento etiam, quod* capocielo *dicunt, operiantur.* Tametsi itaque extat suo Altari Ciborium, adhuc apponendum est umbraculum, seu baldachinum, si longe ab Altari fornix distet, non autem si proxima Altari esset; tunc enim sufficiet, ut omisso Umbraculo, Ciborium ipsum floribus, frondibusque exornetur, juxta veterem Ecclesiæ morem, quæ, uti superius ostensum est, jam olim consuevit non modo in Altari, sed & per parietes sacræ Ædis odoriferos flores, ac frondes appendere. Commendat tandem Cæremoniale & eum ritum, de quo infra §. XVI. ut scilicet in Altari majori, vel aliis etiam, quæ habent Ciboria, circumcirca lampades appendantur, de quo tamen ritu nos suo loco inferius disseremus.

## §. XV.

**Cum Episcopus erit celebraturus Missam solemnem, ponentur omnia paramenta Pontificalia in medio Altaris, ordine retregrado, videlicet Annulus inclusus in aliqua capsula seorsum ab aliis, Planeta, Chirothecæ, Dalmatica, Tunicella, Stola, Crux pectoralis, Cingulum, Alba, & Amictus; Manipulus vero ad partem ibidem ponetur. Sed in Ecclesiis, ubi esset Secretarium, sive locus, ubi Episcopus paretur, paramenta prædicta possent ibi præparari, non autem super Altari, ut suo loco dicetur. Libri vero, Missalis, Euangeliorum, Epistolarum, tecti serico ejusdem coloris, quo cetera paramenta cum pulvino ex eodem se-**



Digitized by Google

rico, vel parvo legili argenteo, aut ligno affabre tamen elaborato, ponuntur super credentia in cornu Epistolæ.

## COMMENTARIUS.

I. DUctus a temporibus antiquis mos fuit, ut quoties Summus Pontifex, ac Episcopi solemni ritu celebraturi erant, in loco prope Ecclesiam, seu ipsi Ecclesiæ conjuncto sacra indumenta sumerent, atque ex eo ad Altare, sacris Ministris præeuntibus, procederent. Hic locus, ut scitissime observant Durantus, Mabillonius, Bona Cardinalis, Martenius, & novissime Clarissimus Georgius Lib. I. *De liturgia Romani Pontificis*, Cap. VII. a Majoribus nostris *Secretarium*, est appellatus, deinde etiam varia nomina accepit, nempe *Salutatorium*, *Vestiarium*, *Receptorium*, *Paratorium*, *Mutatorium*, *Diaconicum*, *Sacrarium*. De quibus omnibus legendus est memoratus Georgius, qui mirabili eruditione nomina illa exponit.

II. Locus Secretarii, quod hodie barbara voce *Sacristia* dicitur, construi consuevit in inferiori parte navis Ecclesiæ ad Austrum, scilicet ex parte virorum, divisi enim erant antiquitus viri a mulieribus in Ecclesia, uti jam diximus Tomo I. Romani Pontificalis Tit. I. & Lib. II. *De Codice sancti Euangelii*, Cap. VI. Hinc in veteri Basilica Vaticana, & in Lateranensi, ut docet Mabillonius in Commentario prævio ad Ordinem Romanum Tomo II. Musei Italici, Pag. XXII. Secretaria erant ad sinistram ingredientium in easdem Basilicas, quia Basilicæ ipsæ Orienti obversæ Austrum habebant ad sinistram. Contra vero vetus Sacrarium Diaconiæ S. Mariæ in Cosmedin stabat ad dexteram ingredientium, propterea quod Auster ejusdem Ecclesiæ ingredientibus dexter erat. In illis Secretariis etiam Oratorium habebatur, ut in Lateranensi Sancti Thomæ, in Vaticana S. Gregorii, quod Oratorium nunc S. Mariæ de Febre appellatur; sed neutrum modo pro Secretario est. In his Secretariis Romani Pontifices æque ac Episcopi, Sacra facturi, vestes, quibus in Sacrificio uterentur, induebant, & inde ad Altare solemni ritu procedebant, uti superius notatum est, & uti liquido constat ex Ordinibus antiquis Romanis a Mabillonio editis memorato Tomo II. Musei Italici.

III. Hunc ritum sua antiquitate venerabilem nostrum quidem Cæremoniale in §. hujus Rubrica vehementer exoptans ab Episcopis servandum, inter alia edicit, ut *in Ecclesiis, ubi esset Secretarium, sive locus, ubi Episcopus paretur, paramenta possent ibi præparari, non autem super Altari*. Sane posterioribus nonnisi sæculis, quod aliquæ forte Ecclesiæ Secretaria non haberent decenter instructa, in quibus celebraturi Episcopi sacris Pontificalibus vestibus induerentur, mos ubique fere locorum invaluit, ut ab Altari sumerent. Quicquid sit, testis est hujus novi ritus Paris de Crassis Lib. I. Cap. XXXI. ubi loquens de regulari positione, & ornatu Altaris, ac paramentis tam Celebrantis, quam Ministrorum, hæc habet, conformiter ad Rubricam nostri hujus §. *In medio Altaris citra Crucem ponuntur omnia paramenta Pontificalia pro Missa, ordine retrogrado; primo enim Annulus, tum Planeta, inde Chirothecæ, & Dalmatica, Tunicella, Stola, Crux pectoralis, Cingulum, & Alba, idest, Camisus, ultimo Amictus, & denique Manipulus, qui includitur Libro Euangelistario*.

IV. Ordo, ac modus, quo in Altari Episcopalia paramenta ipsa collocanda sunt, docente Bauldryo Parte V. Cap. XII. Num. XX. aliisque Auctoribus, qui sacras cæremonias enarrant, is est. Annulus inclusus in aliqua capsula seorsim ab aliis: Planeta, cujus posterior pars mappæ Altaris sit contigua, Chirothecæ in aliqua pelvicula, si fieri potest, ut supra, Dalmatica, & Tunicella, quarum partes posteriores sint subtus, Stola, Crux pectoralis seorsim etiam in aliqua capsula, Cingulum, Alba, cujus etiam pars posterior sit subtus, & Amictus. Manipulus vero ad partem ibidem ponetur, vel includetur in Libro Euangeliorum, itaut extremitates illius sint extra illum, & replicentur ad partem ipsius Libri. Qui ejusmodi ornamentorum Episcopalium notitiam scire desiderat, plenam, ni fallor, inveniet nostro I. Tomo Romani Pontificalis tum in Prolegomenis, tum ad Titulum XIII. *De consecratione Electi in Episcopum*. Advertendum hic autem censeo, debere ipsa paramenta super Altari posita aliquo velo cooperiri ejusdem coloris paramentorum.

V. Jam non solum Episcopos, & Cardinales, verum etiam Prælatos Episcopis inferiores, qui Pontificalium usu fruuntur, sacras vestes ex Altari sumere posse, quando scilicet Pontificaliter Divinis operaturi sunt, declaravit quidem, atque decrevit Sacra Rituum Congregatio die XXVII. Septembris anno MDCLIX. §. II. in Decreto generali ab Alexandro VII. approbato. Deficiente Sacristia, in casu nempe necessitatis posse etiam simplices Sacerdotes de Altari paramenta sumere, non tamen in medio, sed in cornu Euangelii posita, docet Gavantus in Rubricas Missalis, Parte II. Tit. I. & alii a Merato relati in suis ad ipsum Gavantum Notis, ubi etiam Tonellium, & Bissum laudat, scitissime ajentes, ad Altare in quo est expositum Sanctissimum Sacramentum, nullum omnino sumere debere paramenta; sed deficiente Sacristia, in alio loco a Presbyterio remoto paramenta esse accipienda, ob tanti scilicet reverentiam Sacramenti. Ceterum, quamvis ex aliquorum sententia, ubi Episcopi Pontificaliter celebrarent, & paramenta sua in medio Altaris acciperent, Diaconi quoque in cornu Euangelii, & Subdiaconi in cornu Epistolæ paramenta sua ordine itidem retrogrado, ut de Epi-

scopis

Digitized by Google

scopis dictum est, sumerent, vix ejusmodi praxis laudato Crasso placuit, dum ait convenientius fieri, si celebrante Episcopo, *paramenta Ministrorum nullatenus super Altari, sed aut super abaco, aut retro Altare super aliqua Mensa ponantur, ubi ipsi parentur*.

VI. Ait denique Rubrica §. hujus nostri, in solemnioribus Festis Libros, *Missalis, Euangeliorum, Epistolarum* tegi debere *serico ejusdem coloris, quo cætera paramenta, cum pulvino ex eodem serico, & colore, vel parvo legili argenteo, aut ligneo affabre tamen elaborato*, & poni *super credentia in cornu Epistolæ*. Loquitur hic Rubrica ex veteri Ecclesiæ more, quo varii erant, ac omnino distincti Sacri Codices celebrandæ Missæ destinati; qui etiam auro, argento, gemmisque pretiosissimis ornari solebant, præsertim sacri Euangeliorum Libri, ut fuse ostendimus in Opere nostro, *De Codice sancti Euangelii &c.* Lib. III. Cap. XVI. Rationem ejus ritus hanc reddit Rupertus Abbas Lib. II. *De Divinis Officiis*, Cap. XXIII. *Codices quoque Euangelici auro, & argento, lapidibusque pretiosis non immerito decorantur, in quibus rutilat aurum cælestis sapientiæ, nitet argentum fidelis eloquentiæ, fulgent miraculorum pretiosi lapides, quæ manus Christi tornatiles aureæ plenæ hyacinthis operatæ sunt*. Cæteros quoque Libros, qui usui Missæ erant, fuisse etiam forinsecus, auro argentoque exornatos, testis est Leo Ostiensis Lib. III. *Chronici Casinensi*, Cap. XX. & LXXIV. ubi inter ornamenta Casinensi Ecclesiæ acquisita, & relicta a Desiderio Abbate, qui postea Victor III. Romanus Pontifex fuit, enumerat Libros Epistolarum, & Euangeliorum, ac Sacramentorum cum tabulis aureis, & argenteis.

VII. Ergo, uti passim docent Liturgici Auctores, & novissime doctissimus Meratus in suis ad Gavantum Notis, Libri Liturgici, & Missales, quibus Ecclesiæ utebantur in Missarum solemniis celebrandis, non uno, ut hodie fit, sed triplici volumine seorsim distincto comprehensi erant. Primum continebat Orationes, precationes, Præfationes, & alia id genus, quæ a Sacerdote celebrante ad Altare recitabantur. Alterum continebat Euangelia a Diacono, & lectiones scripturales ab aliis sacris Ministris legendæ. Continebat tertium Antiphonas, Tractus, Gradualia, Responsoria, & alia hujusmodi, quæ a Choro canebantur, dictumque iccirco Antiphonarium Missæ, quod S. Gregorio Magno ab antiquis Codicibus, & Scriptoribus tribuitur. Quamvis autem, uti dictum est, Euangelia, Epistolæque uno volumine comprehenderentur, constat tamen ex variis mss. Codicibus, alium fuisse Epistolarum Librum, alium Codicem Euangeliorum.

VIII. Præter hos Libros Missales ita divisos, erat quoque olim Missale plenarium, ita dictum, quia comprehendebat non seorsim, sed unitos omnes prædictos Libros. Meminit ejus Codicis Leo IV. Papa in Homilia de cura pastorali, mandans, ut *Missale plenarium, & Lectionarium, & Antiphonarium unaquæque Ecclesia habeat*. Occurrit passim is liber apud Scriptores Ecclesiasticos, ut videre est apud Dufresne in suo Glossario; videri etiam de iis Libris possunt quæ scripsit eruditus Bocquillot in Tractatu historico Liturgiæ sacræ, Lib. I. Cap. IX. Extat Romæ in Bibliotheca Angelica Fratrum Eremitarum S. Augustini antiquissimus Codex Missalis plenarii, quo omnia continentur, quæ in Missæ celebratione tam a Sacerdote, quam a Ministris, & Choro dicebantur. Hujusmodi Missalia necessaria fuisse, ubi Sacerdotes privatas Missas celebrarent, scitissime observat laudatus Meratus.

IX. Meminit tandem trium memoratorum superius Librorum Crassus Lib. I. Cap. XXXI. sic inquiens: *Tres autem Libri, videlicet, Missalis, Euangelistaris, & Epistolaris, omnes uno colore tempori congruo cooperti sint super gradu Altaris sub cornu Epistolæ cum unico pulvino ejusdem coloris*. Libros hosce non super gradu Altaris, sed super credentia in cornu Epistolæ posita esse collocandos, ex nostra Rubrica cautum est, quæ servari debet, ubi scilicet Missarum solemnia celebrantur. Morem denique a Rubricis tum Missalis, tum Cæremonialis præscriptum, adhibendi pulvinar ad sustentandum scilicet Codicem Missalem in Missa, antiquum esse, ex Ordinibus antiquis Romanis addiscimus, in quo statuitur, ut perlecto Euangelio, accipiat Subdiaconus pulvinar, & Euangelium a Diacono, eumque præcedat. Agunt de eo pulvinari, quod etiam vocatur *cussinus*, Auctores passim liturgici, Innocentius III. Durandus, & alii, inter quos legi possunt quæ de eodem præscribit in Actis Ecclesiæ Mediolanensis S. Carolus, ubi scilicet agit de supellectili Missarum, divinorum Officiorum, Ministrorumque Episcopalium propria; inter alia enim ait, tegendum esse pulvinar ornamento ejusdem generis, & coloris, quo scilicet sunt cetera paramenta.

## §. XVI.

Gradus omnes Altari inferiores cooperiantur aliquo amplo, & pulcro tapete; ut si fieri potest, sint magis conspicui, & ornati, quam reliqua pars Presbyterii, quæ pannis viridibus contegitur. Si vero tale tapete amplum haberi non posset, saltem scabellum, seu suppedaneum, quod est proximum Altari, sit tapete aliquo cooperatum. Similiter & locus, qui plerisque Ecclesiis sub Altari majori esse solet, ubi SS. Martyrum corpora requiescunt, qui Martyrium, seu Confessio appellatur, decet floribus, frondibusque, omnique ornamento decorari. Cetera Altaria per Ecclesiam

Digitized by Google

clesiam pariter palliis concoloribus, decentibusque ornentur, absque coronide, & cum fascia, ut supra de majori dictum est; & habeant quælibet duo saltem candelabra cum cereis, & in medio Crucem cum imagine Crucifixi argenteam, vel ex aliquo metallo, aut cupro aurato. Scabella eorum, si fieri possit, tapetibus, vel saltem pannis cooperiantur. Altare vero, vel locus, ubi est repositum SS. Sacramentum, præ ceteris sumtuosius, ac nitidius exornandum est.

## COMMENTARIUS.

I. Circumcirca Altare per terram debere sterni tapetia in Presbyterio, *maxime omnes gradus Altaris tegentia, ubi Ministri sacrificaturi sedere possint decenter, & honeste*, tradit Crassus Lib. I. Cap. XXXI. in fine. Agit de iis in Actis Ecclesiæ suæ S. Carolus, mandatque, ut *stragula bradellæ, & graduum Altaris, plani item, cum opus est, tapetia sint, aut panni lanei, iisque pretiosior, pro solemnitatum ratione, proque Ecclesiarum dignitate*. Et mox: *Late, longe, & ample ita pateant, ut & bradella, & Altaris gradus, eorum operimento consternatur omni, atque adeo amplius, saltem cubito uno*; quia scilicet ex Rubrica nostri hujus §. reliqua pars Presbyterii pannis viridibus est contegenda; imo ex ejusdem præscripto, si *tale tapete amplum haberi non posset*, sat erit, si saltem scabellum, seu suppedaneum, quod est proximum Altari, sit tapete aliquo coopertum. Et hoc quantum ad majus Altare, quod enim minora spectat Altaria Ecclesiæ, scabella quidem eorum, *si fieri possit*, tapetibus, vel saltem pannis cooperientur.

II. Locus præterea, *qui in plerisque Ecclesiis sub Altari majori esse solet, ubi SS. Martyrum corpora requiescunt, qui* Martyrium, *seu* Confessio *appellatur, decet floribus frondibusque decorari*, juxta scilicet ritum antiquum, iterum atque iterum a nobis superius explicatum, de quo, ut hic alios omittam, mentionem facit Sanctus Paulinus in Natali III. S. Felicis, ubi loquens de tumulo, ubi sepultus fuit memoratus Martyr, hæc habet:

*Spargite Deo pueri laudem, pia solvite vota;*
*Spargite flore solum, prætexite limina sertis;*
*Purpureum ver spiret hyems, sit floreus annus*
*Ante diem, sancto cedat natura diei.*

Servatur is hodieque ritus in multis Ecclesiis insignibus præsertim vero Romæ in Basilica Vaticana in Festo Apostolorum Petri & Pauli, in qua eorum Confessio solet egregie ornari, variis florum sertis atque coronis, admirabili artificio intextis. Consuevisse præterea Sanctorum tumulos non modo floribus, sed & aulæis etiam pretiosis ornari, tradit non uno in loco Anastasius in Vitis Romanorum Pontificum, quorum pietatem vel ex eo commendat, quod ornandis sanctorum Martyrum tumulis operam suam impenderent. Sed & de iis jam etiam superius dictum est.

III. Locum ipsum, qui in plerisque locis sub Altari majori esse solet, ubi Sanctorum Martyrum corpora requiescunt, appellari *Martyrium*, seu *Confessionem*, innumera pene, ac vetera Ecclesiæ monumenta nos docent. S. Isidorus Lib. XV. *Originum*, Cap. IV. *Martyrium*, inquit, *locus Martyrum Græca derivatione, eo quod in memoriam Martyris sit constructum, vel quod sepulchra Sanctorum ibi sint Martyrum*. Concinit illi Walafridus Strabo in Libro, *De rebus Ecclesiasticis*, Cap. VI. dicens: *Martyria vocabantur Ecclesiæ, quæ in honore aliquorum Martyrum fiebant, quorum sepulcris, & Ecclesiis honor congruus exhibendus in Canonibus decernitur*. In Actis Concilii Chalcedonensis sæpe memoratur Martyrium *sanctissimæ, & pulcre victricis Martyris Euphemiæ*, in quo illud celebratum est. Plura de ea voce scribit Lib. I. *Rerum liturgicarum*, Cap. XIX. Num. IV. Bona Cardinalis, ubi notat, eundem in modum dicta fuisse *Apostolica* loca illa, quæ Apostolorum, & *Prophetea*, quæ Prophetarum memoriæ dicata erant; probatque auctoritate Sozomeni, & Theodori Lectoris, quorum prior Lib. VIII *Historiæ*, Cap. XVII. ait: *Ruffinus Consularis in suburbio Chalcedonis magnam Ecclesiam in honorem* Petri, *& Pauli extruxit, &* Apostolium, *ab ipsis appellavit*. Alter vero Lib. I. ita inquit: *Reliquiæ Sancti Samuelis in ejus Propheteo sunt positæ*.

IV. Proprie Martyria dicebantur Martyrum ipsa sepulcra, Memoriæ, Confessiones, itemque Concilia, & Conciliabula, quibus Altaria superædificabantur. Hinc de S. Felice I. tradit Liber Pontificalis: *Hic constituit supra sepulcra, aut Memorias Martyrum Missas celebrari*. Eodem teste Libro, S. Damasus Martyrum Concilia versibus declaravit, idest, eorum, sepulcra, ædesque in illorum honorem dicatas. Sed audiendus S. Hieronymus in Epitaphio Nepotiani, quem apprime laudat, quod *Martyrum Conciliabula diversis floribus, & arborum comis, vitiumque pampinis adumbraret*. Porro a Martyrio dictus est Martyrarius, idem scilicet, qui Mansionarius, custos Ecclesiæ, qui sacras in Ecclesia Reliquias custodit, ac servat, uti fuse ostendit eruditus Dufresne in suo mediæ & infimæ Latinitatis Glossario, verbo *Martyrarius*, ubi inter alia affert celebrem locum ex Vita S. Zosimi Episcopi Syracusani Num. VI. *S. Zosimus, tum ætate, tum virtutibus inter Sanctos proficiens custos pretiosi loculi S. Virginis Luciæ constituitur a S. Fausto Abbate ipsius Monasterii*. Et Num. IX. idem S. Zosimus *ad Ecclesiæ, loculique S. Virginis Luciæ custodiam relictus*, moxque *Ostiarius, & Templi custos* dicitur.

V. Martyrium Græce idem est, ac Latine *Confessio*, de qua frequens est mentio in antiquis Ordinibus Romanis. Cur vero Confessionis nomine donatum in primis fuerit Romæ beati Petri Prin-

Digitized by Google

Principis Apostolorum sepulcrum, Panvinius quidem hanc elicit rationem ex Actione IV. Synodi VIII. Constantinopolitanæ, quod nullus scilicet peregrinus in Basilicam S. Petri admitteretur, quin prius libellum Fidei suæ edidisset, quod ad Confessionem ipsius Apostolorum Principis fieri solitum fuisse affirmat. Verum cum Confessio ipsa, ut notat Mabillonius Tomo I. Musei Italici in Commentario prævio ad Ordinem Romanum, Cap. xx. in intima Basilicæ parte locata esset, prius in Basilicam advenis concedebatur ingressus, quam fidei professionem emisissent. Sunt qui alias rationes afferunt, sed placet ea sententia, quæ dicit, Confessionem inde esse appellatam, quod sit locus Confessoris, seu Martyris. Sane quod ad Confessionem beati Petri, imo ad ejus Basilicam nemo olim admitteretur, qui prius suam ipsius Fidem non probasset, ex Optato Milevitano colligi potest, qui Lib. VI. contra Donatistas, ubi de Macrobio Pseudoepiscopo Donatista agit, hæc habet: *Denique si Macrobio dicatur, ubi illic sedeat? Numquid potest dicere, in Cathedra Petri? quam nescio, si vel oculis novit, & ad cujus memoriam non accedit, quasi schismaticus.*

VI. Celebrem S. Petri Confessionem egregie describit vetustus auctor S. Gregorius Turonensis Lib. I. *De Gloria Martyrum*, Cap. XXVIII. his plane verbis: *Hoc sepulcrum sub Altari collocatum valde rarum habetur. Sed qui orare desiderat, reseratis cancellis, quibus locus ille ambitur, accedit super sepulcrum; & sic fenestella parvula patefacta, immisso introrsum capite, quæ necessitas promit, efflagitat. Nec moratur effectus, si petitionis tantum justa proferatur oratio. Quod si beata auferre desiderat pignora, palliolum aliquod momentana pensatum jacit intrinsecus: deinde vigilans, ac jejunans devotissime deprecatur, ut devotioni suæ virtus Apostolica suffragetur. Mirum dictu! Si fides hominis prævaluerit, a tumulo palliolum elevatum ita imbuitur divina virtute, ut multo amplius, quam prius pensaverat, ponderaret; & tunc scit, qui levaverit, ejus gratia sumsisse, quod petit. Multi enim & claves aureas ad reserandos cancellos beati sepulcri faciunt; qui ferentes, pro benedictione priores accipiunt, quibus infirmitati tribulatorum medeantur. Omnia enim Fides integra præstat. Sunt ibi & columnæ miræ elegantiæ, candore niveo, quatuor numero, quæ Ciborium sepulcri sustinere dicuntur.* Hactenus Gregorius Turonensis, in cujus recitatum plura scitu digna observat Mabillonius loco laudato. Vide & apud eundem in Appendice ad Ordinem XI. Diploma Joannis Papæ XIX. in quo multa leges de ipsa Sancti Petri Confessione, ejusque consuetudinibus.

VII. Nunc cetera persequamur, quæ in §. nostri Rubrica præscribuntur: *Cætera*, inquit, *Altaria per Ecclesiam palliis concoloribus, decentibusque ornentur absque coronide, & cum fascia, ut supra de majori dictum est.* Ne actum hic iterum agamus, etiam nos ad ea, quæ in Commentariis superioribus de palliis majoris Altaris diximus, & aliis ornatum illius spectantibus, curiosum Lectorem remittimus. Non omittendum hoc loco est, quod Rubrica ipsa mox subjicit, mandans, ut cætera minora Aliaria *habeant quælibet duo saltem candelabra cum cereis, & in medio Crucem cum Imagine Crucifixi argenteam, vel ex aliquo metallo, aut cupro aurato.* His concinit Rubrica Missalis Parte I. Tit. xx. ubi postquam edixit, ornandum esse Altare *pallio coloris quoad fieri potest, diei festo, vel officio convenientis*, ita statim subdit: *Super Altare collocetur Crux in medio*, cum imagine scilicet Crucifixi, uti supra de Altari majori dictum est: *& candelabra saltem duo cum candelis accensis, hinc, & inde, in utroque ejus latere.* Ait Rubrica, *saltem duo*, quia scilicet in solemnioribus festis, plura jam vel in minoribus Altaribus collocanda sunt candelabra, & quidem *cum candelis accensis*, non modo quum Missæ ibidem celebrantur, verum etiam dum Vesperæ, & Missa solemnis in majori Altari decantantur juxta praxim Ecclesiarum Urbis. Tametsi autem in minoribus Altaribus, ubi celebrantur Missæ privatæ, non solum duo, sed etiam plures, pari tamen numero, ratione Festi, accendi cerei possint, si tamen ea solemnitatis ratio deesset, duo dumtaxat lumina accendi in privatis Missis deberent, nam alias quatuor candelas in Altari accendere, nec Vicariis ipsis Generalibus convenire, licet sint Protonotarii, cum privatas Missas celebrant, decrevit Sacra Rituum Congregatio die VII. Augusti anno MDCXXVII. apud Gavantum in Rubricas Missalis citata Parte I. Tit. xx.

VIII. Est tandem illud potissime notatu dignum, quod nostri §. Rubrica edicit in fine, Altare scilicet, vel locum, *ubi est repositum SS. Sacramentum præ ceteris sumtuosius, ac nitidius exornandum esse.* Indecentissimum enim foret, si Sanctorum Sacella, in quibus non extant, nisi ipsorum Imagines, vel ad summum aliquæ exuviæ, potiori cultu prosequeremur, quam locum, quem Sanctorum omnium Dominus Christus Dominus sua reali præsentia inhabitat. Scio equidem, quod docet Hieronymus in Epistola ad Riparium Presbyterum adversus Vigilantium, nempe, quod *honoramus Reliquias Martyrum, ut eum, cujus sunt Martyres, adoremus*; & quod *honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum, qui ait*, in Euangelio scilicet Matthæi, Cap. xx. *Qui vos suscipit, me suscipit.* Sed arguendi nihilominus sunt, qui postquam in Festis præsertim Sacellum Sancti aurea, atque argentea supellectili instruxerunt, Altare Sanctissimi Sacramenti simplicissimo apparatu exornant, & aliquando etiam cum candelabris ligneis, pallioque lacero. Hoc plane indecentissimum est, & a Christiana pietate longe alienum, adeoque emendatione dignum. Quis enim æquo animo tulerit videre alicubi Sanctorum Reliquias, earumque Imagines aureis ac preciosis velis tegi, Tabernaculum vero, in quo asservatur Sanctissimum Sacramentum, idest Christus Deus noster, contrito panno cooperiri, ut omittam elegantissima structura in honorem Sanctorum Sacella erecta, Capellam vero Sanctissimi Sacramenti penitus fere neglectam.

§. XVII

Digitized by Google

## §. XVII.

Lampades quoque ardentes numero impari in Ecclesiis adsint, tum ad cultum, & ornatum, tum ad mysticum sensum, ut & multa ex superius narratis pertinent. Hæ vero in primis adhibendæ sunt ante Altare, vel locum, ubi asservatur SS. Sacramentum, & ante Altare majus, quibus in locis lampadarios pensiles esse decet, plures sustinentes lampades, ex quibus, qui ante Altare majus erit, tres ad minus; qui ante Sacramentum, saltem quinque lucernas hebeat. Ante vero reliqua singula Altaria singulæ possunt lampades appendi; quæ quidem in præcipuis Festis, saltem dum Vesperæ, & Missa solemnis decantantur, continue ardeant. Ante Sanctissimum Sacramentum, si non omnes, ad minus tres accensæ tota die adsint. Sed & ante locum, & fenestellam Confessionis supradictæ, ubi consuetudo est lampadem ardere, servanda est. Possunt etiam in Altari majori, vel aliis, quæ habent Ciboria, circumcirca lampades apendi.

## COMMENTARIUS.

I. LUcernas, lychnos, ac cereos nedum vesperi, sed & lucente sole in Ecclesiis accendi consuetum ab ipso nascentis Ecclesiæ initio, clarissimis Patrum, ac Synodorum testimoniis exemplisque majorum Auctores Liturgici passim ostendunt. Celeberrimus omnium est sane locus S. Paulini in Natali III. S. Felicis, ubi usum sui ævi plurimos, ac pene innumeros cereos, lucernasque, sive lampades accendendi in sacra ipsius S. Martyris æde, & non die solum, sed etiam nocte, elegantissimis versibus hisce describit:

*Aurea nunc niveis ornantur limina velis.*
*Clara coronantur densis Altaria lychnis.*
*Lumina ceratis adolentur odora papyris.*
*Nocte dieque micant, sic nox splendore diei*
*Fulget, & ipsa dies cælesti illustris honore*
*Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.*

Idem circa initium Natalis VI. ejusdem S. Martyris, & cereorum meminit, ac lampadum, quæ in ipsa sacra Æde ad honorem S. Felicis pendebant, ardebantque.

*Ast alii pictis accendant lumina ceris,*
*Multiforesque cavis lychnos laquearibus aptent*
*Ut vibrent tremulas funalia pendula flammas.*

Præclarissima plane sunt & illa, quæ idem vetustus Ecclesiæ Pater in Natali XI. de eadem re scribit:

*At medio in spatio fixi laquearibus altis*
*Pendebant per ahena cavi retinacula lychni,*
*Qui specie arborea lentis quasi vitea virgis*
*Brachia jactantes, summoque cacumine rami*
*Vitreolos gestant tamquam sua poma caliclos,*
*Et quasi vernantes accenso lumine florent,*
*Densaque multicomis imitantur sidera flammis*
*Distinguuntque graves numerosa luce tenebras*
*Et tenerũ igniculis florẽtibus æthera pingũt &c.*

II. Usum lucernarum memorat etiam S. Joannes Chrysostomus Homilia LX. ad populum Antiochenum, dicens: *Et argenteas quidem catenas ad lucernas suspendis: ipsum autem in carcere vinctum ne vis quidem visere. Et hæc dico, non prohibens in his gloriari, sed hæc cum illis.* S. Epiphanius item ad finem Epistolæ ad Joannem Episcopum Hierosolymitanum donatæ, narrat inter alia se venisse ad villam, quæ dicitur *Anablatha*, vidisseque ibi prætereundo lucernam ardentem, & interrogasse, quis locus esset, didicisseque Ecclesiam, & intrasse, ut oraret. Extat apud Surium Tomo IV. oratio Gregorii Cæsareæ Cappadociæ de sanctis trecentis decem & octo Patribus Nicænæ Synodi, in qua mentio fit cujusdam Tribuni militum, qui & Templum, vel potius Templi habitatorem honoraverat, & lucernis in Templo accensis placaverat. Narrant præterea Eusebius Lib. VI. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. VII. & Nicephorus Lib. V. Cap. IX. quod cum in die solemni vigiliarum Paschæ, in Ecclesia Hierosolymitana oleum deesset luminaribus, Narcissus Hierosolymæ Episcopus aquam deferri imperavit, eamque benedixit, & infundi lampadibus præcepit, tum ait Eusebius: *Repente miro, & seculis inaudito genere virtutis, natura aquæ in olei pinguedinem versa, splendorem luminum etiam solito reddidit clariorem.* Simile miraculum commemorat S. Gregorius Lib. I. Dialogorum, Cap. V. & Lib. III. Cap. XXX. refert, lampades immisso cælitus lumine accensas fuisse.

III. In variis Conciliis quorum Decreta attulimus jam Tomo II. Romani Pontificalis Tit. I. præceptum legitur, ut is qui vult ædificare Ecclesiam, ante præfiniat, quæ ad luminaria, & ad custodiam, & ad stipendia Custodum sufficiunt; quod & a Justiniano quoque Imperatore constitutum legimus in Novella LXVII. §. *Deinde*. Concilium Bracharense II. anno DLXIII. habitum Can. VII. res Ecclesiæ in quatuor partes dividi mandat, tertiamque in reparatione, vel luminari Ecclesiæ reservat. Id quod etiam repetitum legitur in Bracharensi III. Concilio anni DLXXII. Can. II. & in Aquisgranensi sub Pipino Lib. I. Cap. XXIX. ubi etiam gravi pœna eos afficendos esse statuitur, qui luminaria in Basilicis Deo dicatis, quæ ex fidelium oblationibus concinnari debent, auferre præsumunt: *Nam si filii Aaron, Nadab, & Abiud, eo quod eorum negligentia ignis, qui jubetur in Altaris esse perpetuus, extinctus est, & propter igitem*

Digitized by Google

*ignem alienum coram Domino offerre præsumpserunt, ob id igne egresso a Domino, devorati sunt merito, quod non sine magno animi mærore prosequimur, horribili morte devorandi sunt ii, qui ignem Domini in Basilicis sibi dicatis, & consecratis audacter extinguunt*. Verba sunt Patrum memorati Concilii Aquisgranensis.

IV. Quanta fuerit veterum Principum, ac præsertim Romanorum Pontificum circa ipsa luminaria liberalitas, antiquæ historiæ abunde nos docent. Eudoxiam Theodosii uxorem in lucernarum rationem decies mille sextarios olei retulisse, refert Nicephorus Lib. XVI. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. I. Quam vero sumtuosa esse solerent vasa aurea, vel argentea, aut alterius generis metallorum affabre facta ad lumina accendenda composita, in quibus non oleum tantum commune, vel cera, sed interdum opobalsamum, aut nardinum oleum, in honorem Dei, vel Sanctorum incenderetur, satis expressum, ac sæpius repetitum habetur in authentico Libello, *De munificentia Constantini Magni*, erga nonnullas a se erectas Ecclesias. Nihil frequentius apud Anastasium in Vitis Romanorum Pontificum, ac præsertim S. Silvestri, quam Phara, Canthara, Cerostata, Coronæ, Delphini, Lychni, & Lychnici, idest, diversi generis lampades, ac lucernæ, quæ in Ecclesiis adhibebantur. Nec est quod quis miretur, si hæc facta sint post datam Ecclesiæ pacem, cum certum sit, urgente adhuc persecutione, præter alia sacra diversi generis vasa, & supellectilia aurea, atque argentea, Ecclesias uti consuevisse argenteis lucernis, necnon capitulatis, quæ lampades erant multa capita habentes, quibus lumina incenderentur: quorum omnium est inter cæteros apud Augustinum in Epistola CLXV. & Lib. III. contra Cresconium, Cap. XXXIX. mentio ex Actis Proconsularibus.

V. Afferri possent & alia pene innumera monumenta de antiquo, ac frequenti luminum usu in Ecclesiis, quæ tamen videri possunt apud Baronium ad annum Christi LVIII. & apud Durantum Lib. I. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. VIII. ubi etiam hæreticos refellit, qui ad eum ritum damnandum perperam urgent S. Hieronymi locum adversus Vigilantium, ubi tametsi inquiat, cereos pro honore Martyrum accendere, pertinere ad imperitiam, & simplicitatem secularium hominum, & religiosarum feminarum, quæ quidem zelum habent, sed non secundum scientiam: intelligendum est tamen, loqui S. Doctorem de iis, qui cereos accendebant, credentes inde Martyres illustrari. Vigilantius siquidem dicebat ironice, quosdam præbere honorem Martyribus, quos putabant de cereolis vilissimis illustrari; ceterum probari a S. Hieronymo veluti pium, ac mercede dignum, cereos accendere in honorem Martyrum, ex illius Epistolis constat tum adversus ipsum Vigilantium, tum ad Riparium adversus eundem hæreticum. Perperam itidem contra memoratum ritum, & Patrum auctoritate, & Miraculorum frequentia probatum opponitur Lactantii locus Lib. VI. Cap. II. arguit enim is illos, qui Deo candelarum, ac cereorum lumen offerrent pro munere, quasi Deus dator luminis egeat lumine, quemadmodum Dii terreni lumine egent, & profani eis lumina offerunt.

VI. Solent potissimum hodieque urgere hæretici celebrem Canonem XXXIV. Concilii Illiberritani, quo cautum est, ne cerei in Cœmeteriis accendantur: *Cereos*, inquit, *per diem placuit in Cœmeteriis non incendi: inquietandi enim Sanctorum Spiritus non sunt. Qui hæc non observaverint, arceantur ab Ecclesiæ communione*. Adeo vel magnis ingeniis crucem fixit is Canon, ut plerique alias docti Scriptores, quod præsertim ipsum Canonem minime intelligerent, Concilium ipsum Illiberritanum audacter damnarint. Conati sunt quidem inter alios eruditissimi Viri Mendoza, Loaysa, Albaspinæus, Gonzalez & Canonem, & Concilium defendere, ac variis benignis interpretationibus illustrare. Dixi & ego nonnulla Doctorum Virorum sententiam sequutus, Tomo III. Romani Pontificalis ad Tit. XXVII. sed utinam ederetur in lucem egregia dissertatio Viri clarissimi sacræ Theologiæ Magistri P. Joannis Facundi Raulin incliti Ordinis Eremitarum S. Augustini, Romæ Assistentis, ut ajunt, Hispaniarum, qui variis, ac doctis argumentis ex penitiore Theologia Sanctorum Patrum desumtis, nodum complurium difficultatum, quæ ex ipso Canone oriuntur, dissolvere summo labore, & eruditione mirabili, ac studio conatus est.

VII. Perperam denique adversus nos obganniunt hæretici, quod ab idololatris, atque Hebræis in Catholicam Ecclesiam cereorum usum derivemus; objici enim iis potest, quod de proposito cereorum scripsit S. Hieronymus adversus Vigilantium, qui summa impudentia cereos in honorem Sanctorum accendi pernegabat: *Non diffiteor*, inquit S. Doctor, *omnes nos, qui in Christo credimus, de errore idololatriæ venisse: non enim nascimur, sed renascimur Christiani. Et quia quondam colebamus Idola, non colere Deum non debemus, ne simili eum videamur cum Idolis honore venerari. Illud fiebat Idolis, & idcirco detestandum est; hoc fit Martyribus, & idcirco recipiendum est*. Augustinus Lib. XXI. contra Faustum Cap. X. ejusmodi verbis atque argumento hæreticorum oppositionem occupat, de Paganorum, Judæorumque sacrificiis loquens: *Tantum*, ait, *interest inter sacrificia Paganorum, & Hebræorum, quantum inter imitationem errantem, & præfigurationem prænuntiantem. Sicut autem non ideo contemnenda, vel detestanda est virginitas Sanctimonialium, quia & Vestales Virgines fuerunt; sic non ideo reprehendenda sacrificia Patrum, quia sunt & sacrificia Gentium: quia sicut inter illas virginitas multum distat, quamvis nihil aliud distet, nisi quæ cui voveatur, atque reddatur; sic inter sacrificia Paganorum, & Hebræorum multum distat eo ipso, quod hoc solum distat, quæ cui sint immolata, & oblata: illa scilicet superbæ impietati dæmoniorum, illa vero uni Deo &c.*

VIII. Ex dictis hactenus addiscere est, non mirum videri debere, si ex §. hujus nostri Rubrica



Digitized by Google

brica lampades *in primis adhibendæ sunt ante Altare, vel locum, ubi asservatur Sanctissimum Sacramentum, & ante Altare majus*, in iisque locis *lampadarios pensiles esse decet plures sustinentes lampades, ex quibus, qui ante Altare majus erit, tres ad minus; qui ante Sacramentum, saltem quinque lucernas habeat*; ardentes scilicet continue omnes, dum scilicet in Ecclesia præcipua alicujus Festi solemnitas celebratur; quo tempore *ante reliqua singula Altaria singulæ possunt lampades appendi; quæ quidem in præcipuis Festis, saltem dum Vesperæ, & Missa solemnis decantantur, continue ardeant*. Sane lampades ardentes numero impari in Ecclesiis esse adhibendas, *tum ad cultum, & ornatum, tum ad mysticum sensum, ut, & multa ex superius narratis pertineat*, initio hujus §. Rubrica edicit, cui concinit S. Carolus, qui in Actis Ecclesiæ Mediolanensis, ubi postquam tres lampadarii formas descripsit, ita ad rem subdit: *In omni lampadario cautio sit, ut lampades impares sint*.

IX. Est autem lampadarius, seu potius lampadarium, uti laudatus Sanctus, ac veterum Ecclesiæ rituum peritissimus Antistes docet, & ex superius dictis liquet, instrumentum quoddam, quo lampades pensiles certo numero sustinentur. Ejus formæ tres fieri possunt; primum quidem in orbem ductum, & alte paulum extructum, instar turris, multis delphinis ad lampadum sustentationem constans; cujus generis lampadaria antiqua fuisse constat, quæ uti superius notatum fuit, *phara canthara* nominabantur. Idque lampadarii genus in Ecclesiis insignioribus adhiberi decens erit; præsertim ex aurichalcho ornate confectum. Alterum lampadarium e parvula trabe bene firma esse potest, totum artificiose inauratum, & cornicibus decenter ornatum; delphinos etiam, ut veteris olim usus fuit, ligneos in summa parte ad ornati speciem habere poterit. Id autem tanta longitudine sit, quantum lampadum numerus requirit, quæ ad luminis usum adhibeatur. Tertia lampadarii species adhibetur, quæ trianguli formam exhibet, hæc in usu esse potest, ubi tres lampades pensiles adhibentur.

X. Docet hæc fere ad literam S. Carolus, & quidem, uti dictum est, ex veteri Ecclesiæ instituto, mandans præterea ubi de numero lampadum loquitur, quæ in lampadario appendi debent, ut *lampadario in longitudinem ducto, tres, vel quinque lampades in minoribus Ecclesiis affigantur, in majoribus septem, vel tredecim, hæque ordine recte collocatæ dimidio fere cubito inter se distent*. Tum de loco lampadarii differens, hæc habet: *Omne vero lampadarium ex una etiam lampade constans, non e latere, sed e regione, conspectuve Altaris, aut sacrarum Reliquiarum, aut sacræ Imaginis, ut supra, appensum, & ad præscriptum distans, recta constituatur, ductorio funiculo adjuncto*. Monet deinde, ut tam longe appensum ab Altaris scabello distet, ut si forte aliquando stillans est, non inquinetur olei stilla Sacerdos, aut Clericus, dum initio Missæ uterque in imo scabelli gradu est; rursusque a pavimento Ecclesiæ in altum non minus septem cubitis ducatur, amplius vero pro ratione Ecclesiæ.

XI. Multa sunt in hisce S. Caroli instructionibus, quibus non modo Rubrica nostri §. sed & antiqui Ecclesiæ usus de lampadario explicantur admirabili perspicuitate. Sed ut ad nostram redeamus Rubricam, *ante SS. Sacramentum*, inquit, *si non omnes, ad minus tres* lampades *accensæ tota die adsint*, cum saltem scilicet solemne aliquod Festum celebratur; nam alias, quod satis sit, ut una dumtaxat perpetuo lampas colluceat ad Altare, ubi asservatur in Tabernaculo Sanctissimum Sacramentum, Scriptores Liturgici uno ore affirmant. Unum est, quod pii homines ægre ferunt, in aliquibus Ecclesiis, majorem lampadum numerum ardere in Altaribus, in quibus Sanctorum Reliquiæ reconditæ sunt, vel aliqua sacra Imago est exposita, quam in Altari, ubi adest & quidem personaliter Sanctus Sanctorum, ac Dei Filius in Eucharistia scilicet, quæ ad Fidelium omnium utilitatem in Tabernaculo asservatur, ut esset nobiscum usque ad consummationem seculi.

XII. Sed ut finem tandem huic Commentario imponam, notanda sunt illa nostræ Rubricæ verba. *Sed & ante locum, & fenestellam Confessionis supradictæ*, loci scilicet, ubi Sanctorum Corpora requiescunt, *ubi consuetudo est lampadem ardere, servanda est*. Quando lampas coram sacris Reliquiis prælucere debeat, egregie in actis Ecclesiæ Mediolanensis S. Carolus his plane verbis declarat: *Sacris Reliquiis, si Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento non ita prope quidem eæ collocatæ sunt, ut illius lampade harum cultui satis fiat, lampas propria assidua perluceat, nisi hanc impensam, nimia & Ecclesiæ, & populi egestas Episcopi judicio non patitur. Ceterum Corporibus Sanctorum, & Reliquiis, Episcopi judicio insignibus lampas omnino una semper colluceat. Ubi vero plures, aut ex legato, seu alia obligatione, usuve adhibeantur, aut pro Reliquiarum ratione, vel Ecclesiæ amplitudine, facultatibusve adhiberi Episcopus jusserit, id etiam servetur*. Similia Decreta legere est in variis Episcoporum Conciliis, sed lubet semper S. Caroli Decreta describere, quod in iis nihil non continetur, quod non redoleat veteres Ecclesiæ Ritus, in quibus erat apprime versatus.

XIII. Ad fenestellam quod attinet Confessionis, de qua in hac nostra Rubrica fit mentio, occurrit ea vox passim apud antiquos Scriptores, præsertim vero apud S. Gregorium Turonensem, qui tametsi in descriptione Confessionis S. Petri, unius meminerit fenestellæ, non una tamen, sed duæ erant fenestellæ ad ipsius S. Apostoli sepulcrum, superior scilicet, & inferior, quæ etiam ut scite notat Mabillonius Tomo II. Musei Italici in Commentario prævio ad Ordinem Romanum, Num. XX. *cataractæ* appellantur in suggestione altera Legatorum Germani, & Joannis, Episcoporum nomine Justiniani Comitis ad Hormisdam, ubi hæc verba: *Inde si & Beatitudini vestræ videtur, Sanctuaria Beatorum Petri, & Pauli secundum morem ei largiri præcipite, & si fieri potest,*

Digitized by Google

*potest, ad secundam cataractam ipsa Sanctuaria deponere, vestrum est deliberare*. Quippe longe major prærogativa censebatur, si ex secunda fenestella panni super loculum sacrum inferrentur, quod videlicet ex hac propior esset sacri corporis contactus. Id genus fenestella erat ad memoriam, seu Oratorium Beati Stephani in Civitate Uzalensi, testante Evodio in Lib. I. *De Miraculis ejusdem S. Martyris*, Cap. XII. quo cum quidam Civis Uticensis paralysi pedum, & linguæ affectus accessisset, recuperato pedum officio, *exuens sibi manicam tunicæ suæ, eo quod orarium non haberet, per fenestellam Memoriæ ad interiora loca Sanctorum Reliquiarum manu injecta mittebat; atque inde rursum dexteram reducens, ori suo admovebat; & linguam contingendo, paulatim nodos loquendi gratia fidei resolvebat*. Ideo autem docente eodem Mabillonio, hujusmodi fenestellæ dicebantur *cataractæ*, quod firmis porticellis (nam firmiores sic appellantur) essent præclusæ.

## §. XVIII.

**Ambones, ubi Epistolæ, & Euangelia decantari solent, siqui erunt, necnon & Pulpitum, ubi sermo, vel concio haberi solet, consentaneum est, pannis sericis ejusdem coloris, cujus sunt cetera paramenta, exornari; ita tamen, ut locus Euangelii pulcrius ornetur.**

## COMMENTARIUS.

I. DE antiquis Ecclesiæ Ambonibus, ubi Epistolæ, & Euangelia decantari solent, jam multa adnotavimus, tum supra, tum etiam in nostro Opere, *De Codice Sancti Euangelii atque servatis in ejus lectione &c.* Cap. VI. Ubi duo erant Ambones, Ambo ille Euangelio legendo destinatus eo, in quo legebatur Epistola, jam paulo altior, & ornatior erat, ad quem etiam plerumque duo graduum ordines erigebantur, unus, quo ascendebat Lector, alter quo descendebat. Ambones ipsos, sicut & pulpitum, in quo concio haberi solet, ait §. nostri Rubrica consentaneum esse, *pannis sericis ejusdem coloris, cujus sunt cætera paramenta, exornari, ita tamen, ut locus Euangelii pulcrius ornetur*, ob reverentiam scilicet Euangelii, quod utpote proprio Christi ore prolatum, cæteris sacris libris præcellit, majoremque semper cultum, venerationemque a fidelibus accepit, uti fuse ostendimus in ipso Opere nostro, *De Codice Sancti Euangelii &c.*

II. Quamquam vero, si pauca antiqua Templa excipias, in nullis hodie præsertim recentioribus Templis Ambones inveniantur, scitissime admonent Acta Ecclesiæ Mediolanensis a S. Carolo concinnata, habendam esse quoque hodie in Ecclesiis insignioribus, ac præsertim in Basilicis Cathedralibus rationem Ambonum, quos & magnos, & ornate confectos, & tabulis marmoreis ornatos extitisse, in Basilicis Romanis perspici licet, & alibi etiam æneis, cælato sacrarum Imaginum opere expressis. Itaque ut eadem Acta inquiunt, duo pro Ecclesiarum magnitudine constitui possunt Ambones; unus altius extructus, de quo Euangelium; alter paulo depressior, de quo Epistola, Lectiove sacræ Scripturæ, in majoribus solemnitatibus pronuntietur. Unus etiam tantum Ambo, ut in multis Ecclesiis cernitur, esse potest, qui & Euangelii, & Epistolæ simul lectioni usui sit, ita tamen, ut in eo locus, unde Euangelium recitatur, aliquanto eminentior sit; pars vero, unde Epistola, aliquo gradu inferior. Sunt & alia, quæ de Ambonibus Acta ipsa præscribunt, sicut & de suggestu, non modo in Ecclesiis Cathedralibus, atque insignioribus, sed & in unaquaque Parochiali Ecclesia exstruendo, sed illud notandum, quod tandem admonent, ut *ne ad suggesti quidem ornatum pallia Altarium usui sint*; curandum vero esse a Rectoribus Ecclesiarum, *quam citissime per facultates Ecclesiæ fieri poterit, ut pro solemnium temporum, festorumque dierum ratione ornamenta suggestis ipsis propria apposite comparentur*.

## §. XIX.

**Restat, ut de mensa, seu abaco, quam credentiam vocant, pauca subjiciamus. Ea vero in Missis tantum solemnibus præparari solet a latere Epistolæ in plano Presbyterii, si loci dispositio patiatur, atque a pariete parumper disjuncta, itaut inter illam, & parietem stare possint familiares Episcopi ad manuum lotionem destinati, nisi propter loci angustiam id fieri non possit, ut supra Cap. XI. §. XII. quo casu fiet, prout melius poterit. Ejus mensura regulariter erit palmorum octo in longitudine, in latitudine quatuor, vel circa, in altitudine quinque, vel modicum ultra; lineoque mantili mundo super strato, usque ad terram circumcirca pendenti contegetur. Super ea ponentur duo candelabra cum cereis albis altitudinis, & formæ, prout duo minora ex his, quæ super Altari posita sunt, & in ipsius medio Calix cum Patena, palla, purificatorio, & bursa corporalia continens; Libri item**



Digitized by Google

Missalis, & legile, atque ibi proxime capsula cum Hostiis, & pelvicula cum ampullis vini, & aquæ; eaque omnia cooperientur velo pulcriori, quo uti debebit Subdiaconus, cum Patenam tenebit. Super eadem mensa apponentur Mitra pretiosa, vel auriphrygiata, & altera simplex cum bireto parvo, quod Mitræ supponitur, necnon velum pro Capellano serviente de Mitra; pelvis pro abluendis manibus, & urceus argenteus cum aqua pro manuum lotione; quatuor mappulæ ad tergendas manus; thuribulum cum navicula, & in ea cochlear, & thus cum quo possint misceri aromata bene olentia, dum tamen thuris quantitas superet; gremiale, caligæ, & sandalia, Liber pro Psalmis legendis, ac denique omnia, quæ usui esse possunt Celebranti, præter paramenta Missalia, quæ super Altari, vel in Secretario ponuntur, ut supra dictum est, & Baculum pastoralem, qui manu Ministri ad id constituti sustinebitur.

## COMMENTARIUS.

I. PRodit & ex antiquo Ecclesiæ ritu, quod in hoc §. præscribitur, *de mensa, seu abaco, quam credentiam vocant*, instruenda, scilicet, prope Altare, *a latere Epistolæ in plano Presbyterii, si loci dispositio patiatur, atque a pariete parumper disjuncta, in Missis*, scilicet, *tantum solemnibus*. Sane olim, ut jam adnotavimus Tomo II. Romani Pontificalis, Tit. I. in Commentario ad §. I. Num. XXII. præter intermedium Altare in Sanctuario ipso, non una, nec mobilis, sed geminæ hinc inde mensæ fixæ fuerunt, quales etiam nunc marmoreæ conspiciuntur Romæ in Sanctuario Ecclesiæ Sanctorum Martyrum Nerei, & Achillei. In ea, quæ ad lævam erat, reposita fuisse inquit eruditus Cabassutius in Notitia Conciliorum, vasa sacra cum suis velis, simulque panem partim consecrationi, sacræque Communioni destinatum, partim Eulogiis post Synaxim distribuendis; in altera vero ad dexteram erecta mensa, sacra Episcopi, aut Sacerdotis sacrificaturi vestimenta. Priorem mensam Græci quidem προθεσιν, idest, *propositionem*, seu *propositionis mensam* nuncupant, etsi illam frustra Genebrardus *Altare* interpretetur; non enim Sacrificio, sed pani tantum offerendo dicata est, ut scite observat Jacobus Goar in Notis ad Euchologium, ubi ordinem sacri ministerii explicat, Pag. 14. editionis Venetæ. In Ordine antiquo Romano itidem dicitur *Oblationarium*, & *Prothesis*, alterum enim nomen alterius explicationis gratia datum est.

II. Sed hæc ad antiquum rituum spectant, ex præscripto autem nostri §. unica, ut dictum est, instruenda est mensa, seu credentia, & quidem mobilis, & in *Missarum tantum solemnibus*. Agit de ea, & ejus positione, ac ornatu, & utensilibus desuper locandis Paris de Crassis, Lib. I. Cap. XXIX. fereque in omnibus concinit iis, quæ in ipso nostro §. præscripta sunt: *Credentia*, inquit, *quam aliter abacum vocant, nunquam pro Vesperis, sed pro Missa paratur, Tribunæ congrua; & hoc regulariter, ac communiter fit, si loci dispositio patiatur; sin autem, ut potest, dummodo prope Celebrantem*; atque a pariete parumper disjuncta, itant inter illam, & parietem stare possint familiares Episcopi ad manuum lotionem destinati, nisi propter loci angustiam id fieri non possit, ut supra Cap. XI. §. XII. præscriptum est his plane verbis: *Eorum locus, si fuerint ex familiaribus Episcopi, erit apud abacum, ubi stabunt inter mensam, & murum, nisi abacus ipse adhæreat parieti*; quo casu fiet, prout melius poterit, ut recte hic admonet §. noster.

III. Abaci, seu credentiæ ipsius mensura ex §. nostri præscripto *regulariter erit palmorum octo in longitudine; in latitudine quatuor, vel circa; in altitudine quinque, vel modicum ultra*. Ait, *regulariter*, quod non semper loci dispositio eam mensuram ferat. Hinc Acta Ecclesiæ Mediolanensis, ubi de abaci mensura loquuntur, ita quidem inquiunt: *Longe pateat cubitis quinque, paulove amplius, pro Ecclesiæ magnitudine, Chorive ratione; late cubitis duobus, & unciis duodecim; alteque item exstruatur cubitis, & unciis totidem*. Sed hæc abacum forte celebraturi Episcopi spectant; nam alias auctore Paride Crasso loco citato, pro Cardinali Episcopo solemniter celebrante abacus ipse *erit longus palmis decem, vel duodecim, altus usque ad stomachum, vel quinque, vel sex palmis*; imo, ut idem Auctor subdit: *Si magis Cardinali placuerit, ipsum abacum ampliorem præparari pro majori ornatu poterit*; ita tamen si loci dispositio id patiatur, & tanta abaci amplitudo magnam Presbyterii partem non occupet.

IV. Contegendam esse hanc mensam, seu abacum *lineo mantili mundo superstrato usque ad terram circumcirca pendenti*, edicit quidem §. nostri Rubrica, quam ita enarrat S. Carolus in Actis Ecclesiæ Mediolanensis: *Abaci mappa e lino pretiosiori, byssove eleganter contexta, ita undique pateat, ut a fronte, & a lateribus ad pavimentum usque pertingat: tum a tergo, si fieri potest, abaci gradus apte contegat; sin minus, altera ejusdem generis adhibenda est, qua gradus sternantur*. Notabile est, quod de ipsa mappa, & gradibus abaci scribit Crassus memorato Lib. I. Cap. XXIX. Ait enim, debere esse illum *eleganti mappa alba simplici, & non sacra* esse coopertum, *appositis duobus, aut pluribus gradibus super illo, ut placuerit, elevatum, ac solidis tripodibus, & pedibus, firma-*

Digitized by Google

*firmatum, ne ruat, ut vasa magna, & pretiosa, aurea, atque argentea, tam ad ornamentum, & decorem spectabilia, quam etiam pro rei divinæ necessitate utensilia, commode superponantur.* Quamvis autem nihil de gradibus hisce abaco ipsi apponendis in nostro §. præscriptum sit, egregia nihilominus est ratio a Crasso allata, qua olim motus S. Carolus de abaco ipso inter alia statuit, ut *a tergo gradibus duobus, pluribusve constet pro vasorum ratione.*

V. Super abaco ex præscripto nostri §. *ponentur duo candelabra cum cereis albis altitudinis, & formæ, prout duo minora ex his, quæ super Altari posita sunt, & in ipsius medio Calix cum Patena, Palla, Purificatorio, & Bursa Corporalia continens.* Duo candelabra cum cereis ardentibus continue ad similitudinem illorum, qui positi sunt super Altari, collocanda esse in angulis abaci, edicit quidem laudatus Crassus. Calicem cum Patena, Purificatorio, & Bursa Corporalia continente, itemque Libros Missales, & Legile, atque ibi proxime capsulam cum Hostiis, & pelviculam cum ampullis vini, & aquæ, quæ super eodem abaco collocari debent, cooperienda esse *velo pulcriori, quo uti debebit Subdiaconus, cum Patenam tenebit*, ex eodem nostro §. præscriptum est, cui quidem concinunt Crassus ipse, Castaldus, Bauldryus, & alii recentiores, tametsi memoratus Crassus, qui alias inter cetera, quæ ponenda sunt super abaco, velum recenset pro Subdiacono Patenam sustentaturo in Missa, nihil de cooperiendis ipso velo descriptis rebus inquiat, sed standum est nostro Cæremoniali ritum illum hic præscribenti. Porro velum ipsum, quod Subdiaconale appellant, ex præscripto S. Caroli auro, aut argento debet esse intextum, a lateribus ornatum fimbriis, a capitibus etiam filamentis aureis, aut argenteis, aut certe auro, & argento admixto, longum scilicet cubitos sex, latum vero, quanta est veli propria latitudo.

VI. Rursus super eadem mensa apponenda & hæc sunt: *Mitra pretiosa, vel auriphrygiata, & altera simplex cum bireto parvo, quod Mitræ supponitur, necnon velum pro Capellano serviente de Mitra.* Mitras duas recenset etiam Crassus inter paramenta super abaco collocanda; itemque *biretum unum rotundum, non autem Gallico more quadratum.* Biretum parvum, quod Mitræ supponitur, Acta Ecclesiæ Mediolanensis *subiretum Mitrale* appellant, mandantque etiam, ut *non e serico, sed panno laneo sit, idemque forma rotunda non quadrata.* Ad velum quod attinet pro Capellano serviente de Mitra, sicut & cetera vela ministerialia, quæ a collo pendent Ministrorum, Mitram, aliave indumenta Episcopalia ferentium, vel sustinentium, ex eisdem Actis confecta esse debent e velo candido bombacino, eoque tenui admodum, a capitibus filamentis sericeis albis ornata, longitudinem cubitorum circiter sex habentia, latitudinem vero tam amplam, quanta est tela, e qua confecta sunt.

VII. Ponentur præterea super ipso abaco *pelvis pro abluendis manibus, & urceus argenteus cum aqua pro manuum lotione, quatuor mappulæ ad tergendus manus, thuribulum cum navicula, & in ea cochlear, & thus, cum quo possent misceri aromata bene olentia, dum tamen thuris quantitas superet.* Tum pelvis, quam etiam vulgo *bacile*, & *fontem* Rituales Libri, atque Auctores vocant, tum urceus, vulgo *bucale*, qui Missæ Episcopalis usui erunt, aut ex auro, aut ex argento conflentur, in quibus tamen profana cælatura nulla extet, sed pia, ac religiosa, edicunt laudata toties Mediolanensis Ecclesiæ Acta; in quibus etiam & illud cautum legitur, ut mappæ seu lintea prædicto usui addicta e lino pretiosiori sint confecta. Quamquam vero ex hoc nostro §. una pelvis, unusque urceus satis sint, qui super abacum ipsum ponantur, Crassus nihilominus *vasa duo aqualia, sive bacilia, quæ fontes appellantur, pro manuum Celebrantis lotione*, inter alia apponenda ibidem recenset; additque etiam non multo post, *phialam unam cum vino recenti pro Sacrificio; aliam cum aqua rosacea, & bene odoranti pro lotione manuum, ut supra.* Quod tamen mirum videri non debet, nam loquitur de apparatu abaci, Cardinale Episcopo celebrante, qui quidem insigniori ornatu, ut ex sequenti nostro §. constat, instrui debet.

VIII. Neque omittendum, quod idem Auctor mox de thuribulo subjicit, apponendum dicens esse *thuribulum cum navicula, & in ea cochleare cum incenso, aliisque vaporibus odoriferis, & aromatibus, ut placebit, dummodo fumus plus oleat de incenso.* Adhiberi una cum thure & alia aromata, in erbitrio Episcopi est, ideoque Crassus ait, *ut placebit*, sive ut noster §. inquit: *possent misceri*, cum thure scilicet, *aromata bene olentia; dum tamen thuris quantitas superet.* Id quod etiam una cum Crasso, & aliis, qui sacros Ecclesiæ ritus exponunt, notat Gavantus in Rubricas Missalis Parte II. Tit. IV. his verbis: *Si quidquam aliud misceatur cum incenso, major quantitas semper esse debet incensi.* Thura, varioque odores incendi in Ecclesia, idque ex Apostolica traditione, & Mosaicæ legis exemplo, egregie ostendit Joannes Bona Cardinalis Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XXV. Num. IX. de eoque veteri Ecclesiæ ritu nonnihil diximus jam in Opere, *De Codice Sancti Euangelii*, Lib. II. Cap. XIII.

IX. Apponenda in abaco prædicto sunt tandem, *Gremiale, Caligæ, & Sandalia*, in aliqua scilicet pelvi posita, ut notat Bauldryus, Parte V. Cap. XII. Num. XXXIII. Item *Liber pro Psalmis legendis*, ad præparationem Missæ, ut supra dictum est: *ac denique omnia, quæ usui esse possunt Celebranti, præter paramenta Missalia, quæ super Altari, vel in Secretario ponuntur, ut supra dictum fuit; & Baculum pastoralem, qui manu Ministri ad id constituti sustinebitur.* Inter alia super abaco in Pontificali Missa apponenda enumerat quidem Crassus non modo *Gremiale, calceamenta sacra*, & *Librum Pontificalem, pro Psalmis legendis, dum capiuntur paramenta*, verum etiam, *Pacem argenteam*, & *Baculum pastoralem*, qui alias ex §. nostri Rubrica non

Digitized by Google

non super abaco apponendus est, sed manu ministri ad id constituti sustentandus, manu scilicet dextera extremitate Cottæ cooperta, uti supra Cap. XI. in §. V. dictum est. Ait præterea apponendas etiam esse aliquas parvas candelas, si Celebrans *illis inter legendum indigebit pro illustrando aere*. Verum ad ritus pertinet Pontificales, ut Episcopus in Missis, officiisque Pontificalibus parvo instrumento argenteo utatur, quod vulgo *bugiam*, seu *palmatoriam* appellant, cum candela desuper accensa, etiamsi aer sit lucidus, itaut opus non sit lumine ad legendum juxta præscriptum §. I. infra Cap. XX. Hoc itaque parvum argenteum instrumentum parvam desuper habens candelam etiam super abaco apponendum est. Ceterum tametsi hic noster §. unam mensam præscribat, lubet nihilominus mos, qui in insignioribus Ecclesiis servatur, ac præsertim in Capella Pontificia, ubi duæ instruuntur mensæ, in quarum una sacra tantum supellex, in altera vero argenteæ pelves pro lotione manuum Episcopi, & alia id genus eleganti apparatu disponuntur.

## §. XX.

**Vasa quoque argentea ampla, & magnifica, si haberentur, ad ornatum adhiberi possent, maxime celebrante aliquo S. R. E. Cardinali: sed neque Crux, neque sanctorum Imagines in ea ponendæ sunt. Prope ipsam mensam in loco opportuno, & ab oculis populi, quantum fieri potest, remoto, vel in Sacristia, erit vas cum carbonibus accensis, ac forcipibus pro usu thuribuli. Funalia pariter cerea pro elevatione Sanctissimi Sacramenti ad minus quatuor, ad summum octo; item alia sex, vel septem ad summum funalia apponi possent in alto loco, in frontispicio Tribunæ; maxime si celebraret aliquis S. R. E. Cardinalis, & locus esset ad id aptus.**

## COMMENTARIUS.

I. PRæter vasorum numerum, quæ pro rei divinæ necessitate, solemniter celebrante Episcopo, apponenda sunt super prædicto abaco, posse & alia quoque *vasa magna, & pretiosa, aurea, atque argentea ad ornamentum, & decorem spectabilia*, apponi ibidem, præsertim si aliquis S. R. E. Cardinalis Episcopus Pontificali ritu Missarum solemnia celebraret, tradit etiam Crassus Lib. I. Cap. XXIX. S. Carolus in memoratis Actis, Castaldus, Bauldryus, aliique passim, qui Missæ Pontificalis Ritus enarrant. Ea ad abaci ornatum in illius gradibus, de quibus supra mentionem fecimus, debere apponi, Crassus æque illud, ac S. Carolus monent, quorum alter etiam ait, *vasa, quæ in medio collocantur, aliquanto altiora esse debere*. Sane Cardinale celebrante, posse abacum ipsum, si magis illi placuerit, ampliorem præparari pro majori ornatu, *dum tamen duo tantum lumina desuper ardeant, & nulla Crux, vel Imago, neque ullæ sanctæ Reliquiæ superponantur ibidem*, loco citato Crassus ipse adnotavit, §. nostro huic concinens, atque egregie supplens, dum non modo Crucem, ac Sanctorum Imagines, verum etiam sacras eorum Reliquias expresse ab abaco excludit. Quod quidem optime constitutum est, non enim abacus Altare est, sed mensa mobilis quædam, ubi ad ornatum, & rei divinæ necessitatem, ut S. Carolus inquit, vestimenta quædam, aliaque Pontificalis Missæ usui necessaria exponuntur.

II. Apud abacum ipsum in loco remoto a conspectu populi, vel in Sacristia, si scilicet non multum ab Altari distet, præparabitur etiam *vas cum carbonibus accensis, ac forpicibus pro usu thuribuli*, ut ait hic §. noster, sive, ut inquit Crassus, *vas unum cum carbonibus, & cum mollicubis aptis ad ipsos carbones thuribulo commode imponendos*. Prope ipsam etiam mensam præparanda sunt *funalia cerea pro elevatione Sanctissimi Sacramenti ad minus quatuor, ad summum octo*. Totidem recenset Crassus Lib. I. Cap. XXVI. ubi ex professo agit de numero luminarium credentiæ, sive abaci Altaris, & totius Tribunæ, celebrante Cardinale Episcopo: *Ad elevationem Sacramenti*, inquit, *ad minus quatuor funalia, aut ad summum octo, quæ absque manubriis, sive pedibus ligneis quantumcumque auratis per Capellanos Superpelliceis indutos tenebuntur, maxime, quando celebrat Cardinalis, & omnis hæc cera alba sit, seu, ut placuerit, auro, vel coloribus variegata*. Varia hic habes, quibus luculentius nostra Rubrica explicatur, de funalibus scilicet, quæ ad elevationem Sanctissimi Sacramenti in Missa Pontificali adhiberi debent. Morem fuisse antiquum variis coloribus pingendi cereos, qui in Ecclesiis adhibebantur, ex S. Paulino, non in uno loco addiscimus, præsertim vero in Natali VI. S. Felicis Versu XXXV.

*Ast alii pictis accendant lumina ceris.*

Qui ritus hodieque servatur in variis Ecclesiis insignibus, præsertim vero in Capella Pontificia, Papa celebrante.

III. Edicit tandem §. noster, *item alia sex, vel septem ad summum funalia apponi posse in alto loco in frontispicio Tribunæ, maxime si celebraret Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & locus esset ad id aptus*. Jam, etiam si Altare haberet Tribunam, ubi funalia apponi possent in alto loco, suo ordine distributa, non esse necessarium, ut illa apponantur, conformiter ad hunc §. tradit Crassus loco citato inquiens: *Circa Tribunam possent poni plura funalia, sed communiter*

Digitized by Google

*aliter nonnisi septem ponuntur*. Cur septenarius funalium numerus hic commendetur, jam nos rationem superius explicuimus in Commentario ad §. XII. Cap. eodem.

## §. XXI.

Hæc, ut diximus, observanda erunt, in solemnioribus Ecclesiæ festivitatibus, ac celebrante Episcopo, plus autem, vel minus, pro Celebrantis qualitate, & gradu. Non celebrante Episcopo, sed præsente, simpliciori ornatu erit agendum.

## COMMENTARIUS.

I. QUæ huc usque jam enarravimus, *observanda erunt in solemnioribus Ecclesiæ festivitatibus, ac celebrante Episcopo*, Pontificali scilicet ritu Missarum solemnia; *plus autem, vel minus pro Celebrantis qualitate, & gradu*, ac etiam pro veteri, ac laudabili usu cujusque Ecclesiæ; *non celebrante Episcopo, sed præsente, simpliciori ornatu erit agendum*; decet enim quammaxime, ipsaque ratio docet, ut respectus ipse habeatur in ornatu Ecclesiæ celebrante, vel non celebrante Episcopo, exemplo Pontificiæ Capellæ, quæ aliter quidem ornari solet cum ipsemet Summus Pontifex celebrat divina Officia, pulchrius nempe, magnificentiusque; aliter vero, quum iis interest, alio Celebrante. Porro cum in ornatu Ecclesiæ, ex hoc nostro §. attendi etiam debeat Celebrantis qualitas, & gradus, non est quod quidam reprehendant morem quarumdam Ecclesiarum, in quibus Sacerdotes dignitate aliove præstantes titulo pretiosioribus indumentis, vel ad Missas privatas uti solent.

## §. XXII.

In Ecclesiis Collegiatis, ubi Episcopus, nec celebrans, nec præsens est, eadem circa ornatum Ecclesiæ, & Altaris conveniunt, exceptis his, quæ Episcoporum sunt propria. Paramenta vero in Sacristia parari convenit. Mensa multo brevior, & dimissior erit adhibenda, cum pauca sint in ea reponenda, nempe pelvicula cum urceolis vini, & aquæ, Calix cum Bursa, & Corporalibus, & quandoque quædam alia pro celebrationis necessitate, & usu; ideoque satis erit scamnum oblongum, coopertum aliquo tapete, aut panno, aptari a latere Epistolæ, in quo sedeat Sacerdos Celebrans cum Diacono, & Subdiacono.

## COMMENTARIUS.

I. EXplicatis hucusque iis, quæ ad Ecclesiæ Cathedralis ornatum, & paramenta Episcopi solemniter, ac ritu Pontificali celebrantis pertinent, ait nunc §. hujus Rubrica, in Ecclesiis Collegiatis eadem circa ornatum esse observanda, quæ de Cathedralis Ecclesiæ ornatu dicta sunt, exceptis tamen iis, quæ sunt propria Episcoporum, ubi scilicet Episcopus, nec Celebrans, nec præsens est. Sed ut paucis multa complectar, quæ mox etiam paulo fusius explicabimus, ubi ab alio, quam ab Episcopo, Cardinali, vel Prælato Pontificalium usum habente, divina Officia celebrantur, servandæ omnino sunt generales Rubricæ Missalis. Nam primo quidem *paramenta in Sacristia parari convenit*, quia scilicet, uti superius jam dictum ex communi Doctorum sententia, & Sacræ Rituum Congregationis Decreto, soli Episcopi, & Cardinales, ac Prælati etiam Episcopis inferiores, habentes usum Pontificalium, cum solemniter celebrant, gaudent privilegio, ut paramenta ad Missam ab Altari, in quo sunt celebraturi, accipiant.

II. Rursus quod abacum, seu credentiam spectat, *multo brevior, & demissior erit adhibenda*, a latere quidem Epistolæ, & cooperta linteo usque ad terram undequaque pendente, sed non modo sine Cruce, & sacris Imaginibus, ut de abaco, qui est usui Missæ Pontificalis dictum est, verum etiam *sine gradibus*, ut docet Gavantus in Rubricas Missalis, Parte II. Tit. II. Ratio, cur abacus iste, seu mensa brevius, dimissiusque adhibenda sit, perspicua est, *cum pauca sint*, ait §. noster, *in ea reponenda, nempe pelvicula cum urceolis vini, & aquæ, Calix cum Bursa, & Corporalibus, & quandoque quædam alia pro celebrationis necessitate, & usu*. Quæ sunt alia ista, non una est omnium Liturgicorum Scriptorum sententia, nec una Ecclesiarum omnium praxis. Teste Merato in Notis ad Gavantum Parte II. Tit. II. aliqui super credentiam ponunt etiam Missale pro Celebrante, quod deinde una cum cussino post incensationem unus ex Acolythis ponit super Altari; sed melius esset, si servaretur Rubrica præscribens, Missale debere poni super Altari ante Missæ initium.

III. Sunt qui juxta pelviculam cum urceolis vini, & aquæ, instrumentum pacis cum velo coloris paramentorum ad illius manubrium appenso super

Digitized by Google

ſuper abacum ipſum, ſeu credentiam ponunt, quod tamen alii ſuper Altare collocant a parte Epiſtolæ inter candelabra, uti videre eſt apud Bauldryum, Parte III. Cap. XI. Articulo II. Numero IV. ubi multa alia recenſet, quæ ſuper dicta credentia apponi poſſunt; nempe bacile cum bucali mediocris formæ pro lotione manuum Celebrantis, præſertim ſi eſt in aliqua dignitate conſtitutus, & mappula, ſeu manutergium pro abſterſione manuum ejus. Item binos Miſſales Libros, quorum unus Subdiaconi uſui erit ad canendam Epiſtolam, alter vero uſui Diaconi ad Euangelium decantandum, ſi duo ſcilicet haberi poſſint, alias unicus Liber Miſſalis pro utroque ſufficiet. Addit mox etiam iis campanulam ad elevationem Sanctiſſimi Sacramenti pulſandam, hoſtiariam, vel pyxidem cum particulis, ſi conſecrandæ ſint. Velum quoque oblongum plicatum pro Subdiacono coloris ceterorum paramentorum, quod quidem velum eodem teſte Bauldryo Num. III. in quibuſdam Eccleſiis extenditur ſuper Calicem, & ſuper alia, licet alii contendant, Calicem aliaque ſuper credentiam poſita, tum ſolum eſſe cooperienda, quando Epiſcopus celebraret.

IV. Quicquid ſit, advertendum illud profecto eſt, quod idem Meratus notat, Burſam ſcilicet Corporalis, ubi adeſſet ea conſuetudo cooperiendi prædicto velo quæ ſuper credentiam ſunt appoſita, non debere velo ipſo contegi, ut nimirum cum Diaconus ſuo tempore debet illam ad Altare deferre, commodius eandem de credentia per manus Cæremoniarii, vel alterius Miniſtri, parte aperta ad ſe converſa accipere poſſit. Porro omnia hæc ita ſuper credentia debent diſponi, ut, quemadmodum ſcite admonent memorati Auctores Meratus, ac Bauldryus, relinquatur ſpatium in duobus angulis poſterioribus ipſius credentiæ, ut in his ſcilicet Ceroferarii candelabra ſua hinc inde collocent. Sed neque omittendum, quod etiam iidem mox docent, conformiter ad rubricam noſtri Cæremonialis ſupra in Commentario ad §. XX. explicatam, in loco nempe opportuno, & ab oculis populi, quantum fieri poteſt, remoto, vel in Sacriſtia, ſi ſcilicet non multum diſtet, vel prope Altare, vas cum carbonibus ardentibus parari debere a Thuriferario tempeſtive, ac forcipes pro iis imponendis in thuribulum; quod quidem una cum navicula ſuper ipſam credentiam poni poſſe inquiunt tempore Miſſæ poſt incenſationem Altaris, modo tamen carbones accenſi, qui in eo ſunt, prius extracti fuerint.

V. Paranda hæc omnia ſunt quidem, ſi fieri poteſt, ante adventum Celebrantis, in Sacriſtia, quemadmodum & *ſcamnum oblongum coopertum aliquo tapete, aut panno*, coloris ſcilicet viridis, uti poſt alios notat Bauldryus loco citato Num. VI. *in quo ſedeat Sacerdos celebrans cum Diacono, & Subdiacono*, modo Sanctiſſimum Sacramentum in eo Altari, in quo celebratur, non ſit expoſitum, tunc enim ſuperfluum eſſet parari ejuſmodi ſcamnum, cum maxime conveniens ſit, ut tunc Celebrans, & Miniſtri non ſedeant ad hujuſmodi Miſſam, ſi ſcilicet non diu ſtandum ſit, prout contingere ſolet, cum juxta hodiernum morem Muſici ſoleant nimis cantilenam protrahere. Id quod ex noſtro Cæremoniali deducimus, Lib. II. Cap. XXXIII. §. XXXIV. Ajunt autem nonnulli auctores, inter quos Hippolytus a portu, Cap. I. *De Miſſa ſolemni*, Num. IV. præparandum quidem eſſe ſcamnum oblongum, ſi aliquis S. R. E. Cardinalis, vel Epiſcopus loci Ordinarius, aut ſuperior aliquis Miſſarum ſolemniis intereſſet, extra vero hunc caſum poni poſſe etiam tres ſedes nobiliores, imo etiam brachiatam, ut ajunt, pro Celebrante. Sed puto, tutiorem eſſe Merati ſententiam in Notis ad Gavantum Parte II. Tit. II. ubi inhærendum eſſe ait Decreto a Sacra Rituum Congregatione emanato die XV. Januarii anno MDCXI. in quo ſancitum eſt, quod Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus ſolemniter celebrantes, poſſunt, & debent ſedere in banco, dum cantatur *Gloria*, & *Credo*, etiamſi ſint Beneficiati, vel Capellani, prout ſedent Canonici, qualibet contraria conſuetudine non obſtante.

VI. Itaque juxta hanc ſanctionem, ut idem laudatus Auctor obſervat, numquam concedenda eſt *ſedes brachiata* Celebranti, neque alia ſedes aliis Miniſtris, tum maxime, quod hæc eſt praxis omnium Baſilicarum Urbis, & omnium fere Cathedralium Eccleſiarum, itaut Canonici Miſſam celebrantes non ſolum coram Epiſcopo, ſed etiam eo abſente, nulla utantur peculiari ſede, ſed ſemper in aliquo ſcamno oblongo tapete, vel panno cooperto ſedeant, & quidem a latere Epiſtolæ, juxta Decreta iterum atque iterum a Sacra Rituum Congregatione emanata, ut in Turritana die XIX. Maji anno MDCXIV. *Canonici*, inquit, *Miſſam celebrantes coram Epiſcopo, non debent ſedere in ſede cum poſtergali, ſed in aliquo ſcamno oblongo, tapete, vel panno cooperto in latere Epiſtolæ*. Affert hoc Decretum in Indice ſuo Decretorum Meratus Num. CXLII. itemque aliud Num. CCVIII. ab eadem Congregatione editum in Brunduſina die XXII. Junii anno MDCXXVII. his verbis: *Celebrantes Miſſam ſolemniter ſedeant in loco parato pro Celebrantibus a latere Epiſtolæ*. Sed celeberrimum omnium eſt illud Decretum apud eundem Num. CDXXVIII. quo ſacra ipſa Rituum Congregatio in Reginaten. in Calabria die XXXI. Julii anno MDCLXV. declarat, Celebrantem, & Aſſiſtentes in Veſperis, & Miſſa ſolemni etiam in ſolemnitatibus debere ſedere in ſcamno, & non in ſede camerali.

VII. Neque his officit, quod ex recitato primo Decreto Canonici Miſſam Celebrantes coram Epiſcopo non debent ſedere in ſede cum poſtergali, ſed in aliquo ſcamno oblongo &c. quaſi inde inferri poſſit, abſente Epiſcopo poſſe Canonicos ſedere in ea ſede nobiliori cum poſtergali, ſeu *brachiata*: etenim tum uſus, & praxis communis omnium fere Eccleſiarum, præſertim Urbis, uti dictum eſt, tum alia Sacræ Rituum Congregationis Decreta ſatis declarant, non ſolum coram Epiſcopo, ſed nec illo abſente, non poſſe a Canonicis, multoque minus ab aliis adhiberi in Miſſa ſolemni nobiliorem illam, ac peculiarem ſedem,

Digitized by Google

sedem, sed scamnum oblongum, juxta expressa illa nostri hujus §. verba: *Satis erit scamnum oblongum coopertum aliquo tapete, aut panno, aptari a latere Epistolæ, in quo sedeat Sacerdos celebrans cum Diacono, & Subdiacono*. Hinc neque adhæreo ejusdem Hippolyti a portu, ac aliorum sententiæ, ajentium, posse Provincialem, aut Generalem, ubi solemniter celebraret in Ecclesiis suæ Provinciæ, vel Ordinis, sedere ad partem Euangelii, sicut sedet Episcopus, loquendo præcise de sessione ratione loci. Est enim non modo contra Rubricas, sed & praxim etiam illustrium complurium Generalium, etiam Ordinum insigniorum, quos Romæ in Missarum solemniis in scamno oblongo decenter ornato sedere vidimus. Quod tamen de iis intelligendum est, qui privilegium peculiare non haberent sedendi ad partem Euangelii, in sede nobiliori.

## §. XXIII.

**In solemnitatibus majoribus, quæ ubique per annum occurrunt, videlicet, in Nativitate Domini, Paschate, & Pentecoste &c. eadem erunt servanda, nisi quod valvæ, porticus, & parietes Ecclesiæ non ornantur regulariter; sed si in aliquibus Ecclesiis consuetudo esset, tunc quoque ornandi, retinenda hæc erit, cum circa majorem ornatum semper sit laudabilis. Id tamen in hujusmodi Festis non omittatur, ut saltem Tribuna, Altare majus, & alia minora, Sedes Episcopalis, abacus, & Ambones eadem forma ornentur.**

## COMMENTARIUS.

I. Docet hic Rubrica nostri hujus §. uti ornanda sunt Templa *in solemnitatibus majoribus, quæ ubique per annum occurrunt*, aitque eadem servari debere, quæ de solemniori Ecclesiarum ornatu, cum scilicet in iis præcipua Festa celebrantur, explicata superius sunt, *nisi quod valvæ, porticus, & parietes Ecclesiæ non ornantur regulariter*; commendat tamen laudabilem consuetudinem, quam etiam retinendam esse affirmat, *si in aliquibus Ecclesiis consuetudo esset*, tunc quoque ornandi valvas ipsas, porticus, & parietes Templi; ob eam præclarissimam rationem, quam subdit, quod nempe consuetudo *circa majorem ornatum semper sit laudabilis*. Quum vero regulariter in majoribus ipsis celebritatibus, quæ per annum occurrunt, videlicet Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, aliorumque præcipuorum Festorum, necesse non sit ornari valvas, ac porticus, parietesque Ecclesiæ, floribusque, aulæisque juxta ritus superius præscriptos, atque explicatos, intelligendum hoc tamen est, si præcipuum aliquarum Ecclesiarum festum, quod in iis celebrari debet, non sit Paschatis Festum, vel Nativitatis Domini, vel aliud simile, quod ubique per annum occurrit; tunc enim omnia illa servari debent, quæ superius præscripta fuere circa solemnissimum Ecclesiarum ornatum.

II. At vero tametsi hæc Festa, quæ ubique per annum occurrunt, non sint præcipua complurium Ecclesiarum, mandat tamen §. hujus nostri Rubrica, ut in hujusmodi Festis *saltem Tribuna, Altare majus, & alia minora, abacus, & Ambones eadem forma ornentur*. Atque hæc est praxis, quam Romæ servari vidimus in Basilicis insignioribus, in quibus nobiliori supellectile, Tribuna, majus Altare, aliaque minora exornari solent festis præsertim diebus Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, & Corporis Christi. Ceterum retinendam esse eam consuetudinem, ut in memoratis Festivitatibus, aliisque id genus, majori quo possit cum apparatu exornentur Templa, ex Sanctis Ecclesiæ Patribus addiscimus, qui eximiis elogiis Festa ipsa exornarunt. Atque ut alios omittam, S. Gregorius Magnus Pontifex Maximus Paschalem celebritatem vocat cæterarum principem, & præstantissimam, ita inquiens Homilia XXII. in Euangelia: *Hanc enim recte nobilitatem solemnitatis dicam, quia solemnitates cæteras antecedit. Sicut enim in sacra eloquio Sancta Sanctorum, vel Cantica Canticorum pro sui magnitudine dicuntur, ita hæc Festivitas recte dici potest solemnitas solemnitatum*. Eodem elogio jam ante S. Gregorium Eusebius Cæsariensis Pentecosten donavit, ita scribens in Vita Constantini Lib. IV. Cap. LXIV. *Die, quam siquis omnium Festivitatum maximam vocet, haudquaquam meo judicio aberraverit*.

III. Inter varias rationes, quæ afferri possunt, cur diebus festis solemnioribus, qui ubique ex prisca Patrum traditione per annum occurrunt, ornandæ sint sacræ Ædes, eam lubet hic recensere, quia scilicet, juxta veterem disciplinam, cuncti quacumque dignitate augerentur, solemniores celebritates in Ecclesiis insignioribus peragere tenebantur. Certe Concilium Agathense anni DVI. eam disciplinam Can. XXI. ostendit, ubi ita inquit: *Siquis extra Parochias, in quibus legitimus est, ordinariusque conventus, Oratorium in agro habere voluerit, reliquis Festivitatibus, ut ibi Missas teneat propter fatigationem familiæ justa ordinatione permittimus. Pascha vero, Natale Domini, Epiphaniam, Ascensionem Domini, Pentecosten, & Natalem Sancti Joannis Baptistæ, vel siqui maximi dies in festivitatibus habentur, nonnisi in Civitatibus, aut Parochiis teneant. Clerici vero, siqui in festivitatibus, quas supra diximus, in Oratoriis, nisi jubente,*

*bente, ac permittente Episcopo, Missas facere, aut tenere voluerint, a communione pellantur.* Prima Synodus Aurelianensis anni DXI. Can. xxv. tres tantum maximas solemnitates memorat, quarum in hoc §. specialis mentio habetur; edicit tamen, nulli civium fas esse, eas in agro celebrare: *Ut nulli civium Pascha, Natalis Domini, vel Quinquagesimæ solemnitatem in villa liceat celebrare, nisi quem infirmitas probabitur tenuisse.*

IV. Hosce, & alios de ea re Canones affert eruditus Thomassinus in egregio Opusculo, *De dierum Festorum celebratione*, Lib. III. Cap. VI. ubi ipsam disciplinam, quæ adeo alias in præsentia negligitur, utilem apprime fuisse affirmat. Nam I. Festi dies solemniores majori celebritate peragebantur, magisque conspicua erat, splendebatque Ecclesia, & Jesu Christi majestas, dum omnes simul eodem convenirent, Clerici potissimum, virique primarii. II. fovebant sacri ejusmodi cœtus dilectionem, & observantiam illam, qua Clerici, & viri genere, dignitateque præstantiores prosequi debuerunt Antistites suos, quemadmodum eam sensim minuebat, numquam, aut perraro iisdem Sacris interesse. III. itinera, quæ fiebant, pertinere videbantur ad solemnium religionem; instituebantur enim, ut unusquisque adiret Episcopos, Jesu Christi quasdam in terris imagines, atque ut coleretur Deus in Æde maxima Cæli aulam præmonstrante. IV. sacra in illa Æde principe, ea ratione solemniori ritu peragebantur, diuque divinis rebus vacabatur, maxime propter conciones tunc habitas; itaque totus dies religiose insumebatur.

## §. XXIV.

Dominicis diebus, & aliis Festis, quibus populi ab opere cessant, in ornatu Altarium, Sedis Episcopalis, Sedium Canonicorum, & aliorum, eadem, sed aliquanto parcius fieri debent, videlicet, ut paramenta non sint ita sumtuosa, coloris tamen tempori congruentis, & omnino pretiosiora illis, quæ Festis duplicibus minoribus, semiduplicibus, & Octavis, Feriis Quadragesimæ, Adventus, Quatuor temporum, & Vigiliarum, adhibentur: quibus quidem diebus sufficient in Altari quatuor candelæ in candelabris; sed in Festis simplicibus, & feriis per annum duæ. Eadem respective etiam in Collegiatis observantur.

## COMMENTARIUS.

I. JAm non semel dictum est in ornatu Ecclesiæ, Altarium, Sedis Episcopalis, Sediumque Canonicorum, aliorumque, habendam esse celebritatum rationem, ideoque *Dominicis diebus, & aliis Festis, quibus populi ab opere cessant*, servili scilicet, *eadem, sed aliquanto parcius fieri debent, videlicet, ut paramenta non sint ita sumtuosa*, sicut in præcipuis solemnitatibus, *coloris tamen tempori congruentis, & omnino pretiosiora illis, quæ Festis duplicibus minoribus, semiduplicibus &c. adhibentur.* Est ergo abusus, quod hodieque in plerisque Ecclesiis, diebus ipsis Dominicis Altaria, ipsa etiam majora cum eodem ornatu extant, quo ferialibus diebus, cum sex scilicet solis candelabris, & cum iisdem palliis, ac supellectile, quæ diebus ipsis ferialibus adhiberi solent. Tenenda plane est regula hujus §. in quo inter alia edicitur, satis esse in Festis duplicibus minoribus, semiduplicibus, & Octavis, feriis Quadragesimæ, Adventus, Quatuor temporum, & Vigiliarum, quatuor candelabra adhibere, sive quatuor candelas in candelabris, in Altari scilicet majori, & in Festis simplicibus, & feriis per annum duo candelabra, sive candelas duas in candelabris. Sed de his vide Gavantum, & alios qui Rubricas Missalis enarrant.

## §. XXV.

Erit autem valde opportunum, ubi fieri possit, præsertim in Ecclesiis majoribus, & opulentioribus, si constituatur minister aliquis, cui curæ sit, ut Ecclesia continuo in omni ejus parte munda sit, & expolita, tam in pavimento, quam in parietibus, columnis, fornicibus, & laquearibus, nec per eam discurrere permittat mendicos, canes, aut alia animalia, divina Officia perturbantia. Quædam vero alia, quæ in quibusdam solemnitatibus, aut officiis specialius requiruntur, suis locis dicentur.

## COMMENTARIUS.

I. QUamquam proprium Sacristæ sit munus, ut Ecclesia omni ex parte sit munda, uti jam superius dictum fuit, Cap. VI. maxime tamen decet, eritque valde opportunum, ubi scilicet fieri possit, *præsertim in Ecclesiis majoribus, & opulentioribus, si constituatur*

Digitized by Google

*tuatur minister aliquis, cui curæ sit, ut Ecclesia continuo in omni ejus parte munda sit, tam in pavimento, quam in parietibus &c.* Verrere Ecclesiæ pavimentum, quod forte aliqui rem vilem existimant; quanti jam olim fecerit S. Paulinus Nolæ Episcopus, sat ipse ostendit in Natali I. S. Felicis, ubi inter alia sacram illius Ædem everrere summis votis exoptat, sic inquiens:

*Et foribus servire tuis, tua limina mane*
*Munditie curare sines, & nocte vicissim*
*Excubiis servare piis, & munere in isto*
*Claudere promeritam defesso corpore vitam.*

Neque solum verrere, sed vel unicam festucam de pavimento tollere, gratum Deo, & præmio dignum existimasse veteres, testatur his verbis Cassianus Lib. IV. *De institutione*, Cap. VII. ubi eam ob rem Palæstinos Patres commendat: *Tanta fide*, inquit, *universa procurant, atque dispensant, ut etiam ea, quæ despectui habentur, parvaque reputantur, ac vilia, ut si tenuem festucam de Oratorio, cellave summoverint, mercedem se consequuturos a Domino, tota credulitate confidant.*

II. Hanc veterem Patrum disciplinam sequentes Clerici Regulares, quos Theatinos vocant, licet in omnibus fere domibus suis laicos habeant Ecclesiæ servitio destinatos, quos etiam homines Ecclesiæ appellant, ipsimet tamen, Clerici æque, ac Sacerdotes singulis hebdomadis ex antiquo suo instituto pavimentum Ecclesiæ everrere solent, quod inter alios testatur eruditissimus Antonius Caracciolus in Notis ad Constitutiones sui Ordinis, Parte I. Cap. III. ubi multa in comprobationem, atque commendationem ejus disciplinæ veterum Patrum exempla affert, aitque tandem, non mirum id videri debere, si suis ea obsequia manibus sancti homines ob veri Dei cultum sacris Ædibus præstiterunt, quandoquidem *matres Italas Idolorum Fana, passo capillo suo quamque verrisse*, Mamertinus, Maximus, Livius, aliique veteres Scriptores, memorando, sed execrando exemplo commemorant. Ceterum, ut laudatus Auctor scite concludit, mulieribus illis Idolorum cultricibus Christianæ virgines omni jure præferendæ sunt, nam quod illæ Diis suis, idest, dæmonibus impiissime exhibuerunt, vero, & magno istæ Numini detulisse perhibentur. De Serena enim Honorii Augusti filia, Stiliconis uxore ita Claudianus in ejusdem encomio cecinit.

*Numinibus, votisque vacas, & supplice crine*
*Verris humum.*

III. Quoniam vero postremis hisce nostris temporibus Christifidelium tum laicorum nobilium, tum Clericorum pietas refriguit, qui munditiem, ac nitorem domus Dei procurent, valde opportunum erit, si uti docet Castaldus in sua Cæremoniarum Praxi, Lib. I. Sectione II. Cap. V. designetur in Ecclesiis præcipue majoribus aliquis veste decenti indutus, qui servitio Ecclesiæ assistens, curet non tantum ipsam a pulvere, ac sordibus mundam servare, atque a latronibus custodire, verum (ut antiquitus, teste S. Clemente, sive alio Apostolicarum Costitutionum Auctore Lib. VIII. Cap. XI. quidam ex Diaconis in Templo inambulabat, contemplans, ne quis fieret strepitus, nequis nutus faceret, aut mussitaret) sæculares omnes actiones, vana, atque adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arcere, ut domus Dei, vere orationis domus esse, ac dici posse, videatur. Id quidem sapientissime sacræ passim Synodi admonent, ac præsertim Oecumenica Synodus Tridentina Sessione XXII. in Decreto, *De observandis, & vitandis in celebratione Missæ*. Id passim etiam sancti Ecclesiæ Patres inculcant, quorum testimonia legere est in nostro Opere, *De Codice Sancti Euangelii*, Libro II. Cap. XIV. & Tomo II. Romani Pontificalis.

IV. Curandum potissimum illi est, quod non uno in locò nos admonuimus, ut scilicet non permittat per Ecclesiam *discurrere mendicos, canes, aut alia animalia, divina Officia perturbantia*, locus egenorum stipem mendicantium fuit olim Ecclesiæ atrium: licet enim, uti jam notavimus Tomo II. Romani Pontificalis ad Titulum I. in Commentario §. I. Num. IV. illis sicut & ceteris fidelibus precum causa Templi fores paterent, non tamen intus ab orantibus eleemosynam petere permittebantur, ne Sacra agentibus, Deumque precantibus molesti essent. Hinc ad morem sui ævi alludens S. Chrysostomus Homilia XXVIII. ad populum Antiochenum, *Propterea*, inquit, *ante Ecclesias, & Martyrum monumenta pro foribus pauperes sedent, ut nos ex hujusmodi spectaculo multum capiamus utilitatis*. Testem quoque ejusdem moris habemus S. Gregorium Nazianzenum, qui in Oratione de amore pauperum, non obscure indicat, pauperes non per Ecclesiam, ut hodie per abusum fit, sed ante illius fores consuevisse petere eleemosynas: *Petitionum gemitus*, ait, *internis templi cantibus ex adverso respondet, atque adversus mysticas voces miserabilis luctus excitatus*. Scio, S. Pium V. in Constitutione sua V. quæ incipit, *Cum primum &c.* aliosque Pontifices Maximos, ac varios etiam zelosiores Episcopos, variis propositis pœnis conatos esse abusui ipsi occurrere, qui tamen ubique viget, cunctisque in Ecclesiis pauperes cernuntur per illas discurrere, eleemosynas importune petentes, ac divina Officia perturbantes, cum alias ab Ecclesiarum Præfectis, custodibusve, ut Romani Pontifices, ac multæ etiam Episcoporum Synodi mandant, ejici ab Ecclesia omnino deberent.

V. Est & alius non minor abusus ille, quem etiam una cum alio jam dicto ab Ecclesia eliminari, Rubrica hujus nostri §. jubet, canum scilicet per Ædem sacram discursum: est enim abusus valde indecorus, & disciplinæ veteri, ac cultui Ecclesiæ debito repugnans quammaxime; tum quia teste Josepho, siqui canes per Templum Hierosolymitanum discurrerent, omnes omnino occidebantur; tum quia nec Schismatici, nec ipsi Turcæ oblationes, aut preces ullas faciunt, si adsint hujusmodi bestiæ; tum tandem quia Christus Dominus apud Matthæum, Capite XV. dicens: *Nolite Sanctum dare canibus*, variorum criminum, ac etiam principaliorum, qualia sunt, hæresis,



Digitized by Google

resis, schisma, idololatria, impudicitia, vindicta, & his similia, horrorem fidelibus incutere volens, eadem canibus, utpote furibundis, ac immundis animalibus comparat. Unde S. Joannes in Apocalypsi Cap. XXII. loquens de Templo cælesti, cujus symbolum Templum terrenum est, aperte inquit: *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium*. Sunt etenim omnes, & divinæ Majestati, & locis ejus sacris injuriosi. His adde, quod cum certum sit, multa indecora, ac etiam inhonesta, ex quibus non minima mala ut plurimum eveniunt, per hæc animalia fieri; constetque insuper, canum latratibus, ac strepitu, & præsentium preces, & ipsius Sacerdotis oblationem offerentis, ac reliquorum Ministrorum divina Officia celebrantium animos perturbari; haud dubie nemo plus hasce immunditias, atque spurcitias in Ecclesia grato feret animo, eo vel maxime quod nullus ne rusticanus quidem in tugurio suo admitteret.

VI. Hunc abusum, uti jam notavimus nos nostro II. Tomo Romani Pontificalis ad Titulum II. in Commentario ad §. XL. deplorant passim non modo Episcopi in suis Synodis, sed & varii Scriptores sacri, inter quos Tobias Corona Barnabita, in Opere Italice scripto, *De sacris Templis*, Parte I. Cap. XXXVII. & eruditus Jacobus Lafon Dominicanus, *De Sacramentis*, Pag. 437. & 38. ubi ita demum concludit: *Non ferenda ergo quorumdam nobilium prava consuetudo, qui canum venaticorum multitudine circumdati, Templum Domini, Sacrum, vel Divina Officia audituri, audaci supercilio ingrediuntur; quasi vero Ecclesia non sacer locus, aut terra sancta, sed stabulum habenda foret*. Tum Auctor Gallus pravum quarundam mulierum Gallarum morem sugillans, & consequenter etiam complurium Italarum eadem qua illæ vanitate ac impudentia affectarum, ita inquit: *His annumeres, si lubeat, domicellas illas, quæ quadam fascinatione obcæcatæ, catellos quosdam, quos & Melitanos vocant, inter brachia ad sanctuarium usque deferunt, quibus totaliter intentæ, de audiendo sacro cum debita attentione, minime curant*. Curandum ergo illi erit ministro, quem in Ecclesiis præsertim majoribus, & opulentioribus constituendum esse Rubrica nostri hujus §. ait, ut canes ipsos, aut alia animalia, præsertim quæ latratu, aliove turpi facto divina Officia perturbant, ejiciat.

VII. Agit de eo ministro ad Ecclesiam custodiendam deputando, ejusque varia Officia recenset Castaldus loco laudato, ubi etiam ait, non modo canes, ac pauperes non permittendos per Ecclesiam discurrere, sed nec etiam parvulos, aliosque divina Officia perturbantes, in Ecclesia tolerandos, sed extra omnino ejiciendos inquit. Ceterum ut idem Auctor notat ex Cæremoniali Ambrosiano Lib. I. Tit. *De aliis Ministris inferioribus*, peropportunum esset si in Cathedralibus, & maxime in Metropolitanis Ecclesiis plures designentur Ministri laici vestibus oblongis usque ad crura induti, qui in processionibus baculum deferant cum Insignibus Episcopi; qui præcedant Capitulum comitantes ipsum ad Chorum usque ad Tribunam, impedimenta, si forte ob populi multitudinem occurrant, removendo, aditumque procedentibus per viam patefaciendo. Habent multæ sane Ecclesiæ hujusmodi Ministros, qui semper capite aperto Capitulum deducunt, & reducunt, & tempore divinorum Officiorum in limine Chori assistentes curant ne Laici Clericis misceantur, neve ipsa Officia divina turbent, sed ea, qua decet, reverentia Ecclesiæ assistent. Oporteret autem ut sacri homines præberent seipsos laicis exemplum bonorum operum, præsertim qui in Cathedra Confessionali sedent, non pauci enim ex iis vel tempore divinorum Officiorum longa ac familiaria cum mulieribus miscent colloquia; id quod nos jam pridem notavimus in Opere, *De Codice Sancti Euangelii, atque servatis &c.* Libro II. Cap. XIV.

## C A P. XIII.

*Sedes Episcopi in qua parte collocanda. Tribus gradibus ad eam ascenditur. Ejus forma, & ornatus. Si Chorus sit in medio Ecclesiæ, Episcopus assistit ibi in Sede pro ipso ordinata. Cardinalis Legatus, vel non Legatus, assistit in Sede Episcopali, & Episcopus sedet interim in Faldistorio. Si Episcopus sit Cardinalis, & assistat Legatus, Episcopus Cardinalis habet æqualem Sedem prope Legatum. Ubi sedere debeant, Metropolitanus, Nuntius Apostolicus, habens facultates Legati de latere, vel eas non habens, Visitator Apostolicus Episcopus, Vicarius generalis, Protonotarii Apostolici, Magistratus, aliique Proceres.*

### §. I.

Sedes Episcopi vario modo collocatur pro diversitate Altarium, apud quæ statui debet. Nam aut Altare est in medio sub Tribuna, pariete disjunctum, itaut in spatio illo constitutus sit Chorus, & tunc Sedes Episcopalis e regione Altaris parieti applicabitur, itaut Episcopus in ea sedens respiciat recta linea mediam Altaris partem; habebitque hinc inde sedilia Canonicorum.

§. II.

Digitized by Google

## §. II.

Si vero Chorus sit in medio Ecclesiæ, & Altare adhæreat parieti, vel ab eo modico sit intervallo separatum, ipsa Sedes Episcopalis erit collocanda a latere Euangelii.

## COMMENTARIUS.

I. CHristianæ Religioni coæva est Sedes, seu Cathedra Episcopalis, de qua fuse jam disseruimus nostro I. Tomo Romani Pontificalis in Prolegomenis, Cap. V. Sane tradit Eusebius Lib. VII. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. XIV. Thronum, seu Cathedram S. Jacobi Apostoli primi Hierosolymorum Episcopi adhuc suis temporibus extantem, a fidelibus coli summa veneratione consuevisse: *Jacobi Apostoli Cathedram, qui primus erat ad Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopatum a Servatore, & ceteris ejus Apostolis delectus, quemque fratrem Christi nuncupatum divina perhibent eloquia, ad istud tempus servatam, Episcopi, qui illic ordine successerunt, permagno æstimant: unde declarant perspicue, quemadmodum veteres Patres ad nostram usque ætatem sanctis viris, ob eorum veram erga Deum pietatem, debitam venerationem, & tribuerint & adhuc tribuere non cessent.* Licet vero hodie ipsa *Sedes Episcopi varia modo collocatur, pro diversitate Altarium, apud quæ statui debet*, antiquitus tamen in hemicyclo apsidis Templi erat parieti affixa, lapidea, gradata, & tantisper elata super sedilia hinc inde disposita Presbyterorum, uti videre est in antiquis quibusdam Basilicis Urbis, ac præsertim in illa S. Clementis, cujus ichnographiam exhibet inter alios Mabillonius Tomo II. Musei Italici in suo Commentario prævio ad Ordinem antiquum Romanum, Cap. III.

II. Constitutam fuisse Episcopalem in abside Ecclesiæ, patet ex Libro Miraculorum S. Stephani, qui extat in Appendice Tomi VII. Operum S. Augustini novæ editionis, Cap. III. Erat quidem linteo obvoluta, uti videre est apud ipsum Augustinum loco citato, itemque in ejus Epistola ad Maximum, quæ in nova editione est XXIII. in Epistola quoque II. S. Paciani ad Sempronianum, & in Epistola Synodica Episcoporum Ægypti, quam refert S. Athanasius in sua Apologia. In ea itaque tanquam in sublimiori Throno sedebat Episcopus, assidentibus hinc inde Presbyteris in humilioribus subselliis, & adstantibus Diaconis in veste candida, quemadmodum scribit Sanctus Gregorius Nazianzenus in Somnio de Ecclesia Anastasiæ, confirmatque vetustus Auctor Apostolicarum Constitutionum, quæ vulgo S. Clementi tribuuntur, Lib. II. Cap. LXI. his verbis: *In medio sit Sedes Episcopi, ad cujus utrumque latus consideant Presbyteri, & Diaconi assistant succincti, & expediti.* Porro teste Edmundo Martenio Libro I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo III. Num. III. in fine, *Lugdunensis Ecclesia antiquam retinuit consuetudinem, uti & Viennensis in Gallia, in qua Thronus Archiepiscopalis marmoreus pene majus Altare in abside situs est, eique assident in humilioribus lapideis hinc inde sacri ministri.*

III. De Canonicis hic illud notandum est, non posse ipsos uti pulvinari, neque retinere in loco suarum sedium stratum, sive tapete, quamvis sint Dignitates; hæc enim sunt signa superioritatis, quæ non competunt nisi Episcopis, aliisque Prælatis, ut decisum fuit a Sacra Rituum Congregatione in Herbipolen. Præeminentiarum die XXII. Novembris anni MDCXCVIII. in qua Dignitates illius Ecclesiæ Primitialis vigore consuetudinis allegatæ prætendebant genuflexorium, sive locum stalli cum pulvinari, & strato, sive tapete retinere, & declaravit, pulvinar tantum laneum violacei coloris esse permittendum, & servandum esse Cæremoniale Lib. I. Cap. IX. ut testatur Monacellus Tomo II. Formularii Legalis practici Fori Ecclesiastici, Tit. XIII. in annotationibus, Num. III. ubi etiam ait, quod cum in Urbinaten. die XXIII. Januarii anni MDCC. Canonici, & Dignitates celebrantes præsente Archiepiscopo prætenderent, vigore consuetudinis uti posse pulvinari genuflectendo, Sacra Rituum Congregatio responderit: *Probetur consuetudo formiter.*

IV. Quod tandem §. II. Rubricam spectat, *si chorus sit in medio Ecclesiæ, & Altare adhæreat*, ut teste Bauldryo, fere in omnibus Ecclesiis Galliæ, *vel ab eo sit modico intervallo separatam, ipsa Sedes Episcopalis*, Cathedra scilicet gradibus, & Baldachino instructa, *erit collocanda a latere Evangelii*, ut in Capella Summi Pontificis, & jam in multis aliis Ecclesiis.

## §. III.

Utroque autem casu tribus gradibus ad eam ascendatur, qui pannis, aut tapetibus tegantur. Forma Sedis erit præalta, & sublimis, sive ex ligno, sive ex marmore, aut alia materia fabricata in modum Cathedræ, & Throni immobilis, quales in multis Ecclesiis antiquioribus videmus: quæ debet tegi, & ornari aliquo panno serico concolori cum aliis paramentis, non tamen aureo, nisi Episcopus esset Cardinalis,

Digitized by Google

nalis, & super umbraculum, seu baldachinum ejusdem panni, & coloris appendi poterit, dummodo & super Altari aliud simile, vel etiam sumtuosius appendatur; nisi ubi super Altari est Ciborium marmoreum, vel lapideum, quia tunc superfluum est, nec aptari commode potest. Hujusmodi Sede utetur Episcopus, dum Vesperæ, & Missæ per ipsum solemniter celebrantur. Cum vero Missis non solemnibus, & Horis matutinis, aut aliis Episcopus assistit, si fuerit in medio Ecclesiæ Chorus ante Altare, poterit ibi in Sede pro ipso ordinata residere, quæ remanebit in eo loco, ubi ex consuetudine Ecclesiæ esse solet, sive longius, sive propius ab Altari distet. At ubi Chorus est sub Tribuna, poterit in Sede Episcopali supradicta, tam in solemnibus, quam non solemnibus Officiis esse.

## COMMENTARIUS.

I. UBicumque Episcopalis Sedes, seu Cathedra locata sit, sive in abside, sive prope Altare e latere Euangelii, cautum est quidem ex Rubrica nostri hujus §. ut *utroque casu tribus gradibus ad eam ascendatur*. Elevatam multis gradibus fuisse olim Sedem Episcopalem, testatur quidem Prudentius in Hymno de S. Hippolyto Martyre, ubi ejus Basilicam describens, ita inquit:

*Fronte sub adversa gradibus sublime Tribunal*
*Tollitur, Antistes prædicat unde Deum.*

Certe quod multis Sedes ipsa constaret gradibus, iccirco illam *sublimem Thronum* in Somnio suo de Ecclesia Anastasiæ appellat S. Gregorius Nazianzenus; ipsumque Thronum, seu Solium Episcopale *in altissimo loco positum* a Paulino Tyriorum Episcopo, asserit Eusebius Lib. x. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. IV. cum magnificum ejus Templum describit.

II. Variis plerisque aliis nominibus appellari a Patribus consuevisse Episcopalem Sedem, seu Cathedram, scitissime observat Clarissimus Bernardinus Ferrarius, Lib. III. *De ritu sacrarum Ecclesiæ veteris concionum*, Cap. VI. ubi inter alios laudat S. Augustinum, & S. Petrum Chrysologum, quorum prior Sermone LXII. de verbis Domini in Euangelium Joannis, *sublimem Sedem*, alter vero in Sermone CLXXIII. *Sacerdotalem Sedem* appellat. Idem autem Sanctus Augustinus, cur illa altior esset, hanc rationem reddit in expositione Psalmi CXVI. *Ideo altior locus positus est Episcopis, ut ipsi superintendant, & tanquam custodiant populum. Nam & Græce quod dicitur Episcopus, hoc Latine Superintentor interpretatur, quia superintendit, quia desuper videt. Quomodo enim vinitori altior fit locus ad custodiendam vineam; sic & Episcopis altior locus factus est. Et ideo de isto alto loco periculosa redditur ratio, nisi eo corde stemus hic, ut humilitate sub pedibus vestris simus, ut pro vobis oremus, ut qui novit mentes vestras ipse custodiat, quia nos intrantes vos & exeuntes possumus videre.* Et iterum ita statim subjicit: *Tamquam vobis in hoc loco Doctores sumus, sed sub illo uno Magistro in hac schola vobiscum condiscipuli sumus.* Hactenus ille, cujus verba utinam Episcopi nostri ævi perpenderent, dum Cathedras suas ascendunt; nam alias unum e criminibus, quæ olim Concilium Antiochenum Paulo Samosatensi in Synodali sua adversus ipsum Epistola adsignavit, unum illud profecto fuit, quod sacrum Episcopale Tribunal, & sublimem Thronum, non ut Christi discipulus, sed ut quidam hujus mundi Princeps sibi ipse construxerit.

III. Rationem altioris Throni, quo ex antiqua Apostolica institutione utuntur in Ecclesia Episcopi, paucis quidem, sed fortibus verbis exposuit S. Ambrosius in Libro, *De dignitate Sacerdotali*, Cap. VI. ubi ita inquit: *Numquid aliud interpretatur Episcopus, nisi Superintentor, maxime cum in Solio in Ecclesia editiore resideat, & ita cunctos respiciat, ut & cunctorum oculi in ipsum respiciant.* Porro quod ea disciplina altioris Throni, seu Solii, Cathedræve Episcopalis alicubi negligeretur, S. Carolus veteris instituti peritissimus, ac in lectione Patrum apprime versatus, in Concilio Mediolanensi III. Provinciali, Cap. *Quæ pertinent ad ornatum, & cultum Ecclesiarum*, ita statuit: *Siqua in Cathedrali Ecclesia Episcopalis Cathedra loco depresso est, vel ita collocata, ut in populi conspectu non sit; id curet Episcopus, ut quod, & a Patribus, & a Beatissimo Patrono nostro Ambrosio institutum est, & ab Urbano Primo Pontifice Maximo declaratum, illa ponatur conspicuo, & eminentiori loco, ut inde velut e Throno speculationis suæ, ipse populum intueatur, rursusque ab eodem conspiciatur.*

IV. At vero tametsi eandem hanc rationem passim Patres, atque Doctores Ecclesiæ enarrent, elucebat tamen quammaxime in docendi officio dignitas Cathedræ Episcopalis, uti ex ipsorum Patrum testimoniis, atque exemplis addiscimus. Hinc inter alia egregia facinora Aurelii Carthaginensis Episcopi S. Augustini contemporanei ejusque immensorum Librorum adversus Donatistas, & Pelagianos fidelis socii legitur, quod ubi ex Ecclesiæ Carthaginensis Diacono post mortem Genethlii ad Sedem Episcopalem evectus est anno CCCXCII. Statuam Cælestis Deæ in amplo, & splendido Templo positam totoque pene orbe celeberrimam, quam Amelius Pontifex Gentilis dedicaverat, ipse jam Pontifex Christianus effectus, conversoque in Basilicam Christianam Templo in loco Cælestis Simulacri, Cathedram suam collocavit, & exinde populum docere cœpit, ut ipse, qui aderat, tradit Prosper, vel quisquis sub hoc nomine

Digitized by Google

nomine latet, in Opere, *De prædictionibus*, Parte III. Cap. XXXVIII. De Dea ipsa Cælesti Carthagine adorata multa congessit Cardinalis Baronius ad annum CCCXCII. Idemque esse Numen, quod sub *Mithræ* nomine celebrant Persæ, sub *Astartes* Phoenices, sub *Cereris*, *Junonis*, *Dianæ*, *Lunæ*, & *Reginæ Cæli* gentes aliæ, fidem faciunt Lucianus, Herodianus, Apulejus, imo etiam Ecclesiæ Patres, inter quos hac in re Sanctus Ambrosius contra Symmacum Epistola XXXI. ita inquit: *Quam Cælestem Afri, Mithram Persæ, plerique Venerem colunt, pro diversitate nominis, non pro Numinis varietate*. Inter marmora Africana ex Agro Tuneto Florentiam allata, & ab Octavio Falconerio Viro Clarissimo Romæ edita anno DCLXVIII. quartum hanc habet inscriptionem.

CÆLESTI. AVG. SAC.
Q. MA. . TIVS PRIMVS
AD AMPLIATIONEM
TEMPLI ET GRADVS
DONAVIT). (. CXXV.
VOT. SOL. LIB. ANI.

V. Plura de hac inscriptione videri possunt in magna Bibliotheca Ecclesiastica Tomo I. in Aurelio Carthaginensi Episcopo Pag. 798. & seq. Sed hisce omissis, ut quod nostrum est, prosequamur, ideo data est Episcopis in Ecclesia sublimis Cathedra, ut nimirum inde ad populum verba facientes, commodius, faciliusque, ac majori etiam cum auctoritate, & gratia audiantur, adeoque locus hic, in quo verbi divini præcipui Ministri Episcopi docent populum, egregie sui officii eos admonet, ut scilicet meminerint, quando in altis his locis steterint, sederintve, se & videri ab omnibus, & diligentes, ac providos habitus sui, gestuum, vitæ, & morum suorum custodes esse oportere, præsertim cum homines in externa illa magis oculos intendant, quam in verba docentis; unde & lux mundi, & in specula positi, appellantur; & quemadmodum ipsi in omnium hominum vitam, ac mores ex Sede illa sublimi inspiciunt, sic in ipsorum vultus, gestus, voces, ac mores populus omnis oculos suos intendit. Quamobrem, qui locum hunc excelsum conscendunt, prudenter, & caute se se gerere debent, ne quid faciant, aut dicant, quod eorum personæ, officioque, ac ipsi Cathedræ verti vitio possit. Sane notum est illud Christi Domini effatum, Matthæi Cap. XXIII. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi*. Quæ verba explicans S. Hieronymus Lib. IV. Commentariorum in laudatum Matthæi locum, ita ad rem inquit: *Propter Sacerdotii, & nominis dignitatem, hortatur populos, ut subjiciantur eis, non opera, sed doctrinam considerantes. Quod autem ait*: Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi: *per Cathedram, doctrinam Legis ostendit. Ergo & illud, quod dicitur in Psalmo*: In Cathedra pestilentiæ non sedit; *&* Cathedras vendentium columbas evertit, *doctrinam debemus accipere*.

VI. Licet autem incompertum sit, ac difficile prorsus definire, quot olim gradibus constaret Cathedra Episcopalis, ex dictis tamen illud liquido constat, sublimi, alto, atque editiore loco positam a priscis Patribus exhiberi; imo, ut ex S. Augustino docet Macryus verbo *Absis*, eo nomine gradatæ Absidis *dicebatur Pontificalis Sedes, utpote eminentior ob multitudinem graduum*. Tribus sane ut gradibus ad Episcopalem Cathedrem ascendatur, quocumque loco locata illa sit, cautum est quidem ex hac nostra Rubrica, decisumque fuit compluries a Sacris Congregationibus, Episcoporum scilicet, & Regularium, Sacrorum Rituum, & Immunitatis, ut inter alios testatur Pignatellus Tomo I. Consultatione VII. Num. XVI. Ceterum tametsi is hodie obtinuerit ritus, sciendum tamen, Paridis Crassi ætate duobus dumtaxat gradibus constare debuisse non modo Episcopalem Cathedram, sed etiam illam, quæ S. R. E. Cardinalibus in Diœcesibus suis in quibus Episcopi essent, & Apostolicæ Sedis Legatis parabatur, ut ipsemet Crassus testatur Lib. I. Cap. XXXIII. sic dicens: *Legati Sedes ampla locabitur in parte dextera Altaris, idest, intra Presbyterium versus Euangelium, habebitque duos tantum gradus, & non plures; nam regulariter soli Sedi Papali, quod Solium vocatur, apponuntur gradus tres, quæ est Papæ prærogativa*.

VII. Sed hoc, uti dictum est, correctum est hodie non modo ex hoc nostro Cæremoniali, sed & variis Sacrarum Congregationum Decretis, quibus edicitur, Episcopalem Cathedram tribus gradibus constare debere, duobus vero Abbatum Cathedram, qui scilicet Pontificalium usum habent, juxta Decretum Sacræ Rituum Congregationis habitæ coram sanctæ memoriæ Alexandro Papa VII. die XXVII. Septembris anno MDCLIX. Num. III. Præter tres gradus addendum esse etiam suppedaneum constat ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis in Septempedana, seu Sancti Severini die XI. Maji anni MDCCXV. respondentis ad VII. Dubium, *Episcopo licere retinere Thronum cum tribus gradibus, & suppedaneo*. Hujusmodi Sedem posse Episcopum sibi parare facere in Ecclesia extra Chorum ubicumque voluerit, decrevit eadem Sacra Rituum Congregatio IX. Maji MDCVI. etiam extra Cathedralem, & in aliis Ecclesiis suæ Civitatis, & Diœcesis, quamvis fuerint Regularium, & quomodolibet exemtorum, ex Decreto generali Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium approbato a sanctæ memoriæ Clemente Papa VIII. anno MDCIII. etiamsi Episcopus fuerit Mozzetta indutus, vel habitu Prælatitio etiam viatorio &c. prout Sacra Rituum Congregatio decidit in Fesulana die I. Octobris anni MDCCI. in responsione ad VII. Dubium apud Scarfantonum ad Ceccoperium Parte II. Lib. III. in animadversionibus ad Tit. II. Num. XIV. & in Libello, qui inscribitur: *Addenda ad Parerga notata jussu Illustrissimi, & Reverendissimi Dionysii Peragostini Episcopi Septempedani S. Severini in ordine divini Officii pro anno MDCCXLIV. &c.* Num. III.

VIII. Gradus ipsos Episcopalis Cathedræ *pannis*,

Digitized by Google

*pannis*, *aut tapetibus* esse tegendos, jam longe ante editionem nostri hujus Cæremonialis, notavit memoratus Crassus loco citato, & inter alios S. Carolus in Actis Ecclesiæ suæ Mediolanensis, ubi loquens de vestitu Sedis Episcopalis ait: *Illius gradus tapetibus, pannisve laneis sternantur*. Corrigendi hinc itaque sunt, qui nimio fastu in gradibus ipsis tegendis, contra nostram Rubricæ literam, & communem omnium sententiam, qui sacras cæremonias enarrant, tapetibus, pannisve sericis, atque etiam villosis utuntur.

X. Ad formam Episcopalis Sedis quod attinet, ita illam describit §. hujus nostri Rubrica: *Forma Sedis erit præalta, & sublimis, sive ex ligno, sive ex marmore, aut alia materia fabricata in modum Cathedræ, & Throni immobilis, quales in multis Ecclesiis antiquioribus videmus*. Extant id genus Cathedræ complures in antiquis Ecclesiis Urbis, de quibus agit eruditus Ciampinus in suis veteribus monumentis, Mabillonius Tomo II. Musei Italici, & alii. Antiquiores iis sunt Cathedræ ligneæ, quibus Apostoli, eorumque successores Episcopi utebantur; ipsam enim S. Jacobi Apostoli, ac primi Hierosolymorum Antistitis Cathedram, quam Eusebius Lib. VII. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. XIV. ad sua usque tempora servatam, & permagni habitam tradit, ligneam fuisse, ad annum Christi XXXIV. affirmat Baronius. Id quod etiam testatur de Cathedris illis Episcopalibus, quibus Romæ Apostolorum Princeps, & Alexandriæ Marcus insedit; quasque etiam Majores nostri tanti memores beneficii, quod Apostolica prædicatione e tenebris in lucem educti essent, & summa diligentia custodierunt, & magna veneratione prosequuti semper sunt.

XI. Passim hodie in Ecclesiis Sedes Episcoporum lignea est, in iisque collocata *in modum Cathedræ, & Throni immobilis*, juxta præscriptum Rubricæ §. hujus nostri, estque hæc singularis Episcoporum prærogativa, nam alias ex generali Decreto Sacræ Rituum Congregationis approbato ab Alexandro VII. die XXVII. Septembris anno MDCLIX. Abbates Cathedram, seu Sedem fixam, & permanentem in Ecclesis suis tenere non possunt, sed tribus ipsis diebus, quibus ex antiquis Decretis tantummodo Pontificaliter celebrare est iis permissum, mobili Sede, seu Cathedra uti debent, quam nihilominus simplici serico panno coloris Festivitati congruentis obducere poterunt, non auro contexto, aut phrygio, sive basilico opere exornato. Incongruum enim esset, si hujusmodi ornatu Abbatum Cathedra decoraretur, quando ipsa Cathedra Episcopalis ex ejusdem §. nostri præscripto *debet tegi, & ornari aliquo panno serico concolori cum aliis paramentis, non tamen aureo, nisi Episcopus esset Cardinalis*. Gaudent porro hodie Cardinales Episcopi ea prærogativa, quæ tamen non est adeo antiqua; teste enim Paride Crasso Lib. I. Cap. XXXIII. vel ipsa Apostolicæ Sedis Legati Cathedra, pannis quidem *sericis rasis, non autem villosis, nec auro textili ornata* esse debebat. Sanctus Carolus in Actis Ecclesiæ suæ Mediolanensis de vestitu Sedis Episcopalis loquens, non modo sericum villosum, aurumque exclusit, sed etiam argentum, ubi ita ait: *Vestitus ejus sit e pannis sericis rasis, non villosis, nec auro, argentove intextis*. Quod tamen hodie vix servatur, vidi enim non modo aliis in locis, sed in ipsa alma Urbe Faldistorium Episcopi celebrantis vestitum serico auro intexto.

XII. Esse antiquum ritum, ut velis, linteisque Episcopalis Cathedra exornaretur, jam alibi a nobis notatum est, præsertim vero Tomo I. Romani Pontificalis in Prolegomenis Cap. V. Numero V. Ad baldachinum quod attinet, seu umbraculum, quod, ut ait §. noster super Cathedram ipsam *appendi poterit, dummodo & super Altari aliud simile, vel etiam sumtuosius appendatur &c.* non videtur id esse adeo antiquum, cum ejus ritus vix Scriptores, qui sacras Cæremonias enarrant, meminerint. Debet ex nostro hoc §. ejusdem esse coloris, quo Cathedræ integumentum, & cetera paramenta, Festivitati congruentis, ac præterea materiæ potius inferioris, quam sumtuosioris eo baldachino, quod super Altari appensum est; *nisi ubi super Altari est Ciborium marmoreum, vel lapideum, quia tunc superfluum est, nec aptari commode potest*. Quod intelligendum est de Ciborio, quod & Altare totum, ac Celebrantem fornice sua tegit; nam alias, uti etiam superius notatum fuit ex Actis Mediolanensibus S. Caroli, baldachino, seu umbraculo opus esset, & quidem sumtuosiori, vel saltem simili umbraculo illi, quod super ipsam Cathedram Episcopalem appendendum erit. Est enim Altare, ut ait Optatus Milevitanus contra Donatistas Lib. VI. Sedes corporis, & sanguinis Domini, ac iccirco sumtuosius ornandum, quam Episcopi Sedes. Ceterum quod dictum est de integumento Episcopalis Sedis, idem & omnino dicendum de baldachino, ut nimirum ejusdem panni sit, & coloris, cujus est vestitus Cathedræ Episcopalis, panni scilicet serici, non tamen aurei, *nisi Episcopus esset Cardinalis*. Ad Abbates vero quod attinet, *baldachinum adhibere supra Sedem poterunt, non pretiosum, aut aureum, sed simplex, & eo, quod Altari superimponitur, materia, & opere inferius*; ut decisum est a Sacra Rituum Congregatione habita coram Alexandro Papa VII. in Decreto generali, Num. III. ubi etiam cautum est, ut ad ipsam Abbatum Sedem, per duos tantum *gradus in Presbyterii superficie stratos ascendatur*.

XIII. Quamvis denique Cathedra, Sedeve Pontificali sublimi, tribus dumtaxat gradibus præter suppedaneum instructa, atque baldachino, pannisque sericis tecta utatur Episcopus, *dum Vesperæ, & Missæ per ipsum solemniter celebrantur*; distinguendum tamen est, cum ipsis non solemnibus Missis, & horis Matutinis, aut aliis Episcopus assistit. Ut enim inquit hic §. noster, *Si fuerit in medio Ecclesiæ Chorus ante Altare, poterit ibi in Sede pro ipso ordinata residere, quæ remanebit in eo loco, ubi ex consuetudine Ecclesiæ esse solet, sive longius, sive propius ab Altari distet.*

Sed

Digitized by Google

Sed certe convenit, uti ſcite obſervat Bauldryus Parte v. Cap. XIII. Num. IV. ut ſedeat propius Altare ad partem Euangelii, ſi velit. Ceterum *ubi Chorus eſt ſub tribuna*, & Altare ſcilicet adhæret parieti, *poterit in Sede Epiſcopali ſupradicta, tam in ſolemnibus, quam non ſolemnibus officiis eſſe.*

## §. IV.

Si forte aliquis S. R. E. Cardinalis Legatus de latere, vel non Legatus, rei divinæ intereſſet, convenit ei Sedes Epiſcopalis ſupradicta. Epiſcopus vero ſi celebret, in Faldiſtorio in cornu Epiſtolæ; ſi non celebret, & Chorus ſit in Presbyterio ſub Tribuna, ſedebit in digniore parte Chori.



## COMMENTARIUS.

I. MUlta ſcitu digna in hac, & pluribus aliis Rubricis ſequentibus notantur, quæ ad Sedes Cardinalium, Metropolitarum, Nuntiorum Apoſtolicorum, atque aliorum, de quibus infra, juxta ordinem, ac methodum noſtri Cæremonialis dicemus, ſpectant; *Si forte*, inquit is §. *aliquis S. R. E. Cardinalis Legatus de latere, vel non Legatus rei divinæ intereſſet, convenit ei Sedes Epiſcopalis ſupradicta*, cum tribus ſcilicet gradibus, & ornata Umbraculo, ac pannis ſericeis, etiam auro intextis, juxta permiſſum in §. ſuperiori notatum: *Epiſcopus vero ſi celebret, in Faldiſtorio in cornu Epiſtolæ; ſi non celebret, & Chorus ſit in Presbyterio ſub Tribuna, ſedebit in dignore parte Chori*. Exhibendum eſſe ab Epiſcopo eum honorem S. R. E. Cardinalibus, ac præſertim Legatis de latere, cogit plane dignitas ipſa Cardinalatus, Legationiſve Apoſtolicæ Sedis, quæ multis ab hinc ſeculis, tantis eſt aucta prærogativis, ut *non modo quorumlibet Epiſcoporum, ſed etiam Patriarcharum, atque Primatum jura tranſcendant*; ut verbis utar S. Petri Damiani Lib. I. Epiſtola XX. Ipſos præterea Cardinales, quos pro honoris, & dignitatis eminentia partem ſui corporis Summi Pontifices apellant, aliiſque præclariſſimis titulis ornant, *poſt caput Eccleſiæ, quod eſt Papa, contigua ſui corporis membra, qui ſunt Fratres ejus Cardinales, præ ceteris Eccleſiæ membris, ac partibus honorari debere*, edixit quidem Eugenius IV. in ſuo ad Henricum Cantuariæ Archiepiſcopum, & Angliæ Primatem Reſcripto, quod refert inter alios Jacobatius Libro I. *De Concilio*.

II. Si veterem diſciplinam inſpiciamus, diu ſuum quiſque gradum Cardinales ſervavere, adeo ut in Romana Synodo anni MXV. ſub Benedicto VIII. ne ipſi quidem Epiſcopi Cardinales ſubſcriberent, ſederentve ante alios Epiſcopos ordinatione priores, nec Presbyteri Cardinales ante alios Epiſcopos ordinatione priores, nec Presbyteri Cardinales ante ullos prorſus Epiſcopos. Cœperunt autem primum Epiſcopi Cardinales aliis omnibus anteire Epiſcopis, eoque ſenſim alii quoque poſtea Cardinales pervenere, ut ſcite obſervat



Digitized by Google

servat Thomassinus Parte I. *Disciplinæ*, Lib. II. Cap. CXIII. ubi etiam notat, quod etsi jam post medium Seculum XI. & Seculo XII. legantur quandoque Cardinales omnes Archiepiscopis etiam antepositi in Concilio Romano anni MLIX. & in Beneventano ejusdem anni, non hæc tamen fuerit iis semper deinceps prærogativa, suumque identidem gradum Episcopi recuperarint. Porro in Concilio primo Oecumenico Lugdunensi anni MCCXLV. sederunt omnes in eminentiori ante Archiepiscopos loco; imo & in Concilio itidem Oecumenico Lugdunensi II. anni MCCLXXIV. ante Latinos, Constantinopolitanum, & Antiochenum Patriarchas sederunt, uti in Historia utriusque Concilii legere est, & apud Raynaldum in continuatione Annalium Cardinalis Baronii.

III. Quantum ad Apostolicæ Sedis Legatos, tametsi Presbyteri ii aliquando essent, quod tamen repræsentarent personam Summi Pontificis, jam olim ea potiti sunt prærogativa, ut sederent, atque subscriberent, supra quoscumque Patriarchas; sicque, ut alia Concilia omittam, primo Nicæno Oecumenico præfuerunt Legati S. Silvestri Pontificis Osius Cordubensis Episcopus, Vitus, & Vincentius Presbyteri, qui primi iccirco sederunt, ac subscripserunt, & quidem ante Alexandrum Alexandriæ, Eustachium Antiochiæ, & Macarium Hierosolymorum Patriarchas. Eundem scilicet supra ipsos, ac cæteros Episcopos tenebant locum, quem Summus Pontifex tenuisset, si Concilio interfuisset. Honor enim, qui debetur Principi, & illi debetur, qui Principem repræsentat. Unde in Canone *Præcipimus*, Distinctione XCIII. dicitur, quod Diaconus *tenens locum Patriarchæ, aut Metropolitani sui, sicut illius locum tenens honorabitur*. Quem Canonem ad hoc etiam allegat Abbas in Cap. finali, *De officio Legati*, ubi etiam Decius allegans Glossam in Can. *De causa*, II. Quæstione V. dicit, quod Legatus Papæ debet honorari, ut Papa. Prærogativa enim, quæ est in Principali, eadem esse debet in locumtenente, ut docet Angelus in Lege, *Si Prætor*, *ff. Qui potior in pignore habetur*, & Ancharanus in Cap. *Grandi*, Notabili V. *De supplenda negligentia Prælatorum* in VI. ubi honor, qui debetur Domino, & administratori suo debetur.

IV. Sed hæc nota sunt, docenturque passim ab utriusque Juris Consultis. Audiamus quid de re, quam agimus, nempe de Sede Legati, & ejus positione ii, qui sacras Cæremonias enarrant, tradunt: *Legati Sedes*, inquit Crassus Libro I. Cap. XXXIII. *ampla locabitur in parte dextera Altaris, idest intra Presbyterium versus Euangelium, habebitque duos tantum gradus, & non plures; nam regulariter soli sedi Papali, quod Solium vocatur, apponuntur gradus tres, quæ est Papæ prærogativa*. Loquitur de more sui ævi, nam alias ex præscripto nostri Cæremonialis, & variis Sacræ Rituum Congregationis Decretis, uti superius notatum est, Episcopalis Sedes tribus gradibus constat. Pergit autem Crassus, ipsamque Sedem, quæ usui debet esse Legato, ita describit: *Ea sedes non erit Cameralis, nec auro ornata, sed alta Cathedra cum postergali elevato circumquaque tapetibus, vel pannis sericis rasis, non autem villosis, nec ex auro textili ornata*. Id hodie quoque ex nostro Cæremoniali mutatum est, quo Cardinali permittitur uti Cathedra panno serico auro intexto tecta, uti ex præcedenti §. constat. Ait tandem memoratus Auctor, debere Cathedram ipsam Legati habere *gradus quoque tapetibus, seu pannis, ut supra ornatos, & tres pulvinos, videlicet unum serico villoso coopertum pro genuflexione, & alium similem pro accubitu, & tertium majorem pro sessione*.

V. Porro si præsente Legato, vel alio S.R.E. Cardinali, Episcopus qui non est Cardinalis, celebret, juxta §. nostri Rubricam, *sedebit in Faldistorio in cornu Epistolæ*, cum ornatu scilicet convenienti: *si non celebret, & Chorus sit sub Tribuna, sedebit in digniore parte Chori*. Sed audiamus hic iterum Crassum, quid de eo ritu scribat Lib. I. Cap. XXXIV. *Simplex Episcopus*, inquit, *præsente Legato, sedebit, non in Sede ampla ad cornu Epistolæ, sed aut proximus Legato in Sede cameralicum cum tapete supposito, aut, ut ipse Episcopus humanius agat, cum Prælatis Legati in eadem parte Chori cum Legato sedentibus, sedebit, primus tamen omnium, sed tunc sine tapete*. Sed hac de re, sicut & de aliis plurimis sedendi ritum spectantibus, attendendus est non modo situs, sed & antiqua varia consuetudo Ecclesiarum, ut passim Scriptores admonent.

## §. V.

**Quod si Episcopus quoque esset S. R. E. Cardinalis, si Legatus haberet Sedem a latere Euangelii, sederet quoque Episcopus Cardinalis non celebrans in eodem loco, & plano, & sedibus æqualibus prope Legatum.**

## §. VI.

**Eodem quoque modo sedebunt, si plures adessent Cardinales, dummodo Episcopus Cardinalis sit omnium postremus, Celebrans vero in Faldistorio, ut supra.**

## COMMENTARIUS.

I. TRadit laudatus toties Crassus Libro I. Cap. XXXIII. quod, si casus aliquis occurrat, ut non solum Legatus Apostolicæ Sedis, sed & aliquis Rex, Dux, vel maximus Princeps, seu etiam Cardinalis Episcopus non celebrans, vel alius Cardinalis, seu plures so-

Digitized by Google

solemni Missæ intersint, tum poterit aliquod tabulatum, vel suggestum altitudine duorum graduum in eadem parte erigi, a latere scilicet Euangelii capax tot sedilium, quot ibi sessuri sunt, & remota sede ampla Legati poni totidem sedes similes camerales æqualiter altæ, paulo tamen altior ipsa Legati sedes, idest circa medium palmum, & Altari propior: *quo casu*, ut idem Auctor subjicit, *habebit ad dexteram suam Regem, vel Cardinalem Episcopum non celebrantem, qui licet ad dexteram Legati existens videatur esse in loco digniori, & supra Legatum; tamen non est in veritate, quia locus ille dignior est, qui est magis propinquus Altari in omni casu.*

II. Duo sunt, in quibus cum narrato hactenus a Crasso ritu Rubricæ nostri Cæremonialis minime conveniunt. Nam primo, ut alias notatum est, tabulatum, seu suggestum, super quo locandæ sunt Sedes, non duobus, sed tribus gradibus constare debet. Secundo, *si Episcopus quoque esset S. R. E. Cardinalis*, tunc, ut ait §. VI. Rubrica, *si Legatus haberet Sedem a latere Euangelii, sedebit quoque Episcopus Cardinalis non celebrans in eodem loco, & plano, & Sedibus æqualibus prope Legatum*; eodemque modo, ut §. VII. Rubrica inquit, *sedebunt, si plures adessent Cardinales, dummodo Episcopus Cardinalis sit omnium postremus*; etiamsi esset ex antiquioribus, imo etiamsi esset Decanus Sacri Collegii; cum enim sit domi suæ, sive in Ecclesia propria, debet iccirco Cardinalis Episcopus eum honorem, & Legato, & aliis S. R. E. Cardinalibus exhibere, *tam ratione legationis, quam consuetudinis inter ipsos Cardinales mutuæ, & plurimum circa hujusmodi honorationes observatæ*, ut testatur Crassus Lib. I. Cap. XXXIV. & docet praxis, ut ait Bauldryus, Parte V. Cap. XIII. Num. VIII. ubi etiam notat, quod si inter Cardinales ipse quoque adesset Legatus, ante omnes sederet.

III. Illud tandem hic omitti non debet, quod de sede Cardinalis Bononiensis Episcopi refert laudato loco memoratus Crassus: *Memini*, inquit, *cum adhuc puer essem, Philippum Cardinalem olim Bononiensem Episcopum sanctæ memoriæ Nicolai Papæ V. Fratrem, & post eum aliquando D. N. Julium II. in præsenti gloriose sedentem, tunc Cardinalem similiter Bononiensem Episcopum, vidisse in ultima Sede chori extra vestibulum, sive antemurale Presbyterii directa ante cornu Epistolæ sedentes, quod etiam ab antiquis Ecclesiæ nostræ Canonicis, & aliis audivi, & legi sic in ipsa Ecclesia consuevisse, ut Episcops Bononiensis pro tempore, quantumcumque Cardinalis, semper in loco illo humili sedeat, sive præsente, sive absente Legato, & non in Sede ampla posita in cornu Euangelii, ut de Legato dixi, imo etiam ipso Legato absente, eundem Cardinalem Episcopum dicunt, in prædicto loco sedisse, relicta Legati absentis sede vacua.* Ait mox Auctor, non videri legitime id ordinatum fuisse, *cum ipsa Sedes Episcopi maxime Cardinalis locanda sit ampla ad cornu Euangelii cum duobus gradibus* (juxta ritum scilicet sui ævi) *& intra Presbyterium, & non ad cornu Epistolæ, nisi Legato præsente.*

IV. Pergit præterea, & inquit, quod ubi loci dispositio non patiatur, aut alioquin non videatur, quod Legatus, & Episcopus Cardinalis simul sint in uno eodemque suggesto, tunc Episcopi Cardinalis Sedes similiter ampla cum duobus gradibus, & intra Presbyterium locanda sit ad cornu Epistolæ, *ea tamen moderatione habita, ut Sedes Episcopi Cardinalis sit magis pressa, & humilis spatio medii palmi, & distantior ab Altari, adeo ut quasi subsit, & succedat immediate Sedi Legati in opposito locatæ.* Et mox: *Verum pro humanitate Episcopi Cardinalis, qui est domi suæ, sive in Ecclesia propria, poterit ipse Cardinalis Episcopus honorare Legatum tam pro ratione Legationis, quam consuetudinis inter ipsos Cardinales mutuæ, & plurimum circa hujusmodi honorationes observatæ.* Sed ecce demum memorati Auctoris conclusio: *Itaque poterit ipsa Sedes Episcopi Cardinalis & humilius locari, & parcius ornari, ut placuerit Episcopo Cardinali; & hoc servetur, quando Legatus est præsens dumtaxat. Absente autem Legato, Episcopus Cardinalis Bononiensis sedere debet, ut supra, in eadem Sede, quam dicunt esse Legati ad cornu Euangelii posita, non autem in extremitate Chori extra Presbyterium ante cornu Epistolæ, quæ illis poni nequaquam debet &c.*

V. Sed hæc hodie mutata sunt ex nostro Cæremoniali, uti constat ex Rubrica §. VI. ubi edicitur, quod si Episcopus esset S. R. E. Cardinalis, sedebit ipse non celebrans *in eodem loco, & plano, & sedibus æqualibus prope Legatum*. Certe in eo Crassus nostro Cæremoniali concinit, cum scilicet ipse mox subjicit, quod si alter Cardinalis non Legatus adsit simul cum Episcopo Cardinali, tunc faciendus sit omnino suggestus prædictus, ubi ambo Cardinales simul sedeant, *dum tamen ipse Episcopus det ex sua humanitate primum locum Cardinali hospiti, sicut etiam Legato dedisset, & quod æquales sint Sedes amborum*; & præterea, ut idem Auctor docet, quod Episcopus ipse Cardinalis non faciat Confessionem cum Celebrante, neque benedicat Diacono, nec habeat circulos Canonicorum, & denique ob honorem illius hospitis Cardinalis, cui non competunt præeminentiæ sacræ in aliena Ecclesia, ab omnibus se abstineat, & præsertim, ut non det benedictionem apud Sedem, sed apud Altare: *Ex ipsis autem duobus*, verba sunt ejusdem Crassi, *ibi sic sedentibus dignior erit proximior Altari; & hæc honoris delatio est de particulari Cardinalium consuetudine, ut etiam in suis Ecclesiis ordinariis, & titularibus alios Cardinales honorent*; quia scilicet secus fit, si Episcopus Ordinarius non sit S. R. E. Cardinalis, sed simplex Prælatus, quia tunc nulli Episcopo, nec etiam Archiepiscopo cedere debet in Ecclesia, & Diœcesi sua, nisi soli suo Metropolitano, ut infra dicemus.

VI. Hæc fusiori calamo libuit describere, tum ad majorem Rubricarum nostri Cæremonialis intelligentiam, tum ad docendam variam Cæremoniarum disciplinam, tum denique ad ostendendas



Digitized by Google

dendas mutationes, quæ deinde sequutæ sint. Ceterum tametsi præsente Legato, aliisque S. R. E. Cardinalibus, non celebrans Episcopus Cardinalibus *in eodem loco, & plano, & sedibus æqualibus*, ex Rubrica §. VI. sedere debet; si tamen ipse celebraret, tunc in Faldistorio quidem sedebit ex sequentis §. Rubrica, sed decentissime ornato in cornu Epistolæ, ut notat Bauldryus loco citato Num. VI.

## §. VII.

Si vero Legatus esset in Sede Episcopali sub Tribuna, sedebit Episcopus Cardinalis, & alii Cardinales, si adessent, prope Legatum, ut supra dictum est; ipse autem simplex Episcopus sederet, vel ex opposito in Sede humiliori, vel in digniore parte Chori, aut in Faldistorio, prout dictum est de Cardinali Legato, vel non Legato præsente, pro diversitate situationis Chori, & Episcopi celebrantis, vel non celebrantis.

## §. VIII.

Quod si Episcopus sit Cardinalis, & intersit alius, vel plures Cardinales non Legati, poterunt omnes ab eadem parte Euangelii, ubi solet esse Sedes Episcopalis, sedere in sedibus æqualibus, vel in digniore parte Chori, quando est sub Tribuna; dummodo Cardinalis Episcopus sit omnium postremus; & Episcopalia munia remittet exercenda Cardinali præsenti, vel si plures sint, priori in ordine. Quæ si Cardinalis præsens facere recusaverit, poterit Episcopus Cardinalis omnia prædicta munia, vel remittere ad Celebrantem, vel ipse exercere, & in fine, quando benedictionem solemnem erit daturus, accedere ad Altare, & inde populo benedicere, ut supra Cap. IV. §. XIII. dictum est.

### NOTA.

Quæ in duobus hisce §§. præscribuntur, jam fere cuncta in præcedenti Commentario, & alibi etiam explicata sunt; ita enim inter se Rubricæ istæ de sedibus Episcopi, Legati, ac Cardinalium sunt connexæ, ut vix una sine altera explicari queat. Legenda ergo quæ dicta superius sunt.

## §. IX.

Metropolitanus, absente Legato, vel alio Cardinali, habebit aliam Sedem ex opposito in cornu Epistolæ, similiter ornatam, ut Sedes Episcopalis; alii vero Episcopi hospites sedebunt in digniori loco post Episcopum Diœcesanum supra omnes Canonicos. Abbates Diœcesani benedicti, habentes usum Mitræ, & Baculi, habebunt locum condecentem pro judicio, & prudentia Episcopi, dummodo non sit supra, nec inter Canonicos.

## COMMENTARIUS.

I. ANtequam ad enucleationem hujus Rubricæ deveniamus, adnotandum censemus, quod de diversitatibus antelationum inter Cardinales, & Prælatos in eorum Ecclesiis, docet toties laudatus Crassus Lib. I. Cap. XXXV. *Cardinales*, inquit, *tam in suis Urbis Titularibus, quam extra Urbem Cathedralibus Ecclesiis inter seipsos diversum, ac pene contrarium morem habent ab aliis Ecclesiarum Prælatis quoad præcedentias, & antelationes. Nam Cardinales in Ecclesiis eorum Titularibus Urbis, in quibus de jure communi sunt tanquam Episcopi, & ibidem ordinariam jurisdictionem exercere possunt, & exercent, omnibus Cardinalibus hujusmodi Ecclesias Titulares visitantibus, quantumcumque promotionis tempore, & ordinis gradu minoribus, & inferioribus cedunt indifferenter, & sub omnibus sedent, ac in ultimo loco manent. Quod etiam extra Urbem in Ecclesiis eorum Cathedralibus, quantumcumque illas in Commendam habent, ex mutua humanitatis delatione inter ipsos sic inveterata facere consueverunt.*

II. Sed tametsi antiquus sit Cardinalium mos, ut scilicet in propriis Ecclesiis suis locum aliis Cardinalibus cedant, ordine, & gradu inferioribus, sub eisque postremi sedeant, alium tamen servant morem, & quidem omnino diversum alii Ecclesiarum Cathedralium Prælati non Cardinales, quippe qui ipsi, si Episcopi sunt, idest, jam consecrati in ordine Pontificali, ut idem Auctor tradit, *nullis ad suas Ecclesias Cathedrales, & Civitates, & Diœceses venientibus, aut in eisdem commorantibus Prælatis omnino cedunt, quantumcumque Patriarchis, Archiepiscopis, & aliis antiquioribus*

Digitized by Google

*bus Episcopis etiam in promotione senioribus, nisi soli suo Metropolitano, cui in pluribus cedunt.* Porro ea fuit olim Metropolitanis suis Episcoporum Suffraganeorum, seu Provincialium subjectio, ut juramentum fidelitatis, atque obedientiæ eis, dum ordinabantur, præstarent, uti constat ex formula ipsius juramenti, quod etiamnum legitur in hodierno Romano Pontificali Tom. III. ad Titulum XX. *De scrutinio serotino &c.*

III. Ad astruendum Provincialium Episcoporum subjectionem erga Metropolitas suos innumeri pene afferri possent Canones antiqui Conciliorum, ac Decreta Pontificum, sed cum res nota sit vel ipsis, qui a primo limine Canonicum Jus salutarint, sat erit hic recensere, quod Innocentius III. Lib. II. Epistola CLIX. ad Suffraganeos Acheruntini Metropolitæ scribit: *Fraternitati vestræ*, inquit, *per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus ad eum*, Acheruntinum scilicet Archiepiscopum, *sicut Patrem, & Pastorem, pium geratis devotionis respectum*; itemque quod Lib. I. Epistola CDLXVI. ad Suffraganeos Metropolitani Arelatensis scribit, ubi inter alia inquit: *Quatenus ipsi tamquam Patri, & Episcopo animarum vestrarum devote studeatis, & humiliter obedire: ad vocationem ipsius, nisi evidens necessitas contradicat, secundum traditionem Canonicam, sine difficultate qualibet accedentes.* Sed tametsi vel a Metropolitano suo vocati, vel ex consuetudine statutis temporibus ad ipsum Suffraganei Episcopi accedere tenerentur, Concilium tamen Tridentinum sicut in aliis multis, ita & in hoc articulo Metropolitarum auctoritatem limitavit, statuitque Sessione XXIV. *De reformatione*, Cap. II. *ne Episcopi comprovinciales prætextu cujuslibet consuetudinis ad Metropolitanam Ecclesiam imposterum accedere inviti compellantur.*

IV. Quicquid sit de Jure antiquo, ex nostri §. hujus Rubrica, *Metropolitanus, absente Legato, vel alio Cardinali*, ubi scilicet in Ecclesia Episcopi sui Suffraganei solemni celebrationi divinorum Officiorum intersit, *habebit alium Sedem ex opposito in cornu Epistolæ, similiter ornatam, ut Sedes Episcopalis.* Licet enim Episcopus in sua Ecclesia, & Diœcesi in omnibus functionibus Episcopalibus præferendus sit omnibus Archiepiscopis, & Episcopis, etiam ipso antiquioribus, & dignioribus, excipitur semper tamen proprius Metropolitanus, cui particularem reverentiam, & honorem exhibere debet, ratione generalis jurisdictionis, & præeminentiæ, quam habet in suos Suffraganeos, ut ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis, in Barchinonen. X. Januarii MDCIX. apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum, Collectan. CCXC. Num. IV. & Panimolle Parte I. Decisione I. Adnotatione IV. Num. IX.

V. Ex eodem Sacræ Congregationis Decreto apud Barbosam loco citato, debet Episcopus in sua Diœcesi alios Episcopos advenas honorare, qui quidem ex §. hujus nostri Rubrica, si Episcopali functioni interessent, *sedebunt in digniori loco post Episcopum Diœcesanum supra omnes Canonicos*; præcedentque alii alios juxta tempus ordinationis suæ, uti ex sacris Canonibus abunde probavimus tum Tomo I. Conciliorum, tum in Commentariis ad Romanum Pontificale, non vero juxta dignitatem Ecclesiarum, earumque præeminentiam, uti idem Barbosa a Sacra Congregatione Concilii XIX. Aprilis MDXCVI. decisum refert, tum in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. CCXC. Num. II. tum in Concilium Tridentinum Sessione XXV. Cap. XIII. Num. II. Neque enim Episcopus dicitur alio dignior, quod habeat majorem Diœcesim, cum ejusmodi respectus nec sublimiorem, nec inferiorem Episcopum faciat, uti docet Mastrillus Lib. IV. *De Magistratibus*, Cap. XIV. Num. XX. Quod adeo verum est, ut Episcopus etiam si dimittat Ecclesiam, retineat hanc prærogativam, & præcedere debeat aliis Episcopis post ipsum electis, & consecratis, ut idem Barbosa docet ex memorato Decreto Sacræ Rituum Congregationis in ipsa Barchinonen.

VI. Notandum autem hic illud est, quæ diximus procedere quidem inter Episcopos non habentes Pallium, si enim aliquis Episcopus Pallii prærogativa decoratus esset, non attenditur tunc tempus ordinationis, sed debet omnes alios Episcopos usum Pallii non habentes præcedere, imo & post illius perceptionem poterit se Archiepiscopum nominare, ut de Episcopo Eduensi, qui ratione Pallii præcedit omnes Episcopos Provinciæ Lugdunensis, ex Cassaneo in Catalogo Gloriæ Mundi, Parte IV. Conclusione XXVI. tradit Gratianus Disceptatione CCXCVIII. Num. LXIII. & Panimolle Decisione I. Adnotatione IV. Num. VII. Ceterum si inter Episcopos nullus sit, qui usum Pallii habeat, semper quoad præcedentiam attendendum est ordinationis tempus, uti sacri Canones docent, inter quos videri possunt Canon, *Episcopus*, Distinctione XVII. & Canon, *Episcoporum*, Distinctione LXXII.

VII. Ad Abbates quod attinet Diœcesanos, si benedicti illi sint, & habeant *usum Mitræ, & Baculi, habebunt*, inquit hic §. noster, *locum condecentem pro judicio, & prudentia Episcopi, dummodo non sint supra, nec inter Canonicos.* Servata scilicet veteri ac laudabili consuetudine locorum, ac diversarum Ecclesiarum, in quibus Abbates privilegiis gaudent, ut observat Bauldryus Parte V. Cap. XIII. Num. XI. Non enim, ut idem notat, Cæremoniale Episcoporum tollit Ecclesiarum consuetudines laudabiles, ut sæpe declaratum fuit a Sacra Congregatione Rituum Nam in Gallia, & aliis Nationibus aliqui Abbates habent locum inter Canonicos, & multi ex iis sunt etiam Canonici.

## §. X.

**Nuntii Apostolici habentes in eo loco facultates Legati de latere, sedebunt in alia Sede ornata, prout de Metropolitano dictum est, non tamen in Sede propria Episcopi, & ha-**

Digitized by Google

& habebunt honores ante Episcopum non Celebrantem. Alii vero Nuntii Apostolici, non habentes facultates Legati de latere, vel habentes, sed non in eo loco, & dum sunt in itinere, & contingat eos transire per aliquas Civitates, vel Ecclesias Cathedrales, seu Metropolitanas, sedebunt in digniore, & eminente Sede Chori, & habebunt honores immediate post Episcopum, & in processionibus, & aliis actibus similibus habebunt præeminentiam supra omnes Protonotarios, & supra Canonicos.

## §. XI.

Visitator Apostolicus, si erit Episcopus, habebit Sedem, sicut Nuntius, non hebens facultatem Legati de latere, nisi talis Nuntius esset præsens, cui tunc cedit, sedens post eum.

## COMMENTARIUS.

I. NUntii Apostolici iidem hodie fere sunt, qui olim Apocrisarii Romani Pontificis, licet hi majorem auctoritatem exercerent, & totam Papæ personam per Provincias exhiberent. Ut plurimum Subdiaconi erant, is tamen, qui Constantinopoli apud Imperatorem agebat, Diaconus erat, & is quidem inter Apocrisarios maximus. Fuse de iis agit Thomassinus Parte I. *Disciplinæ*, Lib. II. Cap. CVII. per totum. Quæ eorum fuerit dignitas, seu potius qualis fuerit ejusce dignitatis gradus, in dubium ab aliquibus vocatur. Certe in Synodo habita Constanstinopoli sub Menna Patriarcha post obitum Agapeti, *Pelagius Diaconus Apostolicæ Sedis*, post omnes Eiscopos in Actis ejus Synodi recensetur. Quandoque tamen si extraordinaria a Summo Pontifice ei delegaretur jurisdictio, in qua vices ipsius ageret, tunc ceteros, non Episcopos dumtaxat, sed etiam Patriarchas anteibat, cujus rei exemplum profert Liberatus Diaconus in suo Breviario Cap. XXIII. Nullam enim habebant jurisdictionem ex officii, & muneris ratione, nisi a Pontifice imponeretur, cujusmodi est jurisdictio illa Responsalibus attributa apud S. Gregorium Magnum Pont. Max. Lib. II. Epistola XLVI. De quibus videri inter alios potest eruditius Dufresne in suo mediæ, & infimæ Latinitatis Glossario.

II. Quidquid sit de ea antiqua nomenclatura, sunt hodie Nuntii Apostolici Legatorum genus, qui *Missi* appellantur, quia scilicet mittuntur ad Imperatorem, ac Reges, magnosque Principes, Episcopali quidem charactere insigniti, non tamen Cardinalitia dignitate præditi; Cardinales enim sunt ii qui mittuntur Legati a latere. Sed notandum hic tamen, quod alias observat Vanespen Tom. I. *Juris Ecclesiastici universi*, Tit. XXI. Cap. I. Num. IV. nempe Legatum non Cardinalem, qui *Nuntius* dici consuevit, mitti interdum, adjecta in ejus facultatibus hac clausula, *cum potestate Legati a latere*, quæ de stylo Curiæ Romanæ consuevit adjici mandatis Legatorum, qui fimbriam vestimenti Papæ tetigerunt, seu qui ab eo vivæ vocis oraculo mandatum acceperunt, uti post alios notat Barbosa Lib. I. *De jure Ecclesiastico*, Cap. V. Porro, ut idem tradit Vanespen loco citato, Num. XIII. veterum Legatorum, seu Apocrisariorum generi respondent hodierni Sedis Apostolicæ Legati, quos Canonistæ *Legatos missos* vocant; vulgo vero *Nuntii*, vel *Internuntii* dicuntur.

III. Ergo qui nomine Pontificis assistunt apud Imperatorem, ac Reges, aliosque supremos Principes, hodie Nuntii Apostolici dicuntur. *In iis vero Regnis, & Principatibus, in quibus ipse Princeps non residet, sed ejus Vicarius, vel alter supremus Magistratus, Papa deputat*, inquit Cardinalis de Luca, *Officiles sub nomine Collectorum, Internuntiorum, seu Residentium, qui quandam Nuntiorum imaginem habent, iisque facultates majores, vel minores communicari solent juxta diversos stylos*. Longum esset plura de his Nuntiis dicere; consuli possunt, qui peculiares Libros de ipsis edidere. Notandum autem illud, quod ex Rubrica nostri §. XI. cautum est, I. nempe quod Nuntii Apostolici habentes in eo loco facultates Legati de latere, sedebunt in alia Sede ornata, prout de Metropolitano dictum est, non tamen in Sede propria Episcopi, & habebunt honores ante Episcopum non celebrantem. II. quod alii Nuntii Apostolici non habentes facultates Legati de Latere, vel habentes, sed non in loco, & dum sunt in itinere, & contingat eos transire per aliquas Civitates, vel Ecclesias Cathedrales, seu Metropolitanas, sedebunt in digniori, & eminente Sede Chori, & habebunt honores immediate post Episcopum, & in Processionibus, & aliis actibus similibus habebunt præeminentiam supra omnes Protonotarios, & supra Canonicos.

IV. Habenda itaque est ratio inter Nuntios habentes facultates Legati a latere, & Nuntios illis carentes; & quod attinet ad Apostolicum Visitatorem, qui scilicet ab Apostolica Sede mitti solet ad aliquam Provinciam, vel Diœcesim, ex præscripto §. nostri XI. si is Visitator erit Episcopus, habebit Sedem sicut Nuntius non habens facultatem Legati de latere, nempe sedebit in digniori & eminente Sede Chori, & habebit honores immediate post Episcopum, & præminentiam supra omnes Protonotarios, & supra Canonicos, *nisi*, scilicet, *talis Nuntius esset, cui tunc cedit*, Visitator nempe ipse Apostolicus, *sedens post eum*.

§. XII.

Digitized by Google

## §. XII.

Vicario Generali dabitur locus, quem habere solet pro consuetudine diversarum Ecclesiarum. Protonotarii Apostolici non participantes, post Abbates; participantes vero præcedunt Abbates. Post Protonotarios, Generales Ordinum, deinde alii Prælati Apostolici.

## COMMENTARIUS.

I. VIcarii Generalis locum debere esse illum, *quem habere solet pro consuetudine diversarum Ecclesiarum*, eamque consuetudinem nequaquam mutari debere, edixit Sacra Rituum Congregatio in Alexandrina XV. Martii MDCVIII. in Responsione ad III. Dubium, ut inter alios testatur Barbosa in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. DCCXIV. Numero I. Est quidem hæc quæstio valde controversa apud Doctores, addubitari tamen nequit, quin de jure Vicarius ipse Generalis Episcopi præcedere debeat Canonicis, Capitulo, & Clero, in Congregationibus, Sessionibus, Choro, & Processionibus, ut declaravit Sacra Ritum Congregatio in Militen. XIII. Julii MDCXIX. & hanc opinionem esse communiter receptam, tametsi nonnulli aliter sentiant, tradunt Gratianus Discoptatione III. Num. XXIII. & seqq. Antonius de Petris in suo Clypeo Pastorali, Cap. VI. Num. XXXIX. & seqq. Cucchus Lib. II. Institutionum Tit. VIII. ubi etiam ait eam præcedentiam deberi ipsi Generali Vicario, sive Episcopus sit præsens, sive absens. Late Cassanæus in Catalogo Gloriæ mundi, Parte IV. Consideratione XLVI. & Doctores relati a Marescotto Lib. I. variarum Resolutionum, Cap. LXIX. Num. I. & II. licet ipse contrarium teneat. Latissime de ea præcedentia agit Massobrius de Synodo Diœcesana, Cap. IV. Num. XXIX. & pluribus seqq. Ratio est, quia Vicarius Generalis venit appellatione Episcopi, ac proinde quando incedit uti Vicarius, præcedit omnes Dignitates post Pontificalem, ut docet Riccius Collectan. MLXIX. circa finem, ubi etiam subdit, eam sententiam procedere etiam existente consuetudine in contrarium.

II. Est autem ea precedentia ita debita Vicario Generali, ut in concursu omnium aliarum Dignitatum præferendus sit non solum Archidiacono tam in Choro, quam ubilibet, ut docet Fuchus *De visitatione*, Lib. I. Cap. II. Num. XIX. & declaravit Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium præposita in Theatina VI. Julii MDCXVIII. apud Barbosam, *De Canonicis*, Cap. V. Num. LV. verum etiam illis, qui habitu Protonotarii incedunt, ex alio Decreto Sacræ Rituum Congregationis in Brundusina XVI. Junii MDCV. itemque Abbatibus Regularibus; nam sicut simplices Clerici præcedunt Regularibus, ita Vicarius Generalis ratione dignitatis Abbatibus ipsis, ac Superioribus Ordinum Regularium præcedit, ut decidit Sacra Congregatio Episcoporum & Regularium XXXI. Julii MDCXV. apud Gavantum in Manuali Episcoporum verbo *Præcedentia*, Num. XXIV. Licet autem in Cap. *Dilectus*, & Cap. finali, *De officio delegati* in VI. & in Cap. fin. *De officio Ordinarii*, in VI. itemque in Cap. *Decernimus*, *De judiciis*, Abbas nominetur primo loco post Episcopum, non tamen præcedere debet Vicarium, de quo dicti Canones cum nullam faciant mentionem, intelligendi sunt dumtaxat de Dignitatibus ibi expressis, non autem de Vicario Episcopi, qui speciali prærogativa venit sub nomine Episcopi, ejusque prærogativas sibi vendicat supra omnes alios Episcopo inferiores, ut docet Sbrozius, *De officio Vicarii*, Lib. II. Quæstione XLIII. Num. XXIX. Antonius de Petris in laudato Clypeo, Cap. VII. Num. XIV. & alii.

III. Ratio prædictorum est, quia magis debet esse vicinus, qui magis de capite participat, nemo autem magis participat de capite, quam ejus Vicarius, qui immediate repræsentat ejus personam, ejusque locum tenet, quinimo una eademque persona cum ipso Episcopo censetur, ut ait Navarrus Consilio III. *De majoritate & obedientia*. Unde sive præsente, sive absente Episcopo, non duo, sed pro uno reputatur, ut inquit Parisius, *De resignatione Beneficiorum*, Libro VII. Quæstione XXIV. Num. LXXIX. Et sic inter Episcopum, & Vicarium, est quidam correspectivus honor, ut non detur medium inter eos, juxta tradita per Jacobum Melillum, *De præcedentia Vicarii*, Cap. IV. per totum, & Cap. V. in principio. Etenim Vicarius Episcopi ejus radiis coruscat, & facit cum ipso unum, & idem Tribunal, imo absolutum est in Jure, sub nomine Episcopi contineri etiam ejus Vicarium, nisi expresse excludatur, ut ajunt Sbrozius, *De officio Vicarii*, Quæstione XLIII. Num. XXIX. & Jacobus Melillus loco citato, Cap. IV. Num. V. propterea dici Ordinarium, & comprehendi in Decretis facientibus mentionem de Ordinariis, tradit Sanchez, *De Matrimonio*, Lib. III. Disputatione XXIX. Num. XVIII. & consequenter illum esse honorandum sicut personam ipsiusmet Episcopi, a quo non debet diverso jure censeri per celebrem textum in Can. *Præcipimus*, Distinctione XCIII. & aliis late congestis docet Massobrius, *De Synodo Diœcesana*, Cap. IV. Dubio VI. Num. XI. usque ad XXIII.

IV. Sed licet hæc vera sint, plures tamen sunt casus, in quibus Vicarius ipse Generalis aliis Canonicis minime præcedit, ut puta si & ipse Canonicus esset, & sederet in proprio stallo Canonicali, cum habitu pariter Canonicali, quia scilicet tunc non consideratur, ut Vicarius, sed ut simplex Canonicus; nam dignitas Vicarii, licet sit

Digitized by Google

sit major, tamen cum non pertineat, nec sit ordinata ad Capitulum, seu Collegium, non qualificat personam Vicarii, nec præeminentiam supra alios ei tribuit; ut sæpe decisum fuisse a Sacra Rituum Congregatione testatur Gratianus Disceptatione CVI. Num. I. & per totum. Ad hoc autem, ut præcedentia debeatur intuitu majoris dignitatis, necesse est, ut ipsa dignitas sit ordinata ad illum actum, de quo agitur, ad effectum præcedendi, cum omne agens debeat agere propter finem, ad quem ordinatur, nec debet operando ultra ejus activitatem, dilatando fimbrias alios supplantare, ut idem Gratianus docet loco proxime citato, Num. III. cum pluribus seqq. Si itaque Vicarius Canonicus vult alios Canonicos præcedere, debet dimittere habitum Canonicalem, & tunc digniorem locum obtinebit supra omnes, non tamen percipiet distributiones quotidianas, & alia emolumenta, quæ dantur interessentibus Choro, processionibus, & similibus functionibus, cum in eo casu habeatur pro extraneo, ut passim Doctores tradunt, Riccius in Praxi Parte IV. Resolutione CCCLXXXIX. Lotherius, *De re beneficiaria*, Lib. I. Quæstione XVI. Ferrus, *De præcedentia Eccles.* Cap. LII. Num. XVI. & alii citati a Barbosa, *De Canonicis*, Cap. XVIII. Num. XXXII. & Cap. XXXVI. Num. VII. ubi etiam ait, ita sæpe decisum fuisse a Sacra Rituum Congregatione, & quidem in Calaguritana II. Augusti MDCIII. in Casalen. V. Julii MDCXIV. in Compostellanen. XXI. Februarii MDCIV. in Brudusina XVI. Julii MDCVII. in Egitanien. XX. Decembris MDCI. in Gallipolen. XXI. Decembris MDCXIII. in Sutrin. I. Octobris MDCXVI. & in Oritan. IV. Aprilis MDCXX.

V. Rursus non debetur ea præcedentia Vicario Generali Episcopi, si Canonici parati existant, & Pluvialibus, Planetis, aliisve sacris indumentis sint induti, & præcipue si sic parati Episcopo Celebranti assistant, nam hoc casu ratione paramentorum, & ipsarum sacrarum vestium excellentia, & divino Ministerio, ad quod sunt ordinata, valde repugnat, & ab omni ratione dissonum est, ut Vicarius maxime in suo habitu quotidiano existens, eisdem sive stando, sive incedendo præcedat, aut inter eosdem commisceatur; atque hinc est, quod in distributione Candelarum, atque Palmarum, in receptione Cinerum, in thurificatione, in adoratione Crucis, aliisque cæteris functionibus Ecclesiasticis Canonici sacris vestibus induti, præferendi sunt Vicario, secus autem si non sint parati, nam tunc ille quidem primum locum post Celebrantem obtineret, uti compluries decisum fuit a Sacra Rituum Congregatione, ac præsertim in Egitanien. III. Augusti MDCII. in responsione ad III. Dubium, in Lauretana, & Nolana eodem anno, XXIII. Martii, & VI. Septembris, in Placentina IX. Maji MDCXVII. in responsione ad Dubium VI. in Alexandrina XV. Martii MDCVIII. in responsione ad I. Dubium, in Tiburtina VI. Martii MDCX. in Monopolitana VII. Augusti MDCXXVIII. in Civitatis Pennæ XII. Aprilis MDCIII. & in S. Marci V. Martii MDCXXXIII. apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum, in Verbo, *Canonici quoad locum, & præcedentiam*, Collectan. XCI. Num. XIX. & XX. & in Verbo, *Vicarius Generalis circa locum*, Collectan. DCCXIV. Num. IX. II. usque ad XVIII. ubi quod hoc procedat etiam non obstante consuetudine in contrarium, probat ex declaratione ipsius Sacræ Rituum Congregationis in laudata Lauretana, in Casalen. V. Julii MDCXIV. & in Lucerina XIV. Maji MDCVIII. Vide eundem Barbosam, *De Canonicis*, Cap. XVIII. Num. XXV. & aliis sequentibus, ubi alias Sacræ Rituum Congregationis Decisiones recenset.

VI. Præterea tametsi una eademque persona censeatur Vicarius Generalis cum Episcopo suo, non licet tamen ipsi ejus locum occupare, nec parare sibi Sedem cum tapete, & pulvino ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis in Brundusina XVI. Julii MDCV. nec facere functiones Episcopales, absente, vel impedito Episcopo, etiamsi esset Vicarius Apostolicus, nam spectant ipsæ functiones ad primam Dignitatem, eaque impedita, ad alios successive, uti pluries Sacra ipsa Congregatio decidit, præsertim in Algaren., & Brundusina XX. Decembris MDCI. & in eadem Brundusina XXII. Januarii MDCVIII. item nec sumere paramenta de Altari, neque ad ejus Missam ardere in Altari quatuor candelæ, nec duo eidem ministrare cum Cotta etiamsi esset Protonotarius, id enim vetant Sacræ Rituum Congregationis Decreta, uti videre est apud laudatos Barbosam, & Gavantum. Sed de his alias; ceterum quod ipse Vicarius Generalis juxta laudabilem Ecclesiæ consuetudinem debeat semper in omni loco præcedere Gubernatori Civitatis, ac etiam Commissariis, aliisque Judicibus in sua Dioecesi existentibus, sive absente, sive præsente Episcopo, decisum jam etiam habemus ex toties laudata Sacra Rituum Congregatione, præsertim in Ravennaten. XXVIII. Aprilis MDCVII. in Nucerina Saxoferrati XV. Maji MDCX. apud eosdem Scriptores, Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. DCCXIV. Num. XXIV. & seqq. & Gavantum in Manuali Episcoporum, verbo *Præcedentia*, Num. XXII. ubi ait, id locum habere, dummodo Gubernator non sit Prælatus, ex declaratione Sacræ Rituum Congregationis XXVIII. Aprilis MDCVII.

VII. Hactenus de præcedentia Vicariorum Generalium. Ad Protonotarios autem Apostolicos quod attinet, ait §. nostri Rubrica, quod *non participantes, post Abbates* sedebunt; *participantes vero præcedunt Abbates*. Protonotarii de numero participantium, qui ad numerum duodecim redacti fuerunt per Sixtum V. juxta illius Constitutionem XII. habent usum pilei nigri cum cordulis, & ornamentis violacei coloris privative quoad alios omnes Prælatos, ut declaravit Sacra Rituum Congregatio in causa Urbis Protonotariorum XVII. Februarii MDCVII. apud Novarium in Summa Bullarum, *De Protonotariis*. Ob eorum dignitatem, & prærogativam præcedunt Canonicis etiam Ecclesiarum Patriarchalium, etiam Lateranensis de Urbe, ut idem Novarius testatur, Barbosa, *De Canonicis*, Cap. XVIII. Num. XXXIV. & alii,

Digitized by Google

& alii, inter quos Theodosius de Rubeis Singular. Rotæ Tomo II. Parte IV. de Præcedentiis Protonotariorum agens, refert de ea quæstione Sacræ Rituum Congregationis Decretum his verbis: *Sacra Congregatio Rituum dictos Protonotarios in eorum quasi possessione præcedendi Canonicos tam in prædictis Ecclesiis Patriarchalibus, quam in aliis quibuscumque etiam Cathedralibus extra Urbem manutenendos fore, & esse censuit, & declaravit, atque ita in futurum servandum esse decrevit, mandando Vicariis, & Canonicis dictarum Ecclesiarum Patriarchalium, & aliarum quarumcumque, ut inposterum in quibuscumque actibus hujusmodi Decreto parere teneantur, die* IV. *Maji MDCXIII.* Quod in Capella Papæ habeant quoque ipsi Protonotarii participantes præcedentiam supra Sacristam, & alios Abbates usum Mitræ habentes deciderat jam eadem Sacra Rituum Congregatio in Romana XIII. Julii MDCI. & tradit Corradus in praxi dispensationum Apostolicarum Lib. V. Cap. VI. Num. XLV. Quod Sacristam spectat, ideo ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis anni MDCI. Protonotarii supra Sacristam sedebant, quia scilicet Sacristæ tunc temporis non erant Episcopi, quippe qui ea dignitate aucti sunt anno MDCV. quo primus omnium post decennium in officio Sacristæ Pontificii expletum, charactere Episcopali insignitus fuit Angelus Rocca, & in eodem officio confirmatus, qua prærogativa donati etiam illius successores sunt usque ad hodiernam diem, quocirca, quia hodie Sacristæ Epicopi sunt, ipsi quidem Protonotarios præcedunt.

VIII. Protonotarii non participantes, sive Titulares, seu extra numerum, quod in habitu Prælatitio, nempe Rocchetto cum Mantelletto coloris violacei in Ecclesia, & in functionibus Ecclesiasticis stare, sedere, ac incedere debeant juxta dispositionem nostri hujus §. edicit Sacra Rituum Congregatio in Catanien. V. Julii MDCXLI. apud Novarium in Summa Bullarum, *De Protonotariis*, Num. IX. Sunt enim & ipsi in magna Dignitate constituti, quippe qui jam a Christiana nascente Religione ad conscribenda Martyrum gesta, omniaque alia ad Ecclesias pertinentia deputati fuerint, uti jam diximus nostro I. Tomo Conciliorum. Unde non mirum si habitu Prælatitio donati sunt, & apponere possunt pileum super insignibus gentilitiis, & gestare annulum dum celebrant, modo sit sine gemma, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis in Neocastren. XXI. Augusti MDCI. apud Barbosam, *De jure Ecclesiastico*, Lib. I. Cap. XXIX. Num. XXIX. Porro si Protonotarius sit prima Dignitas, potest in Choro deferre Rocchettum cum Mantelletto, si vero non sit prima Dignitas, sedere debet in suo stallo cum solito habitu Canonicali, ac stare, & sedere, ac incedere in loco sibi debito, ex eodem Decreto superius citato; quod si voluerit habitu Protonotarii in Ecclesia, in qua obtinet Dignitatem, seu Canonicatum, tunc cum reputetur pro extraneo, habebit locum non inter Canonicos, sed post Abbates, non tamen distributiones quotidianas percipiet, juxta Decretum Sacræ Rituum Congregationis in Asculana in Apulia VI. Martii MDCX. & in Melitensi VII. Augusti MDCXXI. apud Corradum in praxi dispensationum Apostolicarum Lib. V. Cap. VI. Num. LII.

IX. Præcedentia tandem competit Protonotario non participanti, sive extra numerum super Canonicos Cathedralis uti singulos, non autem uti collegialiter congregatos, uti decidit Sacra Rituum Congregatio in Concordien. XVI. Maji MDCI. & XII. Julii MDCII. teste laudato Corrado ibidem, & Barbosa, *De jure Ecclesiastico*, Lib. I. Cap. XXIII. Num. XXIV. Præterea neque supra, neque inter Canonicos locum habere debet, ut ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis in Spoletana Terræ Casciæ XXIII. Maji MDCXIX. idem Corradus docet loco citato, & ulterius tam in sessionibus in Ecclesia, quam in processionibus digniorem locum cedere tenetur Officialibus Episcopi, aliisque Dignitates obtinentibus, & Canonicis Cathedralium Ecclesiarum. Id enim & Sacra Rituum Congregatio decidit in una Castellæ, & Legionis XXX. Aprilis MDCIV. & Clemens VIII. statuit in sua Constitutione, quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem*, edita die XXVIII. Maji MDCIV. & memorati Auctores docent.

## §. XIII.

**Sedes autem pro nobilibus, atque illustribus Viris laicis, Magistratibus, ac Principibus, quantumlibet magnis, & primariæ nobilitatis, plus, minusve, pro cujusquam dignitate, & gradu ornatæ, debent extra Chorum, & Presbyterium collocari, juxta sacrorum Canonum præscriptum, laudabilisque antiquæ disciplinæ documenta, jam inde ab exordiis Christianæ Religionis introductæ, ac longo tempore observatæ.**

## COMMENTARIUS.

I. SI primævam Ecclesiæ disciplinam spectamus, illud plane constat ex pervetusto Auctore Apostolicarum Constitutionum, aliisque priscis Scriptoribus, uti alias notatum est, in Ecclesia olim fideles ab invicem locorum distinctione separatos fuisse, non quidem per dignitates, sed tantummodo per ætatem, & sexum, seniores a junioribus, viros a mulieribus, virgines a conjugatis. Constat quoque & illud Clericos solos sedisse in Ecclesiæ Presbyterio, idest, Episcopos, & Presbyteros, ut idem Constitutionum Apostolicarum antiquus Auctor docet, & innuit



Digitized by Google

etiam Tertullianus in Libro, *De exhortatione ad castitatem*, Cap. VII. & alii, apud quos Sacerdotium vocatur, *honor confessus*. Hinc Optatus Milevitanus Lib. IV. ita Donatistas increpat: *Unicuique vestrum dictum est*: Sedens adversus fratrem tuum detrahebas, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum. *Dum peccatorem arguit, & sedentem increpat Deus, specialiter ad vos dictum esse constat, non ad populum, qui in Ecclesia non habet sedendi licentiam*. Episcopi quippe, & Presbyteri, ut inter alios notat Albaspinæus in recitatum S. Optati locum, jus sedendi in Ecclesia habebant, non autem laici, qui stando ut plurimum orabant, quique iccirco passim apud Sanctum Cyprianum *Stantes* dicuntur, uti videre est in ejus Epistola XXVII. ad lapsos data, ubi ait, Ecclesiam *in Episcopo, & Clero, & in omnibus stantibus* esse constitutam; & in Epistola XXX. Cleri Romani ad ipsum Cyprianum, ajentis *preces stantium* pro lapsis ipsorum humilitate debere adjuvari.

II. Longum esset alia loca describere, quæ in Epistolis S. Cypriani occurrunt, in quibus *Stantes* laici vocantur, quod scilicet juxta priorum seculorum disciplinam in Ecclesia starent. Data quidem Ecclesiæ pace, sive ob infirmos, ac debiles, sive ob prolixitatem precum, functionumque Ecclesiarum, quarum tædio affecti homines stare in Ecclesiis non possent, sedilia, seu subsellia tum in Orientis, cum in Occidentis Ecclesiis esse cœperunt. Eusebius enim Lib. X. *Historiæ*, Cap. IV. cum insignem Ecclesiam a Paulino Tyriorum Episcopo dedicatam describit, variarum Sedium meminit in ea positarum, quas etiam mystice exponit, sic dicens: *Insunt porro in hoc Templo Throni, sellæ infinitæ, & subsellia, quæ sunt animæ illæ, in quibus divini Spiritus dona penitus insident, qualia quondam inter sacros Apostolos cernebantur, quibus linguæ igneæ divisæ, & dispertitæ apparuerunt, & singulæ in singulos eorum resederunt &c.* Sed & celebris quoque est S. Augustini locus in Libro, *De catechizandis rudibus*, Cap. XIII. ubi *oblata sessione tædio audientis succurrendum*, suadet, additque etiam mox: *Quamquam sine dubitatione melius fiat, ubi decenter fieri potest, ut a principio sedens audiat; longeque consultius in quibusdam Ecclesiis transmarinis non solum Antistites sedentes loquuntur, sed ipsi etiam populo Sedilia subjacent*. Transmarinæ Ecclesiæ appellantur ab ipso sancto Augustino Afro, quæcumque tum erant Occidentis Ecclesiæ. De ejusque vocis usu plura congessit Justellus ad Canones Ecclesiæ Africanæ. Ceterum Optatus Milevitanus Lib. II. adversus Donatistas universi orbis populos, in Africanos, Orientales, ac Transmarinos dividit.

III. Quamquam vero Auctores non desint, qui autumant, ex recitatis superius locis, Cypriani, & Optati Milevitani, primis seculis laicos non sedisse in Ecclesia, id tamen dici universim non potest, Auctor namque Apostolicarum Constitutionum Lib. I. Cap. LVII. postquam dixit, ut *sit Solium Episcopi in medio positum, & ex utroque ejus latere sedeant Presbyteri, & adstent Diaconi succincti & expediti sine multa veste*, ita paulo post ipsis Diaconis mandat: *Sit autem eorum cura, ut laici in altera parte, ordine, decore, & quiete sedeant*. Ubi nota I. solum Episcopos, & Presbyteros sedisse in Presbyterio, & illos quidem in Solio, seu Cathedra in medio posita, hos vero hinc inde in subselliis a latere Episcopi. II. Diaconis datum etiam fuisse locum in Presbyterio, ubi scilicet starent, non autem sederent. III. sedisse etiam laicos in Ecclesia, sed extra Altare, ac Presbyterium, quod erat clausum cancellis; quamobrem errat Martinus Polonus, ubi ait Bonifacium II. Pontificem fuisse auctorem, qui Clericos primum a laicis in Ecclesia secrevit. Porro de ipsis cancellis mentionem facit in suo ad Episcopos Carmine S. Gregorius Nazianzenus, exponitque quid cancelli illi Templorum, quibus laici a Clericis arcebantur, mystice designent, distinctionem scilicet mundi hujus fluxi, ac perituri, & alterius certi, atque æterni.

IV. Sola adeo fuit antiquitus Episcoporum prærogativa in Presbyterio Solium habere, ibique sedere una cum Presbyteris suis, ut ne ipsis quidem Imperatoribus in eo consistere permitteretur. Nemo nescit, quam Episcopali auctoritate S. Ambrosius Theodosium Imperatorem, Presbyterio ut decederet, adduxerit, postquam munus suum obtulisset ad Altare: *Cum Theodosius Imperator*, inquit in Ecclesiastica Historia Theodoretus Lib. V. Cap. XVII. *dona attulisset intus prope cancellos mansit. At magnus ille Ambrosius non conticuit, sed laicorum differentiam eum docuit; ac primum sciscitatur, ecqua re egeret. Et cum respondisset Imperator, se expectare divinorum Mysteriorum perceptionem, significavit illi per primarium Diaconum, qui ei ministrabat, ad loca interiora solis Sacerdotibus aditum patere, eademque aliis omnibus inaccessa esse, nec debere tangi. Jubet igitur, ut exeat, & cum reliquis laicis consistat. Nam purpura, inquit, Imperatores, non Sacerdotes efficit*. Addit, reversum Theodosium Mediolano Constantinopolim, cum regiæ modestiæ specimen edere vellet, & Presbyterio decedere post factam donorum oblationem, instanti Nectario Constantinopolitano Episcopo, ut ibidem maneret, gementem respondisse, addidicisse se ab Ambrosio, quid discriminis intersit inter Imperatorem, & Episcopum, unumque sibi videri Ambrosium vere Episcopum: *Pietatis præcepta, quæ ab illo Episcopo*, idest Ambrosio, *didicerat, etiam cum revertisset Constantinopolim observavit. Nam cum divino quodam Festo ad Templum denuo veniret, statim ut dona sacræ mensæ obtulerat, exivit; atque cum Nectarius, qui id temporis fuit Antistes illius Ecclesiæ, rogaret, cur non maneret intus? gemens inquit*: Ægre tandem didici, quid inter Imperatorem intersit, ac Episcopum; æque tandem reperi veritatis Magistrum. Nam solum Ambrosium novi Episcopum dignum eo nomine.

V. Eandem rem narrat Sozomenus Lib. VII. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. XXIV. sed paulo explicatius, ait enim Ambrosium ita secum statuisse, ut

Digitized by Google

ut emendaret scilicet, quod adulatio, ordinisque perturbatio invexisset, ac ne Imperator quidem inter Clericos sederet, sed ante cancellos Sedes ipsi locaretur, ut honorificentius, & propius ad Altare sederet, quam ceteri laici, inferius tamen, remotiusque, quam Clerus: *Moris erat*, inquit, *ut Imperatores, dum Sacris interessent, in Sacrario sederent, majestatis ergo a populi consortio separati. Ambrosius autem considerans, eam consuetudinem, vel ex assentatione, vel ex ordinis perturbatione esse natam, Imperatori in Ecclesia locum assignavit ante Sacrarii cancellos, itaut populum Imperator, Imperatoremque Sacerdotes ordine sedis antecederent*. Recte ait, consuetudinem illam natam esse ex Episcoporum assentatione; etenim Constantinum Magnum, quod Episcopalem sermonem stans in Ecclesia inter populum audierit, positumque istic ab Episcopis Regale Solium, nec bis rogatus sedere voluerit, laudat Eusebius Cæsariensis in ejus Vita Lib. IV. Cap. XXXIII. Sed audiamus tandem ipsum Sozomenum, qui etiam tradit, eam Ambrosii constitutionem a Theodosio fuisse probatam, atque a successoribus ejus corroboratam, adeout suo etiam tempore observaretur: *Hanc autem optimam constitutionem Theodosius Imperator approbavit, & successores ejus corroboraverunt, ac nos eam ex eo usque tempore conservatam cernimus*. Enim vero, ut scite observat Thomassinus Parte I. *Disciplinæ*, Lib. II. Cap. LXXIX. Num. II. Theodosius junior in ea Lege, quam post Ephesinum Concilium promulgavit, nimirum de Asylis, contestatur ipsemet non adire se unquam ad ipsa Altaria, nisi ad oblationem, & statim discedere: *Ad sacra Altaria munerum tantum modo offerendorum causa accedimus, & cum circumscriptum sacrorum aditum ingressi sumus, egredimur, nec quicquam ex propinqua Divinitate nobis arrogamus*.

VI. Veterem disciplinam exemplis alias religiosorum Imperatorum corroboratam, quod ea passim a laicis contemneretur, conatæ sunt variæ Synodi, ac Romani Pontifices constabilire. Synodus Turonensis II. anni DLXVII. Can. IV. statuit, ut *laici secus Altare, in quo sancta Mysteria celebrantur, inter Clericos tam ad Vigilias, quam ad Missas stare penitus non præsumant; sed pars illa, quæ a cancellis versus Altare dividitur, Choris tantum psallentium pateat Clericorum*. Hunc Canonem lapsus certe memoria Lupus in suo ad Trullanum LXIX. Scholio frustra tribuit Concilio II. Matisconensi, cujus Canon IV. nihil aliud statuit, quam *ut Episcopo liceat unam de parochitanis Ecclesiis suis monasterium facere*. Sed hæc obiter; ut autem quod nostrum est agamus, cautum est ex Canone ipso Trullano LXIX. ut *nulli omnium liceat, qui quidem sit in Laicorum numero, intra septa Altaris ingredi, nequaquam tamen ab eo prohibita potestate, & auctoritate Imperiali, quando quidem voluerit Creatori dona offerre, ex antiquissima traditione*. Sane laudatum Turonensem Canonem confirmavit Eugenius II. in Romana Synodo anni DCCCXXVI. ac deinde in alia Synodo anni DCCCLIII. cum quibusdam additiunculis Leo IV. Pontifices Maximi, ut testantur Sigebertus Gemblacensis in suo Chronico ad annum DCCCXLVII. & in Libro Pontificali Anastasius Bibliothecarius: *Sacerdotum, aliorumque Clericorum Ecclesiis servientium honores a laicorum discrete apparere convenit. Quamobrem nulli laicorum liceat in eo loco, ubi Sacerdotes, reliquive Clerici consistunt, quod Presbyterium nuncupatur, quando Missa celebratur, consistere; ut libere, ac honorifice possint sacra officia exercere*.

VII. Canon is est XXXIII. quem in laudata sua Synodo Romana edidit Eugenius II. quemque Gratianus suo Decreto inseruit, Can. *Sacerdotum*, De consecratione, Distinctione II. & frustra S. Clementi Papæ tribuit. Notanda est ejus Canonis ratio, ut Clerici, scilicet, *libere ac honorifice possint sua sacra officia exercere*; laicis nempe non immixti, nec ab iis interturbati. Sed & est notatu dignissimum, quod ipsi Canoni in Synodo sua Leo IV. addidit: *Et sicuti discrete*, inquit, *in Ecclesia singula videntur exposita, ita virorum pars, & mulierum partibus suis contenta sit, & seculares ne peccent, cum justificari desiderant, a prohibitis abstinere videantur: nec inter sacros cancellos ordinibus*, idest Clericis, *debitos, nisi permittente Episcopo, adtentent accedere*. Ita sane S. Ambrosius Thodosio Imperatori jam antea concesserat, ut sederet ante cancellos Sacrarii, sicque populum sedis ordine præcederet, uti superius dictum est; quia scilicet Sacrarium ipsum cancellis munitum, in quo positum est Altare, sacri Canones sacratis tantum hominibus patere voluerunt, Presbyteris scilicet, & Diaconis, non etiam insacratis, quales olim erant Subdiaconi, uti ex Canone XXI. Laodicenæ Synodi inter alios docet Franciscus Roye Lib. I. *De juribus honorificis in Ecclesia*, Cap. X. Sic enim inquit Canon Laodicenus ex versione Dionysii Exigui: *Quod non oporteat Subdiaconos habere locum in Diaconio, & Dominica vasa contingere*.

VIII. Quicquid sit de germana, ac genuina hujus Canonis interpretatione, illud plane semper cautum fuit, ne laici in Sacrario consisterent, ut non modo constat ex hactenus dictis, sed ex Romana Synodo Joannis Papæ XII. ubi etiam contra contumaces pœna excommunicationis statuta est: *In circuitu Altaris*, inquit, *aut in Presbyterio nullus laicorum stare præsumat, quoties Missarum solemnia celebrantur; quod si fecerit quis, communione privatus maneat usque ad emendationem*. Stare quippe in eo loco laicis prohibetur, ac etiam eum ingredi, nisi *ad adorandum, & communicandum*, ut legitur in ipso Canone IV. Synodi II. Turonensis, qui relatus est in Cap. I. *De vita, & honestate Clericorum*. Communionem namque præcedere debet adoratio, ut inquit S. Augustinus in Psalmum XCVIII. his verbis: *Nemo carnem illam manducat, nisi prius eam adoraverit*. Ceterum non una fuit omnium Ecclesiarum consuetudo, in Ecclesia enim Mediolanensi etiam Imperatores extra Altare communicare debuisse, ex facto S. Ambrosii addiscimus, qui Theodosium



Digitized by Google

dosium ipsum Imperatorem in Presbyterio ad communionem remanere non permisit. Consuetudinem eandem viguisse in Hispania constat ex Concilii II. Bracharensis anni DLXIII. Canone XIII. *Placuit*, inquit, *ut intra Sanctuarium Altaris ingredi ad cammunicandum non liceat laicis Viris, vel mulieribus, nisi tantum Clericis, sicut & antiquis Canonibus statutum est*; itemque ex Canone XVII. Toletanæ IV. Synodi, quæ habita fuit anno DCXXXIII. ubi præceptum fuit, *ut Sacerdos, & Levita ante Altare communicent, in Choro Clerus, extra Chorum populus*.

IX. Hæc sanctissima, ac perneceſſaria disciplina iterum atque iterum a sacris Conciliis instaurata, ac novissime etiam a Romano Concilio sanctæ memoriæ Benedicti XIII. restituta, *jampridem apud nos periit, aut dormit*, ut verbis utar eruditissimi Lupi in Scholio ad Canonem LXIX. Trullanum; ideoque non sine fundamento Græci schismatici adversum nos Latinos in calumniarum suarum indiculo reperto Constantinopoli in Cœnobio Fratrum Prædicatorum, hunc inter alios articulos posuerunt: *Secus Altare Ecclesiarum quilibet accedit, cujuscumque sit sexus, ætatis, vel ordinis; & in solemnitate Missarum Mulieres sedere possunt, si velint, in Sede Sacerdotum. Sic sciunt distinguere inter sacra, & profana*. Impingi a nobis ajunt in Canonem Laodicenum XLIX. qui ita statuit: *Non oportet mulieres ad Altare ingredi*. Manifesta hæc calumnia est, quam Latinis Græculi appingunt; apud nos enim nec ipsi Reginæ permissum est in Presbyterio sedem habere, uti constat ex Cæremoniali Augustini Patricii, Lib. I. Sectione XIII. Cap. III. quod est de receptione Reginæ; mandat enim, ut *in Ecclesia fiat ei suggestum ornatum extra, & prope Capellam, ubi cum suis ancillis possit stare, & audire Missam &c.* Negari tamen non potest, quin alicubi, vel negligentia, vel assentatione Præsulum Ecclesiarum, laici homines & Sanctuarium ingrediuntur, & ibi sedent, dum Missarum solemnia, & divina Officia celebrantur, adeo ut præter veterem Ecclesiæ disciplinam, & tot Synodales constitutiones a nobis longo agmine superius allatas, ad extirpandum eum abusum, qui hodieque multis etiam in locis viget, & quidem in Ecclesiis insignioribus, opus fuerit innumeris pene Sacræ Rituum Congregationis Decretis, quæ inferius referemus.

X. Sane quod Laici in Ecclesiis sedere possint, jam abunde probatum est supra, neque inficior, quin Viris Principibus, nobilibusque in Ecclesia nobilioris sedis honor fuerit concessus, sed infra Presbyterii cancellos in parte Australi, ubi *Senatorium* erat, locus scilicet cancellis ipsis proximior, ubi Senatores, & Principes consistebant, & ex adversa parte Matronæ; uti ex antiquis Romanis Ordinibus addiscere est, in quibus Senatorii vox passim occurrit. Fuisse autem Senatorii locum ceteris nobiliorem, ex eo patet, quod extra cancellos, & Presbyterium honoratior ea dicitur Sedes, quæ sit superior, & cancellis proximior, qualis erat locus Senatorii, uti dictum est; eaque ratione S. Dionysius, sive pervetustus Auctor Librorum, *De Hierarchia*, contendit Energumenos Catechumenis esse præferendos, quod cum illi jampridem sint Christiani, locum Sanctuario proximiorem habeant; hi vero cum nondum proprie Christiani sint, locum a Sanctuario remotiorem. Quod semper ita intelligendum est, ut neutri accedant ad Sanctuarium, nisi cancellis interjectis. Sic etiam in theatris honoratior est ille locus, qui propior, ut indicat Horatius Lib. I. Epistola I.

*Ut propius spectes lacrymosa poemata Puppi*.

Seu qui Principi, vel Domino propinquior est, ut docet Accursius Lib. Institutionum Juris Civilis, ad §. *Alias*, *De bonorum possessionibus*.

XI. Itaque & veteri disciplinæ, jam inde ab exordiis Christianæ Religionis introductæ, ac longo tempore observatæ, & sacris Canonibus, ac praxi etiam Romanæ Ecclesiæ consona sunt, quæ ait Rubrica nostri hujus §. his verbis: *Sedes autem pro nobilibus, atque illustribus viris laicis, ac Principibus, quantumlibet magnis, & primariæ nobilitatis, plus, minusve pro cujusquam dignitate ornatæ, debent extra Chorum, & Presbyterium collocari*. In antiquis ante hoc nostrum editis Cæremonialibus, pro, *debent*, legitur *decet*, quod tamen ex dictis hucusque optime correctum est, eique correctioni, sive potius sanctissimæ, ac perneceſſariæ Ecclesiæ disciplinæ innumera pene patrocinantur Sacræ Rituum Congregationis Decreta, præsertim in Granatensi XXIV. Octobris, MDCIX. apud Pignattellum Tomo III. Consultatione III. Num. XIII. his verbis: *Sacra Rituum Congregatio juxta dispositionem Cæremonialis Episcoporum Lib. I. Cap. XIII. & inhærendo Decretis alias in simili causa factis, declaravit, non licere, nec permitti debere Laicis, dum divina Officia in Ecclesia Metropolitana celebrantur, inter Canonicos, & alios in Ecclesia, Præbendatos, & Ministros in Choro, vel Presbyterio stare, vel sedere; neque licere Magistratibus, aut Judicibus laicis proprias Dignitatum Sedes, aut Canonicorum in Choro, aut Presbyterio occupare, etiam si aliquando id eis permissum fuerit. Idque tam in Archiepiscopali Granatensi Ecclesia, quam etiam in Processionibus, & Officiis, ac in aliis Ecclesiis, ad quas ire, seu assistere Capitulum, & Canonicos ejusdem Ecclesiæ Granatensis contigerit, servandam esse censuit, & declaravit, die XXIV. Octobris MDCIX.*

XII. Celeberrimum est plane illud Decretum, quod ad tollendos varios laicorum abusus pro Ecclesiasticis Seguntinæ Diœcesis edidit Sacra Concilii Congregatio die XXV. Augusti anni MDLXXXVII. Sed operæ pretium duco primum hic libellum describere abusus illos continentem, quem idem Pignatellus refert Tomo I. Consultatione VII. Num. XXXVII. his verbis: *In Diœcesi Seguntina sunt aliqua oppida sub temporali jurisdictione Dominorum laicorum, in quibus vel adsunt Ecclesiæ Collegiatæ cum numero Dignitatum, & Canonicorum secularium, vel Parochiales Ecclesiæ cum propriis Presbyteris, & Clericis: prædicti*

Digitized by Google

*dicti Domini tam occasione temporalis dominii, quam juris patronatus, quod in eisdem Ecclesiis asserunt se habere, quandocumque ad illas accedunt, causa audiendi divina Officia, quando dicitur generalis confessio, & detantatur* Kyrie eleison, Gloria, Credo, Sanctus, Agnus, Magnificat, &c. *faciunt, & cogunt Canonicos, & Clericos, qui juxta dictarum Ecclesiarum constitutiones illis diebus, & solemnitatibus, induuntur Pluvialibus, & Sceptris, ut accedant cum apparatu, & cæremonia ad loca, ubi Domini, uxores, & filii eorum sedent; & quod præsentes, facta profunda inclinatione recitent illis ibidem dictas Orationes, & iterum, facta eadem inclinatione, revertantur ad Chorum. Item quod post Euangelium Diaconus sacris vestibus paratus recedat ab Altari, ut dictis Dominis Librum osculandum offerat, ac etiam ut suis loco & tempore eisdem incensum, & pacem tribuat. Præterea, quia in eisdem Ecclesiis intra cancellos, & Chorum Canonicorum, & Clericorum adsunt sedes in præeminentiori loco pro Episcopo deputatæ, prædicti Domini laici dictas Sedes tamquam proprias, & inter Canonicos occupent. Et cum prædicta magis dignitati Pontificali, quam potestatibus secularibus conveniant, Episcopus Seguntinus, Canonici, & Clerici dictarum Ecclesiarum credunt esse contra Pontificale, & cultum Divinum, quare ab Illustrissimis, & Reverendissimis Dominationibus vestris quæritur, utrum dictis Dominis temporalibus, & Patronis dictarum Ecclesiarum debita sit talis reverentia, & cæremonia per præfatos Ministros faciendæ, vel satis sit illis pacem, & incensum dare per aliquem Capellanum Ecclesiæ sacris vestibus non indutum? Item, an liceat dictis Dominis intra cancellos, & Clericorum Choros, Episcopales Sedes occupare, vel potius debeant inter laicos in potiori gradu sedere?*

XIII. Hactenus libellus Episcopi, Canonicorum, & Clericorum Seguntinæ Diœceseos Sacræ Concilii Congregationi porrectus, cujus ad ipsum Episcopum hæc est responsio: *Perillustris, & Reverendissime Domine, ut Frater. Vidit Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum ex libello, qui erit cum iis literis, quid Domini temporales laici, forsitan etiam Patroni Ecclesiarum, ad quas conveniunt, ab earundem Canonicis, & ministrantibus Clericis sibi tribui exposcunt. Quare Congregatio ad Amplitudinem tuam scribendum censuit, non solum decere, ut actus hujusmodi coram Dominis ipsis nullo modo fiant, sed ne coram quoque Principe seculari fieri debere; imo vero nec Ecclesiasticis Prælatis Episcopo minoribus id tribuendum esset, cum soli Episcopo in sua Diœcesi hæc conveniant, & debeantur. Incensum vero, & pax excipienda, quæ Dominis præfatis tribuenda sunt, a Ministris, qui eadem Canonicis, vel Episcopo, si adesset, dare consueverunt. Sedes Episcopi Dominis antedictis nullo modo convenit, quia potius eorum Sedes non intra, sed extra Chorum, in digniori tamen loco erunt collocandæ. Quare Congregationis sententiam Amplitudini tuæ, & per eam, si opus erit, ipsis Dominis notam esse voluimus, ut ipsam Ecclesiasticam dignitatem tueatur, & illi nobilitatis, & modestiæ suæ existiment, debito sibi honore, & loco esse contentos.* Hucusque Literæ, ac Decretum Sacræ Congregationis Concilii ad extirpandos abusus, qui in Ecclesiam Seguntinam irrepserant. Ubi inter alia notandum illud, quod etiam ipsi Ecclesiarum patroni, quibus de jure debetur in Ecclesia honorabilior locus, admitti non debent intra Presbyterium, non modo ex mente Sacræ Congregationis, ut dixit Rota in Valentina Capellæ v. Martii MDXCIX. coram Justo, & in Burgensi Sepulturæ de Villadiego v. Maji anni MDCIII. coram Lancellotto, verum etiam ex repetitis atque expressis non Concilii solum, sed Rituum quoque Congregationis Decretis, quorum nonnulla recentius edita prope finem hujus Commentarii afferemus.

XIV. Adeo autem quæ diximus consentanea sunt sacris Canonibus, ut etiamsi permittente Clero Laici locum obtinuerint in Presbyterio, hujusmodi actus reputetur mere voluntarius, & ita quidem, ut ex eo nullum jus acquiri possit, tametsi favore laicorum immemorabilis consuetudo allegetur, quippe quæ directe esset contra nostri Cæremonialis præscriptum, expresse prohibentis laicorum sedes in Presbyterio collocari, ac statuentis solum licere Principibus Viris, ac Magistratui sedes ornatas *plus, minusve pro cujusquam dignitate, & gradu* in Ecclesia habere, sed *extra Chorum, & Presbyterium*; præsertim cum Sacra Rituum Congregatio idipsum semper declaraverit, consentanee ad ipsum Cæremonialis præscriptum, non obstante consuetudine in contrarium etiamsi esset immemorabilis, ut testatur inter alios Pignatellus Tomo I. Consultatione VII. Num. XXVII. ubi etiam ait, *non posse introduci hanc consuetudinem, & esse extirpandam, ubi est introducta.* Quia scilicet, ut consuetudo prævalere possit, debet esse rationabilis, alioquin tanquam corruptela est abjicienda juxta textum in Cap. finali, & ibi Doctores, *De consuetudine*, & notant Archidiaconus in Cap. *Postulasti*, Numero II. *De foro competenti*, Natta in Cap. *Cum dilecto*, Num. XXVII. *De officio Archidiaconi*, Glossa in Clementina I. verbo *humilitatis*, *De Religiosis domibus*, Rota coram Gregorio Decisione CCCX. Num. V. Ruinus Consilio CLV. Num. XI. Lib. IV. & plene Abbas Consilio II. Num. IV.

XV. Quod autem consuetudo illa sit irrationabilis, ac proinde ut talis introduci non possit, & ubi est introducta, abjici debeat, ex eo deducitur, I. quod ut idem Pignatellus ait, collocatio sedis laicorum intra Presbyterium non potest esse sufficiens causa illorum devotionis, quæ æque haberi potest extra Presbyterium, sed semper provenit ex aliquo minus legitimo affectu, & diminutione reverentiæ debitæ illi loco tamquam peculiariter deputato Dei Ministris. Consuetudinem autem, quæ provenit ex hujusmodi causa, esse irrationabilem, & *de ambitionis radice procedere*, docet Textus in Cap. I. *De consuetudine*, *in* VI. Secundo, quia Ordo sacer, & Ecclesiasticus

Digitized by Google

cus ex sui natura, & institutione exigit, quod sit in loco nobiliori, itaut sæcularibus præcedat, quia tanto est temporalibus dignior, quanto anima præfertur corpori, & luminare majus, idest, dignitas Ecclesiastica luminari minori, idest potestati seculari præfertur, ex Cap. *Solitæ*, *De majoritate & obedientia*. Illa autem consuetudo facit, quod supremus honor, qui exhibetur Dei ministris, in loco sacro, communis fiat cum laicis, quatenus isti velint habere sedes in loco æquali, idest, in Presbyterio. Unde est consuetudo contraria virtuti Religionis, atque adeo vitiosa, sicuti sunt omnia, quæ adversantur virtutibus, & proinde tamquam irrationabilis reprobanda, juxta laudatum textum in Cap. finali, *De consuetudine*, & ibi Doctores, itaut propterea possint hujusmodi sedes de facto amoveri, & ipsi laici locum sibi indebitum usurpantes, uti sacrilegi expelli ex sententia Gratiani Disceptatione ccx. Num. xxxiii. Tertio tandem, quia tunc consuetudo est irrationabilis, quando continet aliquid, quod sit contra honestatem, ut habetur ex Cap. *Cum decorem*, *De vita & honestate Clericorum*, & notant Auctores communiter, Salas, *De legibus*, Disputatione xix. Sectione v. Num. l. Sanchez Lib. vii. *De Matrimonio*, Disputatione iv. Num. xiv. Pontius in eodem Tractatu Lib. vi. Cap. v. Numero ii. & alii passim. Quia nimirum quicquid honestum est, commensuratur regulis rectæ rationis; quare quicquid est contra honestatem, est contra ipsas regulas, atque adeo irrationabile.

XVI. Jam non desunt Auctores, qui aliter sentiunt, acriterque contendunt, valere eam consuetudinem, non modo immemorabilem, sed etiam quadragenariam, ad hoc, ut nequeant sedilia Magistratus a Presbyterio removeri. Ejus opinionis sunt varii Scriptores, quos longo agmine affert, ac sequitur Ursaya Tomo v. Parte i. Disceptatione, pro Magistratu Velitrarum scribens contra Capitulum ejusdem Civitatis; verum cum inter alia Dubia Sacræ Rituum Congregationi proposita decimum esset, *An eidem Magistratui liceret in Ecclesia Parochiali Sanctæ Mariæ de Trivio retinere scamnum intus Presbyterium*, Sacra ipsa Congregatio respondit: *Negative*; ut idem testatur Ursaya loco citato. Porro innumera pene ea in re afferri possent ejusdem Sacræ Coneregationis Decreta, verum, ut alia omittam, in Auximana, referente Eminentissimo Pallotto petitionem Magistratus Auximanæ Civitatis circa Sedem tenendam pro Magistratu, quando solemniter divinis interest, *Sacra Congregatio Rituum respondit, ponendam esse extra Presbyterium juxta planctam signandam per dictum Eminentissimam*. Die ii. Julii MDCXXXIX.

XVII. Est & illud hoc loco notatu dignum, quod olim statuit Sacra Congregatio super consultatione Episcoporum & Regularium, imo Summus Pontifex Gregorius XIII. de loco & sede excellentissimi Domini Gubernatoris Mediolanensis in Ecclesia Metropolitana Mediolani; jussit enim Sanctitas sua, ut Congregatio certiorem redderet Oratorem Serenissimi Regis Catholici, quid in isto negotio sentiat; ut nimirum omnia decenter, & cum ordine fiant; & nihil in primis existimavit perscribendum Regi Catholico de Sede sua collocanda in ea Ecclesia, idque Religioni, & pietati Majestatis suæ sive intra, sive extra Chorum Presbyterorum relinquendum. Quo vero ad Excellentissimum D. Gubernatorem, & Locumtenentem, probari a Sanctitate sua sententiam Congregationis, ut in eodem permaneat loco, in quo hactenus sedebat, & ubi collocari solebat extra Chorum ejus Sedes, ac in eadem altitudine graduum, quam adhibere consuevit, ne si altius tollatur, forsan Reverendissimi Archiepiscopi, & populi, ac Diaconi, qui Euangelium cantabit, visum, & conspectum impediat, & efficiat, ut Archidiaconus minus conspicuus sit in benedictionibus, & officiis Ecclesiasticis obeundis, vel si melius ei videbitur, sedere posse ex alio latere fere a regione Archiepiscopi, extra tamen eosdem cancellos Presbyterii &c.

XVIII. Rem narrat laudatus Pignatellus Tomo i. Consultatione vii. Num. xxxvi. qui etiam Tomo iii. Consultatione iii. Num. ix. recte observat, quod licet hodie quibusdam Viris magnatibus permittatur, quod sedeant in Presbyterio, id tamen vel ex eo procedit, quod sunt Reges, vel Principes non recognoscentes Superiorem, quibus jus non resistit, cum possent ministrare Episcopo, exercendo officium simplicis Subdiaconi, licet non habeant sacrum Ordinem, & ideo non reputantur in hac materia mere laici, nec turbant hierarchicum Ecclesiæ ordinem, ut docet Chassaneus in Catalago Gloriæ Mundi, Parte v. Consideratione xxiv. Num. cxv. & notat Lotterius Lib. i. Quæstione xiii. Num. xxviii. & seq. Ideoque intra Presbyterium ponitur Sedes Regia, quia Rex ratione sacræ unctionis, de qua in Cap. i. *De sacra unctione*, recensetur inter personas sacras, ut advertunt Castaldus, *De Imperatore*, Quæstione xviii. Num. vi. & Glossa Num. iii. Cod. *De novo Codice componendo*. Quæ ratio non habet locum quoad alios Principes quantumlibet magnos, & primariæ nobilitatis, quibus quidem semper lex obstat, qua prohibentur ministrare Altari, & consequenter ingredi locum proprium Ministrorum. Unde quoad ipsos, & seculares Magistratus adest omnimoda incapacitas, ut ex §. nostri Rubrica liquet, quæ debet omnino servari, utpote veteri Ecclesiæ disciplinæ, ac sacris Canonibus superius allatis consentanea, & non sumi exemplum ab iis, quæ Summus Pontifex in sua Capella Pontificia tolerare solet, & quæ Romæ in aliquibus Ecclesiis servantur; non enim quod Romæ fit, sed quod Romæ faciendum est, attendi debere, varii Auctores, & Jura ipsa scitissime nos docent.

XIX. Non ergo mirum, si negligentia Ecclesiasticorum Præsulum, in aliquibus Ecclesiis laici homines in Presbyterio inter Clericos sedent, est enim abusus, quem, uti superius demonstratum est, & Sacri Canones, & Decreta Sacrarum Congregationum S. R. E. Cardinalium semper damnarunt. Parum itaque refert, quod Romæ in

Digitized by Google

in multis Ecclesiis, ac *signanter in illa Agonizantium, in Capella Sanctissimi Sacramenti posita in Ecclesia Sanctorum Laurentii, & Damasi, & in illa Sanctorum Celsi, & Juliani*, ea consuetudo, sive potius abusus servetur, ut Guardiani, & Officiales Confraternitatum laicalium sedeant in Presbyterio. Testatur id quidem Ursaya Tomo v. Parte I. Disceptatione IX. Num. LVIII. & seqq. aitque, in ipsa sanctorum Celsi, & Juliani Ecclesia in Festo Circumcisionis Domini nostri Jesu Christi, laicos Officiales confratres sedere in ipsismet Canonicorum sedilibus, *ipsis videntibus, & non reclamantibus, ut est notorium, & practicavi ego tempore quo ejusdem Archiconfraternitatis Prior per multos annos fui*.

XX. Hæc & alia quæ afferri possunt exempla infringere nequaquam possunt, quod & sanctior disciplina, & sacri Canones, & Apostolicæ decisiones præscribunt, ne scilicet laici homines Presbyterium ingrediantur, multoque minus ibidem sedeant, dum divina celebrantur Officia, præsente Episcopo, sive etiam Canonicis. Nam ut ait S. Gregorius Lib. VII. Epistola LXI. Indictione II. *Valde Ecclesiastica est moderationi conveniens, ut quæ ordinata fuerint, vel decisa, nulla inposterum debeant refragatione turbari*. Sat esse debet laico Magistratui sedilia in Ecclesiis habere, ornata quidem pro dignitate, & gradu, sed *extra Chorum, & Presbyterium*, ut ait Rubrica nostri §. An autem Sedilia ipsa elevari possint cum suppedaneo, sive *pradella*, tam in Cathedrali, quam in aliis Ecclesiis, videri potest de eo dubio inter alia Sacræ Rituum Congregationi proposita, Dominicus Ursaya Tomo II. Parte I. Disceptatione XVII. Puto equidem attendi posse immemorabilem locorum consuetudinem, & dignitatem Magistratus; tametsi Sacra eadem Congregatio in Senogallien. XXIII. Septembris, MDCCXIII. responderit, non esse permittendum Regularibus, & Confraternitatibus Civitatis Senogalliæ elevare sedilia Magistratus.

XXI. Quidquid autem de elevatione suppedanei sit ad sedilia Magistratus, illud constanter tenendum est, locari ipsa minime debere intra Presbyterium, sed extra, ut ait noster §. & sacri Canones undique clamant, quibus nequaquam obstat, quod in novo Cæremoniali suo statuit BENEDICTUS XIV. edito pro Provinciarum Præsidibus &c. Cap. IV. §. III. nempe, quod *prope & inter Solium Pontificale, ac immobile consuetum scamnum pro Magistratu constituetur suppedaneum &c.* nam ut scite adnotat, salvo semper Sanctitatis suæ supremo judicio, Vir Clarissimus, ac sacrorum Canonum, & Ecclesiasticæ disciplinæ peritissimus Dionysius Pieragostini Episcopus Septempedanus in Libello quem inscripsit, *Addenda ad Parerga .... in Ordine divini Officii pro anno MDCCXLIII. circa novissimas potissimum Constitutiones*, §. IV. *Dictio*, prope, *pro* non procul, *frequenter usurpatur in subjecta materia*, quod probat non modo ex Cicerone, & Vossio, verum etiam auctoritate Auctoris Canonici Jurisconsulti, nimirum Barbosæ, qui in Libro variorum Tractatuum Dictione CCXLI. firmat ly *prope* tanquam positivum verificari posse in aliqua distantia, *Qua propter*, ut laudatus Septempedanus Antistes docet, *in hypothesi hujusmodi proximitas residentiæ pro Præside, seu Gubernatore, aut Vicelegato regulanda venit juxta situm, & constructionem Ecclesiarum, sed omnino extra Presbyterium ex declaratione Sanctissimi D. N. per literas Secretariæ Status XXIII. Augusti MDCCXLIII. Archiepiscopo Firmano directas*. (a)

XXII. Scitissime autem & illud memoratus doctissimus Præsul observat, declarationem ipsam Sanctissimi Regnantis Papæ consonam esse dispositioni Cæremonialis recogniti a sanctæ memoriæ Benedicto XIII. ubi edicitur, Laicorum subsellia etiam quantumlibet magnorum debere *extra Chorum, & Presbyterium locari*. Et sane præter allatos superius Canones, ac varia Sacrarum Congregationum Decreta, in una Montis alti XIII. Junii MDCCIII. proposito Dubio in Sacra Rituum Congregatione, *An Gubernatori Montis alti liceat retinere sedem intra Presbyterium*, respondendum censuit, *Negative*, & ita decrevit, & servari mandavit apud Franciscum Monacellum in supplemento ad Partem II. Tit. XIII. Formul. VII. & ad Notam XVI. Num. XXVI. per hæc verba: *Prælato Referendario Gubernatori Civitatis accedenti ad Ecclesiam non licet retinere sedem in Presbyterio*. Neque obstat, Prælatum Referendarium tamquam personam Ecclesiasticam non debere excludi a Presbyterio, quandoquidem, ut docet laudatus Episcopus Septempedanus, *non qualitas personæ materialis, sed illa personæ formalis, & muneris, Judicis scilicet laici, & Magistratus caput repræsentantis in hoc proposito advertenda venit, juxta distinctionem Cardinalis de Luca*, De Regal. disc. CXXXI. Num. III.

XXIII. Siquis insuper roget, an seculares alii manutenendi sunt in jure sedendi in suis sedilibus, sive sedibus positis in Ecclesiis, affirmat Pignatellus Tomo VII. Consultatione XLVIII. ubi ait, quod licet laici sint incapaces spiritualium, nullumque habeant jus possidendi sedilia in Ecclesia, imo Ordinarius possit illa de facto removere, ut ex cumulatis per Giovagnonum Lib. II. Consilio VIII. Num. I, & seqq. id tamen procedit, ubi primum illa apponuntur, non autem quando in Ecclesia permanserunt spatio alicujus temporis, Episcopo tolerante, tunc enim Episcopus citra injuriam nequit ipsa amovere, ut fuse ostendit Gratianus Disceptatione CCX. Num. XXXII. sed illorum Domini manutenendi sunt, ex laudato Giovagnono ibidem, Num. XI. & seqq. ex spatio quippe temporis præsumitur concurrisse tacita licentia Episcopi, dum diu toleravit, ex Rota, Decisione CCXXII. Parte I. diversorum; sufficitque titulus decennalis ad præscribendum con-

(a) Inter alia in memoratis literis hæc expressio legitur: *Salva però l'assegnazione del luogo nel Presbyterio, che in veruna maniera non si può, e non si deve ammettere. In questi medesimi sensi ne scrivo a Monsignor Governatore &c.*

Digitized by Google

contra Episcopum præsentem, scientem, ac sedilia ipsa tolerantem.

XXIV. Hinc, quamvis Sacra Congregatio Episcoporum & Regularium negotiis præposita censuerit non semel, sedes non esse debere in Ecclesia extra tempus concionum, ut in Januensi XVII. Aprilis MDLXXXIII. maxime si sint occasio scandali, ut in Acheruntina XXIV. Septembris MDLXXXV. nisi fuerint lapideæ, vel etiam ligneæ parietibus adhærentes, ut in Sarzanensi XXI. Novembris MDC. & XXVIII. Februarii MDCI. attamen in illis amovendis, vel alterandis declaravit, quod non debeant permitti novitates, ut in dicta Acheruntina IV. Junii MDCII. in Ferentina VIII. Decembris MDCXLV. præsertim in Sede Episcopali, vel Principum laicorum, ut in Januensi XXVII. Januarii MDXCVII. & quod possint a Dominis ornari, ut in Andriensi XXV. Octobris MDCII. & eis etiam inscriptio, vel aliud signum apponi, ut eadem Congregatio XIV. Januarii MDCV. decidit: quodque Superiores Regularium non possint illas removere a loco solito, nisi cum circumspectione, maxime si spectent ad Magistratum, ut in Assisiensi XXII. Martii MDCIII. illæque removendæ quæ adeo Altari vicinæ sunt, ut Celebrantem impediant, ex ejusdem Sacræ Congregationis Decreto in Nullius Castriduranti X. Novembris MDCXXIII.

XXV. Instante tamen Episcopo Maceratensi Sacra Rituum Congregatio declaravit, I. Gubernatori Maceratensi Præsidi Provinciæ non habenti facultatem Legati de latere non competere Sedem sub Baldachino, sed sine illo, & sine Solio, supra scamnum Magistratus, ac proinde Episcopum eo præsente in nullo loco Diœcesis debere a benedictionibus populi abstinere. II. nullam deberi præcedentiam Gubernatori, ac Præsidi prædicto supra Episcopum, etiam extra Diœcesim degentem. III. Episcopum non debere obviam ire Gubernatori prædicto advenienti ad Cathedralem, neque ab illa discedentem associare. IV. ipsum Gubernatorem, ac Præsidem teneri accedere ad Episcopum, ut ab eo accipiat Candelam, & Palmam benedictam etiam cum osculo manus ipsius Episcopi. V. Canonicos teneri præstare Gubernatori Civitatis, ac Præsidi Provinciæ consueta obsequia, & quatenus de consuetudine non liqueat, satis videri, ut per duos Canonicos excipiatur, & ad portam Ecclesiæ associetur. VI. Magistratum teneri præstare Episcopo, & Cathedrali Ecclesiæ consueta obsequia tum præsente, tum absente Gubernatore, & quatenus renuat præstare, compelli posse. VII. ad supplendum Magistratui absenti in lotione manuum Episcopi, posse subrogari alios nobiles Viros, quibus tamen locus in scamno Magistratus minime assignetur; & ita servari mandavit die I. Aprilis MDCLXII.

# C A P. XIV.

*Umbraculum, seu Baldachinum; & super Altare, & super Sedem Episcopi statuatur. Ejus forma, & color. Alterum Umbraculum pro rebus sacris in processionibus gestandis. A quibus hoc Umbraculum deferendum, & quo ordine.*

## §. I.

Umbraculum, seu Baldachinum duplex est, aliud quod appendi in sublimi debet supra Altare, & supra Sedem Episcopi, forma quadrata, colore, ubi commode fieri possit, conformi colori cæterorum paramentorum pro temporum, ac celebritatum varietate: aliud quod supra Episcopum, ac res sacras in processionibus gestari consuetum est, sex, vel octo hastis sublevatum, quæ quidem per nobiliores laicos deferri solent; itaut cum via est longior, qua procedendum est, primo loco illustriores viri illas deferant, quæ ante Episcopum gradatim primæ conspiciuntur. Porro color Baldachini, & Umbellæ in processionibus, in quibus defertur Sanctissimum Sacramentum, sit albus.

## COMMENTARIUS.

I. UMbraculum, seu Baldachinum, duplex est, unum de quo supra Capite præcedenti dictum est, appendi in sublimi debet supra Altare, & supra Sedem Episcopi, cujus usus locorum Baronibus quantumlibet magnis omnino vetitus est in Ecclesiis, sicut & alia quæcumque ipsius signa, gradus, suppedanea, & similia tam in Presbyterio, quam extra ex variis Sacræ Rituum Congregationis Decretis, præsertim in Acernina die XXVI. Junii anni MDCLXVI. Barensi V. Martii MDCLXVII. & XVII. Junii MDCLXXXIV. Marsicen., Polignanen., & Militen. V. Martii MDCLXVII. Hieracen. II. Octobris MDCLXXXIII. Bitecten. XXIII. Septembris MDCLXXXIV. & in aliis plurimis, de quibus mentio fit in Decreto generali edito ab eadem Sacra Congregatione die XIII. Martii MDCLXXXVIII. extatque in Appendice Cæremonia-

Digitized by Google

monialis Episcoporum Romæ editi anno MDCCXIII. Pag. 326. & in Appendice ad Concilium Provinciale XIV. Beneventanum sub Vincentio-Maria Cardinale Ursino, Beneventi Metropolita, qui postea fuit Benedictus XIII. Pontifex Maximus. Porro, ut in ipso generali Decreto legitur, *Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinales eidem Sacræ Congregationi præpositi mandarunt, ut prædicta Decreta prohibentia personis secularibus osculum Euangelii, usum Baldachini, & assistentiam in Presbyterio renoventur, & copiæ illorum transmittantur Archiepiscopis, & Episcopis Regni Neapolis, eisdemque injungendo, ut illa intimari faciant Superioribus Ecclesiarum suæ Diœcesis, tam secularibus, quam Regularibus, & in casu transgressionis, procedant etiam contra Regulares auctoritate ejusdem Sacræ Congregationis ad pœnam interdicti, & ita decreverunt, & in Ecclesiis Regni Neapolis servari jusserunt.* Quia scilicet enormis ille abusus vix in aliis Regnis reperitur, in quibus soli Principes Viri, qui scilicet non recognoscunt Superiores ea prærogativa uti solent, ob supremam suam ipsorum majestatem.

II. Aliud Umbraculum, seu Baldachinum est, *quod supra Episcopum, ac res sacras in Processionibus gestari consuetum est, sex, vel octo hastis sublevatum.* Hujusmodi Baldachinum Innocentius III. Lib. II. *De Mysteriis Missæ*, Cap. VII. Mappulam quatuor baculis colligatam, ac eos, qui illos deferunt, Mappularios vocat. Innocentium sequutus Durandus Lib. IV. Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. VI. & Mappulam ipsam describit, & juxta suum scribendi morem, mystico sensu exponit: *Quatuor*, inquit, *ministri super Pontificem Mappulam ferunt in summitatibus quatuor baculorum colligatam, & inde ipsi ministri Mappularii nuncupantur. Mappula illa, quæ diversis figurata est Imaginibus, sacram designat Scripturam, quæ multis, & variis est insignita Mysteriis: hæc quatuor baculis super Pontificem portatur extensa, quia Sacra Scriptura quatuor modis super Christum fertur exposita, videlicet, historice, allegorice, anagogice, & tropologice.* Et paulo post: *Hic est fluvius Paradisi, quia quatuor in capita divisus progreditur; hæc est mensa propositionis, quæ quatuor pedibus elevata subsistit. Super Pontificem ergo portatur extensa, ut is venisse monstretur, quem Lex scripserat, & Prophetæ.* Et iterum non multo post: *Quatuor Ministri Mappulam ferentes, quatuor sunt Euangelistæ Sacram Scripturam declarantes, & fide exaltantes. Hinc est, quod in summitatibus baculorum eorum Imagines collocantur &c.* Quicquid de hac mystica significatione sit, quam, Innocentium III. sequutus exponit Durandus, illud ex utriusque testimonio constat, quatuor olim dumtaxat baculis, seu hastis Umbraculum, seu Baldachinum, quod super Episcopum gestari solet, fuisse colligatum, in earumque summitatibus Imagines quatuor Euangelistarum collocatas fuisse.

III. Hunc fuisse morem Seculi XIII. quo Innocentius ipse, ac Durandus floruere, ut quatuor hastis Umbraculum appenderetur, quod honoris causa super Episcopos, Apostolicæ Sedis Legatos, aliosque etiam eximios Viros gestabatur, docet nos Thomas Cantipratanus Lib. II. *Apum*, Cap. I. ubi enarrat id honoris delatum aliquando fuisse Joanni Vincentio Ordinis Prædicatorum a Bononiensibus, eamque ob causam a malevolis non sine calumnia apud Gregorium IX. accusato, quasi se pro Apostolico gereret: *Ut autem Civitas Bononiensis approximantem audivit, occurrit, & Nobilium, & Magnatorum, Civium, & populorum innumerabilis multitudo, qui nescientes aliquid majoris honoris impendere, pannum sericum in quatuor hastis supra sanctum Virum in magno laudis jubilo deportabant &c.* Umbraculi, seu Baldachini honorem Episcopis, atque Apostolicæ Sedis Legatis exhiberi solitum, delatum etiam non semel fuisse sanctis Viris, ac præsertim Civi meo S. Francisco de Paula a Rege Neapolis, Auctores ejus Vitæ produnt.

IV. Sed ut de eo Baldachini honore, qui Pontificibus exhibitus fuit, agamus, multa occurrunt de ea re exempla in historia Ecclesiastica, & in Vitis Romanorum Pontificum. De Innocentio Papa IV. scribit in ejus vita Nicolaus de Curbio Ordinis Minorum, postea Episcopus Assisiensis, apud Clarissimum Ludovicum Muratorium, quod ubi de Concilio Lugdunensi Romam rediturus, Genuam pervenit, inter alia honoris indicia, quibus Genuenses ipsum honorarunt, *fecerunt quoque sibi in ipso suo adventu contra solis æstum quoddam Umbraculum, innectentes capitibus quatuor perticarum pecias de serico artificiose insitas, & insertas, quod quidem umbraculum plena devotione ferentes ipsi Milites, & Majores de terra, sub illo veniebat Dominus ipse Papa. Hoc utique sibi fiebat ubique in aliis Civitatibus, Communitatibus, atque Castris.* Ubi nota, etiam Umbraculum, quo exceptus fuit Innocentius ipse Pontifex Maximus, quatuor tantum perticis, seu hastis sustentatum fuisse.

V. Omnium maxima fuit illa profecto pompa, qua Martinus Papa V. de Concilio Constantiensi Romam rediens, a Reipublicæ Florentinæ Primatibus exceptus fuit, & quidem sub duobus diversis Umbraculis, altero ad S. Gallum, altero longe nobiliori prope ipsam Florentiæ Urbem, ut testatur Felix Contelorius ex Libro participationum sacri Collegii, & manuali Rudolphi Rocilgini Cameræ Apostolicæ Notarii, atque ex Diario Florentino ab anno MCDVI. ad annum MCDXXXIX. *Ad sanctum Gallum*, inquit, *obviam habuit delectos Reipublicæ Florentinæ Primates, supra ejus caput mappulam sustollentes, ac Reipublicæ administratores cum maxima Equitum multitudine, Judices, Mercatorum societatem, cæterosque cives, & populum. Ubi vero die Dominica* XXVI. *Februarii* (legendum XXVII. quæ eo anno litera Dominicali existente B. concurrebat cum Dominica) *prope Urbem stetit, Domini Civitatis sub alia mappula auro ditissima armellinis pellibus ornata, Pontificem equitantem receperunt &c.*



Digitized by Google

VI. Ergo ex ritu antiquo Baldachini hastæ *quidem per nobiliores laicos deferri solent*; sed attendenda est consuetudo locorum, ut jam nostrum Cæremoniale admonet in §. sequenti. Plura de ipsarum hastarum delatione hic dicere supersedeo, quod eam rem jam abunde tractarim supra in Commentariis ad Caput II. Ceterum de hastis, earumque numero, atque de Umbraculis, seu Baldachinis, mappulisve, quæ etiam alio nomine Umbellæ appellantur, agit in Actis Ecclesiæ suæ Mediolanensis S. Carolus, docetque ut ipsæ conficiendæ sunt, dicens: *Umbellæ, una scilicet ad sacræ Eucharistiæ contegendæ, altera ad insigniorum processionum efficium usui, e serico, aut panno, aure, argentove intexto sint. Umbella autem minus pretiosa e panno subserico, vel saltem e zambellotto confici poterit. A superiori parte contectæ sint tela bombycina; undique vero ornatum habeant duplicium fasciarum, quæ duodecim circiter unciis longe pendeant; iisque fasciis consutæ sint ab omni parte fimbriæ filamentis satis prolixis. Porro inter utramque fasciam hastile inseratur; quod panno adaptatum, & annexum recte extendat latera Umbellæ. Cujus Umbellæ lateribus singulis hastilia picta, paribus inter se spatiis disposita, quibus illa tolli, & gestari possit; quatuor, plurave pro ejusdem Umbellæ magnitudine, supponantur. Sint vero Umbellæ rubri coloris, ubi ritus Ambrosianus est, & ubi Romanus, albi.* Hactenus ille de forma, & usu Umbraculi, in ejusque descriptione plura adnotari possunt, quibus §. nostri Rubrica illustratur. Non omittendum illud, cum Romæ aliquibus in Ecclesiis rubei coloris essent Umbracula, atque Umbellæ, & Baldachina usui sacratissimæ Eucharistiæ addicta, Benedictum XIII. tenacissimum Romani ritus, eum abusum emendasse, & ut albi coloris fierent consentanee ad Missalis, ac Cæremonialis Rubricas jussisse. Id quod dum ipse viveret, servatum adamussim vidimus, sicut & alios plerosque, ritus de quibus suis in locis agetur; eo autem vix e vivis sublato, jam non paucæ Ecclesiæ, & quidem insignes colorem rubeum in ea supellectile iterum adhibuere.

## §. II.

Ordo autem hujusmodi hastas gestandi talis est, ut dignior ferat primam hastam, quæ est ante Episcopi dexterum; secundus alteram, quæ prima est ante Episcopi sinistram; tertius aliam, quæ immediate est sub prima a parte dextera; quartus aliam, quæ succedit primæ a parte sinistra; quintus tertiam hastam a parte dextera; sextus tertiam a parte sinistra; & sic deinceps, itaut minus digni habeant postremas hastas post tergum Episcopi. Deinde, si via erit longior, distribuendum erit onus ferendi hastas prædictas ceteris civibus, seu officialibus, vel sodalitatibus, aut aliis pro locorum consuetudine, judicio Episcopi moderanda, ubi opus videbitur, ne rixæ, aut contentiones oriantur.

## §. III.

Quod si inter digniores, & illustriores, plures essent, qui de æquali gradu, aut præeminentia contenderent, adeo ut omnibus his primo loco hastæ Baldachini assignari nequirent, relinquitur his ultimus locus, idest, ubi processio jam pervenit ad Ecclesiam, ad quam dirigitur; talis enim locus reputatur primo æqualis.

## §. IV.

Illud etiam obbservari solet, ut cum Sanctissimum Sacramentum in Processione sub Baldachino defertur, primo loco deferant hastas Sacerdotes digniores de Capitulo, sive sint Dignitates, sive Canonici, sive Beneficiati, aut Mansionarii digniores, juxta consuetudinem Ecclesiæ, sive illi sint parati sacris vestibus, sive non, prout Processio fit cum paramentis, vel sine illis, sicut in Capite XXXIII. Libri II. dicitur.

## COMMENTARIUS.

I. ORdo gestandi hastas Baldachini talis est, ut dignioribus eæ duæ, quæ sunt in facie, sive Episcopi, sive alius, qui sub Baldachino incedit, dentur, posteriores vero minus nobilibus. Uti facienda est distributio hastarum, perspicue nos docet Rubrica §. II. ubi illa præsertim notanda est clausula, servandam scilicet esse locorum consuetudinem *judicio Episcopi* moderandam, *ubi opus videbitur, ne rixæ, aut contentiones oriantur*. Quia scilicet ex Concilio Tridentino

Digitized by Google

dentino Sessione xxv. *De Regularibus*, Cap. xiii. cautum est, ut *controversias omnes de præcedentia, quæ persæpe cum scandalo oriuntur inter Ecclesiasticas personas tam seculares, quam regulares, cum in Processionibus publicis, tum in iis, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda umbella, & aliis similibus, Episcopus amota omni appellatione, & non obstantibus quibuscumque, componat*; idest, brevi manu, summario, ac de plano, sine strepitu, ac figura judicii expediat universa, *amota omni appellatione*, quoad effectum scilicet suspensivum, nam cum convenit, bene appellari poterit a sententia Episcopi ad effectum devolutivum, uti Scriptores docent, qui etiam communiter & illud tradunt, in Processionibus ipsis attendi debere locorum consuetudinem, præsertim quod spectat delationem hastarum Baldachini, quas etiam deferendas esse a propriis personis, quibus de jure, consuetudine, vel privilegio competit, non autem ab eorum substitutis, decidit jam Sacra Rituum Congregatio in Montis Pelusii v. Julii MDCIII. uti videre est apud Joannem Mariam Novarium in Lucerna Regularium, verbo *Baldachinum*, Num. iii. & Lezanam in Summa Quæstionum Regularium, Tomo iii. sub eodem verbo, Num. vi. & alios hujusmodi Decretorum Collectores.

II. Quamquam vero ex §. hoc nostro iv. atque ex Cap. xxiii. infra Lib. ii. §. x. & Cap. xxv. §. xxxi. itemque ex Cap. xxxiii. §. xxi. in Processione Sanctissimi Sacramenti, quæ fit Feria v. in Cœna Domini, ab Altari ad Sepulcrum, & Feria vi. in Parasceve, a Sepulcro ad Altare, & in Festo Corporis Christi, hastæ Baldachini per Ecclesiam a dignioribus ex Beneficiatis, sive ex Mansionariis deferantur, multis tamen in locis usus ille invaluit, ut tunc etiam ipsæ hastæ per Magistratum, sive Nobiles Civitatis gestentur. Sed de his jam nos plura adnotavimus supra in Commentariis ad Caput ii. aliaque nonnulla dicturi infra Lib. ii. locis citatis, Capitum scilicet xxiii. xxv. & xxxiii.

# CAP. XV.

*Habitus Episcopi accessuri ad Ecclesiam pro re divina facienda. Canonici omnes in habitu Canonicali ad illum proficiscantur, ac eum Cappa indutum ad Ecclesiam comitentur. Ordo procedendi, si est Archiepiscopus, vel Cruce utatur. Quomodo Episcopus excipere debeat Cardinalem Legatum, vel non Legatum, qui rei divinæ interfuturi sint. Certis diebus in accessu Episcopi ad Ecclesiam Campanæ pulsandæ, & in solemnioribus etiam Organa. Ubi orare, & parari debet Episcopus. Quando Canonici sumere debeant sacra paramenta. Ordo procedendi ad Missam solemnem. Quo ritu procedendum sit ad Vesperas, & ad Missam in Ecclesiis Collegiatis.*

## §. I.

**Cum Episcopus rei divinæ peragendæ causa ad Ecclesiam venturus erit, sive ipsemet celebraturus sit, sive alter, debent Canonici omnes in eodem Ecclesiastico, & Canonicali habitu appropinquante hora ad illum accedere, eumque Cappa indutum, cujus caudam Capellanus, seu Caudatarius talari veste incedens, sustinet, atque defert, & si Episcopus Missam Pontificali ritu sit celebraturus, vel in Sede cum Pluviali assistet, tunc Caudatarius Superpelliceo indutus, eam deferat ex ea aula, seu cubiculo, quod ad hoc destinaverit, ad Ecclesiam progredientem comitari, & deducere.**

## COMMENTARIUS.

I. Canonicos non ex urbanitate, sed ex debito teneri in habitu suo Canonicali associare Episcopum Cappa indutum ad Ecclesiam venientem a cubiculo usque ad Ecclesiam ipsam, ex more antiquo tradit inter alios Crassus Lib. ii. Cap. i. deciditque non semel Sacra Rituum Congregatio, ut testantur Barbosa in Libro *De Canonicis*, Cap. xxxii. & in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. xcix. Pignatellus, Ursaya, Monacellus, Scarfantonus ad Ceccoperium, Riccius, & alii Auctores. Idipsum consentanee ad præscriptum hujus §. & ad Decisiones memoratæ Sacræ Rituum Congregationis edixit etiam in una S. Marci Sacra Concilii Tridentini Interpretum Congregatio die xiii. Aprilis anni MDCCXX. ad ii. Dubium, diserte mandans, teneri Canonicos habitu Canonicali indutos associare Episcopum ab Aula Palatii ad Ecclesiam, & ab Ecclesia ad Aulam, *dummodo Episcopus sit Cappa indutus*. Imo teneri etiam eosdem idem Episcopo præstare obsequium, licet Cappa non utatur, quando tamen pro loci consuetudine Cappa uti non solet, Sacra ipsa Rituum Congregatio declaravit in Elboren. die viii. Martii anni MDC. apud laudatum Barbosam, tum in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. xcix. Num. viii. & in Tractatu, *De Canonicis*, cit. Cap. xxxii. Num. xi. in fine.



Digitized by Google

II. Exhibendum esse a Canonicis hanc Episcopo suo reverentiam, etiamsi ejus Domus non sit Ecclesiæ contigua, & sive ipse celebret, sive divinis assistat Officiis, decisum habemus ab eadem Sacra Rituum Congregatione in Tiphernatensi die v. Julii MDCIII. uti videre est apud ipsum Barbosam, & Pignatellum Tomo IV. Consultatione XCIV. ubi etiam Num. III. Decretum ipsum describit, quod est hujusmodi: *Cum domus Episcopi Tiphernatensis licet non contigua Cathedrali Ecclesiæ, eidem tamen sit satis vicina, ut notissimum, & Sacræ Congregationi Rituum constat, eadem Sacra Congregatio, ut alias sæpe in similibus, ita nunc ad instantiam Episcopi præfati declaravit, teneri Capitulum, & Canonicos in habitu Canonicali accedere ad Domum prædictam, ipsum Episcopum Cappa indutum a camera, seu loco deputato in eadem domo ad Ecclesiam Cathedralem associare, quotiescumque Episcopus ad eandem Ecclesiam solemniter celebraturus, vel ut divinis Officiis assistat, accesserit; & finita Missa, seu Officio, ipsum in eodem habitu ad eundem locum reducere &c.* Servandam esse vero hanc cæremoniam, etiamsi Episcopi domus distet per spatium CX. passuum, mandat Sacra ipsa Rituum Congregatio in Eleven. X. Januarii MDCIV. & per spatium quoque CLX. passuum, ut ex ejusdem Congregationis Decreto in Terracinen. XX. Augusti MDCXXII. Ceterum si palatium sit longe distans debet Episcopus associari ab aliquo ad hoc deputato prope Ecclesiam, vel in Ecclesiæ ipsius atrio, vel scalis, juxta aliam laudatæ Congregationis declarationem in Oscen. XVI. Maji MDCI. Cogi posse Canonicos sub censuris ad associandum Episcopum & ad Ecclesiam venientem, & domum redeuntem usque ad Cameram, quam destinaverit Episcopus, iterum atque iterum decidit Sacra Rituum Congregatio in Beneventana, ut dicemus infra in Commentario ad §. II.

III. Canonici quoque, ut in associatione Episcopi deesse nequeant, & Officia divina minime turbentur, debet Episcopus certam horam sui adventus tempore congruo statuere, & significare, id enim expresse decidit Sacra Rituum Congregatio in Elboren., & Oscen. XVI. Maji MDCI. & in Placentina Provinciæ Compostellanæ IV. Julii MDCXV. in responsione ad I. Dubium. Debet itaque Episcopus, venientibus Canonicis, statim ad Ecclesiam accedere, neque illi permissum est moram trahere, ne Canonici cum suo habitu Canonicali, aulico ritu in processione catervam præbeant in ignominiam Dignitatis Canonicalis, & in detrimentum cultus divini, cum ex ipsa mora, & divina Officia perturbarentur, & Ecclesia remaneret eo temporis spatio sine Ministris, ut scite advertit Pignatellus Tomo IV. Consultatione CII. Num. III. Dato signo per sonitum Campanæ pro recitatione divini Officii Canonicos Ecclesiæ S. Marci in nostra Calabria debere Episcopi accessum expectare, juxta modum insinuatum ab Episcopo Bisinianensi, Congregatio Concilii Tridentini Interpretum declaravit jam in una S. Marci die XIII. Aprilis MDCCXX. in responsione ad VII. Dubium. Quomodo autem facienda sit associatio Episcopo, quando inchoato Officio ad Ecclesiam descendit, aut ante finitam Missam, seu ante recitationem Horæ Sextæ velit domum suam redire, declaratum habemus ab ipsa Sacra Rituum Congregatione in Placentina in responsione ad Dubium I. nam ait, quod dato signo, & non veniente Episcopo, inchoari potest Officium; & si post inchoatum Officium, ad Ecclesiam descendit, satis tunc erit, si quatuor, vel quinque Canonici ei obviam eant, majorque pars Canonicorum in Choro remaneat. Quod saltem duo ex Canonicis teneantur ex Choro discedere, & obviam ire Episcopo, eique asperforium porrigere, censuit eadem Rituum Congregatio in Lunen. Sarzanen. III. Maji MDCXXXIII.

IV. Idem dicendum, si Episcopus venit eo tempore, quo post decantatum Euangelium concio inchoatur, tradit ipsa Sacra Congregatio Rituum in laudata Placentina in Responsione ad Dubium II. Quod si finita concione velit domum redire, nec pariter Canonici omnes debent deserere Missam, sed tantum tres, vel quatuor Episcopum usque ad portam Ecclesiæ comitabuntur, & statim redeant, uti ibidem decisum est in Responsione ad III. Dubium. Si vero post finitam Missam, velit discedere, nec expectare, quod Hora Sexta recitetur, quæ de consuetudine Ecclesiæ immediate, finita Missa, cantari solet, Canonici omnes saltem usque ad ipsam Ecclesiæ portam associationem præstabunt, ut ibidem in Responsione ad Dubium III. Hora vero dandi signum cum Campana, stabilienda erit cum Episcopo, quo signo dato, diutius ille non est expectandus, ex responsione ad Dubium V. Videri Decreta hæc possunt apud memoratum Barbosam tum in Tractatu, *De Canonicis*, Cap. XXXII. tum in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. CXIX. & alibi.

V. Quod hucusque dictum est de obligatione Canonicorum excipiendi Episcopum accedentem ad Ecclesiam Cathedralem, & comitandi eundem ad suum Palatium, aliaque obsequia eidem præstandi, nequaquam procedit in casu Episcopi Suffraganei, qui absente Episcopo principali, ut illius locum tenens, honorandus profecto est, cum moderamine tamen, ac modificatione, quam docet Crassus Lib. I. Cap. XXXVII. ubi inter alia, inquit, non excipi illum a Canonicis usque de suo cubiculo, sicut Episcopus ipse Ordinarius, nec post Missam eo reduci; satis enim est, quod ad portam solum Ecclesiæ, & ab aliquibus tantum Canonicis excipiatur. Bauldryus in Appendice ad postremam partem sui Manualis Cæremoniarum, Cap. XVII. Num. I. Barbosa in Summa Apostolicarum Decisionum, Verbo, *Episcopus Suffraganeus* Collectan. CCLXXXVI. per totum, & *De Canonicis*, Cap. XXXII. Num. XIII. Scarfantonus ad Ceccoperium Lib. II. Tit. II. Num. VI. & seq.

VI. Generaliter videtur hujusmodi Episcopis Suffraganeis, sive Coadjutoribus præeminentias omnes competere, quæ competunt principali Episcopo cum moderamine superius explicato, & exce-

Digitized by Google

exceptis, incessu cum Rocchetto discooperto, accessu omnium Canonicorum ad ejus cubiculum, Circulis intra Missam solemnem, de quibus suo loco inferius, assistentia duorum Canonicorum præter Diaconum, & Subdiaconum ministrantes in Missa, & septimo candelabro cum candela super Altari, quæ privative competunt principali Episcopo, ex variis Sacræ Rituum Congregationis Decretis, ac præsertim in Bracharen. XXI. Februarii MDCIV. & I. Septembris MDCVII. & in Aquilegien. anno MDCXXVII. Unde etiam in generalibus ordinationibus, aliisque functionibus habendis per dictos Episcopos tenentur eisdem assistere aliqui ex Canonicis in habitu ordinario Canonicali, maxime si habeantur in Ecclesia Cathedrali, juxta decisionem memoratæ Rituum Congregationis in dict. Bracharen. anni MDCVII.

VII. Pro hujus tandem materiæ pleniori notitia lubet his addere resolutiones nonnullas Sacræ Rituum Congregationis in Veliterna, ubi proposita fuerunt hæc Dubia a Capitulo & Canonicis Ecclesiæ Cathedralis adversus Episcopum Suffraganeum Civitatis Veliternæ. I. An Suffraganeus Veliternen. occasione functionum Episcopalium solemnium teneatur se parare in Sacristia, vel potius possit paramenta sumere ab Altari, vel in Faldistorio? II. An valeat deferre Cappam Pontificalem in accessu, & recessu ad Ecclesiam Cathedralem, & quatenus affirmative? III. An possit sibi deferri facere caudam ejusdem Cappæ per alium, seu potius illam deferre teneatur involutam sub brachio sinisto? IV. An similiter possit sibi deferri facere caudam vestis violaceæ una cum elevatione fimbriæ anterioris in plano pavimenti Ecclesiæ? V. An eidem accedenti ad Ecclesiam, ut supra porrigi debeat Asperforium ad januam Ecclesiæ per aliquem ex Canonicis, & an possit Alumnos Seminarii, aliosque circumstantes aspergere, vel potius aquam sanctam recipere ab eodem asperforio extremitate digitorum? VI. An possit per Civitatem ut Mantello oblongo coloris violacei cum signis rubis super vestem nigram interiorem, vulgo, *Zimarra*. VII. An per eandem Civitatem possit sibi deferri, & elevari facere umbellam sericam viridis coloris? VIII. An dum assistit concioni, possit sedere in Sede separata a Canonicis, vel potius sedere debeat in eodem scamno Canonicorum absque tapete, & pulvinari, primus inter alios, & in quo habitu? Ad hæc dubia, Sacra Rituum Congregatio tam in voce, quam in scriptis informante utraque parte audita, ita respondendum censuit. Ad I. si accedat cum Cappa, in Faldistorio, secus in Sacrario. Ad II. jam provisum. Ad III. negative quoad secundum. Ad IV. negative. Ad V. jam provisum. Ad VI. negative. Ad VII. negative. Ad VIII. dilata. Et ita declaravit, & servari mandavit die VI. Septembris MDCXCXIII.

VIII. Rursus relata in Sacra ipsa Rituum Congregatione infrascriptis Dubiis inter eundem Episcopum Suffraganeum, & Capitulum ac Canonicos Civitatis Veliternæ exortis, videlicet. I. An saltem aliqui Canonici Ecclesiæ Veliternæ teneantur eidem Suffraganeo obviam ire usque ad ostium Ecclesiæ, ibique ex iisdem Canonicis dignior Asperforium porrigere, & in reditu usque ad eandem januam comitari, dum Cappa indutus ad Pontificales functiones obeundas accedit, Antecessoris non usu minime obstante. II. An eidem debeatur genuflexorium, & an cum pulvinaribus, & strato, ad orandum ante Sanctissimum Sacramentum, dum occasione earumdem functionum ingreditur Ecclesiam. III. An facienti Ordinationes generales in aliquo ejusdem Ecclesiæ sacello propter impedimentum Altaris Majoris, & causa recitationis Horarum in Choro, debeant in eodem Sacello assistere aliqui ex Canonicis? IV. An dum assistit concioni, Prædicatoris salutatio ei prius dirigi debeat distincta ab illa Canonicorum, & Magistratus Sæcularis? Sacra eadem Rituum Congregatio auditis tam in voce, quam in scriptis, partibus informantibus respondit. Ad I. posse de licentia Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis Decani Episcopi Ostiensis, & Veliterni deferre Cappam, & in hoc casu teneantur duo Canonici ire usque ad ostium Ecclesiæ, & dignior porrigat ei Asperforium, quo Suffraganeus, seu ipsum aspergat, & pariter eum associent in reditu, usque ad eumdem locum. Ad II. juxta votum Magistri Cæremoniarum, videlicet, Negative. Ad III. servetur Pontificale, cum Missa solemni in Altari majori præsente Clero. Ad IV. affirmative, quatenus sedeat in Presbyterio. Et ita decrevit, & servari mandavit die VI. Septembris MDCXCVIII. uti videre est apud Monacellum Tomo II. Tit. XIII. & apud Scarfantonum ad Ceccoperium Lib. II. Tit. II.

IX. Illud etiam notandum est, quod docet Pignatellus Tomo IV. Consultatione XCVII. Numero X. & seq. servandam esse consuetudinem associandi proprium Episcopum usque ad valvas Ecclesiæ etiam non Cathedralis, ubi adfuerint in Missa solemni Episcopus, & Canonici; attenditur enim in hac materia consuetudo, ut pluries dixit Sacra Rituum Congregatio, referente Barbosa, *De Canonicis & Dignitatibus*, Cap. XXXII. Num. II. & XII. & in Summa Decisionum Apostolicarum, Collectan. XLIX. Num. VII. & VIII. Cum autem ea consuetudo non sit contra jus, sed præter jus, sufficiunt decem anni, ut inducatur. Glossa in Cap. ult. verbo *Consuetudo*, *De consuetudine* in VI. Puteus Decisione CL. Num. V. Lib. I. Mantica Decisione LI. Num. IV. Seraphinus Decisione DCXXXIX. Num. I. Cavalerius Decisione LXIII. & Rota Parte II. recentior. Decisione CCCLXXV. Numero VIII. cum aliis alias allegatis. Et in terminis licet Canonici non teneantur associare Episcopom venientem ad Ecclesiam cum Cappa, nisi in diebus solemnibus, attamen si extet consuetudo, vel usus illum associandi omnibus diebus Dominicis, & Festis etiam non solemnibus, quod sit servanda, respondit Sacra Rituum Congregatio apud laudatum Barbosam in Collectan. Bullarum, verbo, *Consuetudo*, & in Summa Apostolicarum Decisionum loco citato, Num. VII. Atque ita etiam censuit eadem Sacra Congregatio in utroque casu pro-

Digitized by Google

proposito in Majoricensi, nempe accedente immemorabili consuetudine Canonicos Cathedralis teneri genuflectere benedictioni solemni Episcopi tam intra, quam extra Cathedralem, & illum associare ad alias Ecclesias extra Cathedralem occasione Festivitatum, quæ intra annum celebrantur.

X. Ad Caudatarium tandem quod attinet, de cujus officio in §. fit mentio, ex Cæremoniali Ambrosiano hæc habet Castaldus Lib. I. Sectione V. Cap. XIII. *Caudatarius decentibus vestibus Clericalis Ordinis indutus, sine Superpellicio tamen, quoties Episcopus ad Ecclesiam procedit, talaris vestis, quam subtanam dicunt, caudam sustinet, atque defert*. Sane ex nostro §. Caudatarius talari veste incedens, caudam Cappæ Episcopi, si ea indutus pergat ad Ecclesiam, gestat; verum si Episcopus Pontificali ritu sit celebraturus, vel in Sede cum Pluviali assistet, cautum est, ut *tunc Caudatarius Superpelliceo indutus eam deferat*. Plura de Caudatarii officio notat Castaldus. Optandum autem, ut tam Episcopi, quam S. R. E. Cardinales exemplo Cardinalis Thomasii Ecclesiasticæ disciplinæ peritissimi, & Sacerdotalis dignitatis cultoris, non Sacerdotem, sed infimum Clericum Caudatarii officio præficerent.

XI. Præter Episcopos, ac alios Prælatos, cæteris Clericis caudatas vestes variæ Synodi prohibuere. In Provinciali V. Synodo vestes ipsas mulieribus penitus interdixit Sanctus Carolus, mandans Parochis, ut omnem solicitudinem suam adhibeant, ut *vestes inprimis, quas caudatas dicunt, Parochiæ suæ mulieres omnino deponant*. Ejusmodi abusum perstringit S. Bernardinus Sermone XLVII. ubi ait adeo suo tempore dilatasse diabolum per Italiam caudas muliebrium vestium, ut vel vilissima muliercula erubesceret absque cauda incedere. Eundem refellit abusum in quadam sua Homilia Cardinalis Vitriacus, illumque usque adeo ab Ecclesia vetitum esse affirmat, *ut sicaudatæ* mulieres *ad Ecclesiam accederent, sacra communione interdicerentur*. Hodie sublato hoc abusu, jam alius longe turpior paucis plane ab hinc annis irrepsit; feminæ enim non quidem caudatis ac talaribus vestibus incedunt, sed brevioribus, quas etiam manu sublevant, ut crura ostendant non sine fidelium scandalo.

## §. II.

**Præibunt familiares Episcopi, & si aderit Magistratus, aut alii Nobiles, & illustres Viri immediate ante Episcopum, tunc ipse Episcopus, & post eum sequuntur Canonici bini juxta antiquam, & Canonicam disciplinam; quod si fuerit Archiepiscopus, aut alius utens Cruce, ipsa Crux immediate ante Archiepiscopum per aliquem Capellanum deferetur, Imagine Crucifixi ad Archiepiscopum conversa, inter quam, & Archiepiscopum nullus omnino incedat, est enim insigne ipsius.**

## COMMENTARIUS.

I. IN solemni Episcopi ad Ecclesiam accessu, *præibunt familiares Episcopi, & si aderit Magistratus, aut alii nobiles, & illustres Viri, ante Episcopum*. Si scilicet ea alicubi vigeat consuetudo, ut Magistratus, ac Nobiles Civitatis Episcopum ad Ecclesiam pergentem celebrandorum divinorum causa comitentur. Hinc in Camerinen. die XX. Februarii anni MDCXCIX. suborta inter alias Episcopum inter, & Magistratum controversia de associatione ipsius Episcopi in solemnitatibus, Sacra Rituum Congregatio ita statuit apud Monacellum, Tomo II. Tit. XIII. Num. VI. *Magistratibus in solemnioribus Festivitatibus a Cæremoniali præscriptis, absente Gubernatore, habita hora a Magistro Cæremoniarum, seu ab alio Ministro, ad Palatium Episcopi usque ad portam Cubiculi, quod dicitur* Anticamera, *accedere debet, & Episcopum Cappa indutum ad Ecclesiam comitabitur, peractis functionibus ad Portam majorem ejusdem Palatii pariter comitabitur, & Episcopus monitus de adventu Magistratus, statim ei obviam procedet, & ad Ecclesiam perget*.

II. Licet itaque videatur, quod ea Magistratus associatio, atque assistentia tribuenda sit actui voluntario, gratioso, & facultativo, ac proinde inhabili ad inducendam obligationem, non obstante quolibet cursu temporis, juxta regulam Glossæ in Lege I. verb. *communi dividundo*, Cod. *De annali præscriptione* & Baldi in Lege, *Cum notissimi*, in fine, Cod. *De præscriptione* XXX. *vel* XL. *annorum*, nihilominus quando tempus præstitæ associationis illius atque assistentiæ, excedit memoriam hominum, & versamur in dubio, an actus processerit ex mera voluntate, vel potius ex obligatione, sumenda est interpretatio, quæ favet Ecclesiæ, cum sit causa magis favorabilis, juxta textum in Lege III. ff. *De adimendis Legatis*, & Lege, *Lucius Titius*, §. *Lucius*, ff. *De Legatis* III. Cum etiam regulare sit, quod data multiplicitate actuum per diuturnum tempus continuatorum, exclusa remaneat præsumtio voluntarii, cum continuata, gratia, & facultas non præsumatur, ex firmati per Rotam in Terraconen. *Juris punctandi super manutentione*, §. *Sed quoque*, coram Omanna XXVI. Februarii MDCCIII. & in Monopolitana, *Preeminentiarum super manutentione*, §. *Nec dicatur*, coram Molines XXVI. Junii MDCCV. Unde donec discutiatur, an actus ad gratiam, vel ad obligationem veniant referendi, danda est manutentio possessori, ut in dicta Terraconen. §. *Eadem*, & in Gerunden., *Manutentionis*,

Digitized by Google

*tionis*, XVIII. Junii MDCCIII. §. fin. coram Omanna. Scarfantonus in animadversionibus ad Ceccoperium Lib. I. Tit. XV. Num. XXIII. & seqq.

III. Quapropter hujusmodi Magistratus contra solitum recusantes accedere, & exhibere celebranti Episcopo consueta obsequia, *debitis remediis cogendi sunt*, ut declaravit jam pluries Sacra Rituum Congregatio, nempe in Narnien. XVI. Julii MDCV. in Fanen. I. Septembris MDCVII. & in Civitatis Castelli XXIX. Novembris MDCXVIII. uti videre est apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum, verbo *Magistratus*, Num. XI. & XII. & apud Pignatellum Tomo IV. Consultatione IV. Num. XIV. ubi etiam in fine post relatas scilicet alias Sacræ Congregationis Episcoporum negotiis præpositæ decisiones, concludit, posse Episcopos, ac debere *hujusmodi Magistratus, & Gubernatores interpellare, eosque cogere etiam per censuras Ecclesiasticas ad observandum solitum*. Porro tradit Monacellus Tomo II. Tit. XVII. Numero X. quod sicut Canonici, qui tenentur in habitu Canonicali Episcopum procedentem ad Ecclesiam ex Aula comitari, si non accedant, non possunt cogi pœna excommunicationis ad associandum, ut ex Decreto Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium XXVIII. Maji MDCLXXXIV. probat Bauldryus in Manuali sacrarum Cæremoniarum Parte I. Cap. IX. Num. II. ita multo minus poterit Magistratus laicus censuris compelli ad explendum actum, ad quem ex Lege nostri Cæremonialis non arctantur, prout arctantur Canonici, sed invitari posse decernitur.

IV. Verum quod Canonicos spectat, certe labitur Monacellus. Etenim Sacra Rituum Congregatio, proponente Eminentissimo D. Cardinali Sfortia, in Beneventana die V. Septembris MDCXLVIII. utraque parte informante, an Canonici Archiepiscopum suum Beneventanum ad Ecclesiam accedentem associare, & ab eadem recedentem usque ad anticameram suæ habitationis juxta suorum Prædecessorum consuetudinem comitari teneantur, ipsa Sacra Rituum Congregatio respondit, quod circa associationem serventur Decreta, & ad formam compellantur Canonici renitentes, si aliqui adsunt, sub censuris in subsidium. Rursus cum circa associationem in eadem causa, utraque parte informante, & petente Archiepiscopo ipso Beneventano, ut ad tollendas controversias, quæ denuo oriri possent, declaretur quid desuper observandum sit, eadem Sacra Congregatio die XXI. Novembris MDCXLVIII. respondit, *Capitulum, & Canonicos debere accedere ad aulam, sive cameram, quam ad hoc Archiepiscopus destinaverit, tam in accessu ad Ecclesiam, quam in reditu, ad formam præscriptam in Cæremoniali Romano, & renitentes etiam sub censuris in subsidium compellendos esse*. Extant hæc Decreta in Concilio Beneventano XIII. anni MDCLV. sub Joanne Baptista Foppa Archiepiscopo, ad Tit. XXVI. sub Num. XLVIII. ubi eadem Decreta confirmantur.

V. Puto equidem servandam esse ea de re, sicut & de aliis plurimis controversiis, quæ occurrunt, laudabilem, ac probatam locorum consuetudinem, nec cogendum Magistratum innovationibus ad præstanda obsequia Episcopo, diverso modo ab illo, qui antea usitatus est, ut causa acerrime discussa resolutum fuit a Sacra Rituum Congregatione in Carpenctoraten. III. Decembris MDCCI. Ponente Cardinali Colloredo, quando utraque parte acriter informante respondit, *Affirmative* sequenti Dubio, *An Rector, Magistratus, & Officiales Civitatis Carpenctoraten. teneantur intervenire in Ecclesia Cathedrali in Festis solemnibus Ecclesiasticis, & Processionibus annuis, ac assistere Reverendissimo Episcopo, tam accedendo, quam recedendo ab Ecclesia, eumque associari, & respective an ad id cogi possint in casu, & ad effectum, de quo agitur*. Sed cum illo essentiali addito juxta formam servatam ante motam litem, ut ex Monacello, & Libris Decretorum Sacræ Rituum Congregationis dicti anni MDCCI. Fol. 441. a tergo notat Ursaya Tomo II. Parte I. Disceptatione XVII. Num. LXXVI.

VI. Posse Magistratus, & Officiales Civitatum Episcopum associantes, eum præire, vel post eundem incedere, uti eidem Magistratui magis placuerit, quia, cum ejusmodi associationis actus sit mere voluntarius, & humanitatis potius, ac liberalitatis, quam necessitatis, nulla violentia adhibenda est, edixit jam Sacra Rituum Congregatio, ubi de ordine Sanctissimi Epistolam de ea rescripsit Archiepiscopo Firmano, die XIX. Maji MDLXXXI. cujus meminit Pignatellus Tomo IV. Consultatione IV. Num. XII. & Ursaya loco citato Num. LXXIII. quamque integram describit Panimolle Decisione I. Adnotatione XI. Num. XX. Verum cum illud Rescriptum emanarit antequam publicaretur Cæremoniale, cujus evulgatio sequuta est anno MDC. standum iccirco videtur præscripto nostræ hujus Rubricæ, ubi edicitur, quod *si aderit Magistratus, aut alii Nobiles, & illustres Viri, immediate ante Episcopum* incedent; *tunc ipse Episcopus, & post eum sequuntur Canonici bini juxta antiquam, & Canonicam disciplinam. Quod si fuerit Archiepiscopus, aut alius utens Cruce*, ex privilegio scilicet Apostolicæ Sedis, *ipsa Crux immediate ante Archiepiscopum per aliquem Capellanum deferetur Imagine Crucifixi ad Archiepiscopum conversa, inter quam & Archiepiscopum, nullus omnino incedat; est enim insigne ipsius*; uti a nobis explicatum fuit.

VII. Est hic tandem & illud notandum, quod docet Castaldus Lib. I. Sectione VIII. Num. VI. associationem a Canonicis ita quidem faciendam esse Episcopo, ut cum Episcopus Cappa indutus ad Ecclesiam venit, ipsum sequantur Canonici bini, primo scilicet digniores, deinde reliqui ordinate: cum vero Pluviali, ac Mitra indutus ad Ecclesiam ille procedit, præcedere tunc ipsum debent primo juniores deinde seniores, ac digniores, qui suo Episcopo ita adhærebunt quidem, ut inter ipsos, & Episcopum nullus omnino intercedat, nam unum cum cum ipso constituunt corpus, & membra illius vocantur, Cap. *Novit* III. & ibi Doctores, *De iis quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli*.

§. III.

Digitized by Google

## §. III.

**Eo ordine procedent usque ad portam primariam Ecclesiæ: ibi dignior ex Capitulo porriget Episcopo Aspersorium cum osculo Aspersorii, & manus, Episcopus asperget primo seipsum detecto capite, deinde Canonicos, & alios circumstantes, incipiendo a digniori.**

## COMMENTARIUS.

I. UBi Canonici associantes Episcopum venientem ad Ecclesiam, ad primariam ejus portam pervenerint, *ibi dignior ex Capitulo porriget Episcopo Aspersorium cum osculo Aspersorii, & manus*. Concinunt Rubricæ hujus §. varia Sacræ Rituum Congregationis Decreta, nempe in Salmantina XVI. Julii MDCV. in Sarzanen. XII. Martii MDCXVIII. & in Bononien. XIV. Februarii MDCXXXII. uti videre est apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum verbo *Aspersorium*, Num. I. ubi etiam advertit, quod si Præbendæ Canonicales sint distinctæ, ministrandum est Aspersorium Episcopo a primo Canonico Presbytero ex Decreto ejusdem Congregationis in Placentina XIX. Maji MDCVII.

II. Porro de porrectione Aspersorii tenenda illa regula est, quam ex variis Sacræ Rituum Congregationis Decretis, inter alios tradit Pignatellus Tomo III. Consultatione XVIII. Num. XIV. & seqq. ut nimirum dignior, sive prima Dignitas Ecclesiæ etiam Regularis, ad quam Episcopus, Archiepiscopus, Legatus, aliique Prælati accedunt, debeat illis Aspersorium porrigere. Ratio est, quia porrectio Aspersorii est actus obsequii, ac reventiæ præstandæ a domino domus ad eam venientibus. Rectores autem Ecclesiarum in propriis Ecclesiis dicuntur esse in propria domo, Can. *Duo*, XXIII. Quæstione IV. Abbas in Cap. *Venerabilem*, *De electione*, Num. XIX. cum aliis relatis per Gonzalez ad Regulam VIII. Cancellariæ, Glossa VI. Num. CII. Quinimo in ea sunt Reges, & Imperatores; unde etiam Rex existens in aliena domo, debet cedere domino domus, ut notat Decianus Consilio LXXII. Num. XII. & XIII. Volum. II. Solorzanus in Allegatione pro supremo Consilio Indiarum super præcedentia, Num. XCII. Besoldus Dissertatione, *De præcedentia*, Cap. III. Num. XV.

III. Eam servari Romæ consuetudiuem in Processionibus Rogationum, testatur laudatus Pignatellus Num. XV. In iis enim licet Reverendissimi Canonici Lateranenses sint præsentes, Aspersorium nihilominus porrigitur Illustrissimo Domino Vicesgerenti a digniori illius Ecclesiæ, ad quam accedit Processio. Sed quid alia exempla quærimus, cum id compluries jam resolutum fuerit a Sacra Rituum Congregatione, ut in Camerinen. die XV. Martii MDCVIII. ubi *Sacra Rituum Congregatio inhærendo aliis Decretis alias hac de re emanatis censuit Aspersorium aquæ benedictæ porrigendum esse Episcopo a Priore Ecclesiæ Collegiatæ, dum ibi accedit Episcopus, non autem a prima Dignitate, vel primo Canonico Ecclesiæ Cathedralis.*

IV. Idipsum expressius Sacra ipsa Rituum Congregatio resolvit in Bononien. XIV. Februarii MDCXLII. Exponente enim D. Marco Antonio Gentili Abbate Monasterii S. Mariæ de Pace, ac Procuratore Generali totius Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium, Archidiaconum Metropolitanæ Ecclesiæ Bononiensis prætendere in Ecclesia propria dictorum Canonicorum Aspersorium porrigere Eminentissimo ac Reverendissimo D. Cardinali Legato occasione alicujus processionis ad ipsorum Ecclesiam accedenti, ac supplicante pro bono pacis declarari quid esset servandum: *Sacra Rituum Congregatio respondit, Aspersorium Eminentissimo & Reverendissimo Domino Cardinali Legato aliquam Ecclesiam occasione publicæ processionis, seu quacumque alia de causa ingredienti, non ab Archidiacono, seu aliis de Capitulo Metropolitanæ porrigi debere, sed a digniori illius Ecclesiæ, ad quam Eminentissimus & Reverendissimus Cardinalis Legatus accedit, & ita inposterum servari mandavit*. Rursus die VIII. Februarii MDCXLVIII. *Sacra Rituum Congregatio respondit, Episcopo Rhegiensi extra suam Cathedralem in aliam Ecclesiam, sive Sæcularium, sive Regularium ingredienti, Aspersorium porrigi debere per digniorem illius, ad quam Episcopus accedit, & nullo modo per Dignitates, aut Canonicos Cathedralis, & ita in casu proposito omnino servari mandavit*.

V. Consuetudo etiam immemorabilis quæ in contrarium objici possit, nullius momenti censenda est, quippe quæ tanquam irrationabilis nunquam induci potuit, quia scilicet, uti superius dictum est, dominus domus tenetur præstare obsequia ad illam accedenti, actusque præteriti, facultativi censendi sunt, adeoque nullam obligationem inducunt, uti passim tradunt Doctores. Minus autem obstat, quod in nostro Cæremoniali prohibiti expresse minime reperiantur Canonici Ecclesiæ Cathedralis præbere Episcopo Aspersorium, ubi ad aliam Ecclesiam accedit. Satis enim est, quod Sacra Rituum Congregatio, ad quam Cæremoniale spectat interpretari, compluries jam declaraverit, digniorem, sive primam Dignitatem Ecclesiæ tum Sæcularis, tum Regularis, ad quam Episcopus, Archiepiscopus, Legatus, aliique Prælati accedunt, debere illis Aspersorium porrigere. Hinc consentanee ad Decreta superius recensita Sacra Rituum Congregatio die XXI. Martii MDCLXV. in causa inter Archiepiscopum, & Abbatem, ac Monachos S. Vitalis Ravennæ, Ordinis S. Benedicti resolvit, quod accedente D. Archiepiscopo ad præfatam Ecclesiam una cum Ca-

Digitized by Google

Capitulo Metropolitano ad exercendum Pontificalia in die festo, debeat Abbas tradere, & porrigere Aspersorium aquæ benedictæ eidem Archiepiscopo immediate, non autem Archidiacono, vel alteri de Capitulo, qui illud porrigat Archiepiscopo; & cum fuerint pro parte dicti Capituli exhibiti articuli ad probandum ex literis remissorialibus antiquam consuetudinem porrigendi per Abbatem Aspersorium primæ Dignitati, eas Sacra Congregatio die VI. Junii MDCLXVI. denegandas esse censuit.

VI. Et quidem notabile est illud laudati Pignatelli argumentum, porrectio Aspersorii, ajentis, vel est actus jurisdictionis, vel obsequii; si jurisdictionis, jam non potest exerceri in Ecclesiis Regularium, quia sunt exemtæ, si autem obsequii, ad Rectores Ecclesiarum pertinet. Id quod deinde pluribus aliis probat.

## §. IV.

**Sed si forte S. R. E. Cardinalis Legatus, vel non Legatus venturus esset ad Ecclesiam, & rei divinæ interfuturus, tunc Episcopus ei obviam ire debet usque ad portam Ecclesiæ prædictam, & Aspersorium porrigere ipsi Legato cum solitis osculis Aspersorii, & manus, qui se, & alios asperget. Si vero esset Cardinalis non Legatus, debet quidem Episcopus ei obviam ire, usque ad prædictam Ecclesiæ portam, sed Aspersorium non Episcopus, sed prima Dignitas, jubente Episcopo, Cardinali non Legato porriget. Interim, nisi celebretur pro defunctis, vel in diebus ferialibus, nisi etiam quoad dies feriales alia sit consuetudo, Campanæ Ecclesiæ pulsabuntur, & in Festis solemnibus etiam Organa.**

## COMMENTARIUS.

I. DE honore, ac obsequio ab Episcopis exhibendo S. R. E. Cardinalibus, ac præsertim iis, qui Apostolicæ Sedis legatione funguntur, jam nos non uno in loco disseruimus. Ubi hi ad Ecclesiam venirent, rei divinæ interfuturi, cautum est ex §. hujus Rubrica, ut Episcopus eisdem obviam ire debeat usque ad portam Ecclesiæ, & Aspersorium a digniore sibi porrectum cum debitis osculis, tradere ipsi Legato osculando illud, & manum ejus, qui se, & alios asperget, Canonicis profunde tunc se inclinantibus, aliis vero genuflexis, ut notat Bauldryus, Parte V. Cap. XV. Num. III. Ratio ejus obsequii, quod ab Episcopo præstari debet Cardinali Legato, desumitur certe ex auctoritate, & dignitate Legatorum; repræsentant enim personam Papæ, ideoque inter alios articulos, quos novus Episcopus ante consecrationem ex antiquo Ecclesiæ ritu jurare solet, unus profecto ille est: *Legatum Apostolicæ Sedis in eundo, & redeundo honorifice tractabo.* Ob eandem Legatorum dignitatem, nec Archiepiscopos, imo nec Patriarchas, posse Dominicæ Crucis vexillum sibi præferri, ubicumque Legati ipsi adessent utentes insigniis Apostolicæ dignitatis, certum est ex Cap. *Antiqua*, *De privilegiis*; quia scilicet in præsentia majoris deponitur potestas reverentialis minoris, ut ait Barbosa, Lib. I. *Juris Ecclesiastici*, Cap. V. Num. XXI.

II. Ceteri Cardinales, quamvis & ipsi, ubi ad Ecclesiam venirent, ab Episcopo ad portam Ecclesiæ excipi debent; Aspersorium tamen non ipse Episcopus, sed prima Dignitas, jubente Episcopo, Cardinali non Legato porriget, cum debitis osculis Aspersorii, & manus Cardinalis: *Interim, nisi celebretur pro defunctis, vel in diebus ferialibus, nisi etiam quoad dies feriales alia sit consuetudo, Campanæ Ecclesiæ pulsabuntur, & in Festis solemnibus etiam Organa*; uti in hoc nostro §. cautum est. Porro hic admonendus est Lector, clausulam illam, *nisi etiam quoad dies feriales alia sit consuetudo*, desiderari in Cæremonialibus ante hoc nostrum jussu, & auctoritate Benedicti XIII. emendatum, atque probatum editis.

III. Qua autem cæremonia sit excipiendus, si ad Ecclesiam, cujus Episcopus est S. R. E. Cardinalis, Legatus itidem S. R. E. Cardinalis accederet, ut rei divinæ assisteret, docet nos quidem Crassus Lib. II. *De Cæremoniis Cardinalium, & Episcoporum in eorum Ecclesiis*, Cap. I. dicens, quod ipse Cardinalis Episcopus *associatus, ut moris est, a Canonicis a Cubiculo ad Ecclesiam, veniens in Cappa sua rubea, Legato forte ad Ecclesiam venienti obviat usque ad portam Ecclesiæ principalis exclusive, secum ducens Canonicos suos sequentes Cottis vestitos, quorum dignior Aspersorium intra portam Ecclesiæ acceptum per Sacristam prius ibi paratum, offert Legato jam portam ingresso*, cum debitis scilicet inclinationibus, ac osculis Aspersorii, & manus Legati, *qui invitato prius Cardinali Episcopo, non tamen acceptante, aspergit se, nisi Cardinalem prius* Episcopum, *renuentem tamen aspergere velit, & sic deinde se, tum Magistratum, inde Canonicos, & alios.* Hactenus Crassus sacrarum olim Cæremoniorum Megister.

## §. V.

**Mox perget Episcopus ad Altare Sanctissimi Sacramenti, ubi genuflexus super pulvino, aut genuflexorio ibi parato, orabit; sed ante ipsam genuflexionem genuflectet**



Digitized by Google

ctet prius in plano solo absque pulvino; & similiter cum voluerit discedere ab oratione, ob reverentiam Sanctissimi Corporis Christi; mox accedet ante Altare majus, ubi pariter post profundam Cruci inclinationem genuflexus orabit.

## §. VI.

Si fuerit festus, solemnisque dies, & ipsemet Episcopus Vesperas sit celebraturus, postquam pervenit ad Ecclesiam ordine supradicto, dum genuflexus orabit ante Altare majus, vel aliud, ubi Vesperæ sunt celebrandæ, poterit in genuflexione aliquantisper morari, dum Canonici sumant sacra paramenta, post Episcopum stantes, videlicet, illi, qui habent Dignitates, Pluvialia; Presbyteri, Casulas; Diaconi, & Subdiaconi, Dalmaticas, & Tunicellas coloris convenientis, acceptis prius per eosdem Canonicos, & circa collum compositis, Amictibus. Sed si haberi non possunt paramenta pro omnibus, saltem quatuor, aut sex primi habeant Pluvialia; Episcopus autem capiet paramenta in Sede sua.

## COMMENTARIUS.

I. UBi quis Ecclesiam ingreditur, adorationem ab illo prius esse exhibendam Sanctissimo Sacramento, quod in Tabernaculo asservatur, quam ceteris Sanctis, quorum Imaginibus, Reliquiisque sacra Altaria ex antiquo Ritu exornari solent, Christiana Religio, & Catholica Fides nos docet; est enim Christus Dominus omnium, Sanctique nonnisi servi ejus, adeoque gravi reprehensione digni illi esse videntur, qui Ecclesias ingredientes, nulla exhibita prius adoratione Christo Domino, qui sua reali præsentia in Tabernaculo extat, recta ad aliorum Sanctorum Altaria pergunt, ibique diutius orant, cum alias Christus ipse sit prima spes nostra, Sancti vero apud ipsum nostri intercessores. Utinam hodierni Parochi in suis catechismis sedulo illud inculcarent, quod olim in sua concione docuit Apostolorum Princeps, Cap. IV. Actorum, Versu XII. ubi de Christo loquens, *Non enim est*, inquit, *in alio aliquo salus, nec aliud nomen est sub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*.

II. Recte itaque præscribit hic §. noster, ut ubi Episcopus Ecclesiam ingressus est, recta pergat ad Altare Sanctissimi Sacramenti, ubi genuflexus super pulvino, aut genuflexorio, quorum alias usus non adeo est in Ecclesia antiquus, oret aliquantisper, facta prius genuflexione in plana terra absque pulvino, ac etiam post, cum ab oratione discedet, ob reverentiam Sanctissimi Sacramenti. Finita oratione ad Sanctissimum, accedet mox Episcopus *ante Altare majus, ubi pariter post profundam Cruci inclinationem genuflexus orabit*, super pulvino scilicet, vel genuflexorio ibi parato, de quo superius jam disseruimus, variasque Sacræ Rituum Congregationis decisiones ad genuflexorii usum in Ecclesia pertinentes notavimus. Porro apud Crassum Lib. II. Cap. I. *De accessu Cardinalis Episcopi ad Ecclesiam*, nulla fit mentio genuflexorii, sed tantum pulvini: *Ante Altare*, inquit, *super pulvino genuflexus orat, Organis festive sonantibus continue*. Rursus tantum unius Altaris meminit Crassus, ante quod orare debet Episcopus, estque illud Altare majus, in quo juxta veterem Ecclesiæ disciplinam Sanctissimum Sacramentum asservabatur in Tabernaculo, ut nos jam alio loco explicuimus. Pulsandum tandem quando Organum sit, dicemus infra in Commentariis ad Caput XXVIII.

III. Ad §. VI. quod attinet, *si fuerit festus, solemnisque dies, & ipsemet Episcopus Vesperas sit celebraturus, dum genuflexus orabit ante Altare majus, vel aliud, ubi Vesperæ sunt celebrandæ poterit in genuflexione aliquantisper morari, dum Canonici sumant sacra paramenta, stantes post Episcopum*, ad eos scilicet allata, vel ibidem jam prius præparata, *videlicet illi, qui habent Dignitates, Pluvialia; Presbyteri, Casulas; Diaconi, & Subdiaconi, Dalmaticas, & Tunicellas coloris convenientis, acceptis prius per eosdem Canonicos, & circa collum compositis, Amictibus.* Est is quidem probandus ritus, de quo testimonium habemus ejusdem Crassi, qui Lib. I. sui Cæremonialis, Cap. XVIII. ubi loquitur de habitu Ecclesiastico Canonicorum, Episcopo celebrante, eam cæremoniam ita exponit: *In Capella Apostolica Papa, ut Episcopus, & Cardinales, ut Canonici, sicut in multis, sic etiam in hoc figurantur, & propterea, sicut Summo Pontifice Vesperas, sive Missam celebrante, Cardinales sacris paramentis induuntur, sic etiam honestum, & maltum honorabile utrinque esset, ut Cardinale Episcopo Vesperas, & Missas celebrante, ipsi Canonici super Cottis, sive Amictu Pluvialibus induerentur omnes, non autem alii Pluvialibus, alii Planetis, alii Dalmaticis, & alii Tunicellis; nisi ubi Præbendarum, aliæ Presbyterales, aliæ Diaconales, & aliæ Subdiaconales essent, ut in plerisque Urbis Ecclesiis, quia tunc vestirentur paramentis Præbendæ, & Ordini convenientibus, etiam siqui ex eis essent Prælati Apostolici, & Episcopi &c.*

IV. Ergo ubi Præbendæ sunt distinctæ in Presbyterales, Diaconales, & Subdiaconales, & ubi sunt Canonici, qui habent Dignitates, ii celebrante

Digitized by Google

lebrante Episcopo Pluvialia quidem induent, Presbyteri casulas, Diaconi Dalmaticas, & Subdiaconi Tunicellas. Id quod etiam decisum jam fuit a Sacra Rituum Congregatione in Neapolitana die XXV. Martii MDCII. & in Placentina die XIX. Maji MDCVII. apud Barbosam in Tractatu, *De Canonicis, & Dignitatibus*, Cap. XXXIV. Numero XXVIII. ubi ait, quod, *quando Episcopus solemniter celebrat, ac in Processionibus, abusus est, ut omnes tam Dignitates, quam Canonici Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi induantur Pluvialibus: Canonici Presbyteri, Planetis; Diaconi, & Subdiaconi, Dalmaticis, & Tunicellis uti debent*. Porro ubi nulla est præbendarum distinctio, nullæque adsunt Dignitates, tunc licet ex Paride Crasso omnes Canonici *eodem habitu ornati erunt, videlicet Pluvialibus, præter illos duos, qui in habitu Diaconi, & Subdiaconi ministrant*; nihilominus puto, etiam eo casu, si commode fieri potest, eundem ritum servandum, prout est usus insignium Ecclesiarum. Quod si haberi non possunt paramenta pro omnibus, saltem quatuor, aut sex primi ex Canonicis Pluvialibus indui debent, ut consentanee ad §. hujus nostri Rubricam ajunt Castaldus in Praxi Cæremoniarum, Lib. I. Sectione VIII. Cap. I. Num. VII. & Bauldryus Parte V. sui Manualis Cap. XV. Num. V.

V. Quo solemnes Episcopales functiones rite celebrentur, cautum est ex Concilio Provinciali Mediolanensi IV. Parte II. Cap. *Quæ ad Sanctissimum Missæ Sacrificium, & divina Officia &c.* ut quibus in Ecclesiis Cathedralibus, dum Vesperarum, aliarumque Canonicarum horarum Officia, Missarumque solemnia ab Episcopo solemniter fiunt, Canonici item quique Dignitatem obtinent, Pluvialia, aliasque sacras vestes pro Libri Pontificalis Romani ratione non induunt, in iis ex ejusdem, & aliorum item de Cæremoniis rite conscriptorum, probatorumque Librorum præscripto ad usum introducatur, aut intermissus revocetur ille Episcopalibus officiis conveniens, Pluvialia, aut Dalmaticas, aliumve sacrum vestitum, utpote Planetas certis statis diebus induendi mos. Tum jubet, ut ubi illa indumenta totidem non sunt, quot pro induentium numero esse deberent, quamprimum ad Officiorum Pontificio solemnique ritu, ut decet, celebrandorum usum comparentur, communi universi Capituli sumtu, nisi jure, aut consuetudine, aliave ratione a Sacristia, vel a fabrica, vel a singulis Canonicis eum sumtum præstari oportere Episcopus censuerit; tumque a quibus debetur, plane præstetur temporis spatio, quod idem Episcopus præscripserit.

VI. Quum tandem solemniter Episcopus celebraturus est Vesperas ad Ecclesiam pervenerit, orationemque ante Sanctissimum Sacramentum, & Altare majus fecerit, paratique sunt omnes Canonici paramentis suis juxta regulam paulo superius traditam, ad Sedem suam perget, ibique sua paramenta capiet, juxta ordinem, ac ritum infra Lib. II. Cap. I. §. IV. præsciptum, & Cap. VIII. ejusdem Libri II.

## §. VII.

**Cum vero Episcopus Missam solemnem celebraturus erit, postquam ingressus fuerit Ecclesiam, & ante Sanctissimum Sacramentum tantum, & non ante aliud Altare oraverit, ibit recta ad Sacristiam, vel ad aliud locum præparatum intra Ecclesiam & ibi induet paramenta pro seipso præparata, recitando solitos Psalmos, Versiculos, & Orationes, stantibus in gyrum, vel sedentibus Canonicis, jam alio loco paratis, prout Episcopus interim stabit, vel sedebit; quo tempore per Chorum decantabitur Hora Tertia, ut dicitur in Cap. VIII. Lib. II.**

## COMMENTARIUS.

I. RItus nunc est explicandus, qui Episcopo Missarum solemnia celebrante servari debet. Postquam ergo, ut tradit Castaldus Lib. II. Sectione IX. Cap. III. Num. IV. ingressus fuerit Ecclesiam, & ante Sanctissimum Sacramentum genuflexus oraverit, modo superius præscripto, recta ad Sacrarium, sive ad Sacellum, ubi Paramenta sumere debet, accedet, ibique facta brevi ad Altare oratione, ut infra dicetur, juxta præscriptum novi hujus Cæremonialis Lib. II. Cap. VIII. §. IV. in Sede aliquantisper quiescet, donec Canonici alio loco ibi proximo paramenta sumant, quilibet sui Ordinis, & ubi est Sacellum, seu locus congruus ibidem ante Missam dicetur Tertia. Si vero Sacellum non habeatur, parati Canonici in Sacristia processionaliter ad Altare procedent, ubi cum pervenerit Episcopus, in medio genuflexus, aliis pariter suis locis genuflectentibus, aliquantisper orabit; tum ab oratione surgens cum Assistentibus ad sedem suam accedet, ubi stans detecto capite, dicit prius secreto, *Pater noster*, & *Ave Maria*, deinde vero, *Deus in adjutorium &c.* cantatoque Hymno, intonabit Antiphonam, Cantoribus inchoantibus, *Legem pone &c.* Episcopus sedet, & adstantibus Diaconis Assistentibus, paratis cum Diacono Euangelii, & Subdiacono, omnibus sacris vestibus indutis, excepto Manipulo, accedentibus Ministris de Libro, & candela, legit alternatim cum Assistentibus, Psalmos, *Quam dilecta &c.*

II. Recitatis Psalmis, & calceatis sandalibus, & calceis, Episcopus surgens legit Versus, & Orationes ex Libro a Capellano stante sibi ministrato, iis qui ei assistunt respondentibus. Tum



Digitized by Google

Tum deposita Cappa manus lavat ritu suo loco præscripto, Canonicis interim graviter ac morose Psalmos Horæ Tertiæ prosequentibus, quo detur tempus Episcopo Psalmos suos legendi, & prosequendi. Lotis jam manibus statim Acolythi paramenta sumentes ex Altari, unus post alium singula deferunt Ministris assistentibus, qui hinc inde Episcopum adjuvant, & præcipue Diaconus; & imponentes Amictum, Albam, Cingulum, Crucem pectoralem, Stolam, Pluviale, & Mitram, si interim Psalmi non fuerint finiti, Episcopus sedet, donec perficiantur. Completis vero Psalmis, & repetita Antiphona, Episcopo surgente cum Mitra, Subdiaconus paratus cantat Capitulum, cantatoque a Cantoribus Responsorio, Episcopus orationem cantat, dictoque, *Benedicamus Domino*, Episcopus, deposita Mitra, & Pluviali, paramenta ad Missam capit. Atque hæc satis sint ad qualem qualem hujus §. intelligentiam, cum alias de ritu, qui in hoc §. continetur, fuse a nobis dicendum sit in Commentario ad Cap. VIII. Libri II. ubi Ritus ipse enarrabitur.

## §. VIII.

Deinde finita Tertia, & parato Episcopo, cum solitis cæremoniis procedetur ad Altare processionali modo; quo casu Canonici parati, ut supra, antecedent Episcopum immediate. Crux vero Capituli deferatur per alium Subdiaconum paratum Tunicella inter duos Ceroferarios, præeunte Acolytho cum thuribulo, & navicula ante omnes Beneficiatos, aliosque de Clero illius Ecclesiæ. Sed si celebrans erit Archiepiscopus, Crux Archiepiscopalis deferetur per Subdiaconum, ut supra, ante Canonicos paratos tantum, non autem ante alios de Clero, Imagine Crucifixi ad illum conversa.

## §. IX.

Ideo autem hoc casu Canonici parati antecedunt Episcopum, quia itur sacra processione; secus quando non sunt parati, nec Episcopus procedit cum Pluviali, & Mitra, vel cum Planeta, sed tantum in Cappa; tunc enim ipse debet anteire, Canonici vero subsequi, ut dictum fuit, quia non est processio sacra.

## COMMENTARIUS.

I. REgulare est, inquit Crassus Libro I. Cap. XXI. *ut Canonici semper, & ubique suum Episcopum Ordinarium quomodocumque sacris vestibus paratum præcedant; sed illum non paratum, semper, & ubique sequantur: quam normam etiam Cardinales cum Summo Pontifice servant eadem ratione, nisi in Parasceve; nam illa die in actu processionis, quæ fit pro Sacramento reportando præcedunt non paratum*. Quando Cardinales præcedere debeant Pontificem, & quando sequi, tradit in suo Cæremoniali Patricius Lib. I. Sectione XII. Cap. III. ubi refellit opinionem Francisci Cardinalis Mantuani, quippe qui dicere solebat, Cardinales semper debere præcedere Pontificem, quando Pontifex habet Stolam: *Sed hæc*, inquit Patricius, *non est bona ratio, quia & ita vidi servari a Pio II. cui per quatuor annos ad minus in Pontificatu deservivi, quem etiam per agros, & nemora peragrantem cum Stola semper perspeximus. Et Paulus II. cum per Urbem vehebatur etiam lectica clausus, nunquam erat sine Stola. Et in Matutinis certe majoris hebdomadæ Pontifex exit ad Capellam cum Stola, & Manto, & quia sine Mitra, Cardinales sequuntur, non autem præcedunt*. Ait mox, arbitrari se quidem, Cardinalem Mantuanum, quod ut secundus Diaconus soleret assistere Pontifici, iccirco favisse huic opinioni, ne unquam abesset a latere Pontificis, tum vero hæc addit, quibus nostrum ritum egregie explicat: *Cæterum ut in Processionibus, quando Prælatus est indutus sacris vestibus, Canonici sui præcedunt; quando autem profanis, & quotidianis, subsequuntur; ita & Cardinales Pontificem Mitratum præcedunt, sine Mitra sequuntur*.

II. Antiquus itaque est ritus, ut Canonici ubi sacris parati sunt vestibus, Episcopum antecedant, quando procedit cum Pluviali, & Mitra, vel cum Planeta; sequantur vero, quando in Cappa tantum procedit; *tunc enim ipse debet anteire, Canonici vero subsequi*, ob rationem in §. IX. notatam, *quia non est processio sacra*. Esse autem hunc antiquum ritum, testis est laudatus Patricius, qui in fine memorati Capitis ita concludit: *Nos ne antiquæ, & congruæ cæremoniæ omnino pereant, hæc pauca diximus*; nempe, quod, sicut in processionibus quando Prælatus est indutus sacris vestibus, Canonici sui præcedunt; quando autem profanis, & quotidianis, subsequuntur; ita & Cardinales Pontificem Mitratum præcedunt, sine Mitra sequuntur. Aque hic nota, quod passim advertunt Canonici Jurisconsulti, quod sicut sunt Cardinales respectu Papæ, ita & Canonici sui Episcopi, & quemadmodum illi sunt membra, & senatus Summi Pontificis, ita & isti sui Ordinarii.

III. Quid

Digitized by Google

III. Quid autem si aliquis ex Canonicis, aut Mansionariis sit Prælatus Apostolicus, puta, Archiepiscopus, vel Episcopus, an talis in habitu suæ Prælaturæ, aut in habitu suæ receptionis debeat inter Canonicos, aut inter Mansionarios esse, præcedendo suum Ordinarium paratum, aut in quo loco tam in processione, quam etiam in Choro, & in Capitulo simul cum aliis Canonicis simplicibus, vel etiam cum aliis Mansionariis stando, vel eundo? Quicquid alii scribant, sacrorum Rituum, ac Cæremoniarum peritissimus Crassus, hoc quidem modo distinguit Lib. I. Cap. XXI. videlicet, quod aut ipse Canonicus, vel Mansionarius, qui est Archiepiscopus, vel Episcopus induitur quotidiano habitu Prælaturæ suæ Apostolicæ, puta Mantelletto, Caputio, & Rocchetto, aut induitur habitu Canonicali. Primo casu idem Canonicus Prælatus Apostolicus sedebit in Choro supra omnes Canonicos, (quia scilicet non habent paramenta) etiam supra Archipresbyterum, & supra ipsum Archidiaconum, nisi aliter prædicti duo sint privilegiati; sed in processione nequaquam simul cum Canonicis præcedet ante suum Ordinarium paratum, sed post illum omnino sequetur. Secundo casu, quando Canonicus, seu etiam Mansionarius Prælatus Apostolicus est in Choro, sive in processione indutus habitu Canonicali, vel Mansionariali, puta Cotta super Rocchetto, aut Pluviali, & Planeta simul cum aliis Canonicis, sive Mansionariis paratis, sicut esse possunt, & debent, cum Episcopus, maxime Cardinalis celebrat solemniter, tunc ipse Prælatus debet esse in ordine, & loco suæ receptionis inter Canonicos, & Mansionarios, etiamsi sit ultimus.

IV. Ea porro est Crassi opinio loco citato fusius descripta, ubi etiam addit, quod Canonici Ecclesiæ Cathedralis, ac etiam Mansionarii, quotiescumque sacris paramentis induti sunt, & maxime in diebus Cinerum, Candelarum, Palmarum, & Parasceve, ac similibus, tam in Choro, quam in Processione, intra Ecclesiam, & extra illam, supra, & ante Magistratum, semper ire, & esse debent. Addit & de ea re alia, quæ apud ipsum Auctorem videri possunt. Nos unum illud hic adnotabimus, discrimen scilicet inter Crucem Capituli, & Crucem qua utitur Archiepiscopus: illa defertur quidem per Subdiaconum paratum Tunicella inter duos Ceroferarios præeunte Acolytho cum thuribulo, & navicula ante omnes Beneficiatos aliosque de Clero illius Ecclesiæ, Archiepiscopi vero Crux, quæ per Subdiaconum itidem gestatur, *ante Canonicos paratos tantum, non autem ante alios de Clero, Imagine Crucifixi ad illum conversa*. Plura de Cruce Archiepiscopali dicta a nobis superius sunt. Ceterum quod Crux per Subdiaconum deferatur, ritus ab Ecclesia Romana videtur acceptus; legitur enim in antiquis Romanis Ordinibus, & apud Augustinum Patricium Lib. III. Sectione II. Cap. XXI. Crucem ante Summum Pontificem a Subdiacono gestari consuevisse.

## §. X.

**Valde tamen probandum esset, si in solemnioribus Festivitatibus Episcopus etiam non celebraturus, procederet ad Ecclesiam, & tam Vesperis, quam Missæ interesset, Amictu, Alba, Cingulo, Cruce pectorali, Stola, Pluviali, & Mitra paratus.**

## COMMENTARIUS.

I. REcte admonet Concilium IV. Provinciale Mediolanense, eam fuisse olim vigilantissimorum, sanctorumque Episcoporum religiosam pietatem, ut non modo in solemnioribus anniversariis celebritatibus, sed fere in singulis Festis, & Dominicis diebus, iisque præsertim in Adventu, & Quadragesimæ solemniter Missæ Sacrificium celebrarent. Hoc institutum cum refrigesceret aliquando Prælatorum socordia, Innocentius III. Pontifex Maximus vehementer doluit, in Concilio suo Oecumenico IV. Lateranensi, Cap. XVII. ubi in Clericos æque ac Prælatos invehitur, qui circa *comessationes superfluas, & comessationes illicitas (ut de aliis taceamus) fere medietatem noctis expendunt, & somno residuum relinquentes, vix ad diurnum concentum avium excitantur*. Tum alios carpit, qui *Missarum solemnia vix celebrant quater in anno, & quod deterius est, interesse contemnunt*. Hæc igitur & similia Pontifex zelantissimus sub poena suspensionis penitus inhibet, districte præcipiens *in virtute obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter, & devote*. Relatum est hoc laudati Concilii Caput Lib. III. Decretalium Tit. XLI. Cap. IX. cujus initium est: *Dolentes referimus &c.* Sed de his alias, ac præsertim nostro Tomo III. Conciliorum, ubi Deo dante, una cum aliis tribus Conciliis Lateranensibus Oecumenicis Lateranense ipsum IV. Concilium Commentariis nostris illustrabimus. Probandum autem valde esse ait §. nostri Rubrica, estque is Pontificiæ Capellæ ritus, *si in solemnioribus festivitatibus Episcopus etiam non celebraturus procederet ad Ecclesiam, & tam Vesperis, quam Missæ interesset, Amictu, Alba, Cingulo, Cruce pectorali, Stola, Pluviali, & Mitra paratus*. Ita sane paratus solet Romanus Pontifex Maximus utplurimum procedere ad Ecclesiam, celebraturus divina Officia, vel ubi iis interest per alium celebratis, ex Romanis Ordinibus, præsertim vero ex XIV. Auctore Jacobo Gaetano, & XV. Petro Amelio Auctore, atque ex Cæremoniali Augustini Patricii.



Digitized by Google

## §. XI.

In redeundo idem Ordo servatur, non tamen cum sacris paramentis, quæ statim expletis Vesperis, aut Missa, deponuntur ibidem in Choro. Itaque in accessu Episcopi, & Canonicorum ad Ecclesiam, ac reditu eorumdem servantur ea, quæ Lib. I. Cap. II. §. VI. & Cap. XII. ac XVIII. præscribuntur.

## COMMENTARIUS.

I. UBi vel in Vesperis, vel in Pontificalibus Missis Pontificalem solemnem Episcopus benedictionem elargitus est, *in Sede sua paramentis sacris exuitur, ac Canonici pariter in locis suis paramenta deponunt, & Episcopum redeuntem comitantur eodem ordine quo venerant*, ut consentanee ad §. hujus nostri Rubricam, docet Castaldus in Praxi Cæremoniarum Lib. II. Sectione V. Cap. IX. Num. XV. & Sectione IX. Cap. III. Num. XXIII. ubi de Pontificali Missa loquens, ita ad rem inquit: *Dicto*, Placeat &c. *dat benedictionem, & in fine submissa voce dicit Euangelium S. Joannis; &, si sit Archiepiscopus, deponit Pallium super Altare, reliqua vero paramenta in loco, unde ea sumserat. Recedens procedit associatus a Canonicis eodem ordine quo venerat*. Sumta scilicet Mitra, & Baculo, uti expresse habetur Lib. II. Cap. VIII. §. LXXXI. Multa quæ in hoc Commentario notanda essent, jam alias explicata sunt, juxta ea quæ nostrum Cæremoniale suis locis in hoc §. notatis præscripsit.

## §. XII.

In Ecclesiis Collegiatis, diebus solemnibus Canonici in eorum habitu Canonicali ad Vesperas procedent a Sacristia bini, præcedentibus duobus Ceroferariis cum Cruce, & aliis de Capitulo; ultimo loco Celebrans paratus Pluviali, Officio, & Festo, quod celebratur, convenienti, & ante ipsum quatuor, aut sex alii Pluvialibus induti.

## COMMENTARIUS.

I. JUxta Festorum qualitatem omnia in Sacristia, Ecclesia, & Altari rite priusquam divina Officia celebrarentur, disponi debere, jam supra fuse ostendimus. Quod autem proprie hunc §. attinet, *in Ecclesiis Collegiatis, diebus solemnibus, Canonici in eorum habitu Canonicali procedent a Sacristia bini*, processione scilicet sacra in Chorum, facta prius nudo capite debita Cruci, & Celebranti reverentia, & sibi ipsis mediocri, quibus aliquali reverentia Celebrans respondet pro eorum qualitate etiam nudo adhuc capite ex praxi Ecclesiarum Urbis, & ex Sacræ Rituum Congregationis Decreto die XII. Junii MDCXXVIII. apud Bauldryum Parte II. sui Manualis sacrarum Cæremoniarum, Cap. XI. Articulo I. ubi eam Canonicorum Processionem hoc modo describit: *Præcedunt duo Ceroferarii*, cum Cruce scilicet, ut ait hic §. noster, *Magister Cæremoniarum, qui procedunt nudo capite, & alii bini de Capitulo, postea Assistentes, si plures sunt duobus*, Pluvialibus scilicet induti; *ultimo loco Celebrans medius inter duos ultimos Assistentes, licet etiam tantum sint duo, fimbrias ejus Pluvialis anterioris elevantes. Omnes supradicti tecto capite, bini, junctis manibus, oculis demissis, & modesto incessu procedunt, exceptis Ceroferariis, & Cæremoniario*, itemque Acolytho, qui Crucem defert, *nemini caput detegentes, nisi Episcopo, aut aliis Prælatis, aut Summis Pontificibus*. His addit, quod si sit adeo magnus populi concursus, ut vix Assistentes elevare possint Pluviale Celebrantis, decet, ut præcedant duo Mazzerii, vel saltem unus, qui viam dirigant; & si item via sit angustior, procedant singuli, itaut junior seniorem præcedat.

II. Placuit hæc adnotare ad hunc §. exornandum, nam ceteroqui fusius explicanda erit hæc cæremonia in Commentariis ad Caput III. Libri II. Ceterum monet Castaldus Lib. I. Sectione VII. Cap. IX. Num. I. quod cum solemniter celebratur in Collegiatis Ecclesiis, adhiberi solent Assistentes, ad Vesperas quidem duo, vel etiam quatuor in præcipuis solemnitatibus, & ad summum sex pro qualitate Festorum, ac celebrantium, ex aptioribus, & in Ecclesiasticis functionibus ad assistendum Prælato celebraturo, qui supra Superpelliceum Pluvialibus coloris officio convenientis æqualibus inter se induant. Celebrans ipse, ut idem Auctor notat Lib. II. Sectione V. Cap. VIII. Num. III. in Festis per annum ad Vesperas, Superpelliceo indutus accipit Amictum, Stolam, ac Pluviale coloris Officio, & Festo congruentis; in solemnitatibus vero, videlicet Festis primæ, vel secundæ classis, induitur Amictu, Alba, Stola, ac Pluviali coloris, & qualitatis diei, & Officio convenientis, sine ulla orationum recitatione, quæ tantum pro Missa celebranda, dum sacris Sacerdos induitur vestibus, ex Rubricarum Missalis præscripto dici debent; Assistentes autem ait Auctor laudatus plures, vel pauciores cum Pluvialibus adhiberi *juxta locorum consetudinem, atque dierum solemnitatem*.

§. XIII.

Digitized by Google

## §. XIII.

Ad Missas eodem ordine procedunt, nisi quod Celebrantem paratum Planeta, & reliquis paramentis Missalibus, præcedunt Diaconus, & Subdiaconus, parati Dalmatica, & Tunicella, vel pro temporis qualitate Planetis ante pectus plicatis, ut suo loco dicitur: Diaconus scilicet immediate ante Celebrantem, Subdiaconus vero ante Diaconum manibus junctis, nec alii præter ipsos erunt parati.

## COMMENTARIUS.

I. QUemadmodum ad Vesperas in Ecclesiis Collegiatis diebus solemnibus Canonici in eorum habitu Canonicali bini a Sacristia procedunt, præcedentibus duobus Ceroferariis cum Cruce, & aliis de Capitulo, uti in §. præcedenti dictum est, ita & *ad Missas eodem ordine procedunt, nisi quod Celebrantem paratum Planeta, & reliquis paramentis Missalibus, præcedunt Diaconus, & Subdiaconus, parati Dalmatica, & Tunicella, vel pro temporis qualitate*, in Adventu scilicet, & Quadragesima ex antiquo Ecclesiæ ritu, *Planetis ante pectus plicatis, ut suo loco dicitur; Diaconus scilicet immediate ante Celebrantem, Subdiaconus vero ante Diaconum, manibus junctis, nec alii præter ipsos*, nempe Celebrantem, & duos laudatos Ministros, *erunt parati*; juxta scilicet generalem de solemni Missa Rubricam Missalis, de qua videri inter alios possunt Gavantus, Castaldus, Bauldryus, & novissime Cajetanus Meratus in suis ad ipsum Gavantum Notis, atque Additionibus.

## §. XIV.

Dominicis vero diebus, quia Clerus, & populus ante Missam aqua benedicta per Celebrantem est aspergendus, oportet illum incedere Pluviali indutum, inter Diaconum a dextris, & Subdiaconum a sinistris de more paratos, qui postea, facta aquæ benedictæ aspersione, & dicta oratione, & deposito Pluviali, accipiet Manipulum, & Planetam, & incipiet Missam. Calix vero cum Patena, & Bursa, Liber Missalis, & alia necessaria præparentur prius per Clericos apud Altare in Mensa ad id erecta.

## COMMENTARIUS.

I. AQuam sale aspersam benedici, eaque populum Christianum aspergi, licet jam in usu esset a tempore Apostolorum, id tamen Alexander Papa I. præcepit, ut in ipso Alexandro testatur Liber Pontificalis, & Ecclesiastici Auctores passim, inter quos Rabanus Maurus Lib. II. *De institutione Clericorum*, Cap. LV. Walafridus Strabo, *De rebus Ecclesiasticis*, inter alios Micrologus, *De Ecclesiasticis observationibus*, Cap. XLI. & XLVI. Benedicendam aquam quolibet die Dominico, eaque aspergendum populum edicit quidem ex prisco Ecclesiæ ritu Romani Missalis Rubrica Parte IV. Tit. XIX. est enim de ea re antiquus Canon Concilii Namnatensis apud Burchardum Wormaciensem Lib. II. Cap. XII. in quo ita præscriptum legimus: *Omnibus diebus Dominicis unusquisque Presbyter in sua Ecclesia ante Missarum solemnia aquam benedictam faciat in vase nitido, tanto Mysterio convenienti, de qua populus intrans Ecclesiam aspergatur*. Ritum autem antiquum fuisse, ut Presbyter ipse quolibet Dominico die per Ecclesiam procederet, populumque aqua benedicta aspergeret, docent nos vetusta Caroli Magni Capitularia Lib. V. Cap. CCXX. *Ut omnis Presbyter die Dominico cum Psallentio circumeat Ecclesiam suam una cum populo, & aquam benedictam ferat*. Alia ejus ritus monumenta afferri possent complura, de quibus alias.

II. Ex his itaque satis liquet, quod notat Meratus in Additionibus ad Gavantum, Parte IV. Tit. XIX. Num. I. non modo quolibet Dominico die fieri debere aspersionem ex aqua benedicta, sed & ipsam novam aquæ benedictionem contra malam consuetudinem nonnullarum Ecclesiarum etiam Cathedralium, in quibus die Dominico aspersio fieri solet, non autem ipsa eodem die nova aqua benedictio fit, quod aperte est contra ritum præscribentem hanc renovationem aquæ benedictæ die Dominica faciendam, ut ex Missalis Rubrica constat, quæ loco citato ita inquit: *Die Dominica in Sacristia præparato sale, & aqua benedicenda, Sacerdos celebraturus Missam, vel alius ad id deputatus, Alba, vel Superpelliceo indutus cum Stola circa collum primo dicit &c.* Porro a prædicta Regula benedicendi aquam qualibet die Dominica excipiuntur Dominicæ Resurrectionis, & Pentecostes, in quibus non servatur hic ritus benedicendi aquam ab illis Ecclesiis, ubi adest fons Baptismalis, quia, ut adnotat idem Meratus ad Gavantum, aspergitur Clerus & Populus in prædictis duabus Dominicis cum aqua pridie benedicta in fonte Baptismali ad hunc finem reservata

Digitized by Google

vata in aliquo vase; qui ritus clare præscribitur in ipso Romano Missali, ubi sermo habetur de benedictione ipsius Fontis, explicaturque a Durando Lib. IV. sui Rationalis, Cap. IV.

III. Posse etiam alio die a Dominica benedici aquam, expresse habetur in Rituali Romano, quando scilicet opus fuerit, præsertim quando aqua in Dominica præcedenti benedicta consumta, vel putrefacta jam sit. Locus quoque ad ipsam aquam benedictam faciendam, quamvis ex recitata superius Missalis Rubrica sit Ecclesia, vel Sacristia, nihilominus extendi potest ea benedictio ad domos, & ad alia loca privata, ut docent Quartus, Meratus, & alii. Fit vero aquæ benedictio, ejusque aspersio Dominicis diebus in memoriam Baptismi, qui in Dominica Paschatis solemniter celebratur, ut ait Rupertus Abbas Tuitiensis Lib. VII. *De divinis Officiis*, Cap. XX. Durandus Lib. IV. sui Rationalis, Cap. IV. & inter alios Durantus Lib. II. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. XI. ubi etiam notat, in quibusdam Ecclesiis, singulis Dominicis ante Processionem aspergi populum aqua benedicta; in aliis vero, dum canitur Introitus; numquam autem diebus Dominicis ipsam aquæ benedictæ aspersionem omitti.

IV. Juxta Rubricam Missalis, finita benedictione aquæ in Sacristia, Sacerdos Missam solemnem celebraturus *indutus Pluviali coloris officio convenientis*, idest, post Amictum, Albam, Cingulum, & Stolam, uti Gavantus explicat citata Parte IV. Tit. XIX. incedit *inter Diaconum a dextris, & Subdiaconum a sinistris de more paratos, qui postea facta aquæ benedictæ aspersione, & dicta oratione, & deposito Pluviali, accipiet Manipulum, & Planetam, & incipiet Missam*, ut ait Rubrica nostri §. Non ergo Celebrans tunc Pluviali indutus procedere debet postremus, sed medius inter Ministros, Diaconum scilicet, & Subdiaconum, paratos Dalmatica, & Tunicella, vel Planetis plicatis juxta temporum diversitatem, sed sine Manipulis; qui etiam fimbrias Pluvialis Celebrantis elevabunt manu proximiori, altera infra pectus admota, tecto capite, sicut & Celebrans ipse Pluviali indutus, qui manibus etiam ante pectus junctis incedet. Atque hæc satis sint pro §. hujus nostri explicatione, nam alias de ipsa aquæ benedictæ aspersione in Dominicis diebus per annum, & quomodo illa aspergantur Canonici, infra Tomo II. opportuniori loco dicemus in Commentariis ad Librum II. Cap. XXX. & seq.

# CAP. XVI.

*Pallium extra Romanam Curiam ex mandato Summi Pontificis tradendum est ab Episcopo, cui id munus committitur, die præstituta in Ecclesia Metropolitana, vel alia magis commoda in Provincia Electi. Qui tradit Pallium, Missam celebret. Quo ritu tradatur. Quibus diebus eo uti liceat. Modus Pallii imponendi. Electus ante receptionem Pallii, neque Patriarcha, neque Metropolita vocandus. Qui Pallio utuntur, cum eo sepeliendi sunt.*

## §. I.

In tradendo Pallio extra Romanam Curiam, consuetudo ab immemorabili tempore est, ut Summus Pontifex uni, aut duobus Episcopis committat illius traditionem, qui præstituta die convenire debent cum ipso Electo, cui Pallium tradendum est, in Ecclesia Metropolitana, vel alia magis commoda suæ Provinciæ, nisi necessitas aliud suadeat, ubi Missa celebranda erit, & post communionem Celebrantis ponetur in medio Altaris Pallium extensum serico coopertum; ac finita Missa diei propria, quammaxime deceret, ut Episcopus, qui Pallium traditurus est, celebraret, ipsemet Episcopus, sive Episcopi commissarii in Faldistorio ad cornu Epistolæ, Electo alio loco jam parato, induantur Amictu, Stola, Pluviali, ac Mitra simplici, ac sedentes ante Altare super Faldistoriis, aut aliis Sedibus, juramentum fidelitatis, nomine Sedis Apostolicæ accipient ab ipso Electo genuflexo, & induto omnibus paramentis Pontificalibus præter Chirothecas, & Mitram; nisi illud prius præstitisse legitime docuerit, juxta formam literarum Apostolicarum Sixti Papæ V.

## COMMENTARIUS.

I. EGimus jam de Pallio fuse in Commentariis ad Pontificale Romanum Tomo I. Tit. XIV. nunc ordinem nostræ hujus Rubricæ sequentes, notandum primo illud censemus, primitus non missum fuisse Pallium nisi ad Metropolitas, qui eo instituerentur in Romani Pontificis Vicarios, ac Primatum, Patriarchalisque potestatis participationem supra Metropolitas alios assequerentur, & causas in partibus plurimas definirent, quæ alioqui Romam fuissent perferendæ. Docet hæc fusius Thomassinus, probatque variis veterum Pontificum testimoniis, & exem-

Digitized by Google

exemplis, Parte I. *Disciplinæ*, Lib. II. Cap. LIV. ubi etiam scite observat, nonnisi VIII. Christi seculo factum esse, ut Pallium Metropolitæ acceperint, qui meri erant Metropolitæ, seu qui Vicarii Apostolicæ Sedis minime facti fuerint.

II. Quamquam vero pluribus seculis Pallium Roma mitteretur a Summis Pontificibus, seu ad Metropolitas, seu etiam ad Episcopos, qui eo donabantur, invaluit tamen ea Seculo XI. consuetudo, & regula rigidissima, ut vel remotissimi Metropolitæ Romam cogerentur accedere, & in Papali Consistorio Pallium accipere. Certe Sanctus Gregorius VII. Pontifex Maximus Lib. I. Epistola XXIV. Veronensem Episcopum monuit, hanc esse prædecessorum suorum Legem: *Antecessorum nostrorum decrevit auctoritas, nisi præsenti personæ Pallium non esse concedendum*. Idipsum tradit S. Petrus Damiani Lib. VII. Epistola IV. ubi, ægre ferente Imperatrice Agnete Henrici II. Imperatoris conjuge, quod Coloniensi Archiepiscopo absenti negaretur Pallium, ait, perantiquam esse Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, ut Archiepiscopi Romam pergerent tanquam ad fontem, & originem summæ ejus potestatis sacræ, cujus perfectionem assequi cuperent: *Pontifices ex antiquæ traditionis usu ad Apostoloram debent limina properare, & hoc, sine quo Metropolitani esse non possunt, signum consummandæ suæ dignitatis accipere.*

III. Ne quis autem objicere possit, Pallium Roma sæpius missum in Provincias a Summis Pontificibus fuisse, respondet doctissimus idem S.R.E. Cardinalis, id tum fieri potuisse, cum erat in Provinciis Legatus Apostolicus, qui non ante Pallio Metropolitas indueret, quam diligentissimo eos examini subjecisset, accepissetque ab eis professionem indivulsæ suæ ad Sedem Apostolicam unionis: *Legati*, inquit, *vice Papæ eos examinabant*. Ita Siagrius Episcopus Augustodunensis Apocrisarii Candidi examen ante subierat, quam Pallium obtineret: *Nisi Candidum, qui Apocrisarii fungebatur officio, adiret, sicque accipiens Pallium, dignam in Legato suo, Romano Pontifici reverentiam exhiberet*. Laudat denique memoratus Scriptor Epistolam Damasi Papæ, qui Archiepiscopatus dignitate Metropolitanos spoliavit, siqui ultra tres menses post ordinationem suam moras necterent, nec professione Fidei facta, nec petito Pallio: *Papa Damasus hoc decrevit, ut quisquis Metropolitanorum ultra tres menses post ordinationem suam Romano Pontifici Fidem suam exponere, & Pallium flagitare distulerit, commissa careat dignitate*.

IV. Notat hæc Thomassinus laudata Parte I. Lib. II. Cap. LVII. ubi etiam varia exempla congerit complurium Metropolitarum, qui Pallii petendi gratia ad Urbem profecti sunt. Celebre est exemplum Guillelmi Tyriorum primi post captam Urbem Latini Archiepiscopi, de quo Guillelmus Tyrius historicus Lib. XIII. Cap. XXIII. ita scribit: *Prædecessor noster Dominus Guillelmus susceptio consecrationis suæ munere a Domino Hierosolymitano Patriarcha, ut Pallium acciperet, invito, & renitente eodem suo Consecratore Romam profectus est, ubi a Domino Honorio Papa Secundo benigne susceptus, quod petebat, obtinuit, cum multa honorificentia remissus ad propria*. Hierosolymæ Patriarcha erat Garmondus, inter quem, & Guillelmum orta est de jure dandi Pallium quæstio, Garmondo ad Patriarcham, Guillelmo ad Papam jus illud spectare contendente, quia scilicet, ut supra notatum est, rigidissima in Latina Ecclesia tunc temporis regula vigebat, ut nulli Pallium daretur absenti, ut testatur eruditissimus Lupus Tomo VIII. Operum, *De Africanæ Ecclesiæ Romanis appellationibus*, Cap. XII. Pag. 196.

V. Hinc defuncto Guillelmo in Tyriam Cathedram successit Fulcherius, Engolismensis apud Aquitanos Canonicus Regularis Sancti Augustini, de quo memoratus Guillelmus historicus Lib. XIV. ita scribit: *Fulcherius postquam a Domino Hierosolymitano Patriarcha Guillelmo suæ consecrationis munus accepit, exemplo Prædecessoris sui volens ad Romanam Ecclesiam pro obtinendo Pallio properare, ab eodem Patriarcha, & ejus complicibus est passus insidias, & violentiam, itaut vix, & cum multa difficultate manus eorum posset effugere, & ad Romanam Ecclesiam pro causa prædicta pervenire, sicut ex tenore literarum Papæ Innocentii manifeste deprehenditur*. Loquitur de Innocentio Papa II. cujus ad Guillelmum Patriarcham sic habent literæ: *Parum tibi visum fuit, quod venerabilem Fratrem nostrum Fulcherium, Tyrensem Archiepiscopum more Prædecessorum suorum pro susceptione Pallii venientem ad Romanam Ecclesiam, disturbare præsumseras, nisi erga eum a nobis redeuntem, te inhumanum, ac difficilem, & nimis asperum exhiberes?* Innocentius, ut notat Lupus, diligebat Fulcherium, quod, durante Petri Leonis Pseudopontificis schismate, fideliter, ac generose apud Aquitanos se gesserit, quippe qui a Gerardo Engolismensi Episcopo Petri Leonis fautore pertinacissimo vexatus Abbatiam suam derelinquere, in terram sanctam peregrinus abire, & in Templi ibi Monasterio subditus vivere maluit, quam homini schismatico adhærere. Proinde lis inter Patriarcham, & Papam tunc adhuc vigebat; sed Innocentius judicavit pro suo dilecto Fulcherio, adeoque & pro Sede Apostolica.

VI. At vero, ut alia exempla omittam, quibus probari luculentius possit necessitas adeundi Romam pro obtinendo Pallio, cum multæ in dies orirentur difficultates, ut minime Romam proficisci Metropolitis liceret, factum est tandem, ut lex illa, seu consuetudo ad Urbem pergendi pene exoleverit, quo tempore laborabatur quammaxime, ut ea disciplina religiose observaretur. Certe, ut scite docet Thomassinus loco citato, Cap. LVII. Num. V. §. *Ex quibus*, ejus legis, vel consuetudinis origo repetebatur ab Epistola Decretali, quam in Decretum suum Gratianus Distinctione c. & Ivo Carnutensis contulerunt, & quam Burchardus, & Anselmus, aliique plures frustra Damaso Papæ tribuunt, cum alias, ut notum est, potius Isidori Mercatoris suppositiitia Epistola sit. Atque inde est, quod toto Titulo VIII. Libri I. Decretalium, *De authoritate, & usu Pallii*, nec ullo usquam



Digitized by Google

usquam in verbulo innuitur necessitas emetiendi Romani itineris ad impetrandum Pallium, quamquam ibi expresse doceatur, a Metropolitano non posse mutuo dari, vel accipi Pallium, suum, vel alterius, nec successori delegari, sed eodem contumulari sepulcro.

VII. Itaque hodiernus is usus est, ut Metropolitani non cogantur Romam ire pro Pallio, sed illud per Procuratorem speciali mandato instructum postulent, & quidem cum instantia juxta illud S. Gregorii effatum apud Gratianum Can. II. Distinctione c. *Prisca*, inquit, *consuetudo obtinuit, ut honor Pallii, nisi exigentibus meritis, & fortiter postulantibus dari non debeat*. Quapropter Archiepiscopi Romæ præsentes per se ipsos, & si absentes, per Procuratorem petunt a Summo Pontifice in Consistorio Pallium, juxta illam petitionis formulam, *instanter, instantius, & instantissime*, de qua, sicut & de aliis ad eum ritum spectantibus hæc habet Augustinus Patricius Lib. I. Cæremonialis, Sectione X. Cap. V. *Cum aliquis Prælatus indiget Pallio, illud primo per quempiam ex Advocatis Consistorialibus Procuratorem ab eo ad hoc specialiter constitutum, a Summo Pontifice in Consistorio instanter, instantius, & instantissime petitur. Pontifex excluso Advocato, exquirit Patrum sententias, an dandum sit Pallium; deinde committit Priori Diaconorum, ut Pallium Prælato, vel ejus Procuratori assignet: expenduntur super ea re literæ Apostolicæ in forma consueta, & Prior Diaconorum Cardinalium imponit locum, & diem, ubi, & in quo Pallium consignare debeat. Id plerumque fieri solet in domo ipsius Cardinalis in sua Capella; interdum in Ecclesia S. Petri, & super majus Altare, & valde condecenter, maxime pro maximis Ecclesiis, & ultramontanis, & ita vidi servari a Reverendissimo Domino Cardinali Senensi, priore Diaconorum.*

VIII. Quamquam vero exempla non desint, quibus docemur, dari etiam consuevisse Pallium Archiepiscopo illud minime postulanti, uti in Sancti Bonifacii Germanorum Apostoli vita legitur apud Othlonum Lib. I. Cap. XXVI. ubi ait Gregorium III. Pontificem Maximum Bonifacio ipsi Archiepiscopatus Pallium, quod non petebat, direxisse, ut eo in solemni Missarum celebratione, & consecratione Episcoporum uteretur, ea nihilominus generalis regula fuit, ut illud nonnisi cum instantia postulanti concederetur, ut ex antiqua Ecclesiæ disciplina inter alios docet memoratus Patricius, qui ritum ipsum tradendi Pallium accurate describit, quemque operæ pretium ducimus hoc loco referre: *Statuta die Prælatus, si est præsens, vel ejus Procurator in absentia cum speciali mandato venit ad locum ordinatum. Adsunt, Dominus prior Diaconorum Cardinalium, & Subdiaconus Apostolicus cum ipso Pallio, qui Pallium explicat super medium Altaris. Prælatus, si præsens est, indutus super Rocchettum, sive Superpelliceum Planeta, genuflexus in gradu Altaris ante priorem Diaconorum, stantem in cornu dextro Altaris, ubi legitur Euangelium, petit sibi, dari, & consignari Pallium his verbis:* Ego N. electus Ecclesiæ N. instanter, instantius, & instantissime peto, mihi tradi, & assignari Pallium de Corpore Beati Petri sumtum, in quo est plenitudo Pontificalis officii. *Tunc Dominus prior Diaconorum accipiens Pallium de Altari, imponit illud super humeros Prælati genuflexi, dicens:* Ad honorem Omnipotentis Dei, & Beatæ Mariæ semper Virginis, atque Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, necnon Ecclesiæ N. tibi commissæ, tradimus tibi Pallium de Corpore Beati Petri sumtum, in quo est plenitudo Pontificalis officii cum Patriarchalis, *vel* Archiepiscopalis nominis appellatione, ut utaris eo intra Ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab Apostolica Sede concessis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. *Et illud cum Subdiacono aptat, non tamen infigit spinulas, & recipit illum ad osculum pacis. Demum Clericus Cæremoniarum extrahit illi Pallium, & advocatis testibus, rogat se de illo actu, plicat Pallium, & illud portat ad dictum Prælatum, vel illud reservat in loco sacro, quoad Prælatus recedat, & tunc dat illi Pallium cum publico instrumento.*

IX. Habent hæc quidem locum, ubi Prælatus Pallium peteret, si autem Pallium tradendum sit Procuratori in absentia Prælati, referente laudato Patricio, ita quidem servabitur Ritus: *Procurator indutus Superpelliceo genuflectat, ut de Prælato diximus, & petit Pallium, & jurat in hanc formam:* Ego N. Procurator, & Procuratorio nomine, & pro parte Reverendi in Christo Patris, & Domini, Domini N. electi Ecclesiæ N. instanter, instantius, & instantissime peto, mihi dari, & assignari Pallium de Corpore Beati Petri sumtum, in quo est plenitudo Pontificalis officii, & promitto illud reverenter portare eidem Reverendo Patri Domino N. nec pernoctabo in aliquo loco, nisi una nocte tantum, nisi præpeditus fuero legitime, & tunc in Cathedrali ipsius; etsi non fuerit Cathedralis, in Collegiata, etsi non fuerit Collegiata, in Parochiali Ecclesia remittam, & honorifice reponam. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Euangelia. *Diaconus autem Cardinalis accipiens Pallium de Altari imponit illud super humeros Procuratoris, dicens:* Ad honorem omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Domini nostri Papæ, ac sanctæ Ecclesiæ, assigno tibi Pallium de Corpore Beati Petri sumtum, in quo est plenitudo officii Pontificalis, cum Archiepiscopalis nomine appellatione, & pro parte Reverendi in Christo Patris Domini N. & Ecclesiæ N. ad quam electus est, ut eo utatur intra Ecclesiam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab Apostolica Sede concessis: *Et in fine Procurator osculatur illi manum, & rogat Clericum Cæremoniarum, & petit instrumentum. Clericus extrahit illi Pallium, plicat, & reportat, & conservat in loco sacro, quousque Procurator sit discessurus, & tunc dat illi Pallium, & instrumentum in publica forma.*

X. Eodem teste Patricio, ii, qui Pallium sunt accepturi, postquam illud fuit petitum in Consistorio, & concessum, componunt primum cum

Digitized by Google

cum Subdiaconis, qui Pallia tenent, quique accipiunt secundum valorem, & taxam Ecclesiæ, aliquando plus, aliquando minus pro centenario. Ait de ea exactione se varios usus vidisse, nihilque firmi statutum legi de quota exigenda, & addit: *Clerici Cæremoniarum, & ipsi ratione officii sui, & instrumenti mercedem suam exigunt etiam ad proportionem taxæ, & valoris Ecclesiarum, non tamen tantum, quantum Subdiaconi*. Et mox: *Solent etiam, qui Pallium accipiunt Diacono Cardinali duo bireta, & totidem suis Camerariis dono dare: antiquitus dabant, ut legi, vinum album, & species: portabant etiam duas faculas cereas, quæ ardeant super Altare, dum Pallium traditur, & sericum ad induendum Pallium, cum quo illud ad Ecclesiam suam deferunt*. Porro quum per Canonicos olim vigilarentur Pallia ad Confessionem S. Petri, consuevisse in eorum commodum de oblatis vinum optimum emi, testis est Maphejus Veggius Lib. III. *De mirabilibus Basilicæ Vaticanæ*, Num. LXXXV. apud Bollandianos Tomo VII. Junii, & apud eruditissimum Petrum Morettum in aurea, ac admirabili Lucubratione, *De Presbyterio*, Parte I. Sectione V. §. XIII. ubi Veggius ipse tempore Martini V. post exactam perbrevem Solemnitatis Vigiliarum historiam, desuetudinem ejus usus his plane verbis deplorat: *Accedebat aliud, quod nunc nescio, qua causa exolevit, non modicum hilaritatis, & lætitiæ monumentum. Nam perfectis divinis consolationibus, cum consolari corpora incipiebant, exhibebaturque omnibus abundanter optimum vinum optimis aromatibus conditum*.

XI. Hunc sui temporis usum apud memoratum clarissimum Virum Petrum Morettum ita describit Petrus Mallius: *Cum vigilamus Pallia, facimus solemnes vigilias, quas consuevimus cantare in Festo ejusdem* (S. Petri) *Apostoli, & de antiqua consuetudine habemus de Confessione abundanter optimum claretum*. Vinum erat claretum hocce *optimis aromatibus conditum*, ut explicabat supra Veggius, in eamque vocem plura jam notavimus nos in Commentariis nostris ad Romanum Pontificale. Videri tamen, & de ea re potest inter alios laudatus Morettus in Notis ad Mallii locum, ubi etiam scite observat vigilari etiamnum, vel benedici Pallia, sed diverso in aliquibus Ritu ab antiquiori, probatque ex celebri documento, quod Sacræ Vaticanæ Basilicæ Placidus Eustachius Ghezzius ejusdem primum Basilicæ, tum Sacri Apostolici Palatii Cæremoniarius anno MDCCXXII. dedicavit, in quo Benedictionem Palliorum faciendam in sacrosancta Basilica Vaticana in pervigilio SS. Apostolorum Petri & Pauli in signum præeminentiæ principalis ab antiquo Codice desumtam, & ad recentiorem praxim redactam describit apud eundem Morettum in Appendice III. ad memoratam Lucubrationem, *De Presbyterio*, Num. III. Pag. 337. & seqq. quam benedictionem nos etiam ad calcem hujus Commentarii describemus.

XII. Ad eruditionem sacri Pallii hisce notatis, de quo alias fuse disseruimus Tomo I. Romani Pontificalis ad Titulum XIV. *De Pallio*, nunc, ut ad §. nostrum deveniamus, consuetudo certe ab immemorabili tempore est, ut in tradendo Pallio extra Romanam Curiam, *Summus Pontifex uni, aut duobus Episcopis committat illius traditionem*. Ii ex præscripto non modo nostri Cæremonialis, sed & complurium Pontificalium, statuto die cum Electo convenire debent in Ecclesia Metropolitana, si commode fieri potest, vel in alia Ecclesia suæ Diœcesis, vel Provinciæ magis commoda, in qua Missarum solemnia peragantur, & facta communione per Celebrantem, non vero *completa Missa*, ut contra literam Cæremonialis tradit Castaldus Lib. I. Sectione X. Cap. X. Pallium in medio Altaris extensum reponetur, & serico, in quo involutum portatum fuit, coopertum. Puto equidem extendi tunc Pallium super Altare *post communionem Celebrantis*, quod scilicet jam prius super ipso Altari, complicatum positum fuerat; neque enim decet, ut res tantæ dignitatis alibi collocetur, quam in Altari, tum præsertim, quod, ut infra mox dicemus, is fuerit antiquus, ac laudabilis ritus, ut nempe primum ad Altare Pallium deferretur, quo quis ornari debebat. Finita demum Missa Episcopus, sive Commissarii a Papa delecti induti Amictu, Stola, Pluviali, & Mitra simplici sedentes ante Altare super Faldistoriis, aut aliis sedibus juramentum fidelitatis nomine Apostolicæ Sedis ab ipso Electo induto omnibus Pontificalibus paramentis præter Chirothecas, & Mitram, nisi prius illud præstitisse docuerit, exigunt juxta formam literarum Apostolicarum Sixti V. idest, juxta ipsius Pontificis Constitutionem XV. quæ incipit, *Romanus Pontifex*, de qua vide quæ scripsimus nos Tomo I. Romani Pontificalis ad Titulum XIII. in Commentario ad §. IX. Num. XIII. & seqq.

XIII. Quanta reverentia olim apud Latinos Pallium, quod ab Episcopo deferebatur in vase argenteo, ab Archiepiscopo susciperetur, diserte enarrat Eadmerus Lib. II. *Historiæ*, Cap. V. Pag. 34. & 113. ubi agit de ordinatione Anselmi Cantuariensis Episcopi: *Anselmus*, inquit, *Angliam ingressus Archiepiscopum adiit, a quo decenter susceptus, decenter est per plurimum tempus ab eo detentus. Die ergo Dominica, quæ fuit V. Kal. Julii, conveniunt in Metropoli Sede, Cantiæ Epitiæ Episcopi, & innumerabilis quaqueversum coacta hominum multitudo. Itaque juxta quod fuerat præordinatum, præfatus Anselmus Pallium in vase argenteo honorifice ferens Cantuariam venit, itumque est illi obviam usque ad portam Civitatis ab utroque conventu duarum Ecclesiarum, Archiepiscopatus scilicet, & vicinæ Abbatiæ Sancti Augustini cum omnibus, qui pro hoc ipso illo confluxerant. Pater stipatus Episcopis, & indutus, ut alii, vestibus sacris, nudis pedibus devotus occurrit. Sicque delatum super Altare Salvatoris Pallium est, & a Pontifice inde susceptum, facta prius Romano Pontifici de fidelitate, & Canonica obedientia professione. Deinde pro reverentia Beati Petri ab omnibus deosculatur, & indutus eo Pontifex summus, ad Cathedram Patriarchatus Anglorum gloriose deducitur*.



XIV. Plu-

XIV. Plura ex hac prolixa historia colligi possunt ad magis magisque illustrandam §. hujus nostri Rubricam. Sed audiamus quæso, quid de eadem re scribat Willelmus Malmesburiensis Lib. I. *De gestis Pontificum &c.* Pag. 220. *Data Anselmo*, inquit, *publice potestate, ut per totum Regnum Primatus sui jus exerceret libere, dies præfixa, qua Albanensis Episcopus cum Pallio Cantuariam veniret; venienti, & sacrum insigne in vase argenteo deferenti vulgo applausum. Ab Archiepiscopo nudipede, sed Sacerdotalibus vestimentis induto occursum: inde super Altare Domini Salvatoris Pallium assumtum Sacratus Pontifex humeris composuit, & ad divina celebranda processit.* Constat itaque ex dictis hucusque. I. Sacrum Pallium in vase argenteo delatum, super Altari collocatum fuisse. II. Pontificem, qui illud tradebat, sacris fuisse vestibus indutum. III. eum, qui illud ipsum accipiebat, facere prius debuisse Romano Pontifici de fidelitate, & Canonica obedientia professionem. IV. denique Pontificem, qui Pallium accepit, post ejus susceptionem Missæ Sacrificium celebrasse. Porro duo sunt, quæ in novo hoc §. addidit Benedictus XIII. ubi novum Cæremoniale Episcoporum edidit, ac probavit. Primum est, quod mandat, celebrandam quidem esse Missam, *sed diei propriam*. Alterum, decere *quammaxime, ut Episcopus, qui Pallium traditurus est, celebraret.*

XV. Non me latet, visum jam fuisse quibusdam, in VIII. Synodo generali habita anno DCCCLXX. Can. XVII. conflatum esse illud ferreum necessitatis vinculum, ut perperam ipsi loquuntur, quo Metropolitani non modo tenentur a Papa petere, & expectare Pallium, verum etiam eidem obedientiam profiteri, quod prioribus seculis inauditum fuerat. Verum, uti jam notavimus nos Tomo I. Romani Pontificalis ad Titulum XIV. *De Pallio*, in Commentario ad §. I. Num. V. labi omnino videntur ii Auctores Romanæ Apostolicæ Sedi invidentes, ac Primatus Maximorum Pontificum hostes; constat enim, hanc eandem obedientiæ professionem a S. Bonifacio apud Gallias, & Germaniam Apostolicæ Sedis Legato ante centum, & supra annos, quam VIII. Generalis Synodus celebraretur, invectam constitutamque fuisse in Concilio Gallicano: *Decrevimus in nostro Synodali conventu, & confessi sumus Fidem Catholicam, & unitatem, & subjectionem Romanæ Ecclesiæ fine tenus servare, Sancto Petro, & Vicario ejus subjici velle, Metropolitanos Pallia ab illa Sede quærere, & per omnia sancti Petri præcepta Canonice sequi.* Verba sunt memorati Bonifacii in Epistola CL. ad S. Ludbertum Archiepiscopum Cantuariensem. Supersedeo alia hic dicere de eo juramento in susceptione Pallii exhibendo a Metropolitanis, cum jam fuse de ipso disseruimus loco citato nostri Romani Pontificalis, Num. V. & seqq. ubi singulos ejus articulos enarravimus contra hostes Romanæ Ecclesiæ.

### BENEDICTIO PALLIORUM.

*Facienda in SS. Basilica Vaticana in pervigilio SS. Apostolorum Petri & Pauli in signum præeminentiæ principalis ab antiquo Codice desumta, & ad recentiorem praxim redactam.*

CUm Subdiaconi Apostolici, ad quos spectat cura Palliorum, opus habent aliqua Pallia benedici, ipsorum Decanus debet petere a Vicario dictæ Basilicæ, an velit ea benedicere; nam hoc ad ipsum pertinet, si est Episcopus, vel ad aliquem Episcopum ex Canonicis dictæ Basilicæ: præfatusque Decanus notum id faciet Canonico Altaristæ, ad quem spectat cura executionis hujusmodi benedictionis, qui hora præstituta in medio areæ marmoreæ, quæ est ante Confessionem B. Petri juxta cratem ex metallo qua ibi sub Altari majori munitur dicta Confessio, parare facit mensam in modum Altaris cum tali proportione, ut faciliter circumvallari possit, & eam mappa munda cooperire facit, & desuper ponere duo candelabra cum luminaribus accensis, & pro benedictione Stolam, Pluviale album, Mitram aurifrigiatam, librum benedictionis, instrumentum pro candela, thuribulum sine prunis, naviculam cum cochleari, & incenso, vas cum aqua benedicta, & asperforium, necnon ante abacum prædictum congrua servata distantia, sedem pro Episcopo super tapete, & in alio congruenti loco, sex Pluvialia alba pro Assistentibus. Dum in Choro cantatur Completorium, desumuntur Pallia in Sacristia ex manibus supradicti Decani in lance argentea, velo albo, & lucido cooperta, a Canonico Altarista, ac per eundem deportantur super Altare majus hoc ordine. Præcedunt duo Custodes cum baculis, deinde Canonicus Altarista (*a*) indutus Rocchetto, & Cotta, medio (*b*) inter duos Magistros Cæremoniarum, coadjuvantes ipsum in sustinendo pondere Palliorum, quæ deferuntur per eumdem in lance cooperta, ut supra. Cum pervenerit ante Altare majus, insimul ascendunt, & collo-

(*a*) Altarista idem qui Altararius, qui scilicet Altari deservit, cui assignari solent emolumenta, quæ proveniunt ratione Altaris, uti ex Bulla Urbani Papæ V. anni MCCCLXVIII. apud Wadingum ad ipsum annum Num. IX. *Te Altararium Altaris Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe usque nostrum placitum . . . . . constituimus, & etiam deputamus ibi recipiendi omnes, & singulas oblationes, obventiones, ac fructus redditus ad dictum Altare pervenientes . . . . . & generaliter omnia, quæ ad dicti Altariatus spectant Officium &c.* Teste Macryo habet Altarista Basilicæ Vaticanæ facultatem ab ipso Urbano V. & Innocentio VI. concessam, quod possit eandem Basilicam cum aqua ab Episcopo benedicta reconciliare quando per effusionem sanguinis, seu pollutionem ea violata fuerit. Idem præterea Auctor docet, verbo *Assistus*, e Beneficiatis fuisse Altaristam prædictæ Basilicæ, ejusque officium a Sixto Papa IV. assignatum Canonico, qui inter alias obligationes singulis diebus, vel saltem qualibet hebdomada visitare Altaria ejusdem Basilicæ tenetur, ut ex Bulla prædicti Pontificis apud Torrigium de Cryptis Vaticanis secundæ editionis Pag. 529. Ipsi quoque incumbit conservare Pallia ei ab Apostolico Subdiacono tradita, illaque in Vigilia SS. Apostolorum Petri & Pauli ad ipsorum Altare ponere, ubi condita ipsorum corpora quiescunt. Fidem tandem facit Episcopis eorumdem Apostolorum limina visitantibus.

(*b*) legendum forte *medius*.

Digitized by Google

collocant lancem super Altare in medio, &, facta in plano reverentia Altari, & Choro, discedunt. Expleto Completorio, ante dictum Altare majus solemniter decantantur vigiliæ per Episcopum benedicentem, qui necessario debet esse præsens dictis Vigiliis. Expleto Invitatorio, & Hymno, postquam Chorus sederit, incœpto primo Psalmo, unus ex Magistris cæremoniarum, invitatis Canonico Altarista, sex Beneficiatis, & totidem Clericis Beneficiatis, ducit illos, facta reverentia in medio, Episcopo, & Choro, ad Altare, &, cum pervenerint omnes prope infimum Altaris gradum linea æquali, Canonicus Altarista cum solis duobus senioribus Beneficiatis ascendit ad Altare, accipit lancem cum Palliis, adjuvantibus dictis duobus senioribus Beneficiatis assistentibus, & eam ante Confessionem sequenti ordine portat. Præcedunt duo Custodes cum baculis, deinde sex Clerici Beneficiati, servata anterioritate, postea Canonicus Altarista inter duos seniores Beneficiatos, sequentibus reliquis quatuor Beneficiatis, quorum seniores sint proximiores Canonico. Cum pervenerint ante Confessionem, omnes se collocant in linea æquali ante illam, & Canonicus Altarista ponit immediate dictam lancem super mensam inter candelabra, &, facta ab omnibus genuflexione, separatim discedunt. Completis in Choro vigiliis, dataque ab Episcopo in Altari benedictione, proceditur ad benedictionem Palliorum hoc processionali ordine. Custodes de more, Crux cum Acolythis, Cantores, Seminarium, reliqui de Choro, qui adesse velint, Assistentes parati cum Episcopo, & Ministris inservientibus. Descendunt omnes ante Confessionem. Minister de Cruce cum Acolythis se collocabunt ante Confessionem, & mensam, itaut respiciant faciem Episcopi. Cantores in uno angulo, Seminarium in altero, omnes alii de Choro hinc inde. Episcopus ibit immediate ante sedem cum Ministris paratis hinc inde, & deposita Mitra, omnes insimul facient genuflexionem, reassumtaque ab Episcopo Mitra, sedebit. Omnes Assistentes, depositis rubeis, accipiunt Pluvialia alba, & similiter Episcopus, depositis rubeis paramentis, accipit Alba cum Mitra, & sedebit. Omnibus sic paratis, & assistentibus prædictis Decano, & Canonico Altarista ad latera dictæ mensæ, Magister cæremoniarum discooperit totaliter Pallia, & Episcopus, deposita Mitra, surgit, & legit benedictionem Palliorum, sustinente Librum uno e Sacristis Chori, & instrumentum de lumine uno ex Assistentibus paratis, respondentibus Cantoribus ad ℣. & ad conclusionem Orationis; qua completa, Episcopus iterum sedet, accipit Mitram, ponit, & benedicit incensum de more, & deposita Mitra, accedit prope mensam, aspergit Pallia aqua benedicta in modum Crucis, & ter adolet incenso; quo facto, accipit Mitram, & interim Ceremoniarii extendunt velum super Pallia, & Episcopus surgens accipit ambabus manibus, adjuvantibus duobus Assistentibus paratis, lancem cum Palliis, & deponit eam super corpora Sanctorum Apostolorum, ibique remanent per totam sequentem diem, relicta crate ferrea aperta ratione solemnitatis. Deposita deinde Mitra ab Episcopo, omnes genuflectunt, & processionaliter discedunt.

Post Completorium sequentis diei discedit e Sacristia Canonicus Altarista cum Magistris cæremoniarum, & Custodibus, accedit ad Confessionem, ibique facta brevi oratione, & genuflexione, accipit lancem Palliorum e Corporibus SS. Apostolorum, & discoopertis aliquantulum a Magistro cæremoniarum, reportantur in Sacrorum custodiam, ponuntur super Altare Cappellæ Reliquiarum, & numerata coram Magistro cæremoniarum Sacri Palatii Apostolici clauduntur in capsula ferico ornata, clavis traditur dicto Apostolicarum cæremoniarum Magistro a Canonico Altarista, & capsula ponitur, & asservatur inter alias Reliquias.

Si supradicta benedictio facienda erit mane in festo SS. Apostolorum, deferenda erunt Pallia modo, quo supra, antequam incipiantur vigiliæ, supra illud Altare, ubi fiet Chorus, sive sit Altare majus, sive Chori, idemque observandum, si facienda sit benedictio in aliis diebus; dummodo sint ex solemnioribus, quamvis fiat officium per Canonicum hebdomadarium, sed cum assistentia in Choro Episcopi benedicturi Pallia. In hoc casu, quando vigiliæ non cantentur Pontificaliter, expletis Laudibus, Episcopus, comitantibus duobus Beneficiatis, seu Clericis Beneficiatis, cæremoniarum Magistro cum quinque Acolythis, & Custodibus, procedunt ad Confessionem, breviter orant; deinde Episcopus sedet, duo assistentes Beneficiati, seu Clerici Beneficiati accipiunt Pluvialia alba, Acolythi Crucem, & candelabra, Episcopus induitur per Assistentes paramentis Pontificalibus albis, & Mitra aurifrygiata, & fit benedictio, ut supra. Collocatis deinde super Corpora Apostolorum Palliis, ibique relictis, clauditur crates ferrea, & deposita Mitra, Episcopus, & omnes genuflectunt, & reassumta, vadit ad Sedem, deponit paramenta, sicut & Assistentes Pluvialia, & facta genuflexione, omnes separatim discedunt, & non fit processio.

Sequenti die post Completorium reportantur Pallia, & fiunt reliqua, ut supra.

BENEDICTIO PALLIORUM.

*Episcopus sine Mitra surgit, & manibus junctis dicit.*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

*OREMUS.*

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus &c.

XVI. Hactenus Palliorum Benedictio ex laudato Clarissimi Viri, ac de Republica Literaria optime meriti, amici nostri Petri Moretti Opere descripta, sed juxta correctionem in calce ejusdem Operis, *De Presbyterio*, notatam, ubi alia scitu digna invenies.

§. II.

Digitized by Google

## §. II.

Quo præstito surgent Episcopi, cum Mitris, & accipient de Altari Pallium, quorum senior illud super humeros Electi ante se genuflexi imponet, dicens: *Ad honorem omnipotentis Dei &c.* ut in Pontificali habetur. Quo facto, surget Patriarcha, vel Archiepiscopus cum Pallio, ascendet ad Altare, Crucem ante se habens, & detecto capite, populo solemniter benedicet, dicens: *Sit nomen Domini &c.* Deinde dimissis in Ecclesia, vel in Secretario paramentis, omnes recedent.

## COMMENTARIUS.

I. EX Romano Pontificali ad Titulum, *De Pallio*, ubi expletum est juramentum ab Electo, sive ab eo, qui accepturus est Pallium, Pontifex, qui ei illud est traditurus, in gremio suo Librum Euangeliorum ambabus manibus apertum tenens, inferiori parte Libri Electo versa, ab eo præstationem hujusmodi juramenti recipit, & Electo adhuc coram ipso genuflexo, ac utraque manu super Euangelii Libro apposita, & dicente, *Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Euangelia*, Pontifex respondet, *Deo gratias*. Tum juramento præstito, Episcopus, vel Episcopi surgunt cum Mitris, & accipiunt de Altari Pallium, quorum senior super humeros Electi ante se genuflexi illud imponet, dicens: *Ad honorem Omnipotentis Dei, & Beatæ Mariæ semper Virginis, ac Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, Domini Nostri N. Papæ, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, necnon Ecclesiæ N. tibi commissæ, tradimus tibi Pallium de Corpore Beati Petri sumtum, in quo est plenitudo Pontificalis officii cum Patriarchalis*, vel *Archiepiscopalis Nominis appellatione; ut utaris eo intra Ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab Apostolica Sede concessis. In Nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus✠ Sancti.* ℟. *Amen.*

II. Recitata hactenus formula est, quam vel olim Pontifex pronunciabat, quum Metropolitano Pallium imponeret, ejusque meminit Innocentius III. ut constat ex illius gestis a Bosqueto editis, ubi Pag. 64. sub hoc Titulo, *De forma dandi Pallium*, ea verba leguntur: *Ad honorem Dei &c.* quæ etiam extant initio Capitis IV. Lib. I. Decretalium, Tit. VIII. *De auctoritate, & usu Pallii.* Aliam similem formulam, uti nos jam notavimus Tomo I. Romani Pontificalis, Tit. XIV. in Commentario ad §. III. Num. I. ex Baronio refert Lantdmeter Lib. II. *De veteri Clerico*, Cap. XCVII. Aliam etiam adducit Goldastus, *De rebus Bohemiæ*, in Appendice Cap. I. Aliam quoque alii promunt. Multa quæ in superius descripta formula continentur, explicata invenies in ipso nostro I. Tomo Pontificalis Romani ad Titulum XIV. *De Pallio*; & infra in Commentariis ad sequentes Paragraphos hujus Capitis. Ceterum notandum illud hic superest, quod accepto Pallio surget mox

Digitized by Google

mox Patriarcha, vel Archiepiscopus, qui erat genuflexus, *ascendet ad Altare*; & si sit in propria Ecclesia, vel alia suæ Diœcesis, vel Provinciæ, uti in Romano Pontificali habetur, & notat Castaldus Lib. I. Sectione X. Cap. X. Num. VIII. *Crucem ante se habens, & detecto capite populo solemniter benedicet, dicens*: Sit nomen Domini &c. *Deinde dimissis in Ecclesia, vel in Secretario paramentis, omnes recedent*. Verbum illud, *vel in Secretario*, additum quidem fuit in hoc nostro Cæremoniali a Benedicto XIII. edito, ac probato, in aliis enim ante ipsum editis omnino desideratur. Certe olim nonnisi in Secretario consuevisse vel ipsos Romanos Pontifices sacris se induere, ac exuere paramentis, docent nos passim Ordines antiqui Romani a Mabillonio editi. In Ordine X. inter alia illud narratur, quod postquam Pontifex Ecclesiam sanctæ Crucis ingressus esset, intravit deinde cum Clero suo in Secretarium, *& abstracta Planeta cum Pallio*, in sede sua sedisse.

## §. III.

**Pallio autem utitur Archiepiscopus in singulis Ecclesiis Provinciæ suæ, non autem extra Provinciam, & dumtaxat dum Missam solemnem celebrat, præscriptis quibusdam diebus, qui in privilegiis Ecclesiæ Metropolitanæ exprimi solent.**

## COMMENTARIUS.

I. SOlum Romanum Pontificem in Missarum solemniis Pallio semper uti, & ubique, itemque in Processionibus, & Sessionibus Conciliorum, alios vero tum Patriarchas, tum Archiepiscopus eo nec semper, nec ubique, sed in Ecclesia sua, ac Patriarchatu, vel Provincia, certis tantum debere uti diebus, tradit quidem Innocentius III. relatus in Cap. IV. *De auctoritate, & usu Pallii*, ubi etiam rationem docet discriminis, quod ea in re inter Romanos Pontifices, ac ceteros Patriarchas, & Metropolitas versatur: *Sane*, inquit, *solus Romanus Pontifex in Missarum solemniis Pallio semper utitur, & ubique, quoniam assumtus est in plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis, quæ per Pallium significatur. Alii autem minores eo nec semper, nec ubique, sed in Ecclesia sua, in qua jurisdictionem Ecclesiasticam acceperunt, certis debent uti diebus. Quoniam vocati sunt in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis*. Romanos Pontifices jam non modo in Missarum solemniis, sed etiam in aliis Ecclesiasticis functionibus, in sacris scilicet Processionibus, & in Conciliis usos fuisse Pallio, demonstratum a nobis est Tomo I. Romanis Pontificalis Tit. XIV. in Commentario ad §. IX. Num. I.

II. Illud autem ab ipsis Pontificibus Maximis jam olim cautum fuit, ne Pallium extra Missarum solemnia, vel extra Ecclesiam suam alii gestarent, idque ex veteri Ecclesiæ consuetudine, quam indicat S. Gregorius Magnus Pontifex Maximus Lib. II. Epistola LIV. ad Joannem Archiepiscopum Ravennatem, sic scribens: *Illud, Frater carissime, tibi non putavimus ignotum, quod pene de nullo Metropolitano in quibuslibet mundi partibus sit auditum, extra Missarum tempus usum sibi Pallii vendicasse*. Et Lib. IV. Epistola L. ad Vigilium Arelatensem, *Pallium*, inquit, *transmisimus, quo Fraternitas tua intra Ecclesiam ad sola Missarum solemnia utatur*. Id quod etiam statutum postea fuit in Romana Synodo sub Joanne Papa VIII. a Viro clarissimo Luca Holstenio edita; Cap. III. *Quicumque Metropolitanorum per Plateas, vel in Litaniis*, idest in Processionibus, *uti Pallio præsumserit, & non tantum in præcipuis Festivitatibus, & ab Apostolica Sede indictis temporibus, ad Missarum solummodo solemnia, careat illo honore*.

III. Si verum est, quod scribit Flodoardus in Historia apud Baronium anno DCCCXLIX. Hincmarus Remensis Ecclesiæ Archiepiscopus pro suæ sanctitatis, ac sapientiæ reverentia per interventionem Lotharii Imperatoris Pallium ad quotidianum suscepit usum a Leone IV. Papa, a quo jam aliud acceperat in designatis sibi solemnitatibus debite fruendum; eumque quotidianum Pallii usum nulli unquam Archiepiscopo se concessisse, vel deinceps concessurum esse, idem Papa in Epistola tunc ad eum directa testatur. Verum commentitiam esse hujusmodi concessionem Joannes Bona S. R. E. Cardinalis Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XXIV. Num. XVI. perspicue demonstrat, ex Epistola XLVII. Nicolai I. Papæ ad ipsum Hincmarum, & ex ejusdem ad Nicolaum responso. Concessum olim S. Brunoni Coloniensium Antistiti ab Agapito II. Romano Pontifice Pallium, ut eo præter consuetudinem uteretur, quoties vellet, testatur in ejus Vita, Cap. XXIII. apud Surium die XI. Octobris Rogerus Monachus. Milo quoque in Vita S. Lanfranci Cantuariensis, Cap. XI. refert, Alexandrum II. Papam duo illi dedisse Pallia, unum quod de Altari accepit, alrum quod sua manu Pontifex ei porrexit, cum quo Missam celebrare solitus erat, in sui amoris indicium.

IV. Quam ob causam ex Ecclesiæ præscripto nonnisi inter Missarum solemnia uti Pallio Antistites possint, jam nos explicuimus memorato toties Tomo I. Romani Pontificalis Tit. XIV. in Commentario ad §. IX. ex testimonio Isidori Pelusiotæ Lib. I. Epistola CXXXVI. ubi ita inquit: *Id Amiculum*, Pallium scilicet, *quo Sacerdos humeris gestat, atque ex lana, non ex lino contextum est, ovis illius, quam Dominus aberrantem quæsivit, inventamque humeris suis sustulit, pellem designat; Episcopus enim, qui Christi typum gerit*,

Digitized by Google

*gerit, ipsius munere fungitur, atque ipso etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius, ac magni Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit.* Cum itaque ex recitato Isidori testimonio laneum Pallium perditam ovem significet, hæc autem reperta non est, nisi per cruentum Crucis Sacrificium, jure ac merito Episcopi Redemtorem nostrum, ac ovis portitorem, Christum Dominum repræsentantes, Pallium nisi in incruento Sacrificio Altaris uti non possunt; & si alicubi dicatur, uti posse Pontificem Pallio, cum Episcopos consecrat, vel Ecclesiam dedicat, intelligendum id censet Gonzalez in Cap. *Cum sis*, VI. *De auctoritate, & usu Pallii*, quia memoratæ functiones inter Missarum solemnia peraguntur.

V. Juxta §. hujus nostri Rubricam, uti potest Archiepiscopus Pallio *dumtaxat, dum Missam solemnem celebrat præscriptis quibusdam diebus, qui in privilegiis Ecclesiæ Metropolitanæ exprimi solent.* Qui sint hi festi dies, in sequenti Commentario explicabimus. Quod autem nefas sit Archiepiscopo Missas pro defunctis cum Pallio celebrare, constitutum id legimus non modo in Pontificalibus Libris ad Titulum, *De Pallio*, sed in Cap. *Tua nos, De auctoritate, & usu Pallii*, ubi refertur Honorii III. Epistola Decretalis ad Archiepiscopum Lugdunensem ita inter alia ajentis: *Quum etiam in tua Diœcesi non semper debeas celebrare cum Pallio, sed diebus illis dumtaxat, qui in Ecclesiæ tuæ privilegiis sunt expressi, soluta est quarta quæstio, qua quæsisti, an tibi licitum pro defunctis cum Pallio celebrare.* Ergo præcipua ratio, ob quam nequit Archiepiscopus uti Pallio, cum pro defunctis celebrat, illa profecto est, quia hujusmodi dies non reperiuntur expressi in forma traditionis Pallii, seu privilegiis Ecclesiæ concessis.

VI. Explicandum superest, quod alias initio §. hujus nostri edicitur, Pallio scilicet uti Archiepiscopum *in singulis Ecclesiis Provinciæ suæ, non autem extra Provinciam.* Id sane cautum est & in Pontificalibus Libris, ubi agunt de Pallio, & in sacris Canonibus, ac præsertim in Decretalibus, Tit. *De auctoritate, & usu Pallii*, ubi etiam Cap. V. consuetudo in contrarium ex Innocentio III. *dicenda sit potius corruptela.* Quod vero ibidem scriptum est, usum Pallii ubicumque concedi Archiepiscopis, id intelligi omnino debet, prout determinatur in Cap. I. Tit. eodem, idest, intra quamlibet Ecclesiam suæ Provinciæ, ubi Missarum solemnia celebraret, non vero extra Ecclesiam, ut puta in publicis supplicationibus, consessu, Comitiis, uti docet Azorius Parte II. Institutionum Moralium Libro III. Cap. XXXIV. Quæsito VII. & uti Doctores eum locum explicant. Ceterum ajunt alii, Synodum Tridentinam inhibentem usum Pontificalium in aliena Diœcesi absque consensu Ordinarii, inhibuisse censendam esse & usum Pallii.

## §. IV.

Quod si non reperiantur expressi, recurrendum erit ad communem consuetudinem, quæ est, ut eo utatur diebus infrascriptis, videlicet, Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, S. Stephani Protomartyris, S. Joannis Apostoli, & Euangelistæ, Circumcisionis, & Epiphaniæ Domini, Dominica in Ramis Palmarum, Feria quinta in Cœna Domini, Sabbato Sancto, Dominica Resurrectionis Domini cum duobus Festis sequentibus, Dominica in Albis, in Ascensionis, Pentecostes, S. Joannis Baptistæ, duodecim Apostolorum Festivitatibus, in Festo Corporis Christi, quatuor Festivitatibus Gloriosæ Virginis, idest, Purificationis, Annunciationis, Assumtionis, & Nativitatis, in Festo omnium Sanctorum, in Dedicationibus Ecclesiarum, in principalibus Festivitatibus Ecclesiæ Metropolitanæ, in Ordinationibus Clericorum, consecrationibus Episcoporum, Abbatum, & Virginum, in diebus anniversariis Dedicationis Ecclesiæ principalis, & Consecrationis suæ. Aliis autem diebus in privilegiis non expressis, vel inter prædictos non comprehensis, Archiepiscopus si voluerit in Pontificalibus celebrare, uti non debet Pallio.

## COMMENTARIUS.

I. NOtavimus jam quoque & istud Tomo I. Romani Pontificalis Tit. XIV. in Commentario ad §. X. variis temporibus varios assignatos fuisse Pallii gestationi dies. Adrianus II. Pontifex Maximus in suis ad S. Arctardum Episcopum Namnatensem literis, ubi ei Pallium largitus est, paucos hosce tantum dies expressit, quibus ei sacro illo ornamento uti liceret: *Fraternitati tuæ*, inquit, *Pallium ad Missarum solemnia tantum celebranda concedimus, in die dumtaxat sanctæ, & venerandæ Domini nostri Jesu Christi Resurrectionis, ac Nativitatis, seu Ascensionis die, & in Assumtione Beatæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ, seu in Natalitiis Beatissimorum Apostolorum, sive in Nativitate S. Joannis Baptistæ, necnon & in Natali S. Christi Confessoris Martini die, verum etiam & in ordinationis tuæ natalitio concedimus die, sicut*

Digitized by Google

*sicut a Beatissimo prædecessore Gregorio sancitum est*. Scribit Nicolaus I. Epistola XXXIX. ad Rodulphum Archiepiscopum Bituricensem, quod *Pallio Apostolico in Cœna Domini uti illis solis est licitum, quibus est ab Apostolica Sede permissum*. Quia scilicet tunc dies iste nondum erat inter ordinarios assignatus.

II. Si alias veterum Pontificum literas evolvamus, miram de iis diebus, in quibus Pallium gestari debeat, varietatem inveniemus, uti videre est in Alexandri II. ad Petrum Archiepiscopum literis, & in aliis, quas Urbanus II. ad Eliam Archiepiscopum Bracharensem, & Innocentius II. ad Alberonem Leodiensem Episcopum miserunt. Ergo Alexandri literæ hæc habent: *Pallium autem Fraternitati tuæ ex more ad Missarum solemnia celebranda, sicut Antecessoribus tuis concessum est, concedimus, videlicet, in Natali Domini, Epiphania, Cœna, Pascha, Ascensione, Pentecoste, Natali S. Joannis Baptistæ, Natali Apostolorum Petri, & Pauli, & quatuor Festivitatibus S. Mariæ, scilicet, Nativitate, Annunciatione, Purificatione, Assumtione, & duobus Festis S. Angeli, sic pro Natalitiis quoque duodecim Apostolorum, Natali S. Gregorii, & Sanctorum Sergii, & Bacchi, & Festivitate omnium Sanctorum, atque Natali tuo, & quoties ordinationem, vel consecrationem Ecclesiarum celebraveris*. Ubi nota, nonnullas Sanctorum Festivitates in hisce literis recenseri, quæ in aliis desiderantur; respiciebant enim Pontifices, ubi Pallium concedebant, ad variam Ecclesiarum disciplinam, ubi solemni ritu Sanctorum quædam Festivitates peragebantur.

III. Hinc Urbanus II. nonnullos ex memoratis ab Alexandro dies omittens, alios addit, ubi ad Eliam Bracharensem Archiepiscopum scribens, Pallium misit: *Propterea*, inquit, *Fraternitati tuæ Pallii usum ex more concedimus, ut eo inter Missarum solemnia certis dumtaxat Festivitatibus utaris, videlicet, Nativitate Domini, S. Stephani, Epiphaniæ, Cœnæ Domini, Resurrectione, Ascensione, Pentecoste, Navitate S. Joannis Baptistæ, Natalitiis Apostolorum, & Festivitatibus S. Nicolai, & Sabini, Festivitate omnium Sanctorum, in annua ordinationis tuæ die, in ordinatione Episcoporum, seu ceterorum Clericorum, in consecratione etiam Ecclesiarum, in translatione etiam Domini Confessoris Nicolai*. Ecce & hic quidam dies Archiepiscopis omnibus communes, alii vero speciales, ac proprii uniuscujusque Ecclesiæ.

IV. Literas quas anno MCXXXVI. Innocentius II. ad Alberonem II. Leodiensem Episcopum misit, recenset Chapeauvillus in Gestis Pontificum Leodiensium Tomo II. Pag. 99. suntque hujusmodi: *Et quoniam tanquam Aaron ad Pontificalis dignitatis fastigium divina gratia te vocatum confidimus, & loco Moysi ad regendum Christianum populum per Dei providentiam es constitutus, eorum quoque dignitatis te participem constituimus, & usum Rationalis, postquam in Episcopum consecratus fueris, Personæ tuæ concedimus, statuentes, ut eodem sacro ornamento intra Ecclesiam dumtaxat his diebus utaris, qui in præsentis scripti serie præscribuntur, idest, Cœna Domini, Pascha, Ascensione, Pentecoste, in Festo B. Joannis, in solemnitatibus Apostolorum Petri & Pauli, Assumtione B. Mariæ, in Festo Beati Lamberti, omniumque Sanctorum, Natali Domini, in Octavis ejusdem, & Epiphania, in Purificatione B. Mariæ, in dedicationibus Ecclesiarum juxta tuam Parochiam, & ordinationibus Clericorum, & in anniversario die dedicationis Leodiensis Ecclesiæ*. Hactenus Innocentii II. Papæ Epistola, seu Diploma, quo Pallii usum certis præscriptis diebus Episcopo Leodiensi concessit.

V. Duo in hoc Diplomate adnotanda sunt, ac primum quidem, Pallium, *Rationale*, ab Innocentio II. appellari, & quidem non sine veterum exemplo, atque auctoritate, uti constat ex veteri Missa Illyrici, ubi legitur precatio ad *Rationale* induendum. Rationale autem idem esse ac Pallium, pluribus docent Dufresnius in suo mediæ, & infimæ Latinitatis Glossario, & eruditus Georgius, *De Liturgia Romani Pontificis*, Lib. I. Cap. XXV. Num. VIII. & seqq. ubi inter alia Lucium Papam III. laudat, qui Pallium memorans, *Rationalis* vocabulo utitur; nam in Diplomate dato anno MCLXXXII. Guillelmo Archiepiscopo Montis regalis in Sicilia super usu Pallii, inter cetera hæc monet: *Fulgeat in pectore tuo Rationale judicii cum Superhumeralis notione conjunctum*: quæ verba, ut idem notat Georgius, repetuntur a Clemente Papa III. in Diplomate eidem dato anno MCLXXXVIII. ac item in Diplomate Innocentii III. Papæ anno MCXCVIII. additque tum demum memoratus Auctor de re liturgica optime meritus, atque egregie ostendit ex veterum monumentis, Pallium ipsum dici etiam *Superhumerale* consuevisse. Id quod etiam nos jam notavimus nostro I. Tomo Pontificalis Romani ad Titulum XIV. *De Pallio*. Sed audiamus Durandum, qui Lib. III. Cap. XVII. Num. I. utrumque vocabulum ita explicat: *Per Pallium, simul utrumque, & Superhumerale, & Rationale legalis Pontificis intelligimus. Quia enim super utrumquo Pontificis humerum jacet, Superhumerale, sive* λογίον *dicitur; quia vero inde descendens in ipso Pontificis pectore jungitur, Rationale vocatur*.

VI. Alterum quod in recitato Innocentii II. Diplomate adnotandum superest, illud profecto est, consuevisse olim ex peculiari privilegio Romanorum Pontificum concedi Pallium non modo Metropolitis, sed etiam aliis Episcopis. Multa ejus rei exempla legere est in Epistolis S. Gregorii Magni, Pontificis Maximi Lib. V. Epistola VIII. Dono Messanensium apud Siculos novello Episcopo, ita quidem scribit: *Pallii usum prævidimus concedendum, illis videlicet temporibus, atque ordine, quibus Decessorem quoque tuum esse usum non ambigimus*. Non dicit: *Decessores*, sed *Decessorem*, ut ostendat, in ea Ecclesia illum primo habuisse Pallium, uti notat Lupus Tomo VIII. Operum, *De Africanæ Ecclesiæ Romanis appellationi-*



Digitized by Google

*tionibus*, Cap. IX. ubi alia ejusdem S. Gregorii loca affert, quibus docet, transmissum olim fuisse Pallium a Sede Apostolica Episcopis Provincialibus. Quidquid enim aliqui dicant, Sicilia usque ad Leonis Isauri Imperium nullos habuit Metropolitas, quia scilicet omnes ejus Episcopi suffraganei erant Romanæ Metropolis. Porro occurrunt in Historia Ecclesiastica varii Episcopi, *qui ex indulto Apostolico, Pallio utuntur, ut Lucensis in Thuscia, Papiensis in Lombardia, Bambergensis in Germania &c.* Verba sunt Augustini Patricii Lib. I. *Sacrarum cæremoniarum SS. Romanæ Ecclesiæ*, Sectione X. Cap. V. Novissime etiam a sanctæ memoriæ Clemente XII. Pontifice Maximo Aretini Episcopi Pallio donati sunt.

VII. Sed ut ad dies revertamur, quos ad varios Metropolitas scribentes, pro varietate Ecclesiarum Romani Pontifices gestationi Pallii assignarunt, omissis aliis monumentis, quæ laudari possent, celebre est illud, quod extat in Gestis Innocentii Papæ III. ab erudito Bosqueto editis, ubi fol. 64. hæc legitur forma tradendi Pallii: *Ad honorem Dei Omnipotentis, & Beatæ Mariæ Virginis, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Domini Papæ Innocentii, & Romanæ Ecclesiæ, necnon & Ecclesiæ tibi commissæ, tradimus tibi Pallium de Corpore Beati Petri sumtum, in signum videlicet plenitudinis Pontificalis officii, quo ad Missarum solemnia intra Ecclesias tibi subjectas utaris in Nativitate Domini, Festivitate Protomartyris Stephani, Circumcisione Domini, Epiphania, Dominica in Ramis Palmarum, Cœna Domini, Sabbato Sancto, Pascha, Ascensione Domini, Pentecoste, tribus Festivitatibus sanctæ Mariæ, Natali S. Joannis Baptistæ, solemnitatibus omnium Apostolorum, commemoratione omnium Sanctorum, Dedicationibus Ecclesiarum, consecrationibus Episcoporum, ordinationibus Clericorum, Ecclesiæ tuæ principalibus Festivitatibus, anniversario consecrationis tuæ die.* Alios his etiam dies adjungit, aliosque detrahit hucusque enumeratos Durandus Lib. III. Rationalis, Cap. XVII. ubi etiam notat, quosdam etiam addere *dies Dominicas, quæ ad Resurrectionem pertinent, quod tamen in usu non est.*

VIII. Extat in Romano Pontificali ad Titulum, *De Pallio*, dierum enumeratio, quibus Pallio, uti licet, eique concinit hic §. noster, in quo tamen gestationi Pallii assignantur etiam dies quibus Abbates benedicuntur, de quibus alias in ipso Pontificali nulla fit mentio. Quicquid sit de ea diversitate, cuivis Archiepiscopo suum privilegium inspiciendum est, juxta monitum Honorii Papæ III. qui ad Archiepiscopum Lugdunensem, sive Trisbelitanum, ut in sexta Decretalium Collectione legitur, ita rescripsit: *Diebus illis dumtaxat, qui in Ecclesiæ tuæ privilegiis sunt expressi.* Vide hoc Honorii effatum in Cap. *Tua nos.* VII. *De auctoritate & usu Pallii.* Vide etiam, quæ de diebus hisce diximus nos nostro Tomo I. Romani Pontificalis, Tit. XIV. *De Pallio*, in Commentario ad §. X. ex quo plura desumsimus ad explicandam §. hujus nostri Rubricam.

IX. Sciendum insuper, aliquando ex speciali Romani Pontificis privilegio, Pallii usum absque ulla dierum limitatione, sed ad utentis libitum fusse concessum. Id sane constat ex Actis S. Brunonis Coloniensis Episcopi, ubi ita legimus: *Legatus Roma rediens bonum nuncium ferre acceleravit, portans sacrum habitum ab universali Pontifice missum, prætendentem jugum Domini suave, & onus ejus leve, & ipsum, quod sub eo dispensatur, humile ministerium, quod verba Domini testantur dicentis:* Qui major est vestrum, erit minister vester. *Ferens simul Reliquias de proprio Corpore S. Pantaleonis Martyris, & privilegium Apostolicæ sublimitatis auctoritate traditum, quo & eodem Pallio præter consuetudinem Sacerdos Domini, quoties vellet, indui permissus.*

## §. V.

Quando autem Pallium imponitur Archiepiscopo, semper imponitur super Planeta; itaut pars duplex Pallii ponatur super sinistrum humerum. Modus autem impositionis Pallii, & trium spinularum gemmatarum, quæ in illud infiguntur, exponitur in Capite VIII. Libri II.

## COMMENTARIUS.

I. QUum, uti superius ostensum est, Pallio utantur Archiepiscopi dumtaxat dum Missarum solemnia celebrant, jam quando illud imponitur, *semper imponitur super Planeta.* Summos etiam Pontifices, qui in plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis semper, & ubique Pallio utuntur, quum in Processionibus incedebant, indutos fuisse Pallio, addiscimus ex Ordine Romano X. una cum aliis compluribus a Mabillonio edito, Num. XIII. ubi diserte habetur, in Processione Feriæ sextæ in Parasceve, quæ a Lateranensi Basilica ad Ecclesiam sanctæ Crucis fiebat, Pallio super Planeta indutum fuisse Pontificem; præscribit enim memoratus Ordo, ut postquam Pontifex ipse sanctæ Crucis Ecclesiam ingressus est, *cum Clero intret Secretarium, & abstracta Planeta cum Pallio sedeat in sede sua &c.* Eadem confirmantur in Ordine Romano XII. Num. XXVIII.

II. In Conciliis quoque consedisse Romanos Pontifices Pallio super Casula, seu Planeta indutos, constat ex Actis Concilii Barensis, quod celebratum fuit anno Christi MXCVII. Sic enim inquiunt de Urbano Papa II. qui ipsi Concilio interfuit:

Digitized by Google

terfuit: *Ut ergo ventum ad Concilium, Apostolicus ante Corpus S. Nicolai constratum tapetibus, & palliis, ipse Casula cum Pallio amictus, Tribunal ascendit, ceteri cum Cappis sedebant*. Gregorium quoque x. interfuisse Sessionibus Concilii II. Lugdunensis Oecumenici, quod habitum fuit anno MCCLXXIV. cum ornamentis Pontificalibus, ac præsertim Pallio, *sicut si esset Missam celebraturus*, ejusdem Concilii Acta testantur. Extant Romæ in compluribus Ecclesiis antiquæ variæ Imagines musivi operis Romanorum Pontificum, qui super Planetam Pallium gestant. Varias id genus figuras affert in suis veteribus monumentis Ciampinus eruditissimus.

III. Ad ritum quod attinet induendi Pallium, *semper imponitur super Planeta, itaut pars duplex Pallii ponatur super sinistrum humerum*. Sed præstat ritum ipsum describere ex Libro II. Cap. VIII. §. XX. ubi ita legimus: *Si Episcopus Pallio uti possit, & eo die uti conveniat, affertur per aliquem Subdiaconum ex Altari ambabus manibus, velo aliquo supposito, quod Diaconus capiens Episcopo offert osculandum in Cruce posteriori; & advertat, dum illud capit, ut partem duplicem Pallii capiat dextera manu, simplicem vero sinistra, & dum illud imponit, Subdiaconus manu dextera elevat partem, quæ a tergo pendere debet, illudque aptant, ut humeros Episcopi æqualiter ambiat, & pars duplex Pallii ponatur super sinistro humero Episcopi. Quo facto, idem Diaconus capit unam ex tribus spinulis per aliquem Acolythum allatis; videlicet pulcriorem, eamque infigit Cruci anteriori Pallii ante pectus existenti, aliam in Cruce sinistri humeri, tertiam Subdiaconus infigit Cruci posteriori, quæ omnia ita infigantur, ut tertio transeat per Crucem, in qua sint oceli tres, sive ansulæ tres sericæ, ejusdem coloris nigri, ita tamen, ut nec Crucem, nec Pallium perforent, neque Planetam tangant, & gemmæ spinulis appositæ, remaneant ad dexteram infigentis*. Hactenus §. XX. Cap. VIII. Lib. II. ubi nos suo loco nonnulla observabimus.

IV. Eadem ferme quoad Pallii infixionem minute ac diligenter statuuntur in Præfatione Missæ ms. Codicis, qui Romæ in Bibliotheca Cardinalis Imperialis asservatur, teste Georgio Lib. I. *De liturgia Romani Pontificis*, Cap. XXV. Num. VII. ubi ex ipso ms. Codice Ritus induendi Pallium ita describitur: *Diebus autem, quibus Archiepiscopus utitur Pallio post alias sacras vestes, præsentato sibi Pallio, osculatur ipsum in posteriori Cruce. Deinde Ministri Pallium Pontifici imponentes, attendant, quod illa pars Pallii, quæ duplex est, veniat supra sinistrum humerum, & sic imposito, infigant spinulas, videlicet unam in Cruce anteriori, aliam in Cruce super sinistrum humerum, tertiam in Cruce posteriori. Istæ autem spinulæ sic infigendæ sunt, quod quælibet tertio transeat per Crucem, cui infigitur, & quarta vice acumen spinulæ infigatur Pallio ultra Crucem. Proviso, quod nulla spinula perforet Pallium, & nullo modo acumen ejus tangat Planetam. Proviso etiam, quod cujuslibet spinulæ caput, in quo est, sit ad dexteram infigentis spinulam. Deinde sic aptetur, quod Crux anterior sit ante pectus super aurifrisum, postea trahatur Pallium ad dexteram, & sinistram partem humerorum, sic quod per brachia descendat, quasi ad medium inter armum, & cubitum. Et quotiescunque necesse est, debet juxta modum positum reaptari*. Eadem ferme sunt, quæ paulo superius ex Libro II. nostri Cæremonialis descripsimus.

V. Pallii forma juxta hodiernum morem, ut ipsam describit Marcus Paulus Leo Societatis Jesu Presbyter, *De auctoritate & usu Pallii Pontificii*, Cap. II. Num. XVII. *est longitudinis novem palmorum, latitudinis vero quadrantis palmarii, quæ per humeros, & brachium, veluti torques aurea circumvoluta conduplicat sinistram circuli medietatem illa sui parte, quæ a dexteris humero, & brachio descendit, necnon utraque sui extremitate palmarum mensuram paulo excedente, veluti duabus lineis deorsum tendentibus secat, sinistra nimirum extremitate ante pectus, dextera vero post terga æqualiter dimidiando circularem Pallii superficiem*. Non absimilis est hodierni Pallii descriptio apud Nicolaum de Bralion in Tractatu, *De Pallio Archiepiscopali*, Cap. I. sed quod non præstitit Leo Jesuita, sapienter monet, aliam fuisse antiqui Pallii figuram, idque ostendit Cap. III. ibidem, ubi sermonem habet de antiqui Pallii forma. Variam illam fuisse variis temporibus usque ad Sixtum IV. Pontificem Maximum, luculentissimis ostendit munumentis doctissimus Georgius Lib. I. *De Liturgia Romani Pontificis*, Cap. XXV. Num. V. ubi ait utramque olim lineam, seu fasciam Pallii, anteriorem scilicet, ac posteriorem, quæ *vitta* dicitur a Brunone Episcopo Signiensi in Libro, *De sacramentis Ecclesiæ &c.* longam fuisse, & pertinxisse usque ad extremitatem Planetæ, quæ, uti notum est, priscis temporibus talaris erat.

V. Demum, ut idem Auctor observat, decurtari Pallium admodum cœpit Sixti IV. ætate, nam per ea tempora Augustinus Patricius Episcopus Pientinus, & sacrarum Apostolicarum cæremoniarum Magister operam dabat continuando Libro sacrarum Cæremoniarum, quibus Romani Pontifices uti consueverunt, quem anno Christi MCDLXXXVIII. exaratum Innocentio VIII. inscripsit, ac deinde typis mandavit Christophorus Marcellus Corcyrensis Antistes anno Jesu Christi MDXVI. Patricius ergo Lib. I. Sectione X. Cap. V. *De Pallio & quomodo traditur*, postquam verba fecit de agnis, ex quorum lana Pallia conficienda sunt, hæc habet: *Ex his agnis lana tondetur, quæ mixta cum alia lana alba, & pariter munda reducitur in filum, ex quo Pallia hujusmodi contexuntur latitudine digitorum trium redacta in orbem, itaut humeros Præsulum ambiant a pectore & renibus. Particulam pendentem habet Pallium longitudinis palmi, & in extremitatibus laminas plumbeas tenues ad parem latitudinem, in fine orbiculatas, nigro serico tectas, insutas supra pendentes particulas ante, & post, & super humeros utrosque*. Hinc in sepulcrali monumento



Digitized by Google

Sixti IV. intra Sacellum SS. Sacramenti ad Vaticanam Basilicam, ubi translatum fuit illius corpus, superposita tumulo effigies ejusdem ænea anaglypho opere elaborata anno MCDXCIII. lineam Pallii anteriorem habet, vix longitudinem palmi unius superantem.

VI. Ceterum ante Sixtum IV. sepulcrales figuræ Urbani VI. & Bonifacii IX. Pallium exhibent cum fascia usque ad mediam tibiam, uti videre est apud Ciacconium Tomo II. Pag. 632. & 696. Effigies similiter sepulcralis Martini Papæ V. quæ extat in Basilica Lateranensi, & apud eundem Ciacconium delineata Pag. 819. profert Pallii lineam ad extremam Planetæ oram declinantem. Brevior quidem est Pallii fascia in Sepulcro Eugenii IV. sed imperitiæ, & vitio sculptoris id tribui jure potest, quum, ut scite notat laudatus Georgius, *lineæ in Palliis Nicolai V. Callisti III. & Pauli II. post Eugenium Romanorum Pontificum, ad mediam tibiam, & ad extremam Planetæ partem descendant*. Trium horum Pontificum sepulcrales imagines videri possunt apud memoratum Ciacconium citato Tomo II. Pag. 969. 989. & 1092. Sane is postea invaluit usus, ut aliorum Pontificum figuræ sepulcrales non jam Planeta, & Pallio, sed Pluviali induti repræsententur, & quidem sine Pallio, quia, ut superius notatum est, ornamentum illud Pontificale, non aliis sacris vestibus, sed super Planeta imponi debet. Unde corrigendus est error Pictorum, qui sanctos Archiepiscopos, contra Ecclesiasticum ritum pingere solent cum Pluviali & Pallio, & aliquando etiam cum Pallio super Monastico habitu, quem juxta institutum, quod ante Pontificatum professi fuerunt, gestabant. Sed in hujusmodi errores, iisque etiam graviores frequenter Pictores incidunt.

## §. VI.

Electi vero ad Patriarchales, vel Metropolitanas Ecclesias, non ante Patriarchæ, vel Archiepiscopi appellari possunt, quam Pallium receperint, sed nec translati de una Ecclesia Metropolitana ad aliam uti possunt Pallio sui Prædecessoris defuncti, nec translati, sed opus est, ut iterum pro nova Ecclesia petatur, & habeatur novum Pallium; nec interim ipsis Electis licet Pontificalia munia exercere.

## COMMENTARIUS.

I. PUto equidem rem me gratam facturum Lectori Ecclesiasticorum Rituum curioso, si nonnulla hic repetam ad §. hujus intelligentiam, quæ alias jam explicuimus Tomo I. Romani Pontificalis Tit. XIV. in Commentario ad §. V. cui plane concinit hujus §. præsentis Rubrica. Sic autem ille inquit: *Et quia Pontificalis officii plenitudo confertur per Pallium, antequam obtinuerit quis Pallium, licet sit consecratus, non sortitur nomen Patriarchæ, Primatis, aut Archiepiscopi, & non licet ei Episcopos consecrare, nec convocare Concilium, nec Chrisma conficere, neque Ecclesias dedicare, nec Clericos ordinare, etiamsi Pallium in alia Ecclesia habuisset, cum oporteat petere novum Pallium*. Fateor, nullibi usquam reperiri prioribus Ecclesiæ seculis, ut a Pontificali nomine, ac munere suspenderentur Metropolitæ, Primates, Patriarchæ, antequam Pallium recepissent; etsi enim in Pallio contineri dicatur plenitudinem Pontificalis officii cum Archiepiscopalis nominis appellatione, nequaquam id tamen hoc sensu accipiendum est, ut Pallium ipsum aliquam re vera potestatem accipienti tribuat, sed potius referendum ad jus positivum, ac consuetudinem multis jam seculis receptam, atque probatam, in quam ultro ipsi profecto Archiepiscopi venere, quæque deinde facta est illis necessitas, ut ante illius Pallii receptionem, nec functiones suas obire, nec Archiepiscopi nomen, vel Primatis, aut Patriarchæ assumere queant.

II. Itaque perperam dolet, queriturque Edmundus Richerius in Historia Concilii VIII. Num. XII. ubi reflectens ad juramentum in receptione Pallii præstandum, atque ad subjectionem accipiendi Pallii, quo Metropolita sacras functiones Pontificales obire queat, statim in hæc injuriosa Apostolicæ Sedi verba prorumpit, *quod primitus in honoris, ac dignitatis indicium, ac notam tribuebatur, tum demum in onus gravissimum transiisse, itaut Curia Romana prohibeat Archiepiscopis ea obire munia, ad quæ jure divino tenentur, antequam Pallium acquisierint: quod tamen est res pure cæremonialis, nihil ad potestatem Episcoporum conferens*. Est & ejusdem sententiæ Vanespen Parte I. universi juris Ecclesiastici, Tit. XIX. Cap. V. Num. XIV. ubi Richerii verba affert tamquam egregii Ecclesiæ Doctoris gravamen illud a sede Romana Archiepiscopis impositum deplorantis.

III. Sed potissimum Richerio succinit Petrus de Marca, qui per illius vestigia gradiens in suo, *De concordia Sacerdotii, & Imperii*, Tractatu, inter alia dicere & ipse non veretur, Romanam Ecclesiam per eam Pallii accipiendi necessitatem, quo Pontificalia munia Metropolitani obire possent, antiquam illorum libertatem infregisse En verba illius: *Optabant sane olim Summi Pontifices, ut omnes Metropolitani, qui ad eorum Patriarchatum pertinebant, aliquid confirmationis genus a Sede Apostolica acciperent. Verum quia ubique receptum erat, consecrationes fieri posse extra Italiam absque eorum consensu, vim ei legi palam adferre noluerunt, sed Metropolitanos rei cujusdam novæ miraculo velut obstupefecerunt, quæ*

Digitized by Google

*quæ in initio magnifica, paulatim tamen antiquam eorum libertatem per cuniculos infregit, & Synodorum Provincialium auctoritatem pessumdedit. De Pallii usu loquor, cujus origo cum sit satis vetusta, effectus tamen ejus, & cetera, quæ nunc usurpantur, antiquitati prorsus ignota fuere &c.* Ita ille, cujus complures, & quidem insignes errores notavit jam, confutavitque de Ecclesia Romana optime meritus, doctissimus Scriptor Christianus Lupus Tomo VIII. Operum, *De Africanæ Ecclesiæ Romanis Appellationibus*, Cap. VIII.

IV. At vero hallucinari Richerium, ejusque assecias, eo eo patet, quod, uti superius jam diximus, non primum eam necessitatem, onusque, ut ajunt, gravissimum Roma Metropolitanis imposuit, eorumque libertatem infregit, sed ipsi Metropolitani se ultro consuetudini huic, vel Legi subjicere, non exercendi scilicet aliqua munia Pontificalia antequam Pallium acquisissent, uti ingenue fatetur, fuseque ostendit Thomassinus, Parte I. *Disciplinæ*, Lib. II. Cap. LVII. Num. VI. & IX. & Christianus Lupus loco cit. Cap. XI. Sane scripsit jam olim Paschalis Papa II. ad Archiepiscopum Panormitanum, legem illam sumendi Pallii a Corpore beati Petri Principis Apostolorum, non ad aliud collimare, quam ad revincenda in unum corpus illustria quæque Ecclesiæ membra sub uno summo Capite Christo, Christique in terris Vicario, Romano Pontifice Maximo: *Cum a Sede Apostolica vestræ insignia dignitatis exigitis, quæ a Beati tantum Petri Corpore assumuntur; justum est, ut vos quoque Sedi Apostolicæ subjectionis debitæ signa solvatis, quæ vos cum Beato Petro tanquam membra de membro hærere, & Catholici capitis unitatem servare declarent.* Spectant & ea verba ad sacramentum subjectionis, & Canonicæ obedientiæ, quod ante Pallii acceptionem Summo Pontifici exhibetur, de quo superius abunde jam diximus.

V. Quicquid Adversarii obganniant, multis jam ab hinc seculis sententia illa probata est, ac recepta a sacris Canonibus, Pallium insigne esse plenitudinis Pontificiæ potestatis; unde non mirum, si inde illud necessario sequitur, neminem posse ejus potestatis Pontificalis ulla ante obire munia, quam ejusdem insigne, & quasi investituram sumat. Hinc Joannes Papa VIII. in Epistola CXIII. ad Archiepiscopum Arelatensem data, de nimia quorumdam Episcoporum Gallorum præsumtione conquestus est, quod ante acceptum Pallium a Sede Apostolica, Pontificalia obire ausi essent. Stante eo fundamento, quod Pallium est plenitudo Pontificalis officii; & quod cum ipso, & in ipso confertur Pontificalis officii plenitudo, ut ex disciplina, quæ jam diu ante annum Christi millesimum invaluerat, loquitur Innocentius Papa III. Lib. *De Mysteriis Missæ*, Cap. XLIII. merito prohibitus est a Gregorio VII. Pontifice Maximo Lib. I. Epistola I. Archiepiscopus Rotomagensis, ne vel Episcopos, vel Presbyteros ordinaret, vel Ecclesias antea dedicaret, quam Pallium accepisset, graviter enim ab eo peccatum esse, quod tandiu ab eo petendo cessasset præter antiqua Ecclesiæ statuta: *Quia sanctorum Patrum statuta parvi pendisti, nullum deinceps Episcopum, vel Sacerdotem ordinare, seu Ecclesias præsumas consecrare, donec honoris tui supplementum, Pallii videlicet usum, ab hac Sede impetraveris.*

VI. Summi cujusdam rigoris speciem præsefert hæc sententia, quæ reipsa tamen, uti observat memoratus Thomassinus, indulgentiæ plurimum habuisse censebitur, si mentem quis referat ad Damasi, vel Pelagii Decretum apud Gratianum Can. I. Distinctione c. quod tum pro certo, & rato habebatur, & quo Metropolitica orbabatur dignitate, qui ultra tres menses cessaret a postulando Pallio, illudque Decretum laudat in recitata Epistola Gregorius VII. quamvis tacito Auctoris nomine. Sed & Innocentius III. inter alios excessus, & illius etiam notam incessit Alberto cuidam Archiepiscopo Armacano, totiusque Hiberniæ Primati, quod ante receptum Pallium ausus fuisset Clericum ordinare. Sic autem rescribit Cardinali Apostolicæ Sedis Legato, qui ipsum Pontificem & de eo excessu jam consulerat: *Præterea cum non liceret Archiepiscopo sine Pallio convocare Concilium, conficere Chrisma, dedicare Basilicas, ordinare Clericos, & Episcopos consecrare, multum profecto præsumit, qui antequam impetrat Pallium, Clericos ordinare festinat.* Extat hocce Innocentii Rescriptum in Cap. *Quod sicut, De electione.*

VII. Constat itaque ex dictis, Archiepiscopum ante receptionem Pallii, nec quæ sunt Ordinis posse exercere, nec Archiepiscopum nominari. Quod quidem adeo rigorose procedit, ut si unius Ecclesiæ Archiepiscopus, qui alias Pallio donatus fuerat, ad aliam ipse similiter Archiepiscopalem Sedem transiret, teneretur novum Pallium a Romano Pontifice petere, nec primo concesso uti valeret, uti constat ex Pontificali Romano Tit. *De Pallio*, & ex his nostri §. verbis: *etiamsi Pallium in alia Ecclesia habuisset, cum oporteat petere novum Pallium.* Quibus adde celeberrimum illud laudati Innocentii III. Rescriptum ad Præpositum, & Capitulum Strigoniense, legiturque in Cap. *Bonæ memoriæ* IV. *De postulatione Prælatorum*, ubi ait Pontifex, Colocensi Archiepiscopo in Strigoniensem Archiepiscopum postulato licentiam se tribuere ad Ecclesiam Strigoniensem transeundi, Palliumque ei ad nomen, & usum ejusdem Ecclesiæ transmissurum, quia nimirum prius Pallium fuit illi concessum, uti Metropolitano prioris Ecclesiæ. Translati itaque ab una Ecclesia Metropolitana ad aliam, non possunt uti Pallio, quod in prima sua Ecclesia acceperant, estque hæc hodierna Ecclesiæ praxis.

VIII. Rursus cum Pallium ipsum personale sit ornamentum, non potest Archiepiscopus, ubi mortem est obiturus, alii illud relinquere, sed cum eo sepeliri, ob eam etiam rationem, quia scilicet juxta veterem Ecclesiæ morem religiose hactenus servatam unusquisque sepeliri debet cum insignibus dignitatis suæ, quibus in vita decorabatur, adeoque etiam cum Pallio. Extant de eo ritu in Ecclesiastica historia innumera pene exempla,

Digitized by Google

pla, quorum nonnulla attulimus nos Tomo I. Romani Pontificalis, Tit. XIV. in Commentario ad §. IX. ubi etiam notavimus alium fuisse antiquitus morem Ecclesiæ Alexandrinæ, in qua defuncti Præsulis Pallium, quod S. Marci Euangelistæ primitus fuerat, in Successorem transibat, teste Liberato Carthaginensis Ecclesiæ Diacono in Breviario Cap. XX. his verbis: *Consuetudo est Alexandriæ, illum Patriarcham, qui defuncto succedit, excubias agere super defuncti corpus, manumque dexteram ejus suo capiti imponere, & sepulto manibus suis, accipere collo suo Beati Marci Pallium, & sic legitime sedere*. Idipsum servatum alicubi in Ecclesia Latina, testatur Rupertus Abbas Tuitiensis Lib. I. *De divinis officiis*, Cap. XXII. ubi ait, Maternum Trevirensis Ecclesiæ a Beato Petro Apostolo ordinatum Episcopum hæreditatem Pallii suis successoribus dereliquisse.

IX. Quicquid sit de hisce exemplis, quæ ad notitiam Ecclesiasticæ antiquitatis afferre hic placuit, servanda omnino hodie est regula, quam Libri Pontificales, ac Cæremoniales, & sacri Canones præscribunt, ac Canonici Jurisconsulti docent, I. ut nimirum non possit unus Metropolitanus cum alterius Pallio celebrare, nec sepeliri, sed dumtaxat cum suo proprio Pallio. II. ut Archiepiscopus ad aliam Ecclesiam Metropolitanam translatus, non possit Pallio uti in prima Ecclesia obtento, quia scilicet Pallium non solum datur contemplatione Personæ, sed etiam loci, uti habetur in Cap. *Bonæ* II. *De postulatione Prælatorum*. III. ut Pallii usum non possit retinere Archiepiscopus translatus ad Ecclesiam Episcopalem, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis in Majoricen. XVI. Octobris MDCIV. IV. ut nequeat uti Pallio extra Provinciam sibi decretam. Cap. *Cum nuper*, & Cap. *Ex tuarum*, *De auctoritate*, *& usu Pallii*. V. ut qui Episcopatui renuntiat, Pallio uti ulterius nequeat. Cap. *Ad supplicationem*, & ibi Doctores, *De renunciatione*. VI. ut Pallium concessum, & non traditum Archiepiscopo, cum non possit eo amplius uti, comburatur, & cineres in Sacrario ponantur, ex Sacræ Rituum Congregationis Decreto in una Urbis Subdiaconorum IV. Martii MDCVI. apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum, verbo *Pallium*. VII. ut Archiepiscopus, vel Patriarcha nequeat ante se deferri facere Crucem, quæ est insigne Dignitatis Archiepiscopalis, vel Patriarchalis, quam non plene habet, sicut nec nomen Archiepiscopi, vel Patriarchæ, uti dictum est, & docet Diana Lib. IV. Tractatu VIII. Resolutione LXVIII. VIII. ut nonnisi intra Ecclesiam, & inter Missarum solemnia, & certis quibusdam diebus in Privilegiis expressis Pallio utatur. IX. ut ante Pallii acceptionem nequeat quis Archiepiscopus, Primas, Patriarcha appellari, & multo minus Pontificalia munia obire, tametsi possit ea quæ sunt jurisdictionis exercere, & alteri ea quæ sunt Ordinis committere, uti docent communiter Canonici Jurisconsulti, ex Cap. XI. *De electione*, & aliis concordantibus, & habetur expressum in Romano Pontificali loco citato.

X. Posse Archiepiscopum ante acceptum Pallium ea quæ sunt Ordinis alii committere, ac præsertim aliis Episcopis delegare, ut consecrent Episcopum sibi Suffraganeum, modo ipse non sit in mora petendi Pallium, scilicet modo illud intra tres menses petat, docent jam passim, uti dictum est, Canonici Jurisconsulti ex Cap. *Suffraganeis*, *De electione*, ubi expresse edicitur, quod Archiepiscopus confirmatus, licet non receperit Pallium, potest facere, ut suus Suffraganeus consecretur. Neque enim obstat, quod ex Cap. *Pro suo*, *De regulis juris* in VI. & ex Cap. *Qui per alium*, Tit. citato, & Cap. *Mulieres*, *De sententia excommunicationis*, id quod nostro nomine non licet, nec alieno licebit, & qui per alium facit, per se ipsum facere videtur; nam hæc in præsenti locum non habent, quia cum Episcopus electus, & confirmatus, qui nondum est consecratus, committit Episcopo consecrato, ut suæ ditionis hominibus Ordines conferat, nequaquam illi dat potestatem Ordinis, ac proinde alius Episcopus ad Ordines non promovet Clericos potestate Ordinis accepta ab Episcopo, qui consecratus non est, sed ea, quam ipse per suam consecrationem adeptus est; solum igitur habet liberam facultatem consecrandi Clericos alienos, quos antea sacrare jure non poterat.

XI. Pari ratione Collegium quoque Canonicorum suo viduatum Antistite potest alteri Episcopo committere, ut Clericos consecret ex Cap. *Cum nullus*, *De temporibus ordinandorum* in VI. servata scilicet forma præscripta a Concilio Tridentino Sessione VIII. *De reformatione*, Cap. X. & tamen certi juris est non posse ipsum Canonicorum Collegium ordinare Clericos, quum Episcopo defuncto in his, quæ sunt jurisdictionis tantum succedat, Cap. *Cum olim*, & ibi Glosa, & Doctores, *De majoritate*, *& obedientia*, & Cap. I. Tit. eodem. Sic pariter Capitulum Sede vacante alium invitare Præsulem potest ad exercenda Pontificalia per Textum in Can. *Pontifices*, VIII. Quæstione I. ex quo etiam deducit Compostellanus, posse, Metropolitana Sede vacante, ejus Capitulum demandare consecrationem Suffraganeo, cum hic sit actus solius jurisdictionis, ut docet Gerunda Tomo II. Lib. VII. Disputatione VIII. Cap. unico, Num. II. ubi late probat, posse Archiepiscopum, nondum suscepto Pallio, ea quæ sunt Ordinis alteri committere Præsuli, quod etiam concedit Episcopo electo, & confirmato, acriterque invehitur adversus contrarium opinantes. Ceterum tametsi quæ ad potestatem Ordinis pertinent, ante susceptionem Pallii Archiepiscopus nequeat exercere, puta ordinare Clericos, Sacramentum confirmationis conferre, Virgines consecrare, Abbates benedicere, pœnitentes reconciliare, & cetera, quæ sine Missæ Sacrificio non obit; docet nihilominus Hostiensis in Summa Tit. *De auctoritate*, *& usu Pallii*, §. *Quid sit Pallium*, posse Archiepiscopum, Pallio nondum suscepto, ea posse, quæ stola tantum indutus exequi, & facere solet, ut si Calices, & alia hujusmodi vasa consecret, si Cœmeteria sacret, aut dedicet, & similia.

XII. Quid

Digitized by Google

XII. Quid autem si Archiepiscopus faciat ea, quæ sunt potestatis Ordinis, ante Pallium obtentum, num rata sint, & firma? Respondeo, esse distinguendum; aut enim antea fuerat consecratus Episcopus, aut secus: si ante consecratus, & ordinatus non erat, ea irrita sunt, & inania; quoniam, ut alibi dictum est, Presbyter ea, quæ sunt potestatis Pontificiæ, præstare non potest, & si præstet, nullius sunt momenti: si vero consecratus ante jam fuerat, peccat quidem contra Canones, & jura, obeundo, quæ sunt potestatis Ordinis, facta tamen ab ipso subsisterent, ut si Clericos consecret, Chrisma conficiat, pueros baptismate renatos confirmet; hæc enim a potestate Ordinis vim suam, & firmamentum accipiunt; ut scite inter alios docet Azorius, *Institutionum Moralium*, Parte II. Lib. III. Cap. XXXIV. Quæstione VI. ubi etiam & illud inquit, Archiepiscopum ante Pallium acceptum obeundo munia Episcopalis potestatis nullam quidem Juris pœnam contrahere, posse tamen per sententiam ab Officio, & ministerio removeri, aut alia mitiori pœna puniri.

XIII. Reliquum est, ut quandoquidem ex Innocentii III. Decreto veterum alias Pontificum auctoritate munito, in Cap. XXVIII. *De electione*, vetitum est Metropolitanis Pontificales functiones obire ante receptum Pallium, expendamus hic tandem nos, quomodo implicatissimum nodum illum Innocentius ipse explicet. Cur scilicet non possit Archiepiscopus sine Pallio eà perficere, quæ ceteri Episcopi perficiunt Pallio nec donati unquam, nec donandi; & quæ ante inflictam Pallii necessitatem summa omnes cum libertate perficiebant? Respondet ad eam difficultatem idem Innocentius, dicens, quod quamquam Archiepiscopo communia sint quædam cum Episcopis officia, ea tamen ab illo cum eximia quadam, & singulari prærogativa geri debent: *Cum id non tanquam simplex Episcopus, sed tanquam Archiepiscopus facere videatur*. Quasi dicat, non posse unquam Archiepiscopos non ea resplendere gloria, & majestate, quæ eorum Ordini adnata est, & quæ ipsos mirifice evehit supra Episcopos ceteros, etiam tum dum Episcopalibus funguntur muneribus; sicut & Presbyterorum functiones non exercent Episcopi, nisi cum iis prærogativis, quæ eorum supra Presbyteros eminentiam prodant. Atque hæc est communis Scriptorum sententia.

## §. VII.

**Post obitum debent Archiepiscopi cum Pallio sepeliri; si quidem sepeliantur in provincia sua, circa humeros supra Planetam: si vero extra Provinciam, ponendum erit Pallium plicatum sub eorum capite. Curent igitur Archiepiscopi, ut Pallium, in quo tanta est antiquitatis veneratio, & auctoritas, digne, & honorifice asservetur, puta serico involutum, ac in capsula intus & extra pulcre ornata, vel serico obducta inclusum, tanquam venerabile ipsius Archiepiscopi insigne mysticis significationibus plenum.**

## COMMENTARIUS.

I. Pallium Archiepiscopi debere post ejus obitum una cum illo sepeliri, non vero alii relinqui, jam nos ostendimus supra in Commentario ad §. præcedentem, & ad §. IX. Tomo I. Romani Pontificalis, Tit. XIV. *De Pallio*. In præsenti illud notandum est ex §. hujus nostri Rubrica, quod si Archiepiscopi quidem *sepeliantur in Provincia sua, circa humeros supra Planetam, si vero extra Provinciam, ponendum erit Pallium plicatum sub eorum capite*. Ratio hujus distinctionis ex eo sumenda est, quod Pallium, uti non semel notatum fuit, signum est plenitudinis Pontificalis officii, & jurisdictionis, eoque nonnisi in Provincia sua Archiepiscopus ornari debet super Planeta, tum quando Missarum solemnia celebrat diebus in privilegio concessis, tum etiam post obitum, si scilicet in Provincia sua sepeliatur ex præscripto hujus §. & ex communi Doctorum sententia, ac praxi. Ceterum ubi extra Provinciam obiret, atque sepeliretur, tum, ut ostendat, nullam ibi habuisse jurisdictionem, non super humeros extensum Pallium, sed plicatum suo tenebit sub capite.

II. Archiepiscopus quoque, si renunciaverit Archiepiscopatui, tametsi Pontificalia exerceat in Provincia, permittentibus Episcopis, Pallio uti nequeat, debet nihilominus illud apud se retinere, & cum eo sepeliri, sub capite ipsum tenendo, ut inter alios docet Castaldus in sua Cæremoniarum Praxi Lib. I. Sectione X. Cap. X. Num. XIII. ubi etiam Num. XIV. ait, Archiepiscopum, qui plura Pallia successive est consequutus, quia scilicet ad varias Ecclesias Metropolitanas translatus est, debere illa apud se retinere, & cum sepelitur, si in sua Provincia sit, ultimum supra humeros habere, reliquis sub capite collocatis; si vero extra Provinciam sepeliatur, tunc omnia sub capite defuncti poni oportere.

III. Ad aliam hujus §. partem quod spectat, curandum inquit esse Archiepiscopis, *ut Pallium, in quo tanta est antiquitatis veneratio, & auctoritas, digne, & honorifice asservetur, puta serico involutum, ac in capsula intus, & extra pulcre ornata, vel serico obducta inclusum &c.* Pallii antiquitatem, atque originem repetit quidem Augustinus Patricius Lib. I. Sacrarum Cæremoniarum S.R.E. Sectione X. Cap. V. ex S. Maximo Episcopo in Homilia, *De veste Sacerdotali*, & Eusebio Cæsariensi in Sermone de Epiphania, a veteri Testamento, aitque, in Lege Gratiæ antiquum etiam

Digitized by Google

etiam esse illud nostrum *Ephod*, idest, Pallium, quod a Lino post Petrum secundo Romano Pontifice institutum, & in singulare potestatis privilegium nostris Præsulibus datum fuit. Sed & Rupertus Abbas Tuitiensis Lib. I. *De divinis officiis*, Cap. XXVII. inquit, Maternum a S. Petro ordinatum Episcopum Trevirensis Ecclesiæ, hæreditatem Pallii suis successoribus reliquisse.

IV. Ex laudato Ruperti præclarissimo testimonio non modo addiscimus, coævum esse Christianæ Religioni Pallium Pontificale, sed & eo usum Apostolorum Principem Petrum, primum Romanæ Ecclesiæ Episcopum, eoque Martenum donasse, atque adeo ab exordio nascentis Ecclesiæ, Summos Pontifices & gessisse, & concessisse Pallium. Scio a quibusdam recentioribus pseudocriticis floccipendi Ruperti auctoritatem, *quod sine veterum testimonio auctor ipse duodecimi dumtaxat seculi, tam antiquam Pallii concessionem facit*. Verum scitissime respondet Lupus Tomo VIII. Operum, *De Africanæ Ecclesiæ Romanis appellationibus*, Cap. XIII. Rupertum omnino adjuvari testimoniis veterum irrefragabilibus, præsertim vero testimonio S. Marci, quippe qui Alexandrinam Ecclesiam non tam suo, quam potius S. Apostoli Petri nomine, ac vice fundavit, insedit, ac rexit. Ista certe Ecclesia Patriarchalis est, atque Apostolica, & quidem secunda totius Christiani Orbis Sedes, ab ipso Apostolorum Principe per S. Marcum fundata, ac proinde quidquid sacræ disciplinæ S. Marcus isthic instituit, a Sancto Petro haud dubie accepit.

V. Luculentissime id quidem docet S. Leo Magnus in Epistola LXXXI. ad Dioscorum novum Alexandrinæ Ecclesiæ Patriarcham, sic inquiens: *Unum nos sentire oportet, & agere. Cum enim beatissimus Petrus Apostolicum a Domino acceperit Principatum, & Romana Ecclesia in ejus permaneat Institutis, nefas est credere, quod sanctus Discipulus ejus Marcus, qui Alexandrinam primus Ecclesiam gubernavit, aliis regulis traditionum suarum Decreta formaverit, cum sine dubio de eodem fonte gratiæ unus spiritus fuerit Discipuli, & Magistri, nec aliud ordinatus tradere potuerit, quam quod ab ordinatore suscepit*. At vero, quod inter alias S. Marci traditiones, ac Decreta fuerit Pallium Pontificale, jam audivimus a Liberato Diacono, cujus testimonium ex Breviario ipsius Cap. XX. lubet hoc loco repetere: *Consuetudo*, inquit, *est Alexandriæ, illum Patriarcham, qui defuncto succedit, excubias agere super defuncti corpus, manumque dexteram ejus suo capiti imponere, & sepulto manibus suis, accipere collo suo Beati Marci Pallium, & sic legitime sedere*. Multa notatu digna in hunc locum jam nos explicuimus nostro I. Tomo Conciliorum, ac alibi; hic unum illud notandum, quod jam observavit Lupus, S. Marcum a S. Petro accepisse Pallium istud. Unde non mirum, si, ut testatur Rupertus Abbas Tuitiensis, idem Princeps Apostolorum S. Materno Trevirensi Episcopo Pallium dedit.

VI. Esse autem Pallium, ut ait §. noster, *venerabile ipsius Archiepiscopi insigne mysticis significationibus plenum*, docet in primis vetustus Auctor Isidorus Pelusiota Lib. I. Epistola CXXXVI. ubi ita inquit: *Episcopi Pallium Omophorion, ex lana, non ex lino contextum, ovis illius, quam Dominus aberrantem quæsivit, inventamque humeris suis sustulit, pellem significat. Episcopus enim, qui Christi typum gerit, ipsius munere fungitur, atque etiam ipso habitu illud omnibus ostendit, se boni illius, ac magni Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit*. Eandem significationem laudat in rerum Ecclesiasticarum Theoria S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus his verbis: *Humerale, quo Episcopus circumdatur, significat ovis pellem, quam errantem cum Dominus invenisset, assumsit. Habet autem Cruces, quia Christus super humeros gestavit ovem suam*. Atque his concinit in Libro, *De sacris ordinationibus*, Simeon Episcopus Thessalonicensis, ubi Episcopalis Pallii hanc eandem significationem tradit: *Pallium manifeste significat Dei Verbi incarnationem, quoniam nos, ovem perditam, inveniens super humeros portat, naturamque humanam integram indutus, eamque sibi coadunatam deificavit, atque idipsum, quod assumserat, per Crucem, & mortem Patri pro nobis obtulit, & suscitans nos exaltavit. Ideo Pallium circumfert Cruces, & lana texitur, & collo, ac humeris Episcopi imponitur*. Idem Auctor in Libro, *De Missa, ac Templo*, scribit Pallium esse tantæ dignitatis, ut in splendida magni Introitus pompa primum locum teneat, & agat ducem: *Pallium*, ait, *Cruce insignitum præcedit*. Et adjungit causam, quo *signum Jesu sit, & ipsum Jesum de Cælo ostensum iri hominibus præfiguret*.

VII. Mysticas varias Pallii significationes enarrat inter Latinos Patres, atque Scriptores, non uno in loco S. Gregorius Magnus, præsertim vero Lib. IV. Epistola LIV. & Lib. XI. Epistola XLII. Pallio admoneri Pontifices, qui illud gestant, morum, atque actuum probitate ad Christi gloriam susceptum adornare officium. Præclare idem S. Doctor Lib. VII. Epistola CXXIX. Pallii mysterium enarrat his verbis: *Hujus indumenti honor humilitas, atque justitia est. Tota ergo mente Fraternitas vestra se exhibere festinet in prosperis humilem, & in adversis, si quando eveniunt, cum justitia erectam, amicam bonis, perversis contrariam, nullius unquam faciem pro veritate loquentem premens, misericordiæ operibus juxta virtutem substantiæ insistens, & tamen insistere etiam supra virtutem cupiens, infirmis compatiens &c.* Et paulo post: *Hæc est Frater carissime Pallii accepta ratio, quam si sollicite observaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habes*. Innocentius III. Lib. I. Mysteriorum Missæ, Cap. LXIII. ubi descripsit Pallii materiam, ac formam, Crucesque, & acus, qui Pallio infiguntur, ita statim subjicit: *Quæ omnia moralibus sunt induta mysteriis, & divinis gravida sacramentis; in lana siquidem asperitas, in candore benignitas designatur, ut erga rebelles severitatem exerceat, erga humiles vero, & pœnitentes pieta-*

Digitized by Google

*pietatem; propter quod de lana non cujuslibet animalis, sed agni tantum efficitur, qui mansuetum est animal.*

VIII. Fuse, ac pie easdem mysticas Pallii significationes explicant Alcuinus, Rabanus, Durandus, ac alii complures rerum Liturgicarum Tractatores, inter quos Religiosissimus æque, ac doctissimus, Hieronymus Crispus, jam Archiepiscopus Ravennas, nunc Patriarcha Alexandrinus, in aurea Dissertatione, *De Mysteriis Euangelicæ Legis*, ubi de Pallio agit, ita ejus Mysteria exponit, & quidem consentanee ad ea, quæ de eodem Pallio Innocentius ipse III. & probatissimi quique Auctores scripserunt: *Pallium, quo majores utuntur Episcopi, significat disciplinam, qua seipsos, & subditos Archiepiscopi debent regere. Per hanc acquiritur torques aurea, qua dicit Salomon in Parabolis*: Audi fili mi disciplinam Patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. *Fit enim Pallium de candida lana contextum, habens desuper circulum humeros constringentem, & duas lineas ab utraque parte pendentes. Quatuor autem Cruces olim purpureas, modo nigras, ante, & retro, a dextris, & a sinistris; sed a sinistris est duplex, & simplex a dextris. Hæc omnia moralibus sunt imbuta mysteriis, & divinis gravida sacramentis. Nam, ut Scriptura testatur*, In thesauris sapientiæ significatio disciplinæ. *In lana quippe notatur asperitas, in candore benignitas designatur. Nam Ecclesiastica disciplina contra rebelles, & obstinatos severitatem exercet; sed erga pœnitentes, & humiles exhibet pietatem. Propter quod de lana non cujuslibet animalis, sed ovis tantum efficitur, quæ mansuetum est animal. Unde Propheta*: Tamquam ovis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum.

IX. Pergit laudatus Auctor mysticam totius Pallii significationem explicare, & ait: *Hinc est, quod illius semivivi vulneribus, quem Samaritanus duxit in stabulum, & vinum adhibet, & oleum, ut per vinum mordeantur vulnera, & per oleum foveantur, quatenus quod sanandis vulneribus prodest, in vino morsum severitatis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis. Hoc nimirum, & per arcam Tabernaculi designatur, in qua cum tabulis virga continetur, & manna. Quoniam in mente Rectoris cum Scripturæ scientia debet esse virga discretionis, & manna dulcedinis, ut severitas immoderate non sæviat, & pietas, plusquam expedit, non indulgeat. Circulus Pallii, per quem humeri constringuntur, est timor Domini, per quem opera coercentur, ne vel ad illicita defluant, vel ad superflua relaxentur. Quoniam disciplina sinistram cohibet ab illicitis formidine pœnæ, dexteram vero temperat amore justitiæ*: Beatus, ergo vir qui semper est pavidus. *Nam juxta sententiam Sapientis*, Timor Domini peccatum repellit; *qui vero sine timore existit, justificari non poterit. Hinc est ergo, quod Pallium, & ante pectus, & super humeros frequenter aptatur*. Hactenus Religiosissimus Crispus in laudata sua celebri Dissertatione, quam, ut cultum erga sacrosancta Mysteria, assidua sacrorum rituum meditatione majorem inferret in Clerum Ravennatis Metropolis, & ad totius Christiani Orbis utilitatem, in lucem edidit, cum supra quinquennium memoratæ Ecclesiæ præfuit Pastor vigilantissimus, forma gregi factus ex animo.

X. Cum ergo Pallium *venerabile Archiepiscopi insigne, mysticis significationibus plenum* in hoc nostro §. dicatur, summa certe veneratione excipiendum est, atque servandum. Narrat Eademerus in Vita Sancti Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis, Pallium sibi ab Urbano Papa II. missum, nudis pedibus, & indumentis fulgentem Pontificalibus excepisse: *Venienti, & sacrum insigne in vase argenteo deferenti, ab Archiepiscopo nudipede, sed Sacerdotalibus vestimentis induto occursum*. Ubi nota, uti olim Pallium asservaretur, scilicet, *in vase argenteo*. Ex quo addiscimus, recte edici in hoc nostro §. ob venerationem antiquitatis, atque auctoritatem, mysticasque significationes, quibus Pallium venerabile Archiepiscopi insigne decoratur, *digne, & honorifice* esse asservandum, *puta serico involutum, ac in capsula intus, & extra pulcre ornata, vel serico obducta inclusum*.

XI. Reliquum est, ut de eo admoneantur tandem Præsules illi, qui Pallio utuntur, quod aliquando Patres Concilii VIII. Oecumenici, Constantinopolitani IV. Can. XXVII. statuerunt, quodque nos jam notavimus nostro I. Tomo Romani Pontificalis, Tit. *De Pallio*, in Commentario ad §. ultimum, Num. IV. ne scilicet sacro Pallii ornamento utantur ad inanem gloriam; non enim illud profanum quoddam est ornamentum, præstringendis oculis, aut palpandæ ambitiosi Præsulis cupiditati: splendida quidem vestis est, quæ significat virtutum summam quandam pulcherrimam, quibus Archiepiscopus in bonum sui gregis regimen fulgere debet. Hinc enim Magnus Gregorius Lib. IV. Epistola XIV. Joannem Ravennatem Archiepiscopum merito objurgabat, quod fulgore sacrarum vestium non inflamaretur ad amorem virtutum: *Invenio*, inquit, *quia honor Episcopatus vestri totus foris in ostensione est, non in mente*. Hinc in eodem Libro IV. Epistola XV. ad Joannem primæ Justinianæ Episcopum Pallium mittens, eum monet, ut sit in custodia commissi Gregis vigilans, atque solicitus, & disciplinæ zelo districtus, ne lupus insidians, nec ovile turbare Dominicum, nec nocere ovibus aliqua fraudis occasione prævaleat. Legenda integra Epistola, quæ ad pastoralem curam quammaxime pertinet.

XII. Curiosum plane illud est, quod de nonnullis sui ævi Episcopis scribit S. Hieronymus in Epistola ad Oceanum; ubi ait, verbum, *ornatus*, quo utitur Apostolus in Epistola ad Titum ad delineandas Episcopi virtutes, acceptum fuisse ab illis ad significandum decorem exteriorem in mensa, in supellectili, ac veste. Sed de hac re vide quæ scripsimus in nostra Opella, *De Vita Clericorum, & Sacerdotum*, pag. 63. & 64.



Digitized by Google

# CAP. XVII.

*Mitræ usus, & ejus species triplex. Pretiosa quando Episcopus utatur. Quando auriphrygiata, & quando simplici. Baculo pastorali utitur in Civitate, & sua Diœcesi tantum, & quando.*

## §. I.

Mitræ usus antiquissimus est, & ejus triplex est species. Una quæ pretiosa dicitur, quia gemmis, & lapidibus pretiosis, vel laminis aureis, vel argenteis contexta esse solet. Altera auriphrygiata sine gemmis, & sine laminis aureis, vel argenteis, sed vel ex aliquibus parvis margaritis composita, vel ex serico albo, auro intermisto, vel ex tela aurea simplici sine laminis, & margaritis. Tertia, quæ simplex vocatur, sine auro, ex simplici serico Damasceno, vel alio, aut etiam linea ex tela alba confecta, rubeis laciniis, seu frangiis, & victis pendentibus.

## COMMENTARIUS.

I. Mitram Pontificalem sumtam esse ex veteri Testamento, tradit Honorius Augustodunensis Libro I. *Gemmæ*, Cap. CCXIV. ea enim utebantur Sacerdotes veteris Legis, ut sacræ Paginæ indicant, Cap. XXIX. Exodi, & Cap. VII. Levitici. Narrat Eusebius Lib. III. *Historiæ*, Cap. XXV. & quidem ex Epistola Polycratis Episcopi Ephesini, ubi Ecclesiæ suæ traditiones edisserit, S. Joannem Euangelistam, cum esset Pontifex Christi in Ecclesia scilicet Ephesina, Laminam in fronte gestasse: *Cum esset Sacerdos*, πέταλον *gestavit*. Idem quoque habet Sanctus Hieronymus in Libro, *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, ita de ipso Euangelista inquiens: *Joannes, qui supra pectus Domini recubuit, Pontifex Ephesi auream laminam in fronte portans, Martyr, & Doctor, in Epheso dormivit*. Ubi nota, appellasse S. Hieronymum πέταλον *laminam*, quam alii Mitram vocant.

II. Præclarissimum est, atque antiquissimum, & Christianæ Religioni coævum S. Jacobi fratris Domini, & Hierosolymitani Episcopi exemplum, de quo S. Epiphanius auctoritate fretus Eusebii, & Clementis Alexandrini, Hæresi XXIX. affirmat, eum quoque Laminam Pontificalem gestasse, veluti Christi Pontificatus tesseram, cujus & ipse consortium nactus erat: *Sed & Bracteam*, inquit, *eidem in capite gestare licuisse, Eusebius, Clemens, & alii idonei Scriptores Commentariis suis testatum reliquerunt. Quocirca Sacerdos, ut diximus, Jesus Christus Dominus noster in æternum fuit secundum ordinem Melchisedech, idemque Rex secundum superiorem, ac cælestem ordinem, ut una cum Lege Sacerdotium transferret*. Et paulo post: *In Davidis Solio considet Christus, propterea quod Davidis regnum transtulit, idque ipsum una cum Pontificatu servis suis indulsit, hoc est, Ecclesiæ Catholicæ Pontificibus*. Gestabat ergo ex Epiphanio auream hanc Laminam Apostolus uterque tanquam insigne Sacerdotii, ac Regni spiritalis, quod & ipse Christus gessit in terris, & æternum, quantum quantum est, Apostolis, & Ecclesiæ transmisit, ut inter alios Scriptores scitissime notat doctus æque ac pius Ludovicus Thomassinus Parte I. *veteris ac novæ Ecclesiæ disciplinæ*. Lib. II. Cap. XLV.

III. Hujus fortasse Laminæ, seu Coronæ Apostolicæ instar, idem laudatus Auctor Thomassinus observat, veterum primorum temporum Episcopos Mitram in capite, seu coronam inter Mysteriorum solemnia gestasse, probatque testimonio Ammiani Marcellini, qui Lib. XXIX. de victo a Theodosio in Africa tyranno Mascizel ait, quod, ut Imperatoris sibi conciliaret gratiam, *militaria signa, & coronam Sacerdotalem cum ceteris, quæ intercepcrat, restituit, ut præceptum est*. Meminit & Coronæ Pontificalis Sanctus Gregorius Nazianzenus, qui in celebri illa Oratione, quam habuit post reditum a fuga, loquens de sua ordinatione, coronam Pontificiam vestibus Sacerdotalibus adjungit: *Iccirco me Pontificem ungis, ac podere cingis, capitique cidarim imponis*.

IV. Astruendæ Mitræ Pontificalis antiquitati celebre est testimonium Balsamonis, qui constanter affirmat, Mitram, seu Ceronam Pontificalem Episcopis Alexandrinis tum esse permissam a S. Cælestino I. Pontifice Maximo, cum ipsam S. Cyrillo concessit, ut Ephesino Concilio vice sua præsideret: *Hujus quoque temporis Patriarcha Alexandrinus jus habet..... ut cum Phrygio celebret. Habuit autem hanc facultatem S. Cyrillus Alexandrinus a Romano Papa Cælestino, quando coacta est Synodus Ephesina adversus Nestorium. Cum non posset Cælestinus adesse Ephesi, & judicare Nestorium, visum est, ut S. Cyrillo a Cælestino permitteretur, huic Synodo præsidere. Ut itaque constaret, eum habere jus, & authoritatem Papæ, sedit cum Phrygio, & condemnavit Nestorium*. Quid, & quale fuerit illud Phrygium, quicquid aliqui dicant, omnino non constat. Aliquos tamen inter Græcos extitisse, qui sibi jus Phrygii usurparint, testatur Goar in suis ad Euchologium Notis, ubi de ordinatione Episcopi agit, additque ibidem, communiter usque ad hodiernum diem abstinuisse Græcos ab eo ornamen-

Digitized by Google

namento, nec ullum esse in Græcia Mitræ usum, exceptis Episcopis Orientalibus Maronitis, Nestorianis, & Jacobitis, qui Cidari utuntur, quæ ipsorum Capiti imponitur, dum ordinantur, uti constat ex eorum Ritualibus Libris apud Morinum, in Opere, *De sacris Ordinationibus*.

V. Memoratis hucusque auctoritatibus freti, aliisque multis id genus exemplis complures jam Viri docti Mitræ usum putant ab ipsis fluxisse Apostolis, eaque usos vel primis Christi seculis fuisse Episcopos, uti inter alios sentiunt Andreas Saussayus Lib. I. *Panoplia Episcopalis*, Josephus Vicecomes Lib. III. *De apparatu Missæ*, a Capite XXIX. usque ad Cap. XXXIII. Christianus Lupus Tomo III. in Dissertatione, *De octava Synodo*, Cap. X. Actione I. ubi ait, *Mitræ Episcopalis usum etiam in quibusdam Græcorum Ecclesiis esse Apostolicam traditionem*; & alii complures, quibus etiam suffragari videtur Ludovicus Thomassinus Parte I. Lib. II. Cap. LVIII. Num. II. ubi multa loca affert ad propugnandam Pontificalis Mitræ antiquitatem, ad quæ alias respondet Hugo Menardus; quem tamen in eo labi putamus, quod dicit, Laminas illas Apostolorum, ut in eis incœpere, sic & in eis desiisse. Etenim earum usum, uti notavimus Tomo I. Romani Pontificalis in Prolegomenis, Cap. XIX. *De Mitra*, in S. Jacobi successoribus, Episcopis scilicet Hierosolymitanis perseveraſſe, constat ex Epistola Theodosii Patriarchæ Hierosolymitani ad sanctum Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum, quæ relata est in Concilii octavi Generalis Actione I. ubi ita inquit: *Poderem, & Superhumerale cum Mitra, & Pontificalem ornatum S. Jacobi Fratris Domini, & primi Archiepiscoporum, quo Antecessores mei Patriarchæ circumamicti semper in Sancta Sanctorum ingrediebantur, Sacerdotio fungentes, videlicet sanctam memoriam vitæ, & sanctum calciare, quo & ipse indutus sum, eadem gerens tuo desiderabili, & honorando capiti ex amore, & dilectionis copia transmisi*. Calciare idem est ac calceus, uti explicat Dufresnius in suo mediæ, & infimæ Latinitatis Glossario.

VI. Quamquam multa id genus exempla, ac vetera pro Mitræ antiquitate afferantur testimonia, sunt tamen & alii Viri doctissimi, qui antiquissimum Mitræ usum impugnarunt, quia scilicet nulla fit ejus mentio in antiquis Libris mss. Pontificalibus, neque ab Amalario, Rabano, Alcuino, aliisque priscis Auctoribus, qui alias cætera Pontificum ornamenta descripsere. Hinc forte natam plerique autumant opinionem eruditissimi Onuphrii Panvinii, qui circa medium seculum decimumsextum in explicatione vocum obscurarum ad calcem Vitarum Pontificum asserere non dubitavit, *Mitrarum usum in Ecclesia Romana non ante sexcentos annos esse*. Cui sententiæ patrocinari strenue conatus est Hugo Menardus, qui in Notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ, Pag. 362. ita scribit: *Existimo, vix ante annum post Christum natum millesimum Mitræ usum in Ecclesia fuisse*; respondetque ad argumenta, quæ ad astruendam Mitrarum antiquitatem ex superius recitatis locis objici possunt.

VII. In tanta Scriptorum dissentione putat Joannes Cardinalis Bona Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XXIV. Num. XIV. utramque opinionem posse facillime conciliari, si dicamus, Mitram quidem, qualis est hodie, nuperum ornatum esse, qui ante millesimum Christi annum vix in Ecclesia fuerit; ceterum negari non posse, quin a temporibus Apostolorum aliquod fuerit capitis ornamentum, quo peculiariter, si non omnes, aliqui saltem Episcopi usi sunt tum Latini, tum etiam Græci. Etenim de Patriarcha Alexandrino ita scribit Theodorus Balsamon in Medit. de Patriarch. privileg. Lib. VII. Juris Orientalis: *Cum omnes alii Pontifices capitibus apertis res sacras peragant, solus Alexandrinus Patriarcha rem divinam facit Mitra caput obvolutus*. Mitra hoc loco Phrygium illud est, quod, uti mox diximus ex ejusdem Balsamonis testimonio S. Cælestinus Papa ad sanctum Cyrillum Patriarcham Alexandrinum misit, ut Concilio Ephesino vice ipsius præsidens Phrygio illo ornatus hæreticum Nestorium condemnaret. Incertum autem est, an Phrygium illud, quod alias aliqui Mitram appellant, eam Mitræ formam haberet, qua hodie multis ab hinc seculis Latini Episcopi in functionibus sacris utuntur.

VIII. Jam non eo inficias, quin Episcopi Latini jam ante annum Christi millesimum usi aliquo capitis tegumento fuerint, constatque ex insigni Codice ms. Pontificali Seculo IX. exarato, ac egregiis figuris insignito, qui extat Romæ in celeberrima Bibliotheca Casanatensi Ordinis Fratrum Prædicatorum, pertinuitque ad Ecclesiam Capuanam, uti diximus Tomo I. Romani Pontificalis in Appendice ad Titulum XII. ubi Ordinem ipsum descripsimus, Notisque illustravimus. In eo autem Pontificali numquam Episcopus cum Mitra cernitur, quali hodie utuntur Episcopi, sed cum quodam ornatu capitis formæ quadratæ. Quamobrem vix hodiernæ Mitræ Pontificali patrocinari possunt ea argumenta, quæ ex Mitræ vocabulo sumuntur, quod apud veteres Scriptores occurrit, ac præsertim apud Tertullianum in Libro, *De velandis Virginibus*, & apud S. Optatum Milevitanum, Lib. VI. *De schismate Donatistarum*. Vix enim, quæ ipsi de Mitra inquiunt, Episcoporum Mitræ convenire possunt; nam Mitræ illæ, quas iidem commemorant, vittæ, seu fasciæ erant, quibus feminarum capita tum maritatarum, tum etiam Virginum Deo desponsatarum cingebantur, ut notat Dupinius Adnotatione LIV. ad Librum VI. S. Optati Milevetani.

IX. Fuisse Mitram profanum capitis ornamentum, quo primum Jonii, deinde Ægyptii, aliique gentiles Syri, & Lydi, usi fuere, Ethnici scriptores tradiderunt, uti notat memoratus Joannes Bona Cardinalis. Brachmanes Sacerdotes Mitra gemmis ornata uti consuevisse, in Vita Apollonii refert Philostratus. Eandem usurpasse summum Sacerdotem Deæ Syriæ, Lucianus in Dea Syria scripsit; idemque de Pontifice Maximo ethnicæ superstitionis tradit Prudentius Hym-



Digitized by Google

Hymno IX. *De coronis*, his versibus.

*Summus Sacerdos nempe sub terram scrobe*
*Acta in profundum consecrandus mergitur*,
*Mire infulatas, festa vittis tempora*
*Nectens, corona tum repexus aurea*
*Cinctu Gabino sericam fultus togam*.

Apud Græcos non solum pro ornatu capitis, sed etiam pro fascia in loricæ modum contenta ad latera defendenda sumi etiam consuevisse Mitram docent nonnulli ex illo Virgilii versu Lib. VIII. Æneidos, ubi ita cecinit.

*Et tunicæ manicas, & habent redimicula Mitræ.*

X. Mitræ itaque antiquitati minime favet, quod ea vox occurrit etiam apud veteres Scriptores Ecclesiasticos; probandum enim illud est, an Mitræ, quarum ipsi meminere, ante annum Christi millesimum, ejusdem fuerint formæ, qua hodie Episcopi utuntur, quamque egregie describunt Innocentius III. *De Mysteriis Missæ*, Libro I. Cap. XLIV. & Gulielmus Durandus Lib. III. sui Rationalis, Cap. XIII. aliique Auctores recentiores. Porro Edmundus Martene Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo I. Num. XIV. & Joannes Mabillonius in Præfatione Seculi IV. Benedictini, Parte II. Num. CLXXXII. ad conciliandos Auctores, qui de Mitræ antiquitate certant, aliam inierunt rationem, ajentes, usum Mitræ semper in Ecclesia fuisse, sed non quibusvis Episcopis absque speciali Sedis Apostolicæ facultate eam gestare licuisse, probantque ex privilegio Leonis Papæ IV. Anschario Hamburgensi Episcopo concesso, ubi eidem, & successoribus suis indulget, ut ornarent caput Mitra. Verum adhuc remanet dubium, num ipsa Mitra, quam circa medium nonum seculum Leo IV. Anschario concessit, ejusdem formæ fuerit, cujus est hodierna Mitra Episcopalis.

XI. Quidquid autem de ea quæstione sit, illam opinionem, quæ docet eos tantum usos fuisse olim Episcopos Mitra, quibus ipsa a Romano Pontifice concedebatur, pluribus conatur tueri conjecturis Martenius; refert enim inter alia id quod narrat S. Bernardus in Vita S. Malachiæ Archiepiscopi Hiberniæ, ubi describens, qua is benevolentia ab Innocentio Papa II. exceptus fuerit, ita inquit: *Tollens*, nempe Innocentius, *Mitram de capite suo, imposuit capiti ejus*. Quo forte ornamento ante hoc tempus nondum fuerat insignitus. Ea verba S. Bernardi cum retulisset Cardinalis Baronius ad annum MCXXXVII. Num. XXXV. hæc habet: *Mos namque erat nonnisi Mitratos Romanos Pontifices ad audientiam admittere petentes diri*. Sed hoc obiter dicto, addit idem Martenius loco citato, in chartis Majoris-Monasterii plura se tractasse Episcoporum, qui Seculo XII. floruerunt, sigilla, in quibus Pontificalibus ornamentis induti, sed sine Mitræ ornamento repræsentantur; quod argumentum esse ait, illos Mitra minime usos fuisse.

XII. Cardinales etiam non Episcopos olim, ut hodie, Mitram gestasse, quoties sacris ornamentis induti divinis Mysteriis intererant, tradit Mabillonius Præfatione II. Seculi IV. Benedictini, Num. LXXXV. probatque ex charta Compendiensi anni MCCXIV. in qua extant tria Cardinalium sigilla, nempe Guidonis S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconi Cardinalis cum Mitra, & ex Literis Gerardi Episcopi Sabinensis, & Benedicti S. Nicolai in Tulliano Carcere Cardinalis Diaconi anno MCCXC. datis. Verum recte admodum monet eruditissimus Georgius Lib. I. *De Liturgia Romani Pontificis*, Cap. XXVI. Num. VII. vetustiora ea de re haberi monumenta. Etenim Innocentius Papa II. anno MCXXX. in Diplomate Vindocinensis Monasterii cui a Papa Alexandro II. concessa fuerat Ecclesia S. Priscæ in Urbe, ubi veterem largitionem confirmat, sic inter alia inquit: *Quia vero Ecclesiam Beatæ Priscæ olim a nostris Prædecessoribus cum dignitate Cardinalitia fuisse concessam eidem Monasterio Vindocinensi dignoscitur, quam tamen, postquam ad nostram notitiam pervenerit, pluribus Cardinalibus esse assignatam, concedimus, ut omnem dignitatem ex ipsa concessione datam, Abbates habeant Sandaliorum usum, Tunicæ, Dalmaticæ, & annuli, sicut eis utuntur Presbyteri Cardinales*.

XIII. Neque vero obstat, quod in laudato Diplomate, quod legere est apud Franciscum Duchesnium in probationibus ad historiam Cardinalium Gallorum Tomo I. Pag. 49. Mitra subticetur, etenim, ut idem advertit Georgius, Mitra ipsa expresse memoratur ab Innocentio III. in literis ad Hamelinum Abbatem Vindocinensem eadem de re datis, extantque apud laudatum Duchesnium Pagina ipsa 49. *Nos vero*, inquit Pontifex, *volentes honori deferre, de consueta Sedis Apostolicæ benignitate, concedimus, ut dignitatem, quam Antecessores tui ex concessione ipsius Ecclesiæ S. Priscæ sunt adepti, tu, & Successores tui nihilominus habeatis Sandaliorum usum, Tunicæ, & Dalmaticæ, Mitræ, & annuli, sicut eis Presbyteri Cardinales utuntur, vobis in perpetum auctoritate Apostolica confirmamus*. Ubi nota quod superius dictum est, Mitram, quæ in Diplomate Innocentii II. subticebatur, in alio Innocentii III. Diplomate commemorari. Ut vel inde intelligas, antiquam esse S. R. E. Cardinalium Mitram, tametsi ejus usus primam originem non ita facile sit reperire.

XIV. Constat autem & illud ex dictis hucusque, jam non solum Episcopos, & Presbyteros, sed & Diaconos S. R. E. Cardinales Mitram olim gestasse. Id quod etiam confirmatur ex Gestis Pontificum Leodiensium, Cap. LXI. ubi Ægidius aureæ Vallis Monachus narrans, Aibertum Lovaniensem electum Episcopum Leodiensium, sed dissidiis exortis non confirmatum Romam adventasse anno Christi MCXCII. ejusque electionem a Cælestino III. confirmatam, hæc habet: *Constituit eum supremus Pontifex sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalem, & imposita Mitra capiti ejus, inter Cardinales summos eum fecit considere*. Et mox: *In proximo Sabbato solemnis jejunii quatuor temporum, quod in Pentecoste celebratur, ordinat eum Diaconum Papa Cælestinus, & eo jubente, magno omnium favore in solemnis ejus Missæ legit Euan-*

Digitized by Google

*Euangelium Albertus Diaconus Cardinalis ordinatus*. Errat itaque Carolus Dufresnius, ubi in suo mediæ, & infimæ Latinitatis Glossario, verbo, *Mitra*, ait, a Cardinalibus Mitram fuisse gestatam, *antequam pro capitis ornamento galerus iis assignatus esset in Concilio Lugdunensi anno MCCXLV.*

XV. Jam non solum Dufresnius, sed & Lazarus Andreas Boquillotus in Disquisitione historica de Sacra Liturgia Lib. I. Cap. VII. Pag. 167. in eum errorem incidit, quem merito refellit Georgius, quia scilicet notum est, quod etiam post Concilium Lugdunense, & acceptum Galerum rubeum ab Innocentio IV. Cardinales Mitras gestarunt, gestantque usque ad præsentem diem, quoties sacris ornamentis induti, uti superius notatum est, divinis Mysteris interfunt. Ceterum Paulus II. initio sui Pontificatus, teste Gobellino Persona, seu Pio II. in Commentariis, Lib. II. Num. XL. *Cardinalibus, qui sacris induti vestibus, a Prælatis inferiorum Ordinum, præterquam loco non cognoscebantur, usum Mitræ sericæ Damasceni operis, rubraque capitia indulsit*. Constat itaque quod & ipse Georgius notat, Cardinales ante, & post Innocentii IV. tempora Mitram gestasse, quoties cum sacris indumentis Pontifici inserviebant, & Paulum II. honoris causa Mitram sericam, quia prius simplicis Mitræ tantum usum haberent, eis concessisse. At his etiam adde, in eo etiam labi Dufresnium, & Boquillotum, quod putent, Galerum rubeum, qui alias civile est capitis Cardinalium tegumentum, successisse in locum Mitræ, quæ utpote inter sacras vestes a sacris Scriptoribus recensita, jam ut hodie, ita & olim nonnisi in sacris functionibus adhibebantur.

XVI. Ad Abbatum Mitram quod attinet, tametsi jam ipsi ante annum Christi millesimum a Sede Apostolica ex Romanorum Pontificum concessione Pontificalia ornamenta obtinuerint, uti ostendimus nostro I. Tomo Romani Pontificalis Tit. XV. in Commentario ad Paragraphos III. IV. V. & VI. tradit nihilominus Joannes Mabillonius, Mitræ usum serius fuisse Abbatibus communicatum, primumque Egelsino Monasterii S. Augustini prope Cantuariam Abbati ab Alexandro II. concessum, ob ipsius scilicet Romanorum Alumni, & Anglorum Apostoli dignitatem. Cœpit deinde hic usus quammaxime frequentari sub Urbano Papa II. qui ex Chronico Cassinensi Lib. IV. Cap. XVII. Oderisio Cassinensi Abbati, & ex Bibliotheca Cluniacensi, Pag. 515. & 517. Abbati Hugoni Cluniacensi idem privilegium elargitus est. Concessit tum etiam ipse Pontifex in Concilio Beneventano anni MXCI. usum Mitræ Abbati Cavensi, qui tamen ea uti noluit, ut post Baronium testatur Angelus de Nuce in Notis ad Chronicon Cassinense Lib. IV. Cap. XVII. itemque Pagius in Breviario Gestorum Romanorum Pontificum, ubi vitam memorati Pontificis Urbani II. enarrat.

XVII. Leguntur præterea passim in Vitis Romanorum Pontificum, qui scilicet post annum millesimum floruerunt variæ concessiones gestandarum Mitrarum, non modo Abbatibus factæ, sed & Canonicis variarum Ecclesiarum. Constat ex literis S. Leonis IX. Papæ ad Hartuvicum Episcopum anno MLII. datis, & in Vita S. Henrici apud Surium die XIV. Julii relatis, ipsum Leonem IX. Pontificem Canonicis Bambergensibus Mitram gestandi licentiam concessisse, ea scilicet ratione, ut ab Episcopo provideantur digniores, & honestiores Presbyteri, & Diaconi, qui bonis moribus, vel maturis ætatibus, vel etiam prælationibus ipsius loci emineant, his diebus, in Natali Domini, in Cœna Domini, & in Sabbato Sancto, in diebus Resurrectionis, & Pentecostes, in die S. Georgii, in die SS. Petri, & Pauli, Assumtionis Beatæ Virginis, & S. Dionysii, & in anniversario die Domini Henrici ejusdem loci fundatoris. Addit mox etiam Pontifex, hanc se illis dignitatem concedere, *qui tantum specialiter excubant, vel deserviunt apud prædicti Prædecessoris nostri sepulcrum*; Clementis scilicet Papæ II. in Ecclesia Bambergensi, unde ad summum Pontificatus Solium assumtus fuerat, quiescientis, uti explicat Martenius Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo I. ubi etiam scribit, se alicubi legisse, eundem Leonem IX. Bisuntinis Canonicis permisisse, ut Diaconus, & Subdiaconus ad Altare ministrantes, Mitris uterentur.

XVIII. Tradit hæc quoque laudatus Pagius in Breviario Gestorum Pontificum Romanorum, ubi agit de ipso S. Leone IX. Num. XVI. additque, nunc etiam Canonicos Pictavienses, Lugdunenses, Anicienses, Matisconenses Ecclesiæ S. Petri, & Brivatenses S. Juliani Mitram gestare. Sunt præterea, ut testatur Macrius in suo Hierolexico, verbo, *Mitra*, multæ Ecclesiæ Cathedrales, in quibus Canonici, vel Dignitates ex indulto Papæ usum Mitræ habent, ut sunt quatuor Dignitates Cathedralis Ecclesiæ Toletanæ, nempe, Decanus, Archidiaconus, Cantor, & Thesaurarius, idque ex concessione Honorii III. de anno MCCXVII. ut ex ejus literis Lib. II. Epistola DCCLXXI. constat. Canonicos Ecclesiæ Cathedralis Messanensis Mitris uti ex serico albo, testatur Carolus Morabitus in Annalibus ejusdem Ecclesiæ Tit. I. Numero XVIII. Longum esset enumerare insignes Italiæ nostræ Ecclesias, in quibus Canonici, uti videre est apud Ughellum in sua Italia sacra Mitras gestant. Hodie ex recentiori disciplina, quæ nostro hoc potissimum seculo invaluit, frequentissimus est Mitrarum usus; paucæ enim insigniores Ecclesiæ inveniuntur, in quibus Canonici Mitræ ornamentum, aliaque privilegia ab Apostolica Sede non obtinuerint. Ceterum Mitram, si Canonici utantur, dum celebrant, ipsis esse imponendam, & deponendam per alios; dum vero Choro assistunt, per se ipsos, decidit Sacra Rituum Congregatio in Lucana XX. Aprilis MDCII. apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. CDLXXXI. Num. II.

XIX. Sed & secularibus quandoque Principibus Mitræ usum concedi consuevisse a Romanis Pontificibus, ostendimus nostro I. Tomo Romani Pontificalis, in Prolegomenis, Cap. XIX. Num. VIII. Teste vel ipso Pontifice Maximo S. Gregorio VII. in Epistola ad Uratislaum Ducem Bohæmiæ

Digitized by Google

miæ Alexander Papa II. anno MCLXVIII. eidem Duci expetitam ab eo Mitram misit, utendamque concessit, hactenus, & inusitatam laicis, & inconcessam. Verba Gregorii Libro I. Epistola XXXVIII. ad ipsum Uratislaum hæc sunt: *Longa jam temporis intervalla transacta sunt, ex quo & nobilitas tua Beato Petro Apostolorum Principi non modicæ devotionis animum spopondit, & studium, & tibi in Apostolica Sede inter ceteros Principes larga benignitas, præ multis etiam singularis, & egregia fuit astricta caritas. Cujus rei fidem, & indicium ex benevolentia Domini, & Antecessoris nostri Alexandri Papæ satis percepisse potes, qui petitionibus tuis non umquam sine sua, & filiorum suorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ solicitudine, & labore condescendit, & ad signum intimæ dilectionis, quod laicæ personæ tribui non consuevit, Mitram, quam postulasti, direxit.* Ita Gregorius, qui & confirmat Uratislao Mitræ usum, quem illi jam Alexander II. concesserat.

XX. Hoc exemplum sequutus est Lucius II. de quo Otto Frisingensis Lib. I. *De rebus gestis, Friderici I. Imperatoris*, Cap. XXVIII. ita plane ait: *Concordiam inter Siculum, & Papam, hujusmodi esse accepimus. Papa concessit Siculo, Virgam, & Annulum, Dalmaticam, & Mitram, atque Sandalia.* Mitram etiam Regi Aragoniæ concessit Innocentius III. ut ex ejus Epistola liquet apud Rainaldum MCCIV. Num. LXXI. & apud Pagium in Vita Alexandri II. Num. LI. *Regalia insignia universa*, ait in Epistola Innocentius, *Mantum videlicet, & Colobium, Sceptrum, & pannum, Coronam. & Mitram ad opus tuum, non minus pretiosa, quam speciosa fecimus præparari, & ea liberaliter tibi donavimus in signum gratiæ specialis.* Multa in Annalibus Ecclesiasticis exempla occurrunt, quibus docemur, quam avidi aliquando fuerint Principes laici, ut ipsis Sacerdotalia ornamenta ab Apostolica Sede concederentur. Ut autem alia omittam, narrat Baronius ad annum MCLXXVII. Alexandrum III. Papam suæ in Rempublicam pietatis Venetam multiplex specimen edidisse, tum vero illud in primis, quod Duci Veneto concessit *Umbellam Galero Pontificio persimile ornamentum.*

XXI. Postquam hactenus de Mitra, ejusque antiquo, & vario usu diximus, notandum nunc nobis illud, quod in §. hoc nostro edicitur, triplicem scilicet esse Mitræ speciem, pretiosam, auriphrygiatam, & simplicem. Antiqua est hæc Mitræ Pontificalis distinctio, ejus enim meminere non tanquam suo tempore adinventæ, sed velut in Ecclesia pridem usitatæ Durandus, tum in Rationali divinorum Officiorum Lib. III. Cap. XVII. *De Mitra*, tum in ms. Pontificali Codice apud Martenium Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo XII. Ordine XIX. & antiquus Ordo Romanus XIII. jussu Gregorii X. atque adeo degente adhuc Romæ Durando conscriptus, apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici, cujus verba Num. XII. hæc sunt: *Notandum est, quod Dominus Papa tres Mitras diversas habet, quibus diversis temporibus utitur, scilicet unam albam totam, unam cum aurifrisio in titulo sine circulo, & Mitram aurifrisiatam in circulo, & titulo.* Omitto alia quæ mox subdit, quæ opportuniori loco in Commentariis ad sequentes Paragraphos referemus.

XXII. Ut ergo quæ ad hunc spectant §. explicemus, ubi triplex Mitræ species exponitur: *Una*, inquit, *pretiosa dicitur, quia gemmis, & lapidibus pretiosis, vel laminis aureis, vel argenteis contexta esse solet.* Extant de Mitris gemmatis varia, ac vetera Ecclesiarum monumenta. Monasticon Anglicanum Tomo III. Pag. 313. ubi catalogum refert sacræ supellectilis Ecclesiæ S. Pauli Londinensis circa finem Seculi XIII. confectum, varias recenset id genus Mitras, quæ Londinensium Episcoporum usui fuere: *Una Mitra breudiata*, inquit, *cum stellis anterius, & posterius, insertis lapidibus in laminis argenteis deauratis, & deficit unus lapis in altero pendulorum, & in parte anteriori septem lapides, & multe perlæ, & in parte posteriori quatuor lapides, & multæ perlæ.* Mitra breudiata idem est, ut explicat Dufresnius, & Spelmannus, ac plumario opere acu picta, apud Gallos *broderie*, apud Italos *riccamo*. Sed audiamus, quæ sint aliæ Mitræ in ipso catalogo descriptæ: *Item una Mitra alba cum flosculis breudiatis de dono Joannis Bellemajus. Item una Mitra breudata cum stellis, & anterius est corneliorus continens caput hominis gravatum, & ornatur laminis argenteis deauratis, & lapidibus insertis.* Et paulo post: *Item Mitra, quæ fuit Henrici de Wengham bene ornata bendis triporiatis, insertis lapidibus, & perlis.* Et iterum: *Item Mitra Henrici de Sanduvyco Episcopi, breudata duabus stellis anterius, & duabus stellis posterius, & ornata rotellis argenteis deauratis, insertis lapidibus, & perlis multis &c.* Addit tum etiam alias Mitras diversi coloris una cum earum ornatibus, quas recenset Georgius Lib. I. *De Liturgia Romani Pontificis* Cap. XXVI. Num. VI.

XXIII. Altera Mitra, qua Episcopi in sacris functionibus uti solent, est *auriphrygiata sine gemmis, & sine laminis aureis, vel argenteis, sed vel aliquibus parvis margaritis composita, vel ex serico albo, auro intermisto, vel ex tela aurea simplici sine laminis, & margaritis.* Mitræ auriphrygiatæ, sicut & simplicis meminit quidem inter alios Durandus, memoratus Ordo XIII. Romanus, & Augustinus Patricius Lib. III. Sectione V. ubi agit de Mitris Romani Pontificis, cujus indumenta, ac ritus varii, uti non semel a nobis notatum est, ad ceteros Episcopos derivarunt. Porro ex nostro hoc §. tertia Mitra, quæ simplex vocatur, est *sine auro ex simplici serico damasceno, vel alio, aut etiam linea, ex tela alba confecta, rubeis laciniis, seu frangiis, & vittis pendentibus.* Triplicem Mitram Pontificalem, ita inter alios explicat eruditissimus Castaldus in sua Cæremoniarum Praxi, Lib. I. Sectione V. Cap. IV. Num. V. ubi ita ait: *Mitra triplex est, pretiosa videlicet ex serico, auro intexta, ac gemmis, & margaritis ornata; secunda pariter ex*

Digitized by Google

*ex ſerico, auro intexta, quæ dicitur auriphrygiata; tertia ex ſerico albo damaſceno cum laciniis ex ſerico rubeo in infulis ex vittis pendentibus, quæ dicitur ſimplex.* Addit, ea Mitra uti in Capella Papali DD. S. R. E. Cardinales, reliquos autem Prælatos Mitra quidem ſimplici uti, non tamen ex ſerico, ſed ex lino puriſſimo, atque tenuiſſimo, albi tamen coloris, & cum laciniis rubeis ex vittis pendentibus. Atque is eſt hodiæ Capellæ Pontificiæ uſus.

## §. II.

Pretioſa utitur Epiſcopus in ſolemnioribus Feſtis, & generaliter, quandocumque in officio dicitur Hymnus, *Te Deum laudamus &c.* & in Miſſa, *Gloria in excelſis Deo &c.* Nihilominus in eiſdem Feſtis etiam auriphrygiata uti poterit, ſed potius ad commoditatem, quam ex neceſſitate, ne ſcilicet Epiſcopus nimis gravetur, ſi in toto Officio pretioſa utatur; propterea uſu receptum eſt, tam in Veſperis, quam in Miſſis, ut pretioſa utatur Epiſcopus in principio, & in fine Veſperarum, & Miſſarum ſolemnium, ac eundo ad Eccleſiam, & redeundo ab eadem, cum paramenta ſumit, ac deponit in Secretario, & quando lavat manus, & dat benedictionem ſolemnem. Intermedio autem ſpatio, loco pretioſæ, accipit auriphrygiatam, juxta normam jam ſuperius declaratam in Cap. XI. Lib. I. §. VI. ubi de officio, & cura ſervientis de Mitra dictum eſt.

## COMMENTARIUS.

I. Conſentanee ad Rubricam noſtri hujus §. docet Caſtaldus Lib. I. Sectione V. Cap. IV. quod Epiſcopo in ſolemnioribus accedenti ad Eccleſiam, vel redeunti imponitur Mitra pretioſa, qua etiam utitur ad Veſperas in principio uſque ad primum Pſalmum excluſive, & ad *Magnificat*, & benedictionem in fine, & cum redit. In Miſſa vero ſolemni uſque ad Hymnum Angelicum, item cum lavat manus, & ad benedictionem, & cum recedit, eadem utitur Mitra, ſcilicet pretioſa. Scite autem tum monet Auctor laudatus, inter Veſperas, ac Miſſam, etiam ubi ipſæ ſolemniter celebrantur, uti poſſe ad libitum *auriphrygiata, ſeu etiam ſimplici*, ne ſcilicet nimis gravetur. Sunt enim in Eccleſiis nonnullæ Mitræ adeo gemmis onuſtæ, ut vix Epiſcopus etiam robuſtus toto Veſperarum, ac Miſſæ ſolemnis tempore eaſdem in capite tenere valeret. Porro Gulielmus Durandus Lib. III. ſui Rationalis, Cap. XIII. tametſi Mitram auriphrygiatam cum pretioſa confundat, ſuccinit nihilominus ritui in hoc §. noſtro præſcripto, ubi Numero VI. ea Mitra utendum eſſe ait, *generaliter, quandocumque*, Gloria in excelſis Deo, & Te Deum laudamus, *dicuntur*; ob eam ſcilicet rationem, quam mox ſubjungit his plane verbis: *Cum enim illa dicantur in Feſtivis diebus, in quibus virtutem, & gaudium generale, ut ſpirituale capitis, vel membrorum ad memoriam reducimus, merito tunc Mitra auriphrygiata utimur, quia aurum, & gemmarum nitor gaudium repræſentat.* Ea poſtrema verba, *aurum, & gemmarum nitor*, ſat nobis indicant loqui Durandum de Mitra pretioſa, quæ uti in antecedenti noſtro §. edicitur, *gemmis, & lapidibus pretioſis, vel laminis aureis, vel argenteis contexta eſſe ſolet.*

II. De varia Mitrarum ſpecie, quibus in diverſis functionibus, & divinis Officiis Romani Pontifices Seculo XIII. uti conſuevere, hæc habet memoratus ſupra Ordo Romanus juſſu Gregorii X. Papæ eodem Seculo XIII. conſcriptus, Num. XII. apud Mabillonium Muſei Italici Tomo II. Num. XII. Pag. 132. *Primo notandum eſt, quod Dominus Papa tres Mitras diverſas habet, quibus diverſis temporibus utitur, ſcilicet unam albam totam, unam cum aurifriſio in titulo ſine circulo, & Mitram aurifriſiatam in circulo, & in titulo. Mitra aurifriſiata in circulo, & titulo utitur in officiis diebus, feſtivis, & aliis, excepto a ſeptuageſima uſque ad Paſcha, & ab Adventu uſque ad Natale, & quando cantat pro defunctis. Et eſt illa ratio, quia coronam repræſentat, & activæ, & contemplativæ vitæ diſcurſum. Mitra vero cum aurifriſio in titulo ſine circulo utitur cum ſedet in conſiſtorio, & judicat; unde coronam Regalem repræſentat. Alba utitur diebus Dominicis, & aliis non feſtivis ab adventu Domini uſque ad vigiliam Nativitatis Domini in Veſperis, præterquam in tertia Dominica de Adventu, quæ dicitur*, Gaudete *&c.* Idem Ordo Num. XX. refert, Pontificem in Dominica, *Lætare*, deferre Mitram cum aurifriſio.

III. Sed audiamus hoc loco, quid de Mitris, quibus olim Papa utebatur, Lib. III. Sacrarum Cæremoniarum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Sectione V. Cap. IX. ſcribit conſentanee ad antiquos ejuſdem Eccleſiæ Romanæ ritus Auguſtinus Patricius: *Romani Pontifices*, inquit, *tribus Mitris pro temporibus exigentia ſecundum antiquas cæremonias utebantur. Prima & precioſior erat cum unionibus, & gemmis, & habebat auriphrygium in titulo, & circulo, ideſt, per medium a circulo ad ſummitatem; & hac utebatur in ſolemnitatibus. Per circulum deſignant, ut ajunt, coronam poteſtatis; per auriphrygium, quod ad ſummum aſcendit, contemplativæ vitæ decurſum. Secunda*

Digitized by Google

*cunda etiam erat cum unionibus, auriphrygiumque tantummodo habebat in circulo, & hac utebatur in Consistoriis, tam publicis, quam privatis, per quam significabatur Regia potestas. Tertia erat alba ex damasceno sericeo, & hac utebantur, in Dominicis Adventus, & Quadragesimæ, diebus ferialibus, & in Officiis defunctorum.* Hactenus ille antiquum Romanæ Ecclesiæ ritum describens, de Mitris scilicet, quibus Romani Pontifices antiquitus utebantur.

IV. Quantum vero ad Mitrarum usum, quas ipsi Pontifices Ecclesiæ Romanæ circa medium seculum XV. in variis functionibus gestabant, ita quidem ait laudatus Patricius, qui tunc temporis floruit, fuitque Apostolicarum Cæremoniarum Magister, variisque in eo munere Papis servivit: *Hodie quatuor Mitras habemus; præciosiori utitur Papa in majoribus solemnitatibus; secunda etiam, quæ preciosa est, & ambæ habent auriphrygium in circulo, & in titulo, utitur in diebus minus solemnibus, & in Consistoriis. Tertia Mitra nihil habet auri, sed unionibus ornata, & habet titulum, & circulum ex unionibus, & ista utitur Papa Dominicis Adventus, & Quadragesimæ, præterquam in Dominica,* Gaudete, *& Dominica,* Lætare, *in quibus utitur secunda Mitra. Quarta est ex serico damasceno, multo auro contexta, sed non habet uniones, aut gemmas, & hac utitur in ferialibus diebus, & aliquando in diebus solemnibus, post principium, ut minus gravetur, & maxime dum fit sermo. Habet etiam aliam magis simplicem ex damasceno cum parvo auro, qua utitur in Officiis defunctorum, & diebus ferialibus majoris hebdomadæ.* Placuit totum hunc ritum describere, in quo multa sunt, quæ & hunc, & sequentes Paragraphos præsentis Capitis XVII. nostri Cæremonialis Episcoporum mirifice illustrant; ex eisque semper addiscimus, multos ritus, qui hodie Episcopis usui sunt, a Capella Papali esse acceptos.

V. At quoniam de variis Summi Pontificis Mitris, quibus per annum uti solet, sermonem instituimus, sciendum & illud est, morem fuisse antiquum, ut Pontifex ipse Romanus in die coronationis Phrygio uteretur, quod a Sugerio Abbate San-Dionysiano in Vita Ludovici VI. Francorum Regis Pag. 318. dicitur *ornamentum Imperiale instar galeæ circulo aureo concinnatum*; & ab Auctore Actorum Alexandri III. *Regnum*, seu *Mitra turbinata cum corona*. Mitram quidem cum Regno, seu Phrygio confundunt aliqui, sed Phrygium ipsum, seu Regnum diversum fuisse a Mitra, ut scite observat Pagius in Vita Alexandri Papæ III. Num. VI. constat ex Jacobo Gajetano S. Georgii ad Velum aureum Cardinali, qui Lib. II. De coronatione Bonifacii VIII. apud Bollandianos ad diem XIX. Maji in Vita S. Petri Cælestini, postquam ex fabulosa, ut videtur, Constantini Magni donatione retulit, Constantinum proprium sibi Phrygium, seu Regnum, Silvestri in vertice pressisse, ita deinde canit:

*Progrediens Princeps Lateranum summus in orbe*
*Appulit; haud Phrygiū, Mitrā sed vertice gestans*
*Pondere confectus nimio.*

VI. Idem præterea Cardinalis Gajetanus in Ordine Romano XIV. Cap. XIX. apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici, Pag. 258. ubi de corona Papæ, quæ vocatur Regnum, disserit, hæc habet: *Papa omnia preciosa ornamenta habebit, & Pallium, & Mitram optimam, & chirothecas, & annulum Pastoralem; & sic cum omnibus venit ad portam, vel ad gradus Ecclesiæ; & ibi Prior Diaconorum Cardinalium extrahit sibi Mitram, & ponit ei coronam, quæ vocatur Regnum, in Capite, toto populo acclamante,* Kyrie eleison, *&c.* Ait deinde Cap. XX. fieri Processionem a S. Petro ad Lateranum, *ubi cum descendit ab equo, deponit Regnum, & assumit Mitram.* Idem præscriptum jam fuerat in Ordine Romano XIII. Gregorii Papæ X. jussu edito, & alibi. Cur contra ritum Ordinum Romanorum Bonifacius VIII. antequam Lateranum perveniret, deposito Regno, Mitram induerit, duplex causa esse potuit. Prima, quod ipso Pontifice incedente Pontificalibus induto, supervenerint densissimæ tenebræ, itaut videretur dies in noctem obscuram converti, ortaque vehementi tempestate ventorum, lampades, & cerei in Ecclesia extincti fuerint. Altera, quod orta commotione, seu collisione in plebe, occisi fuerint homines amplius quadraginta. Duo hæc infausta signa, quæ tunc contigisse legitur apud Wadingum ad annum MCCXCIV. Num. VIII. forsam pompam coronationis Bonifacii turbarunt, & causa fuerunt, cur Bonifacius antequam Lateranum perveniret, deposito Regno, induit Mitram.

VII. Quicquid autem de ea re fuerit, certe Mitra diversa erat a Phrygio, seu Regno, quod, ut ex dictis patet, & memoratus Pagius notat, erat corona, seu, ut loquitur Auctor Actorum Alexandri III. *Mitra turbinata cum corona*. Cum ergo Pontifex ante coronationem haberet *Mitram optimam*, vel *Mitram pretiosam*, seu *Mitram pretiosissimam*, ut in suo Romano Ordine ait Gajetanus; eaque deposita, ut coronaretur, acciperet *Coronam, quæ vocatur Regnum*, aut *Mitram turbinatam cum Corona*; quis non videt, ornamentum illud tot nominibus appellatum, esse Tiaram Papalem hodiernam, quæ tunc erat cum unico, ut ajunt, coronamento, cui Bonifacius VIII. secundum, Urbanus vero V. tertium addidit; ut deducitur ex antiquis effigiebus Romanorum Pontificum, quæ Romæ extant, in quibus Tiaræ ipsæ a S. Silvestro ad Bonifacium VIII. cum una tantum corona repræsentantur, sed a Bonifacio VIII. ad Urbanum V. cum duplici, & ab Urbano V. usque ad hodiernos Pontifices cum triplici. His adde, quod cum Innocentius III. in Sermone de S. Silvestro dicat, *Romanus Pontifex in signum Imperii utitur Regno; & in signum Pontificii utitur Mitra*, vel ex eo liquido constat, Regnum plane diversum fuisse a Mitra, sed non tamen a Mitra turbinata, quæ, uti jam dictum fuit, idem est, ac Regnum.

VIII. Regno, seu Mitra turbinata utebatur jam olim Romanus Pontifex non solum in die suæ coro-

Digitized by Google

coronationis, sed etiam ex antiquo ritu in die suæ inthronizationis, atque aliis etiam sacris functionibus, ut constat ex Actis Vaticanis in electione S. Gregorii VII. quorum verba in ejusdem Pontificis Vita, Num. III. refert Pagius: *Indutus rubea Chlamide, sicut moris est, & Papali Mitra insignitus, invitus, & mærens in Beati Petri Cathedra est inthronizatus.* Ubi nota, per Mitram Papalem, intelligi Mitram turbinatam, seu Phrygium, Tiaram, Regnumve. Etenim in Gestis Paschalis II. anno MXCIX. tegumentum capitis ipsi impositum, ubi primum electus est, *Tiara* a Pandulpho Pisano vocatur: *His*, inquit, *aliisque laudibus solemniter peractis, Chlamide coccinea induitur a Patribus, & Tiara capiti ejus imposita, comitante turba cum cantu, Lateranum vectus.* Quod eodem uterentur Regno, seu Phrygio Romani Pontifices in sacris, magnisque Festivitatibus, docet nos Chronicon Mauriniacense anno MCXXXIX. ubi loquitur de Innocentii Secundi accessu ad Ecclesiam Remensem S. Remigii pro celebrando Concilio: *Romani Pontificis omnibus insignibus indutus, ut sibi consuetudinis est in sacris, magnisque festivitatibus, Phrygio coronatus &c.* Sed & Sugerius in Vita Ludovici VI. Gallorum Regis, Cap. IX. loquens de ipso Paschali Papa II. in Gallia existente, *Cumque Turonis*, ait, *apud Sanctum Martinum, ut mos est Romanus, Phrygium ferens*, Lætare Jerusalem, *celebrasset*, idest, Dominicam IV. Quadragesimæ. In multis aliis Festivitatibus anni Romanum Pontificem Phrygio, seu Regno coronatum fuisse, testes sunt Ordines antiqui Romani a Mabillonio Tomo II. Musei Italici publicati.

IX. Verum quidem est, Mitram illam turbinatam, seu Tiaram non videri differre a Mitra illa *aurifrisiata in circulo, & in titulo*, qua juxta Ordinem XIII. Romanum, Gregorii Papæ X. jussu editum, Pontifex utebatur, *in officiis festivis, & aliis*. Sed ut recte notat in Alexandri III. Vita Pagius, Num. VII. Jacobus Gajetanus Cardinalis in suo Romano Ordine XIV. non obscure indicat, eam aurifrisiatam Mitram, diversam fuisse a Regno, seu Phrygio, & consequenter a Mitra turbinata, seu Tiara, nam Cap. XII. ubi agit de Episcopo in Papam electo, ait: *Electus in Papam induitur omnibus paramentis pretiosis, & solemnibus aptis tempori, & diei, & ponitur pretiosissima Mitra in capite*: quæ alia non videtur a Mitra aurifrisiata in circulo, & titulo; illam tamen postea distinguit a Phrygio, seu Regno. Capite enim XIX. loquens de coronatione Papæ, quæ fiebat in Ecclesia S. Petri ritu solemni: *Post Missam*, inquit, *idem Summus Pontifex .... cum omnibus venit ad portam, vel ad gradus Ecclesiæ, & ibi Prior Diaconorum extrahit sibi Mitram, & ponit ei Coronam, quæ vocatur Regnum*. Distinguit igitur Jacobus Gajetanus Cardinalis pretiosissimam illam Mitram aurifrisiatam in circulo, & in titulo, a Phrygio, seu Regno, ideoque & a Mitra turbinata, seu Tiara Pontificali.

X. Quod spectat ad Mitram *cum aurifrisio in circulo sine titulo*, qua juxta laudatum Gregorii X. Romanum Ordinem, utebatur Pontifex in Consistorio, cum hæc Coronam Regalem repræsentaret, ut ibidem habetur, & ex alia parte Innocentius III. in Sermone III. de consecratione Summi Pontificis, & in Sermone de S. Silvestro disertis verbis affirmet, Pontificem in signum Imperii usum esse Regno; Sugerius vero Phrygium fuisse inquiat ornamentum Imperiale circulo aureo concinnatum, fortasse hæc Mitra diversa non erat a Mitra turbinata, seu a Regno, & Phrygio, uti loco laudato idem Pagius notat. Verum quicquid & de ea re sit, licet hujus Mitræ turbinatæ, seu Tiaræ Papalis ante Pontifices S. Gregorium VII. Paschalem II. atque Alexandrum III. nulla nobis occurrat mentio, non inde tamen sequitur, eam non fuisse XI. seculo, quo floruit ipse Gregorius VII. antiquiorem. Etenim tum Acta Vaticana sub ipso Gregorio Pontifice, tum Pandulphus in Vita Paschalis II. tum Auctor Actorum Alexandri III. dum scribunt, eos Pontifices Tiara Pontificali, Mitraque turbinata, vel Phrygio fuisse insignitos, *sicut moris est*, vel *de more*, sat nobis indicant, antiquum illud esse ornamentum, & quidem circa Seculum VIII. inventum occasione fabulosæ donationis Constantini, cujus Auctor inter alia scribit, S. Silvestrum ab eodem Imperatore, proprio Regno, seu Phrygio fuisse ornatum. Ex quo id saltem evincitur, eo tempore, quo illa donatio supposita est, Romanos Pontifices Phrygio, seu Regno, Tiarave Pontificali fuisse coronatos; alioquin ejus mentionem fabulosæ donationi suæ non inseruisset impostor, ne se impostorem proderet. Cum autem hæc suppositio antiqua sit, facta scilicet sub finem Seculi VIII. vel ipso Seculi IX. initio, quo Rodulphus Archiepiscopus Moguntinus, ut eruditi Viri notarunt, Collectionem Decretalium Pontificum ex Hispania in Galliam detulit, cui hæc falsa donatio inserta erat, evidenter patet, jam ante finem Seculi VIII. Pontifices Romanos Tiara illa Pontificali fuisse ornatos, licet ante Nicolaum I. seu ante medium Seculum IX. ejusdem vestigia non invenerimus.

XI. Errant itaque & illi Auctores, qui putarunt, tunc primum Regnum fuisse gestatum a Romanis Pontificibus, cum scilicet Clodoveus Francorum Rex anno Christi DXIV. Regnum, seu Coronam ab Anastasio Imperatore susceptam dono misit Beato Petro, quamque Anastasius in Hormisda *Regnum* vocavit. Recte enim contra ipsos Auctores animadvertunt Nicolaus Alemannus, *De Lateranensibus parietinis*, Cap. XIII. Joannes Vignolius ad hunc Anastasii locum, & Dominicus Georgius, *De Liturgia Romani Pontificis*, Lib. I. Cap. XXVII. Num. II. Coronam a Clodoveo ea mente datam fuisse, ut una cum aliis donariis ad Beati Petri Confessionem appendi solitis, prout ex prisca Fidelium pietate consuetudo ferebat, suspenderetur; idque ex ipso Anastasio in Leone III. ostenditur. Errat præterea Ægidius Viterbiensis Cardinalis a Leone Decimo creatus, quum de Papa Paulo II. anno MCDLXIV. electo scripsit: *Incredi-*



Digitized by Google

*credibili pretio emit, sacravitque Mitram maximam, insolito pretiosissimarum gemmarum pondere opplevit, qua ornatus cum prodiret, oculos omnium luce radiisque feriebat. Vocari cœpta est est maxima illa Mitra Regnum mundi, quam Paulus sublimi fastigio surgentem regna.... pretio superantem primus reddidit, primus lectissimarum gemmarum toto orbe quæsitarum luce exornavit ambitum trium Coronarum, quarum usus ex arcanis agnosci solum potest.* Ita ille; verum ex superius jam dictis liquet, Mitram illam jam ante annum millesimum fuisse vocatum *Regnum*, & post Urbanum V. triplici Corona fuisse ornatam.

XII. Corruit tandem & quod Cardinalis Papiensis, licet tempore Pauli II. vixerit, de eo scribit Lib. II. Commentariorum dicens: *Porro autem gemmis, lapillisque admodum delectatus.... conquisitis undique pretiosissimis, Mitram, quæ tribus educta Coronis, Regnum appellatur, atque a Pontificibus multis ante seculis desita erat gestari, novam confecit, atque adhibuit.* Regnum enim, seu Tiaram non multo ante ipsum Paulum II. a Romanis Pontificibus gestatam, docet Pagius in Vita Alexandri III. Num. IX. ex Ordine Romano XV. a Mabillonio edito, & a Petro Amelio Senogallienſi Episcopo, qui anno MCCCXCI. adhuc in vivis erat composito, in quo, Cap. XII. loquens de secundis Vesperis Nativitatis Domini, ait: *Ibi Dominus Papa descendit, & deposito Regno, accipit Mitram.* Sed quid opus est ad Amelium recurrere, quum testem habemus Pauli II. coetaneum, Augustinum Patricium, qui Libro III. Sacrarum Cæremoniarum, Sectione V. Cap. IX. ita ad rem inquit: *Est præterea Tiara triplici corona ornata, quod Regnum appellatur, per quam significatur Sacerdotalis, & Imperialis summa Dignitas, atque potestas.* Et mox: *Hac Tiara utitur Pontifex in maximis solemnitatibus eundo ad Ecclesiam, & redeundo, sed nunquam illa utitur in divinis.* Et iterum: *Cum pervenit ante Altare, deponit Tiaram, orat, & assumta Mitra, vadit ad Sedem, & cum ista persequitur divinum Officium, sive in Vesperis, sive in Missa; Tiara autem interim reponitur super Altare.* De hac rursus ait: *Finito Officio, cum Papa revertitur ad Palatium, rursus ei imponitur Tiara, cum hac coronatur in die suæ benedictionis, & coronationis.*

XIII. Illud ergo compertum est, Romanos Pontifices Tiara ipsa, vel Regno, neque ubique, neque semper consuevisse uti, testemque habemus Innocentium III. qui in Sermone de consecratione Summi Pontificis, & Regnum a Mitra distinguit, & utriusque rationem affert: *In signum spiritualium*, inquit, *contulit mihi Mitram, in signum temporalium dedit mihi coronam: Mitram quoque pro Sacerdotio, Coronam pro Regno, illius me constituens Vicarium, qui habet in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium. Sacerdos secundum ordinem Melchisedech.* Præclariora sunt, quæ idem Innocentius de Mitra, & Tiara Pontificali in Sermone de S. Silvestro ait: *Romanus itaque Pontifex in signum Imperii utitur Regno, & in signum Pontificii utitur Mitra; sed Mitra semper utitur, & ubique: Regno autem nec ubique, nec semper; quia Pontificalis auctoritas & prior est, & dignior, & diffusior, quam Imperialis. Sacerdotium enim in populo Dei Regnum præcessit; cum Aaron primus Pontifex Saulem primum Regem præcesserit; Noe quoque Nembroth.*

XIV. Succinit Innocentio III. Durandus Libro III. sui Rationalis, Cap. XIII. ubi de Mitra Episcopali, & etiam Regno Romani Pontificis disserit, de quorum altero ita quidem loquitur: *Illud quoque notandum, quod Romanus Pontifex in signum Imperii utitur Regno, idest, Corona Imperiali, & in signum Pontificii utitur Mitra: sed Mitra semper utitur, & ubique, Regno vero non semper, nec ubique; quia Pontificis auctoritas & prior est, & dignior, & diffusior Imperiali potestate. Sacerdotium enim in populo Dei Regnum præcessit, cum Aaron primus Pontifex Saulem primum Regem præcesserit, & Noe Nembroth.* Additque mox, Regno quidem non uti Papam, *nisi certis diebus, & locis, numquam intra Ecclesiam, sed extra.* Eadem quoad Regni gestationem docet laudatus Patricius, qui etiam illud adjungit, quod *antiquitus quando Romanus Pontifex diebus solemnibus Tiaram hanc ferebat, fiebant ei laudes a Diaconis, & Officialibus, ut in coronatione*, Exaudi Christe &c. *& Pontifex dabat Presbyterium. Hodie utrumque abolitum est.* Erat Presbyterium largitio quædam pecuniæ, quam Romani Pontifices in variis occasionibus elargiri solebant, de eoque aureum Opus numeris omnibus absolutissimum scripsit Vir clarissimus Petrus Morettus, profundissima sua eruditione veterum Sacrorum Rituum, atque Ecclesiasticarum antiquitatum toti literario Orbi notissimus.

XV. Porro dies, quibus Papa coronabatur, eodem teste Patricio, erant infrascripti, videlicet in Festo Sanctorum quatuor Coronatorum, S. Marci, S. Clementis, in Dominica, *Gaudete*, in Dominica, *Lætare*, in Nativitate Domini, in S. Stephani, in Epiphania, in Resurrectione, & secunda Feria, in Dominica, *Ego sum Pastor bonus*, in Ascensione, in Pentecoste, in S. Petri, in S. Silvestri, & in anniversario suæ coronationis. Plura de Pontificia Tiara scripsit quidem, coacervavitque, sed sine delectu Philippus Bonannus in numismatis Summorum Pontificum, in Paulo II. & Alexandro VI. uti notat Georgius loco citato, ubi etiam Num. VII. laudat Angeli Roccæ Episcopi Tagastensis, ac Pontificii Sacrarii olim Præfecti brevem Diatribam de origine, significatu, & usu Tiaræ, quæ dudum in lucem prodiit Tomo I. novæ ejusdem Operum editionis, Romæ anno MDCCXIX. excusa. Sed de Tiara Romani Pontificis satis; cui explicandæ, ejusdem Mitra Episcopalis occasionem dedit, eamque nos consulto arripuimus, quod de utraque uno eodemque contextu Auctores Ordinum Romanorum, itemque Innocentius III. Durandus, Patricius, aliique disserant.

XVI. Superest tandem, ut præter ea, quæ superius diximus de Mitra pretiosa Episcopali, ejus-

Digitized by Google

ejusque vario usu, alia quædam hic adnotemus, ac illud potissimum, ex generali Sacræ Rituum Congregationis Decreto circa usum Pontificalium Prælatis Episcopo inferioribus concessorum, edito die XXVII. Septembris anni MDCLIX. ac ab Alexandro VII. approbato, §. VIII. Prælatis ipsis inferioribus, & consequenter Abbatibus mandatum fuisse, ut *Mitram pretiosam, nisi illis expresse a sancta Sede indultam non adhibeant.* Quod quidem notandum est, nam alias Mitram non modo auriphrygiatam, verum etiam pretiosam, ac multis gemmis ornatam Abbatibus in usu jam olim fuisse, luculentus est testis Crus in Annalibus Sueviæ Parte II. Cap. X. ubi de Willelmo Cœnobii Uspergensis Abbate primo, si canit:

*Namque datur capiti venerabilis infula sacro,*
*Auro, & gemmarum munere tota nitens.*

Non itaque gemmatæ Mitræ recens usurpatio est in Abbatibus, cum præsertim, uti notat Angelus de Nuce in Chronicon Cassinense, Cap. XVII. §. 1663. extent adhuc plurium seculorum gemmatæ infulæ, seu Mitræ, quibus olim Abbates utebantur, hodieque utuntur, uti egomet per quinquennium fere Neapoli degens non semel vidi.

## §. III.

Auriphrygiata Mitra utitur Episcopus ab Adventu Domini usque ad festum Nativitatis, excepta Dominica tertia Adventus, in qua dicitur Introitus, *Gaudete in Domino semper &c.* ideoque in signum lætitiæ utitur tunc pretiosa. Item a Septuagesima usque ad feriam quartam majoris Hebdomadæ inclusive, excepta Dominica quarta Quadragesimæ, in qua dicitur Introitus, *Lætare Hierusalem &c.* Item in omnibus vigiliis, quæ jejunantur, & in omnibus quatuor Temporibus, in Rogationibus, Litaniis, & Processionibus, quæ ex causa pœnitentiæ fiunt; in festo SS. Innocentium, nisi veniat in Dominica; & benedictionibus, & consecrationibus, quæ private aguntur. Quibus quidem temporibus abstinet Episcopus a Mitra pretiosa. Poterit tamen Episcopus, dum utitur auriphrygiata, uti etiam simplici eodem modo, & forma, prout de pretiosa, & auriphrygiata dictum est.

## COMMENTARIUS.

I. QUando uti debeat Episcopus Mitra auriphrygiata, disertis verbis edicit is §. noster, ab Adventu scilicet Domini usque ad Festum Nativitatis, & a Septuagesima usque ad Feriam quartam majoris Hebdomadæ *inclusive* (non vero *exclusive*, ut per errorem scripsit Castaldus, Lib. I. Sectione V. Cap. IV. Num. VIII.) exceptis Dominica tertia Adventus, in qua dicitur Introitus ille *Gaudete in Domino &c.* & quarta Dominica Quadragesimæ, in qua Introitus ille dicitur, *Lætare Jerusalem &c.* Nam tunc, uti hic §. noster docet, in signum lætitiæ pretiosa Mitra utitur. Sane tanta est ipsarum Dominicarum solemnitas, ut quamvis ex variis Synodis, ac præsertim Romana Benedicti XIII. habita anno MDCCXXV. Tit. XV. Cap. VI. diebus Adventus, & Quadragesima pulsari Organa prohibeantur, excipiuntur nihilominus Dominicæ ipsæ, tertia scilicet Adventuss, & quarta Quadragesimæ, in quibus *pulsari Organa permittuntur in Missa tantummodo Conventuali.*

II. Plura scitu digna in easdem Dominicas notat Grancolas in Commentario historico ad Breviarium Romanum, Cap. VIII. quod est de tertia Dominica Adventus, & Cap. LI. quod inscribitur, *Dominica quarta Quadragesimæ.* Erat vel olim Romæ hæc Dominica admodum celebris, & dicebatur etiam *de rosa*, uti constat ex Romanis Ordinibus a Mabillonio editis, & ex Augustino Patricio Lib. II. Sectione I. Cap. XXXVII. ubi inter alia ait, Pontificem auream Rosam deferentem sinistra manu, & dextera populum benedicentem, ad Ecclesiam *cum Pluviali, & Mitra pretiosis* procedere; additque inferius Missam ea Dominica celebrari cum *Mitra pretiosa*, in signum scilicet lætitiæ; cujus etiam ob causam Ministri in solemni Missa utuntur Dalmaticis, ut ex Rubricis Missalis constat, de quibus videri possunt Gavantus, & Meratus, Parte I. Tit. XV. §. VI.

III. Rursus ex §. hujus nostri Rubrica, auriphrygiata Mitra Episcopus utitur *in omnibus vigiliis, quæ jejunantur, & in omnibus quatuor Temporibus, in Rogationibus, Litaniis, & Processionibus, quæ ex causa pœnitentiæ fiunt, in Festo Sanctorum Innocentium, nisi veniat in Dominica.* Festum Innocentium ritu pene lugubri celebratur, ideoque in ejus Officio abstinet Episcopus a Mitra pretiosa, nisi tamen Festum ipsum in Dominicam incidat, quia scilicet in Dominica lætitia Resurrectionis Domini luctum omnem superat. Hinc ex antiquo Ecclesiæ ritu in eo Officio omittitur Hymnus, *Te Deum*, & ad Missam non cantatur, *Gloria in excelsis Deo*, nec *Alleluja*, nisi venerit in Dominica, ut inter alios tradit Ordo Romanus XI. Auctore Benedicto S. Petri Canonico, qui Seculo XII. floruit, Num. XXVI. ubi etiam ait, quod *isto die Romani non comedunt carnem, nec sanguinem, nisi venerit in Dominica die.* Porro cum is Ordo scriptus sit a laudato Auctore ante annum MCXLIII. ut notat Mabillonius, errat iccirco Grancolas, cum in suo ad Breviarium Romanum Commentario, Cap. XX. ait, Romæ olim non fuisse omissum, *Te Deum*, in Officio Festi SS. Innocentium, quamvis non diceretur *Gloria in excelsis*, ad Missam, & nonnisi post duodecimum Seculum, facta Rubrica de non dicendo, *Gloria*



Digitized by Google

*in excelsis*, quando non dicitur, *Te Deum*, sublatum esse, *Te Deum*, etiam ad Matutinum.

IV. Teste Amalario, Lib. IV. *De divinis Officiis*, jam ante annum Christi millesimum in Ecclesiis quibusdam tantum SS. Innocentium Officium lugubri ritu celebrabatur, in Monasteriis enim dici solitum fuit, & *Gloria in excelsis* ad Missam, & *Te Deum* ad Matutinum, neque alia de causa sublatum ait Amalarius fuisse, *Gloria in excelsis*, & *Alleluja*, in Sacramentario S. Gregorii Papæ, nisi quia in Euangelio planctus Rachel memoratur, non vero sublatum *Gloria Patri*, ad Responsoria, neque *Te Deum*, ad Matutinum. En ejus verba: *A quarumdam*, inquit, *Ecclesiarum Clericis non dicitur* Gloria *in aliis Responsoriis*, *nec Hymnus*, Te Deum. *Monachis vero consonum videtur non prætermittere*. Additque mox: *In authentico Gregoriano*, Alleluja, *&* Gloria in excelsis, *tantum tollitur propter luctum matrum in Euangelio*, *Vox in Rama &c.* Certe Monachi olim veterem ritum retinuere. Uldaricus enim in consuetudinibus Cluniacensibus docet, servatum fuisse ibi antiquum usum Monachorum, de quo loquitur Amalarius, dictumque, *Gloria in excelsis*, & *Alleluja*, ad Missam: *In Natali Innocentiam*, ait, *quod aliæ Ecclesiæ non cantent*, Gloria in excelsis, *nec* Alleluja, *hoc minime curatur a nobis*.

V. Præter Amalarium, quesiere jam olim Scriptores alii, cur memoratum Officium lugubre sit? Micrologus, Cap. XXXVI. asserit, SS. Innocentes, quamvis Martyrium passi sint, gloriam tamen post eorum mortem non esse adeptos, sed expectasse post mortem Christi; ideoque eorum Octavam, quæ eorum gloriam repræsentat, lætitiæ signis in Officio celebrari: *Merito passio sanctorum Innocentium minus festive celebratur*, *quia scilicet Martyrio coronati*, *nondum tamen ad gloriam*, *sed ad infernalem pœnam*, idest Limbum, *descenderunt &c.* Refellit hanc opinionem Durandus Lib. VII. Cap. XLII. Num. XI. ubi ait, pari ratione canticæ illa lætitiæ in festo S. Joannis Baptistæ debuisse reticeri, quippe qui ante Christi obitum mortuus, ad Limbum descendit. Tum hanc opinionem affert: *Dicendum est igitur*, *quod hoc ideo contingit*, *quia Auctor Officii voluit*, *nos conjungi in hac Festivitate animabus devotarum Mulierum de morte Innocentium plangentium & dolentium. Unde causa tristitiæ earum*, *illa*, cantica scilicet lætitiæ, *dimittimus*; *& ideo legitur Prophetia Hieremiæ*, *Cap.* XXXI. *de Innocentibus*: *Vox in Rama audita est &c.* Addit & alia, monetque Num. XII. si Festum illud in Dominica contingit, nullum canticum lætitiæ subticeri *propter gaudium resurrectionis*; quod scilicet, ut inter alios Patres observat Theophilus Archiepiscopus Alexandrinus apud Balsamonem, & Thomassinum, *De Festorum celebratione*, Lib. II. Cap. I. Num. VIII. *eo die Dominus noster Jesus Christus resurrectionem ex mortuis nobis comparaverit*.

VI. Notat præterea loco citato Durandus, quod, quia in die SS. Innocentium, *tristitiam mulierum repræsentamus*, *in multis Ecclesiis Diaconi non utuntur Dalmaticis*, *nec Subdiaconi subtilibus*, *idest*, *Tunicellis*, *ad notandum*, *quod Innocentes*, *statim in morte primam stolam non receperunt*. In quibusdam etiam Ecclesiis, ut testatur Grancolas, nempe in Cabilonensi, fiebat hoc Officium lugubre, sicut in Passione Christi Domini, omisso enim *Te Deum*, & *Gloria in excelsis*, omittebatur, *Gloria Patri* ad Invitatorium, & ad Responsoria Matutini, ac ceterarum horarum. Joannes quoque Abrincensis quærens, qua de causa hoc Officium lugubre esset, simile esse ait Officio obitus Jesu Christi, in quo multo plura mœroris, & tristitiæ signa ostendit Ecclesia, quam lætitiæ, & cum pro Christo, quem repræsentabant, infantium Innocentium quisque mortuus sit, idem esse affirmat, Officium facere mortis Christi, ac Officium Innocentium facere: *Quia illis*, inquit, *occisis fit mors Christi secundum æstimationem Herodis*. Testatur tandem, quod jam & alii tradidere, antiquum esse morem hoc Officium quibusdam tristitiæ signis celebrandi.

VII. Iis huc usque explicatis, quæ ad Sanctorum Innocentium Festum pertinent, de quibus in hoc nostro §. facta est mentio, notandum restat, quod in eodem §. edicitur, debere scilicet, & uti Episcopum Mitra auriphrygiata *in benedictionibus*, *& consecrationibus*, *quæ private aguntur*. Ubi nota adverbium illud *private*; nam alias, ut scite notat Bauldryus in Manuali sacrarum Cæremoniarum, Parte V. Cap. XI. Articulo IV. Num. VIII. *in consecrationibus publicis*, *& in ordinationibus*, *quæ fiunt Sabbato Sancto Paschæ*, *& Sabbato quatuor Temporum Pentecostes*, *utitur pretiosa*. Sed nec illud silendum, quod idem Auctor, & Castaldus Lib. I. Sectione V. Cap. IV. Num. IX. & alii auctoritate ejusdem §. nostri docent, Episcopum scilicet supradictis diebus, quibus auriphrygiata Mitra utitur, inter celebrandum, ne nimis gravetur (solet enim & ipsa aliquibus licet parvis margaritis ornari ex §. I. hujus Capitis) eodem modo, & forma, uti etiam simplici, prout de pretiosa, & auriphrygiata dictum est.

## §. IV.

**Simplici vero Mitra utitur Episcopus feria sexta in Parasceve, & in Officiis, & Missis Defunctorum. Sed quia, cum Episcopus utitur Mitra, utitur etiam Baculo pastorali in sua Diœcesi, de eo etiam breviter dicendum est.**

## COMMENTARIUS.

I. SI ullum in totius anni decursu Officium occurrat, quod lugubriori ritu celebrari oporteat, est certe Officium Feriæ VI. in Parasceve; in qua scilicet acerbissimæ Passionis, ac mortis Reparatoris nostri Christi Domini commemoratio celebratur. Longum esset hoc loco exponere,

Digitized by Google

ponere, quot, & qualibus tristitiæ, ac luctus indiciis Officium ipsum antiquitus ageretur, videri de ea re possunt prisci Scriptores, qui de divinis Officiis tractarunt, itemque Romani antiqui Ordines a Mabillonio descripti, ac veteres tandem Libri Pontificales, in quibus, ut etiam testatur Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum, Cap. XLIII. ubi varios ritus enarrat, ususque lugubres, qui in Officio ipso Feriæ VI. in Parasceve celebrari olim consueverunt, inter alia & illud leginus, nullo alio ornamento Episcopos ea die, quam simplici holoserica Mitra fuisse insignitos, aliisque vestibus, quæ ipsius diei luctui convenirent.

II. Nigro colore, vel rubeo fuisse tunc usos vel ipsos Romanos Pontifices, non uno in loco ex ipsis Ordinibus Romanis addiscimus. Quod autem Mitram spectat, quæ eisdem Pontificibus in memoratæ Feriæ sextæ Officio usui erat, ita quidem inquit Romanus Ordo XIV. Auctore Jacobo Gajetano Cardinale, Cap. XCIII. *Est sciendum, quod ista die Dominus Papa..... portat Pluviale rubeum, & Mitram planam de garnello sine aurificiis*. Et paulo post: *Vadit ad Cameram, & ibi deponit Pluviale, & recipit Cappam de scarleto rubeo apertam a medio pectoris usque ad pedes, & eandem Mitram albam, & planam de garnello absque aurificiis, & perlis in capite portans &c.* Idipsum totidem verbis tradit Romanus Ordo XV. Auctore Petro Amelio Episcopo Senogalliensi, Cap. LXXV. *De Officio in Feria sexta in Parasceve*, ubi etiam de sacris vestibus, earumque colore, quibus ea die indui soleret Papa, hæc habet: *Diaconus Cardinalis dicturus Passionem indutus Superpelliceo, Alba, Amictu, Stola lata, absque Planeta, sic indutus induit Papam sacris vestibus nigri coloris, vel violacei, prout sibi placet*. Videsis celebrem Dissertationem Viri Clarissimi Dominici Georgii Italico idiomate exaratam, qua antiquorum Ritualium, ac Scriptorum Liturgicorum auctoritate usum violacei, atrique coloris probat a Romanis Pontificibus adhibiti in aliquibus functionibus Ecclesiasticis.

III. Quicquid autem de ea re sit, teste Augustino Patricio Lib. II. Sectione I. Cap. LI. Mitra simplici utitur Papa Feria VI. majoris hebdomadæ, & quidem ex antiquo Ritu, uti dictum est. In Officio quoque Defunctorum gestari a Papa Mitram simplicem, testatur idem Patricius Libro II. Sectione II. Cap. XXVI. Ex præscripto nostri §. imo ex veteri more, cujus meminit Durandus Lib. III. Cap. XIII. & alibi, *simplici Mitra utitur Episcopus Feria sexta in Parasceve, & in Officiis, & Missis Defunctorum*. Sunt & aliæ functiones, in quibus, ut docent Castaldus, & Bauldryus, aliique, Mitra simplici uti solet Episcopus, ut cum assistit consecrationi Episcoporum, & cum sermonem habet ad populum, si scilicet hoc casu auriphrygiata Mitra uti noluerit. In Capella autem Papæ ea simplici Mitra utetur, quæ sit ex lino tantum purissimo, ac tenuissimo albi coloris contexta cum laciniis tamen rubris ex vittis pendentibus. Ceterum cum Episcopus utitur Mitra, Baculo etiam Pastorali in sua Diœcesi utitur, de eoque etiam breviter dicendum est in Paragraphis sequentibus, juxta ordinem, ac methodum a nostro Cæremoniali præscriptum. Scitissime enim ait Crassus Lib. I. Cap. VIII. quod *& generaliter, & toties Baculo utitur, quoties Mitra. Nam Mitra, & Baculus in Episcopis correlativa sunt, præterquam pro Defunctis*. Quia scilicet in Officiis Defunctorum Mitra quidem utitur Episcopus, non vero Baculo, ut suo loco dicetur.

## §. V.

**Utitur ergo Episcopus Baculo Pastorali in sua tantum Civitate, vel Diœcesi, & etiam alibi, ex permissione loci Ordinarii, & ubi consecrationes, aut ordinationes, vel benedictiones personales facere, ipsi Apostolica auctoritate conceditur.**

## COMMENTARIUS.

I. QUam antiquus sit Episcopalis Baculi usus in Ecclesia tum Latina, tum Græca, satis jam ostendimus nos nostro I. Tomo Romani Pontificalis in Prolegomenis, Cap. XX. & alibi. Putat Thomassinus Parte I. *Disciplinæ*, Lib. II. Cap. LVIII. Baculum olim Pastoralem Episcoporum, sicuti & Sceptrum Regum, initio non fuisse, nisi Baculos, quibus gressum firmarent, quæ tandem lapsu temporis addita iis opulentia, evaserunt utrorumque insignia. Sed quicquid de ea opinione sit, certe Pastoralis Baculi ad significandam Episcoporum dignitatem, ac jurisdictionem meminit Sanctus Gaudentius, quem ad Brixiensem Cathedram anno CCCLXXXVII. recentiores Critici tenent apud Cl. Galeardum in Editione operum S. Gaudentii Patavii anno MDCCXX. Ita enim ait Sermone V. in fine: *Siquis est Apostolicus, & per Jesum magnus factus* (Episcopus scilicet) *ac potens, jam non propter se Baculum portat, sed propter eos, quibus dici necesse est: Quid vultis, in Virga veniam ad vos, an in charitate?* Alludit ad Pauli locum in Epistola I. ad Cor. Cap. IV. vers. ult. Idem S. Pater, ac Præsul Gaudentius paulo inferius Baculum illum vocat, *Baculum correptionis*.

II. Constat itaque IV. Christi Seculo, quo floruit Gaudentius, Baculum Episcopalem insigne quidem appellari jurisdictionis Episcopalis, non vero fulcrum, quo Episcopi gressum firmarent, dum longum iter emetiebantur, præsertim cum Baculus ille soleret in manus Episcopi tradi, dum ordinaretur, ex veteri haud dubie Ec-

Digitized by Google

Ecclesiæ more, ad quem alludens S. Isidorus Hispalensis Episcopus Lib. II. *De Officiis*, Cap. V. inquit: *Huic, dum consecratur, datur Baculus, ut ejus indicio subditam plebem vel regat, vel corrigat, vel infirmitates infirmorum sustineat*. Hinc in VIII. Synodo Actione VII. legitur, quod ingresso Photio Pseudo-patriarcha Constantinopolitano cum Baculo, Marinus Romani Pontificis Vicarius jussit auferri ab eo Baculum dicens: *Tollito Baculum de manu ejus, signum est enim dignitatis pastoralis, quod hic habere nullatenus debet, quia lupus est, & non Pastor*. In Concilio Nemausensi anni DCCCLXXXV. ubi una cum aliis discinctus, dejectusque est Pseudo-episcopus Narbonensis, nomine Selva, scissa fuere eorum indumenta Pontificalia, avulsi annuli a digitis, & eorum capitibus illisi, confractique Baculi: *Scissis Episcopalibus indumentis, Baculis eorum super eorum capita confractis, annulis cum dedecore a digitis evulsis &c.* uti videre est Tomo III. Conciliorum Galliæ, Pag. 252.

III. Ex formula ipsa, qua in manus Episcopi cum ordinatur, Baculus traditur, magis magisque fit manifestum, quod hucusque probavimus, Baculum scilicet Episcopalem nedum insigne honoris esse, sed & dignitatis, ac potestatis, jurisdictionisque pastoralis. Varias hujusmodi formulas jam recensuimus nos Tomo I. Romani Pontificalis, Tit. XIII. *De consecratione Electi in Episcopum*, in Commentario ad §. XXVII. sed audiamus Innocentium III. qui usitatam suo ævo formulam describit Lib. I. *De Mysteriis Missæ*, Cap. LXII. ubi ita ait: *Baculus correctionem significat pastoralem, propter quod a Consecratore dicitur: Accipe Baculum Pastoralitatis, ut sis in corrigendis vitiis pie sæviens*. Eodem teste Innocentio, ideo Baculus Episcopalis est acuens in fine, rectus in medio, retortus, sive recurvus in summo, quia Pontifex debet pungere pigros, regere debiles, colligere vagos. Est itaque Pontificalis jurisdictionis signum, quod etiam docet Glossa Canonici juris in Cap. unico, *De sacra unctione*, verbo, *propter historiam*, ubi ita de ipso Baculo ait: *Designantur autem per Baculum ea, quæ his versibus comprehenduntur*.

*In Baculi forma, Præsul, datur hæc tibi norma,*
*Attrahe per primum, medio rege, punge per imū.*
*Attrahe peccantes, rege justos, punge vagantes.*
*Attrahe, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.*

IV. Cum ergo Baculus signum sit jurisdictionis Episcopalis, recte edicitur in hoc nostro §. uti illum debere *Baculo pastorali in sua tantum Civitate, vel Diœcesi, & etiam alibi, ex permissione loci Ordinarii*. Quæ postrema verba, quæ alias in antiquioribus Cæremonialibus desiderabantur, merito in hoc nostro addita primum fuere, non enim debet Episcopus in aliena Diœcesi, absque licentia Ordinarii illius, Baculo uti, qui insigne est jurisdictionis. Celebre enim est illud Sacri Concilii Tridentini Decretum Sessione VI. *De reformatione*, Cap. V. *Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii prætextu Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subjectas tantum: si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione Ordinum sint ipso jure suspensi*. Concinit hoc Decretum variis aliis ab ipsa Tridentina Synodo de eadem re editis in aliis Sessionibus, itemque innumeris pene sacris Canonibus jam longe ante Synodum Tridentinam a plurimis Conciliis ad tollendum Ecclesiasticæ jurisdictionis perturbationem promulgatis.

V. Sunt qui non solum autumant, verum & acriter contendunt, recitatum Synodi Tridentinæ Decretum, minime obstare, quin possit Episcopus in aliena Diœcesi, sine licentia Diœcesani Episcopi, in Pontificalibus celebrare, hoc est, Missam cum Mitra, & Baculo, cæterisque Pontificalibus ornamentis cantare, quia scilicet illud Decretum, ubi prohibetur Episcopis, ne in aliena Diœcesi Pontificalia exerceant, debet intelligi de usu Pontificalium cum aliquo exercitio, qualis est Clericos ordinare, Chrisma conficere, Altaria, & Calices consecrare, non vero de Missæ celebratione cum Mitra, & Baculo, quæ non superioritatem, seu jurisdictionem, sed gravitatem, & tantæ dignitatis majestatem denotant. Addunt, Missæ Pontificalis celebrationem nihil Ordinario loci detrahere, vel usurpare, mentemque Concilii esse, ne quis mittat falcem in alienam messem, vel jurisdictionem exerceat; & cum Episcopus Pontificaliter cum Baculo, & Mitra celebrando, neque jurisdictionalem actum exerceat, neque Ordinario præjudicet: dicendum iccirco esse, posse Episcopum extra Diœcesim celebrare Pontificaliter sine Episcopi Diœcesani licentia, & uti etiam Benedictione solemni cum illis verbis: *Sit Nomen Domini benedictum*, absque ullo suspensionis metu.

VI. Tradit hæc quidem Mauricius de Alzedo Parte I. *De præcellentia Episcopalis dignitatis*, Cap. XIII. Num. LXXXIX. & XC. ubi multos citat Auctores, Bonacinam, Covarruviam, Henriquez, Barbosam, ac alios complures juxta morem Doctorum, quos vocant Forenses, qui ubi aliquam scribunt propositionem, sine ullo delectu, paginam implent Auctoribus, quos nunquam legerunt. Sed hoc obiter dicto; scite docet Cardinalis de Luca in Annotationibus practicis ad Sacrum Concilium Tridentinum, Discursu VI. in eo Decreto, quo generaliter Episcopis inhibetur, ne in aliena Diœcesi absque proprii Diœcesani licentia Pontificalia exerceant, non modo collationem Ordinum contineri, sed & alia quoque comprehendi, quæ sub Pontificalium nomine veniunt. In iis autem primo recenset usum licet mere cæremonialem, & honorificum, celebrandi nempe solemniter cum Baculo, & Mitra, & cum vestibus Pontificalibus, ac deferendi Mozzettam, & impertiendi benedictionem cum similibus, quæ in effectu consistunt in nudo fumo, vel simplici honorificentia, absque eo, quod Diœcesano Episcopo aliquid tollatur, vel impediatur.

VII. At vero actus quoque ipsos mere honorificos in generali Pontificalium prohibitione com-

Digitized by Google

comprehendi probat ex eo eximius memoratus Auctor Cardinalis de Luca, *quoniam hujusmodi præeminentiæ, quamvis honorificæ sint, attamen sunt effectus jurisdictionis, ac juris Diœcesani, ideoque est alienam jurisdictionem usurpare, vel turbare*; siquis scilicet in aliena Diœcesi Missam Pontificalem cum Mitra, & Baculo celebraret, aliosque id genus actus exerceret. Idque adeo verum est, ut quemadmodum idem observat, neque Metropolitano intra Provinciam in Suffraganeorum Diœcesibus, Diœcesano invito, vel inscio, erectam Crucem habere, vel Mozzettam deferre, sive benedictionem impertiri concedatur, præterquam ubi jurisdictionaliter Metropoliticum jus exercendo, in ea Diœcesi moretur, puta occasione visitationis Provinciæ, quando illa sit in usu, qui alias in Italia sine Apostolica commissione non habetur, sive quod occasione causæ in gradu appellationis ad faciem loci accessum fieri contingat, cum similibus.

VIII. Ceterum singulare, ac summum in nostro Regno Neapolitano privilegium est Archiepiscopi Nazareni residentiam habentis in Oppido Barolitano Tranen. Diœcesis, ob sibi impeditum accessum ad propriam Ecclesiam tam ab infidelibus, quam a schismaticis, ut ex peculiari ratione, quod sit Episcopus Patriæ Domini nostri Jesu Christi, ubique Mozzettam deferre, & Crucem erigere valeat, uti jam fuse ostendimus nostro I. Tomo Romani Pontificalis Tit. XIV. in Commentario ad §. VIII. in fine, ubi inter alia notavimus privilegium ipsum Archiepiscopo Nazareno indultum a Clemente Papa IV. confirmatum quoque fuisse ab Innocentio VIII. Clemente VII. & a S. Pio V. Pontificibus Maximis, adeo ut a nullo molestari possit juxta decisionem Rotæ Romanæ, quæ est 106. Tomo X. Recentiorum.

IX. Discutiendum nunc Dubium est illud, an in Ecclesiis exemtis intra Diœcesim existentibus, de licentia Prælati ipsius Ecclesiæ exemtæ per alterius Diœcesis Episcopum honorificus, seu præeminentialis Pontificalium usus haberi valeat? Respondeo cum eodem Cardinale de Luca, cui adhærent alii Scriptores, quod ubi usus sit talis, ut jurisdictionem, ac Diœcesanam potestatem denotet, puta Pontificaliter celebrare cum Baculo, & Mitra, aliisve vestibus Pontificalibus, aut sedere sub Baldachino, vel deferre Mozzettam, seu Cappam magnam, sive impartiri benedictionem populo, & tunc id fieri non potest; secus autem, ubi agatur de honorificis actibus illis, qui dignitati Episcopali ubique congruere videntur, puta parare genuflexorium cum strato, & pulvinaribus, quoties ipse Diœcesanus in ipsa Ecclesia non sit præsens, aut sibi præbere sellam magis honorificam in loco digniori, cum aliquo strato, & scabello, ut ab alio reliquo populo distinguatur, cum similibus honorificis actibus, in quibus Episcopus habeat se mere passive, illos recipiendo, ipse autem actus jurisdictionales, vel Diœcesanos non exerceat, adeo ut eos denegare potius incivilitatem, & incongruentiam redoleret; quoniam si ipse Diœcesanus in suis Ecclesiis vult esse incivilis, prohibere non debet Ecclesiarum exemtarum Prælatos, vel Superiores, ne hujusmodi urbanitatis, & congruentiæ actus exerceant. Ita jam decisum fuisse a Sacra Rituum Congregatione anno MDCLXXII. pro Archiepiscopo Nazareno contra Archiepiscopum Tranensem testatur idem Cardinalis de Luca loco citato, & in Miscellaneis Discursu I. ut alios omittam Scriptores qui de ipsa Nazarena Ecclesia, ejusque Archiepiscopo, atque insignibus privilegiis late disserunt, inter quos videri potest eruditissimus Ughellus in sua Italia sacra.

X. Adeo tandem verum est, non posse Episcopum in aliena Diœcesi sine permissione Diœcesani Episcopi Baculo uti, ut nec Episcopus Suffraganeus, quando solemniter celebrat, uti Baculo possit, sicut utitur Episcopus proprius, nisi in Ordinationibus, & aliis similibus functionibus ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis in Bracharen. I. Septembris MDCVII. cujus meminit Lezana in Summa Quæstionum Regularium, Tomo III. verbo *Baculus*, Num. VI. & Barbosa in Summa Apostolicarum Decisionum, Collectan. III. Num. II. Rursus cum in eadem Sacra Rituum Congregatione, in Sarsinaten. functionum Episcopalium, propositum inter alia hoc Dubium fuerit, ordine II. *An Episcopus Civitatis Ducalis, Administrator amovibilis Ecclesiæ vacantis Sarsinaten. cum cantat Missas, & Vesperas in Pontificalibus possit sedere super Cathedra Episcopali elevata quatuor gradibus, parata cum Baldachino, & postergali, & uti Baculo Pastorali; vel sedere debeat super Faldistorio prope Altare, sine ipso Baculo?* Respondit ipsa Congregatio: *Ad II. negative, quoad primam partem; affirmative quoad secundam*. Decrevit scilicet, non posse Episcopum Administratorem vacantis Ecclesiæ etiam cum amplissimis facultatibus deputatum, qualis in Sarsinaten. Ecclesia fuit Civitatis Ducalis Episcopus Petrus Jacobus Pichius, sedere super Cathedra Episcopali elevata quatuor gradibus, suppedaneo scilicet incluso, uti jam alias dictum fuit, parata cum Baldachino, & postergali, & uti Baculo, sed debere super Faldistorio prope Altare, & sine usu Baculi sedere. Vide hoc Decretum apud Ursayam Tomo V. Parte I. Disceptatione II. tametsi ipse pro Episcopo scripserit; & apud Cajetanum Meratum in suis ad Gavantum Additionibus.

## §. VI.

**Utitur autem in omnibus Processionibus, quæ si longioris viæ fuerint, faciet illum ante se immediate deferri a Ministro, qui de eo servit, Pluviali induto, quem portabit ambabus manibus a terra elevatum. Si in aliqua Ecclesia sit consuetudo, vel privile-**

Digitized by Google

vilegium, ut aliquis de Capitulo Dignitatem habens, Baculum ante Episcopum deferat, servari poterit. Si vero Processionis via fuerit brevis, poterit ipsemet Episcopus sinistra manu illum deferre; quod intelligendum est, quando Episcopus erit paratus Pluviali, & Mitra.

## COMMENTARIUS.

I. PRocessiones Ecclesiasticæ coævæ sunt Christianæ Religioni, uti fuse ostendunt, eruditus Durantus Libro II. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. x. & Jacobus Eveillon peculiari Libro, quem inscripsit, *De processionibus Ecclesiasticis*. Quædam Processiones, ut iidem docent, sunt ordinariæ, & stativæ, earumque rursus quædam sunt annales, sive annuæ, idest, in annos singulos, quædam in certos dies cujusque hebdomadæ, cujusmodi sunt, quæ diebus Dominicis ex instituto Ecclesiæ celebrantur. Aliæ sunt extraordinariæ, & imperativæ, seu indictivæ, earumque aliæ lætæ, aliæ lugubres vocantur.

II. Ordinariæ Ptocessiones, sunt quæ in Festo S. Marci, in Rogationibus, in Festo Corporis Christi, Purificationis Virginis, ac in Dominica Palmarum ex antiquo Ecclesiæ instituto fiunt. Præcipua earum, quæ ordinariæ, & annales sunt, erat olim ea quæ in die sanctæ Resurrectionis Dominicæ celebrabatur, de qua Rupertus Abbas Tuitiensis Lib. VII. *De divinis Officiis*, Cap. XXI. agit his verbis: *Ut autem Processio ageretur, ex mystica Euangelii auctoritate tractum est, scilicet ex eo, quod Angeli mulieribus præcipiunt, dicentes*: Ite, dicite Discipulis ejus, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam; *& ipse Dominus occurrens illis exeuntibus a monumento, cum tenuissent pedes ejus, & adorassent eum*, Ite, *inquit*, nunciate Fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.

III. Ex ea Processione fluxisse illam, quæ singulis diebus Dominicis fieri alicubi solet, docent idem Rupertus Lib. VII. Cap. XX. & Durandus in Rationali Lib. IV. Cap. VI. cujus institutionis Auctor vulgo creditur Agapetus Pontifex, teste Martino Polono, & eodem Durando loco citato, Num. XXI. ubi ita ait: *Sciendum est, quod primitiva Ecclesia observabat diem Dominicam solemnem, ut & modo, & fiebat in ea Processio in memoriam Resurrectionis, & observabat etiam quintam feriam, & fiebat in ea Processio in memoriam Dominicæ Ascensionis, sed multiplicatis Sanctorum Festivitatibus, sublata est solemnitas quintæ feriæ, & ejus Processio per Agapetum Papam in Dominicam translata est &c.* Unam ex ordinariis Processionibus fuisse illam, quæ olim in Festo Ascensionis Dominicæ habebatur, ex S. Joanne Chrysostomo, & S. Augustino tradit memoratus Durandus loco citato.

IV. Quod pertinet ad Processiones, seu Supplicationes extraordinarias, eas variis ex causis indictas, & imperatas legimus, præsertim ubi sacræ Sanctorum Reliquiæ transferebantur. Referuntur ad extraordinarias Processiones lætæ, ac lugubres, quæ scilicet fiunt ad gratiarum actionem, ob res bene feliciterque gestas; & quæ ad Deum iratum placandum tempore alicujus calamitatis publicæ haberi solent. Cujus generis multæ occurrunt in historia Ecclesiastica, in Vitis Romanorum Pontificum, & in Ordinibus antiquis Romanis, in quibus etiam legimus, consuevisse Summos Pontifices ad ædificationem populi, ubi lugubres ipsæ Processiones agebantur, discalceatos incedere.

V. In omnibus Processionibus, sive Ordinariis, ac statis, sive iis, quæ extra ordinem indicuntur, uti quidem potest Baculo Episcopus, modo Pontificalibus indutus vestibus incedat, ut scite admonet Crassus Lib. I. *De cæremoniis Cardinalium, & Episcoporum in eorum Diœcesibus*, Cap. VIII. ubi de officio Capellani Baculum Pastoralem ministrantis differens, ita quidem inter alia, ait: *Observentur quæcumque de ipso Baculo in novo Ordinario Pontificali dicta sunt, sed specialius hæc, videlicet, quod semper ante Cardinalem Episcopum Pontificaliter paratum, & non aliter, sive longius, sive propius processurum deferatur ipse Baculus Pastoralis per aliquem Mansionarium, aut dictum Capellanum; ejus enim officium honorabile est, qui præter Assistentem, & Canonicos ministros ante omnes Capellanos Celebrantis præcedit tamquam dignior*. Addit tum etiam mox, oportere illum, qui Baculum gestat, esse Cotta, & Pluviali, vel Planeta indutum, *nisi sit Missa pro Defunctis, quia non solum tunc ille non induitur Pluviali, sed nec habendus est Baculus*.

VI. Multa sunt, quæ hic observemus, potissimum vero illud, uti quidem in omnibus Processionibus Baculo Episcopum, *Pontificaliter paratum, & non aliter*; quamobrem non est adhibendus Baculus, si cum Cappa, & multo minus, si cum vestibus civilibus incederet. Id quod etiam ex nostri hujus §. Rubrica cautum est, ubi in fine ait, quod dicitur de Baculi usu in Processionibus Ecclesiasticis, sive brevioris, sive longioris sint viæ, id esse intelligendum, *quando Episcopus erit paratus Pluviali, & Mitra*. Sane si Processionis via fuerit brevis, ex nostro hoc eodem §. *poterit ipsemet Episcopus sinistra manu illum deferre*, nuda scilicet manu, ut notat Crassus; dextera sua benedicens; quod semper facit, dum defert Baculum, nisi præsentibus majoribus se, ut recte Bauldryus ait in suo Manuali Cæremoniarum, Parte V. Cap. X. Articulo V. Num. IV. si vero longior sit via, *tunc faciet illum ante se immediate deferri a Ministro, qui de eo deservit Pluviali induto*; si scilicet ea sit locorum, & Ecclesiarum consuetudo, ut qui de Baculo Pastorali inservit, super Cotta Pluviali indutus sit, uti superius dictum

Digitized by Google

ctum est Cap. XI. §. V. ubi etiam habetur, teneri a Ministro debere Baculum manu dextera Cottæ extremitate cooperta, sive, ut in hoc præsenti §. edicitur, deferri in Processionibus, *ambabus manibus a terra elevatam*, coopertum tamen, ubi tenetur, extremitate Cottæ, in reverentiæ signum, ut ait Crassus loco citato; parte curva Baculi ad populum versa, ut inquit Bauldryus in ipso Manuali Cæremoniarum, Parte V. Cap. XI. Articulo V. Num. II.

VII. Cum tandem, ut idem Crassus notat, *honorabile officium* sit ejus, qui Episcopo de Baculo inservit, recte admodum in hoc eodem nostro §. edicitur, quod, *si in aliqua Ecclesia sit consuetudo, vel privilegium, ut aliquis de Capitulo Dignitatem habens, Baculum ante Episcopum deferat, servari poterit*; sive, ut ait Castaldus Libro I. Sectione V. Cap. V. Num. IV. *servanda est*. Id quod etiam non semel a Sacra Rituum Congregatione decisum fuit die V. Julii MDCIII. & die XIV. Novembris, MDCLXXVI. apud Meratum in suis ad Gavantum Additionibus. Sed nec est, quod, ubi adsit consuetudo, ut Canonicus, vel etiam Dignitas Pastoralem Baculum ante Episcopum gestet, illud obire munus detrectet, cum sciamus, Baculum ipsum Episcopalem, insigne esse Dignitatis, potestatis, ac jurisdictionis Pontificalis, multaque in se continere mysteria, quæ egregie inter alios enarrat Innocentius III. Lib. II. *De Mysteriis Missæ*, Cap. LXII. Quamobrem jure optimo a majoribus nostris statutum fuit, ut in reverentiæ signum Baculum ipsum Minister, qui Episcopo de eo inservit, nuda manu non tangat, *etiamsi sit Sacerdos*, ut loco citato ait Crassus. Ex quo addiscimus, etiam Canonicum, vel Dignitatem, si Baculum gestet, debere illum non nuda quidem manu, sed extremitate Cottæ coopertum tenere. Quod si forte aliquis Alba esset indutus, vel Pluviali super Rocchetto, *convenit*, ait Bauldryus ibidem, Num. IX. *ut habeat velum pendens de collo ejus*; sicut etiam facit Minister, qui de Mitra inservit, quam nonnisi panno manibus obvoluto tenere debet. Ceterum ut finem Commentario imponam, prærogativa Episcopi est, ut in sacris Processionibus, quæ extra Ecclesiam fiunt, Pastorali Baculo utatur, nam ceteroqui Abbas Baculo, & Mitra in Processionibus extra suum Monasterium uti prohibetur, nec ante se ea deferri facere facultatem habet, ex Decretis Sacræ Rituum Congregationis in Eugubina XVII. Julii MDCVI. & in Cameracen. VI. Decembris MDCXXXI. apud Gavantum in Manuali Episcoporum, verbo, *Abbas*, Num. IX. & apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. LII. Num. IV.

## §. VII.

**Item in Vesperis Pontificalibus, dum procedit paratus de Altari ad Sedem, vel e contra, & dum dicitur Canticum, *Magnificat anima mea &c.*, ac dum populo benedicit.**

## COMMENTARIUS.

I. QUum Baculus Episcopalis inter præcipua Episcopi ornamenta recenseatur, ideo & ipso uti debet Episcopus, *quandocumque in Pontificalibus, & solemniter celebrat*, ut verbis utar Gulielmi Durandi in ms. Codice Pontificali, qui olim usui fuit insignis Ecclesiæ Catalaunensis, apud Martenium Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, Cap. IV. Articulo XII. Ordine XIX. §. *Quando Baculo Pastorali, & Sandaliis sit utendum*. Ergo ad Vesperas, ubi scilicet ipsas Pontificaliter celebrat, defertur primo Baculus, cum Episcopus paratus pergit ad Sedem de Secretario, seu Sacristia, si ibi paramenta cœpit. Secundo quoties a Sede ad Altare, vel ab Altari ad Sedem paratus procedit. Tertio dum dicitur Canticum, *Magnificat*, & incensatur, ipse Episcopus sustinet Baculum ambabus manibus simul junctis, ut suo loco dicemus. Quarto demum cum in fine dat benedictionem solemnem.

II. Notant hæc quidem consentanee ad nostrum §. Castaldus Lib. I. Sectione V. Cap. V. Numero VI. & Bauldryus Parte V. Cap. XI. Articulo V. Num. V. & ante ipsos Paris de Crassis Lib. I. Cap. VIII. ubi de Episcopalis Baculi usu in Vesperis, ac Missa, quæ Pontificali ritu celebrantur, ait, Episcopo semper, & ubique utendum esse Baculo, *quoties Pontificaliter paratus, non modo a loco ad locum procedit, ut a Sacristia ad Altare, sed etiam quoties a Faldistorio ad Altare, ac etiam tam a cornu Epistolæ ad medium Altaris vadit, quam ab eodem ad aliud cornu Euangelii, atque inde revertitur. Dum vero in Vesperis dicitur Canticum*, Magnificat, *ac etiam dum dicitur in Missa Euangelium, & cum ex mandato ipsius Cardinalis Episcopi Celebrantis tunc realiter parati fit aliqua ad populum monitio, vel etiam si ipsemet facit monitionem, aut sermonem, aut cum post sermonem a se, vel ab alio coram se similiter celebrante factum ipse lecturus est confessionem, & in fine Missæ dicturus*, In principio erat Verbum, *ac generaliter quoties est daturus benedictionem solemnem cum Mitra, semper ipse, dum producit signum Crucis, & non prius accipit, & tenet usque ad finitam benedictionem Baculum manu sinistra, & dextera benedicit; & generaliter semper, & toties Baculo utitur, quoties Mitra. Nam Mitra, & Baculus in Episcopis correlativa sunt, præter quam pro defunctis*. Hucusque Crassus, qui ritum omnem ad Baculi usum pertinentem ex priscis utique Cæremonialibus dilucidavit, uti liquet ex sequenti §. ubi multa invenies, quæ in hoc Commentario ex laudato Crasso descripsimus.



Digitized by Google

## §. VIII.

**Item in Missa Pontificali, dum procedit de Secretario ad Altare, & cum ad eumdem locum revertitur, & quoties de Altari ad Sedem, vel de Sede ad Altare procedit; dum Euangelium cantatur; cum in medio Missæ, & in fine dat benedictionem solemnem; videlicet, dum incipit producere signum crucis, & non prius; & in omnibus actibus Pontificalibus, qui per ipsum Episcopum exercentur, & ut in Ordinationibus, Benedictionibus, Consecrationibus, & hujusmodi, quæ in suis locis propriis habentur; dummodo, ut dictum est, Episcopus sit paratus Pluviali, & Mitra, aut saltem Mitra, & Stola; nam Mitra, & Baculus in Episcopis sunt correlativa.**

## COMMENTARIUS.

I. Quamvis in Commentario præcedenti, ubi egimus de Baculi usu in Vesperis, quæ solemni, & Pontificali ritu ab Episcopo celebrantur, nonnulla de usu Baculi dixerimus, quum ab eodem Missarum solemnia fiunt; operæ pretium nihilominus ducimus, consentanee ad hanc præsentem Rubricam exponere, quando, & quoties in Missa Pontificali utendum sit Baculo. Et quidem primo, eo insigni Episcopus utitur, dum paratus Pontificaliter procedit e Secretario, sive a Sacristia ad Altare, vel a Sede ad ipsum Altare, & quando ad locum eumdem redit, & quum ad Altare in principio Missæ accedit; tunc enim Baculum Minister, qui de eo inservit, a sinistris Episcopi, & in plano ibidem genuflexus, eum sustinebit, uti post Castaldum notat Bauldryus in suo Manuali Parte v. Cap. xi. Articulo v. Num. vi. Secundo, Altari thurificato ibidem Episcopo eum reddet, si Episcopus illum velit accipere, alias Minister ipsum defert procedens ante Episcopum ad Sedem, ex eodem Bauldryo. Tertio, ad Euangelium Episcopus Baculum ambabus manibus junctis tenebit. Quarto, si Episcopus sermonem habeat, vel alius ad ejus præsentiam intra Missarum solemnia concionetur, semper Minister stare debet a sinistris Episcopi, vel genuflectere, tenens Baculum per partem infimam, si opus sit adjuvando Episcopum, uti post Crassum notant Castaldus, & idem Bauldryus. Quinto, in benedictione, quæ datur vel post sermonem, vel in fine Missæ, Minister cum Baculo adesse debet, ipsumque tunc Episcopo debet porrigere, *dum incipit producere signum Crucis*, versus populum, *& non prius*, ex hoc nostro §. & ex Paride Crasso, ut supra in Commentario ad §. præcedentem. Sexto, dum procedet post Offertorium de Sede ad Altare. Septimo, cum in fine Missæ recedet.

II. Adhiberi denique Baculus debet in locis propriæ jurisdictionis, in Ordinibus conferendis, in Benedictionibus, in Consecrationibus, & omnino in omni actu Pontificali; *dummodo Episcopus sit paratus Pluviali, & Mitra, vel saltem Mitra, & Stola; nam Mitra, & Baculus in Episcopis sunt corrolativa*; excepto scilicet Officio Defunctorum, in quo Mitra licet utatur Episcopus, non potest tamen Baculum adhibere, ut in sequenti §. edicitur. Porro, ut ex ritibus in Romano Pontificali præscriptis scitissime notant Castaldus, & Bauldryus, aliique Auctores, in Ordinibus conferendis, quum ad Litanias dicitur, *Ut hunc electum benedicere &c.* Baculum Episcopo Minister tenendum porriget; quod etiam præstabit, in omnibus Consecrationibus, & Benedictionibus, dum in ipsis Litaniis, benedictionis, vel consecrationis verba, super personas, ac loca benedicenda, & consecranda proferuntur. Sed de his vide quæ suis propriis locis Romanum Pontificale præscribit, & quæ nos in nostris ad Pontificale ipsum Romanum Commentariis diximus. Notanda autem hic sunt postrema illa §. nostri verba, *Mitra, & Baculus in Episcopis sunt correlativa*; ideo scilicet in Episcopis, nam alias variis in locis multa hodie Capitula extant tum Cathedralium, tum Collegiatarum Ecclesiarum, in quibus Canonici licet ex privilegio Apostolicæ Sedis Mitra utantur, non tamen uti Baculo possunt.

## §. IX.

**Excipiuntur tamen ab hac regula Officia, & Missæ pro Defunctis, in quibus usus Baculi cessat.**

## COMMENTARIUS.

I. Tametsi regula sit, ut, quoties Episcopus utitur Mitra, uti possit & Baculo, quia scilicet, uti non semel jam dictum est, *Mitra, & Baculus in Episcopis sunt correlativa*, ab ea regula tamen *excipiuntur Officia, & Missæ pro defunctis, in quibus usus Baculi cessat*, quamvis Mitra simplex adhibeatur. Is plane hodie est usus Ecclesiæ, cujus etiam meminit ante ducentos & amplius annos in suo Cæremoniali Crassus tum Lib. i. Cap. viii. tum alibi, & longe ante

Digitized by Google

ante ipsum non obscure Durandus. Sciendum tamen, alium olim fuisse morem quarumdam Ecclesiarum, in quibus Episcopi in Officiis etiam pro Defunctis una cum Mitra simplici utebantur & Baculo, ut testis est in suo ms. Pontificali idem Durandus, relato a Martenio Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, Cap. IV. Articulo XII. Ordine XIX. ubi in eo titulo, qui inscribitur, *Quando Baculo Pastorali, & Sandaliis sit utendum*, postquam dixit, quod Baculo Pastorali, & Sandaliis Pontifex utitur, quandocumque in Pontificalibus, & solemniter celebrat, & quandocumque Mitra utitur; quando vero illa non utitur, nec Baculo uti debet, ita mox statim subjicit: *In Missa quoque pro Defunctis, & quando erit absolvere in Cœmeterio, de more quarumdam Ecclesiarum, Mitra simplici, & Baculo utitur, & bene*. Ubi nota I. morem fuisse *quarundam Ecclesiarum*, ut Episcopus in Missa Defunctorum Baculum adhiberet, ideoque aliarum fere omnium Ecclesiarum Episcopos usu Baculi abstinuisse. II. morem illum quarundam Ecclesiarum commendari a Durando, ob illud verbum quod subjicit: *& bene*; quia scilicet etiam in Baculi usu, ubi Missæ Defunctorum Pontificaliter celebrantur, aliquid Mysterii observaretur, pro genio scilicet, ac ingenio Scriptorum, præsertim antiquorum, qui in diversis diversarum Ecclesiarum ritibus sua solebant invenire sacramenta. Sed standum est hodie nostræ hujus Rubricæ præscripto, & communi Auctorum recentiorum sententiæ, præsertim vero Ecclesiæ praxi, ex quibus omnibus constat, in Officiis, ac Missis pro Defunctis non posse Episcopum Baculo uti, tametsi Mitra utatur. Est enim hæc regulæ exceptio, quæ dicit, ut quoties Episcopus utitur Mitra, uti possit & Baculo.

II. Reliquum est, ut ad finem Capitis hujus rem scitu dignam notemus, nempe licet ex dictis hucusque Episcopalis Baculus nonnisi in Ecclesiasticis functionibus adhibeatur, morem fuisse antiquum apud Latinos, ut ipsum Baculum ante se deferri curarent Episcopi, quum iter agerent. Id enim constat ex Vita S. Cæsarei Arelatensis Episcopi, Auctore Cypriano ejus discipulo, Libro II. cujus locum attulimus nostro I. Tomo Romani Pontificalis in Prolegomenis, Cap. XX. Numero IV. ubi etiam Constantinopolitanorum Patriarcharum moris meminimus, qui Pastoralem Baculum in solemnibus actibus præferre, aut præferendum sibi curabant. Certe de Josepho Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriarcha in Synodi Florentinæ Historia Lib. IV. Cap. XIV. narrat Silvester Sguropolus, quod Ferrariæ ad Eugenium IV. Papam ingressurus, Pedum quod elevatum famulus ante ejus equum ad Papale usque Palatium portaverat, in manus sumsit, ac deinde a Papa regressus, in theca gestatoria ipsum occultari jussit.

## CAP. XVIII.

*Quo ritu Episcopus in accessu ad Ecclesiam genuflectere, orare, & reverentias facere debeat. Quo item Canonici, cæterique de Clero. Ubi permanere, & quando genuflectere, & surgere, eos oporteat, Episcopo orante, vel divinis Officiis, aut Missa incœptis. Item quid observandum, si Prælatus, vel Laicus ex Magistratu superveniat. Quando assurgere, & reverentias facere conveniat inter divina mysteria. Ad lotionem manuum Episcopi, Ministri genuflexi officium expleant. Quoties aliquid Episcopo celebranti porrigitur, ac ab eo recipitur, toties ipsa res, & manus Episcopi celebrantis, aut Legati præsentis, vel alterius Celebrantis osculandæ, præterquam in Missis Defunctorum.*

### §. I.

Episcopus, a quo ceteris exemplum sumunt, cum primum Ecclesiam ingreditur, detecto capite, sumtaque aqua benedicta, ut suo loco declaratum fuit, procedet ad locum Sanctissimi Sacramenti; deinde ad Altare majus, & utrobique genuflexus, orabit devote, & congruenti mora, & facta prius ante Altare Sanctissimi Sacramenti genuflexione in plana terra, antequam in genuflexorio genuflectat; & similiter finita Oratione, antequam discedat, ut explicatum fuit in Cap. XII. §. IX. Lib. I.

## COMMENTARIUS.

I. TOta pene §. hujus Rubrica desumta est ex veteri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cæremoniali, quod ex antiquis Cæremonialibus adornavit Augustinus Patricius. Is itaque Lib. III. Sectione I. Cap. I. de accessu Papæ, ac reverentiis ab eodem Altari adhibendis, ita quidem inquit: *Accedens primum ad Ecclesiam, sive Capellam Pontifex, genuflectit ante Altare super Faldistorium, & capite detecto orat.* Et paulo post. *Pontifex surgens ab Oratione cum Mitra veneratur Altare, caput inclinando, antequam inde discedat*. Mutuatus hunc ritum fuit Crassus diu in cæremoniis Papalis Capellæ versatus, ubi in suo Cæremoniali usui insignis Ecclesiæ Bononiensis, atque aliarum etiam Cathedralium exarato, Libro I. Cap. XXII. non modo ritum ipsum indicat, ve-



Digitized by Google

verum etiam circa initium Capitis quædam præmittit, quæ in ipso §. hujus nostri exordio paulo fusius, luculentiusque præscripta sunt: *Cardinalis*, inquit ille, *primus documentum aliis daturus, se promtiorem, & humiliorem in actu reverentiæ, & adorationis maxime in publico exhibeat; dum enim primo ad Altare pervenit, genuflexus orat*; detecto scilicet capite, ut paulo inferius ait.

II. Fuse de hoc ritu jam diximus Cap. XII. in Commentario ad §. IX. cujus in hac præsenti Rubrica fit mentio, ubi edicitur, Episcopum, cum primum ingreditur Ecclesiam, nudo capite sumere aquam benedictam debere, porrigente ipsi asperforium cum aqua benedicta, prima Dignitate, vel digniore Canonico, ex Decretis Sacræ Rituum Congregationis in Salamantina XVI. Julii MDCV. in Sarzanen. XII. Martii MDCXVIII. & in Bononien. XIV. Februarii MDCXXXII. Non enim decet, ut manu sua Episcopus more aliorum, qui Ecclesiam ingrediuntur, aquam benedictam sumat, vel ab aliis ipsam accipiat, qui digniores Ecclesiæ illius non fuerint, ad quam pergit. Sane si Præbendæ sunt distinctæ, ministrandum est ipsi Episcopo asperforium a primo Canonico Presbytero juxta aliud ejusdem Sacræ Congregationis Decretum in Placentina XIX. Maji MDCVII. Quid autem si accedat ad aliquam Ecclesiam Collegiatam? Respondit eadem Sacra Rituum Congregatio in Camerinen. XV. Martii MDCVIII. ministrandum tunc esse asperforium a Priore Ecclesiæ Collegiatæ, non vero a prima Dignitate, vel primo Canonico Ecclesiæ Cathedralis.

III. Extant apud Clarissimum Meratum alia id genus Decreta memoratæ Rituum Congregationis variis temporibus edita, quibus edicitur, aquæ benedictæ asperforium Cardinali etiam Legato, seu Ordinario Loci aliquam Ecclesiam suæ Diœcesis, seu jurisdictionis quacunque de causa ingredienti, non ab Archidiacono, seu aliis de Capitulo cujuscunque Ecclesiæ ministrari debere, sed a digniori illius Ecclesiæ, ad quam Cardinalis etiam Legatus, seu Ordinarius accedit. Hinc ingredienti Episcopo Ecclesiam Religiosorum, porrigendum est asperforium per digniorem illius Monasterii, non autem per aliquem ex Canonicis Episcopum associantibus, uti decidit Sacra Rituum Congregatio die XIV. Junii MDCXLVI. Sciendum tamen, casum illum ab hac regula excipi, quando scilicet Canonici capitulariter, & cum Canonicalibus indumentis una cum Episcopo ad Ecclesias quascunque Diœcesis accederent, tunc enim aquæ benedictæ asperforium eidem Episcopo ministrari per digniorem de Capitulo Cathedralis deberet, uti a memorata toties Sacra Rituum Congregatione decisum jam fuit XVIII. Januarii MDCLIII. teste eodem Clarissimo Viro Cajetano Merato in Additionibus ad Gavantum.

IV. Notandum insuper quod initio hujus §. præmissum est, ab Episcopo scilicet ceteros exemplum sumere; quia nempe, ut ait Synodus Tridentina Sessione XXII. *De reformatione*, Cap. I. *Nihil est, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita, & exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus seculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, & ex eis sumunt, quod imitentur*. Idipsum passim Sacræ Synodi, ac Sancti Ecclesiæ Patres docent, inter quos S. Joannes Chrysostomus illud Apostoli dictum in Epistola I. ad Timotheum, Cap. III. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse &c.* exponens, ita ad rem inquit Homilia XII. *Eum quippe, qui regendos alios suscipit, decet tanta virtutis gloria excellere, ut instar Solis ceteros veluti stellarum igniculos in suo fulgore obscuret*. Et mox: *Debet hujusmodi habere vitam immaculatam, ut omnes in ejus vitam, veluti in exemplar aliquod excellens intueantur*.

## §. II.

**Si Mitram habebit, ut dictum est supra Cap. II. §. V. & XII. §. IX. deponet illam, dum orat, & post Orationem resumet, & cum ea faciet Altari majori reverentiam, caput inclinando, antequam inde discedat, & cum incipit ascendere ad Sedem suam, salutat modica capitis inclinatione Canonicos hinc inde stantes.**

## COMMENTARIUS.

I. UBi Episcopus Ecclesiam ingreditur, *si Mitram habebit, deponet illam, dum orat, & post Orationem resumet*. Agit & de hoc ritu Crassus Lib. I. Cap. XXII. ubi ita inquit: *Quoties autem Mitra utitur, si Deum orat, illam deponit, & supplex adorat: si Deum alloquitur, sine Mitra, supplicibus manibus stat; quoties vero populum benedicit, stat cum Mitra, nisi uteretur Cruce. Cum vero aliquem, seu aliquos particulares admonet, vel instruit, sedet Mitratus*. Ritum ipsum, ejusque rationem, cur scilicet Mitram deponat Episcopus, cum orat, eamdemque teneat, cum populo benedicit, vel ad eum sermonem habet, egregie explicat in suo ms. Pontificali Durandus his plane verbis: *Nota, quod quando Pontifex causam populi apud Deum agit, ut quando illum salutat, & quando ad Altare oraturus accedit, & quando in Altari assistit, & quando vota, & orationes ad Deum effundit, Baculum, & Mitram deponit. Quando vero causam Dei populo allegat, ut quando ad populum se convertit, ut illi prædicet, vel benedicat, prædicta*

Digitized by Google

*dicta insignia communicationis resumit*. Legere est Pontificale ipsum Durandi apud Martenium.

II. Affert hanc eandem rationem, & quidem longe luculentius idem Auctor Durandus in suo divinorum Officiorum Rationali Libro III. Cap. XIII. quam lubet hoc loco describere: *Episcopus*, inquit, *ad Altare oraturus accedens, seu Altari assistens, vel orationes ad Deum effundens, Mitram deponit, & Baculum; quia Apostolus*, in Epistola scilicet I. ad Corinthios, Cap. XI. *prohibet viros capite velato in Ecclesia orare, ut revelata facie gloriam Domini contempletur. Quando vero ad populum se convertit, ut illi prædicet, insignia communicationis suæ resumit; unde & Moyses causam populi apud Deum precibus, causam vero Dei ad populum gladiis allegabat*. Alludit ad locum Exodi Cap. XXXII. quem exponit S. Gregorius relatus in Canone, *Disciplina*, Distinctione XLV. subditque mox, suo quidem ævo consuevisse quosdam Episcopos, solemniter benedicere, ac thurificare Altare, *deposita Mitra*, alios vero *cum Mitra in capite*; ac primos ea ratione moveri, *quia solemniter benedicendo, vice Dei funguntur, & Deus per eorum ministerium benedicit*; secundos vero, *quod benedictio, & thurificatio non sunt essentialia ad consecrationem Corporis Christi, sed ad solemnitatem pertinent, & ideo ea cum Mitra agunt, ut per hoc à simplicibus Sacerdotibus discernantur*.

III. Porro quod nostrum hunc §. spectat, tenenda est illa sententia, debere Episcopum, ubi ad Ecclesiam accedit, deposita Mitra, orare, ob celebrem illum Apostoli locum in laudata Epistola I. ad Corinthios, Cap. XI. *Omnis vir orans velato capite, deturpat caput suum*, idest injuria afficit Christum, qui caput est viri, ut mox ipse Apostolus subjicit, & ut eum locum sacri Interpretes explicant. Sed de hac re jam alibi egimus; notandum ergo, quod superius innuit Crassus, Mitra scilicet uti Episcopum, cum populum benedicit, *nisi uteretur Cruce*; tunc enim ob Crucis reverentiam, ut alibi etiam dictum fuit, Mitram deponi oportet, ex Rubricarum præscripto. Notandum quoque & illud, quod etsi ex nostro hoc §. satis sit Episcopo, ut faciat Altari majori reverentiam, *caput inclinando antequam inde discedat*; ad altare tamen SS. Sacramenti genuflectere quidem prius debet in plana terra, & postea Mitram sumere, & recedere, juxta Rubricas superius explicatas. Quod tandem attinet ad eam §. nostri partem, qua edicitur, *ut cum incipit ascendere ad Sedem suam salutet modica capitis inclinatione Canonicos hinc inde stantes*, id ita intelligendum, ut caput minime aperiat suum, Mitra, sive alio tegumento tectum, juxta Decretum Sacræ Rituum Congregationis in Elven. X. Januarii MDCIV. apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum, Collectan. CCXCII. Num. XV. & novissime apud Meratum. In eo autem Decreto edicitur, ut Episcopus licet assistat divinis Officiis cum Cappa, non debeat Canonicos aperiendo caput salutare, sed benedicendo manu.

IV. Debet autem Episcopus tum ex præscripto hujus §. tum ex Doctorum communi sententia, etiam ubi Pontificaliter celebrat, Canonicos hinc inde stantes modica, seu levi capitis inclinatione salutare; prærogativa enim est solius Romani Pontificis, ut nemini omnino mortalium reverentiam faciat, caput inclinando, & multo minus assurgendo, aut caput detegendo, ut docet Patricius Lib. III. *Cæremoniarum sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, Sectione I. Cap. II.

## §. III.

**Ipsi vero Canonici, cum pervenerint ad Altare majus, simul cum Episcopo profunde se inclinant, & statim accedunt ad loca sua in Choro, ubi etiam genuflectunt, & permanent orantes, quamdiu Episcopus orat; quo surgente, & ipsi surgunt; & cum Episcopus eos salutat, capite detecto, profunde se inclinant, & regulariter quoties ipsi Canonici transeunt directe ante Altare, vel ante Episcopum, caput, & humeros profunde inclinant: Beneficiati autem, & cæteri de Clero genuflectere debent, transeundo tam ante Altare, quam ante Episcopum.**

## COMMENTARIUS.

I. DE Canonicis statuit hic §. noster, ut cum pervenerint ad Altare majus, simul cum Episcopo, profunde se inclinent (si scilicet in eo Altari non adsit Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, ante illud enim, sicut de Episcopo dictum est, genuflectere debent) & statim ad sua loca in Choro accedant, ubi etiam genuflectunt, & permanent orantes, quandiu Episcopus orat; neque enim decet, ut prius ipsi assurgant, quam finita Oratione sua se Episcopus erigat, quippe qui totius est ipse Cleri caput, ac Præses. Cum vero Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, ejusque Canonici præcipuam Cleri partem constituant, atque totius Diœcesis quodammodo Clerum repræsentent, Senatumque componant, Hierarchicus quidem Ordo, atque Episcopalis dignitas exigunt, ut Capituli Cathedralis caput, & Præses Episcopus sit, ipsumque, ut talem Canonici revereantur, atque suspiciant, uti scitissime jam olim respondit Alexander III. Pontifex Maximus in Cap. *Novit. De his quæ fiunt a Prælato sine consensu Capituli*.

II. Ob hanc rationem recte & illud ex nostro hoc eodem §. cautum est, ut cum Episcopus levi

Digitized by Google

levi capitis inclinatione salutat Canonicos, detecto ipsi capite profunde se inclinent; *Profunda autem reverentia*, ut consentanee ad hunc nostrum §. docet Crassus Lib. I. Cap. XXII. *non fit per pedis retro projecti extensionem, sed per humererum incurvationem, ac capitis nudi humiliationem simul factas*. Ea enim inclinatio, seu reverentia, quam Crassus reprobat, & quidem merito, affectationem muliebrem sapit, a qua alieni esse debent omnino viri potissimum divinis addicti ministeriis, dolendumque summopere, quod non pauci inveniantur, qui virili, & Ecclesiastica gravitate posthabita, omne studium impendunt, ut in voce, in gestu, in incessu, ac in cæremoniis quoque feminas affectent, & imitentur. Audiant quæso quid de ipsa reverentia exhibenda Episcopo memoratus Crassus subjicit: *Omnis denique reverentia*, inquit, *fiat placide, graviter, & quodammodo timide; non properanter, aut furiose, vel cum lascivia*.

III. Sed hisce omissis, licet Canonici, cum Episcopus eos salutat, detecto ipsi capite profunde se illi inclinent, & regulariter, ut ait §. noster, & Auctores passim liturgici docent, quoties ipsi transeunt directe ante Altare, vel ante Episcopum, caput, & humeros profunde inclinent; *Beneficiati autem, & ceteri de Clero genuflectere debent, transeundo tam ante Altare, quam ante Episcopum*. Auctore Crasso, Mansionarii profundius, quam Canonici, & cum aliquali ostensione genuflexionis reverentiam præstare debent; Capellani vero minores, ac Clerici, & Scutiferi genua quasi usque ad terram humiliare. Mansionarii in multis Italiæ Ecclesiis idem sunt, ac Beneficiati, qui tamen, quicquid dicat Crassus, debent & ipsi, sicut & ceteri de Clero, genuflectere; est enim uti dictum est, solorum Canonicorum prærogativa, qui ex eo, quod Consiliarii Episcopi sunt, ejusque Senatus, non genuflectunt quidem ante Episcopum, sed caput profunde, atque humeros inclinant,

IV. Porro autem non obstante quacumque exemtione, ex eo quod Episcopus caput est, ac primarius Pastor, & Pater sui Cleri, totiusque Ecclesiæ sibi creditæ, ideo Canonici etiam quantumvis exemti, negare illi nequeunt, quæ honoris, ac reverentiæ sunt, sicut nec filius emancipatus naturalia illa obsequii, & honoris jura Patri suo naturali, uti recte observat Carolus Fevretius in Tractatu, *De abusu*, Lib. III. Cap. I. *Cum nusquam exemti liberi esse censeantur*, inquit, *ab obsequio reverentiali*. Hac sane de causa, ut idem notat Fevretius, Capitula quantumvis exemta impedire nequeunt, quo minus Episcopus in Pontificalibus incedens per Apparitores, & Accensos suos cum suis respective Sceptris, & Virgis ad Cathedram suam deducatur; dictique Ministri sua loca prope Episcopum, quo præsto esse queant in ejus servitio, obtineant.

V. Præterea cum ex Decreto Concilii Tridentini Sessione XXV. Cap. VI. *De reformatione*, Episcopis is honor tribui debeat, *qui eorum dignitati par est, eisque in Choro, & in Capitulo, in Processionibus, & in aliis actibus publicis sit prima sedes, & locus, quem ipsi elegerint*: idque rursus non obstante quacunque Capituli exemtione a jurisdictione Episcopi, eo quod hæc juribus, & obsequiis honorificis, atque reverentialibus ratione characteris Episcopalis minime deroget; ideo in sua Ecclesia Cathedrali, tametsi exempta Episcopus habere potest Sedem seu Thronum elevatum, uti judicatum in Parlamento Regio pro Episcopo Catalaunensi die XV. Februarii MDCLXIV. ex Renato Choppino refert Fevretius Lib. III. Cap. III. & ex Fevretio, Vanespennius Parte I. *Universi Juris Ecclesiastici*, Tit. VIII. Cap. II. Num. VII. ubi ex eodem Carolo Fevretio tradit, quod cum nonnulli Canonici Ecclesiæ Cathedralis Ædunensis vellent impedire Episcopum, ne Cathedræ suæ Episcopali imponeret umbellam, quæstione ad Parlamentum Regium delata, declaratum fuit XIV. Martii MDCLVII. Episcopo liberum esse habere umbellam in Cathedra sua elevata ad tres gradus, ad quam possit ascendere, sive in habitu Pontificali, sive Canonicali, quotiescumque ei libuerit.

VI. Cum tandem Episcopus, quacumque Capituli exemtione non obstante, ut iterum, atque iterum dictum est, remaneat caput, & Prælatus totius sui Cleri, & Capituli, eoque titulo debeatur illi debita reverentia, & honor externus sit ipsi exhibendus, ejus characteri correspondens, jure, ac merito jampridem condemnati fuerunt quidam Canonici Ecclesiæ cujusdam Cathedralis, non obstante allegata per eos contraria possessione, comitari suum Episcopum in publicis processionibus recusantes, uti refert Joannes Galli, Quæstione CCCXXVI. ubi Carolus Molinæus in margine ad verbum, *Canonici*, adjicit: *Quamvis exemti, quia non sunt exemti a jure reverentiali, nec ab onere, & obligatione ministeri communis, sed a contentiosa jurisdictione*. Hæ quæstiones Galli cum Notis Molinæi habentur insertæ Voluminis II. Operum Molinæi ultimæ editionis Parisiensis.

## §. IV.

**Si autem quispiam Canonicus superveniat, inchoato jam Officio, vel Missa, absque eo, ut aliquos salutet, vel ab aliis salutetur, statim genuflectit, versus Altare, parumper orans; mox surgit, & facit reverentiam profundam Altari, & Episcopo, deinde salutat Canonicos, & alios de Choro circumstantes, tunc, & non prius ei assurgentes, & eum resalutantes, & vadit ad locum suum. Et, si forte tunc esset principium Horarum, & diceretur in Choro, *Deus in adjutorium &c.***

vel

Digitized by Google

vel *Gloria Patri &c.* aut Hymnus, vel in Missa Oratio, aut Epistola, aut Euangelium, vel denique aliquid aliud fiat, ad quod Chorus, vel stat, vel est inclinatus, vel genuflectit per aliquam moram, expectabit respective, stans, vel inclinatus, vel genuflexus separatim in medio Chori, prout ipse Chorus, donec ea perficiantur; mox factis reverentiis, & salutationibus, ut supra, ibit ad locum suum.

## COMMENTARIUS.

I. STatutum olim jam fuit in Aquisgranensi Concilio, Cap. CXXXI. Canonicum venientem ad Chorum, divino Officio incepto, residere pro illa vice in ultima sede Canonicali. Sed omissa hac disciplina, quæ una cum aliis multis antiquis Ecclesiæ usibus in desuetudinem abiit, ut ea, quæ ad hunc nostrum §. spectant, enucleemus, statuit is quidem, ut si quis ex Canonicis, jam inchoato Officio, vel Missa, veniat in Chorum, ante Altare parumper oret devote genuflexus, ac nudo capite, initio neminem salutans; tum surgens, ibidem faciat reverentiam profundam Altari, & Episcopo; deinde salutet Canonicos, & alios de Choro, hinc inde nudo capite, ut erat, qui tunc, & non prius assurgentes eum resalutent; iisque cæremoniis peractis, ad locum suum tandem accedat.

II. Idipsum jam longe antequam nostrum hoc Cæremoniale Clementis VIII. auctoritate ederetur in lucem, ex servatis pridem Ecclesiæ ritibus tradidit Crassus Lib. I. Cap. XXIII. ita ad rem inquiens: *Siquis autem Canonicus, inchoato jam Officio, superveniat, tunc omnes de assistentia, & de Choro cancellorum ei, postquam orationem fecerit, & non prius simul assurgant. Assurgant autem sic, videlicet: nam si superveniens erat genuflexus ante aditum Altaris (quod omnino facere deberet) tunc nulli ante orationem, sed post illam, & post reverentiam præsente Cardinali ab ipso factam, assurgant Canonici, & Capellani assistentes. Si autem, absente Cardinali, non ante Altare, sed apud cancellos, ante stallum suum suum orare velit, (quod quidem in absentia Cardinalis non improbandum) tunc Canonici, & omnes maxime de Choro, facta ibi per illum oratione, & non prius assurgant eidem; qui sicut prædixi nulli oranti, sive reverentiam facienti reverentia præstatur.* Ita ille, qui totam hanc cæremoniam descripsit, ex iis quæ a Cardinalibus in Papali Capella servantur. Quod quidem optime factum est, Canonici enim habere dicuntur quandam comparationem cum Episcopo, sicut Cardinales Summi Pontificis. Ceccoperius Lib. I. *Lucubrationum Canonicalium*, Tit. III. ubi alios citat, notatque ibidem, Canonicos plurium Ecclesiarum dictos olim fuisse Cardinales, tandemque Paulum III. Pontificem Maximum vetuisse, ne Cardinalium nomine vocarentur. Sed in quibusdam Ecclesiis eo hodieque nomine appellantur.

III. Quoniam vero recitatus Crassi locus desumtus est ex cæremoniis S. Romanæ Ecclesiæ omnium Ecclesiarum matris, atque magistræ, audiamus quid de reverentia Cardinalis, quando venit in Capellam, sive Chorum, Officio jam inchoato, scribit Patricius Lib. III. Sectione I. Cap. VIII. *Siquis Cardinalium*, inquit, *incepto jam Officio, Pontifice in Solio suo residente, ad Capellam venerit, primum cum cancellos ingressus est, paululum progressus genuflectit versus Altare, & orat; tum surgens procedit, & facta, ut alii, reverentia, caput inclinando Altari, & Papæ, ascendit ad Sedem, & osculatur manum Pontificis sub auriphrygio, & cum inde discedit iturus ad locum suum, assurgunt omnes Cardinales, & omnes Prælati, & antequam ipse a Pontifice, facta reverentia, discedat, nemo illi neque Prælatus, neque Cardinalis assurgit &c.* Addit & alia, quæ quidem a Canonicis minime servantur, quia scilicet, ut ajunt Doctores, quandam ipsi dumtaxat comparationem cum Episcopo habent, sicut Cardinales cum Papa.

IV. Cetera nunc persequamur, quæ de reverentiæ disciplina a Canonico servanda in Choro, dum ad illum venit post inchoatum Officium, in §. nostro statuuntur: *Et si forte*, inquit, *tunc esset principiam Horarum, & diceretur*, Deus in adjutorium &c. *vel* Gloria Patri &c. *aut Hymnus, vel in Missa oratio, aut Epistola, aut Euangelium, vel denique aliquid aliud fiat, ad quod Chorus, vel stat, vel est inclinatus, vel genuflectit per aliquam moram, expectabit respective, stans vel inclinatus, vel genuflexus separatim in medio Chori, prout ipse Chorus, donec ea perficiantur.* Sane cum multa in Vesperis, ac in Missa occurrant, in quibus Chorus stat, vel est inclinatus, vel genuflectit, debet tunc Canonicus, qui incœpto jam Officio in Chorum venit, stare & ipse, vel se inclinare, vel genuflectere, separatim scilicet in medio Chori, & expectare, donec ea perficiantur, ut ceteris se conformet, & tunc demum factis reverentiis, & salutationibus, ut supra, ibit ad locum suum. Id quod etiam consonum est iis quæ loco citato scribit Patricius de reverentia Cardinalis quando Capellam ingreditur Officio inchoato.

## §. V.

Idem observatur, si aliquis Prælatus, aut nobilis Laicus, vel ex Magistratu, aut Officialibus Civitatis, qui divinis Officiis interesse soleat, supervenerit, Officio, vel Missa jam incœpta; non enim prius ad suum locum ibit, quam fecerit genuflexus

Digitized by Google

xus Orationem versus Altare, deinde reverentiam Altari, & Episcopo; & Canonicos, aliosque nobiles Laicos, aut Magistratum, suosque æquales capitis nutu salutaverit; & si aliquid ex supradictis recitabitur in Missa, vel in Choro, expectabit finem, stans, ut de Canonicis dictum est; & mox, surgentibus eisdem Canonicis, & Laicis, quos ipse salutaverit, ab eis resalutabitur.

## COMMENTARIUS.

I. QUæ de Canonico superveniente in Chorum, inchoato jam Officio, vel Missa, dicta sunt, eadem a Prælatis, aut nobilibus Laicis, Magistratu, Officialibusque Civitatis, qui divinis Officiis interesse solent, esse observanda, si scilicet Officio, vel Missa jam incepta, supervenerint, §. hic noster statuit; cui concinens Crassus Libro I. Cap. XXIII. ita ait: *Siquis autem Prælatus, aut nobilis, vel aliquis alius in dignitate Ecclesiastica, vel seculari constitutus intra rem divinam supervenerit, non prius faciat reverentiam Cardinali* (sive Episcopo, nam agit de cæremoniis Cardinalium, & Episcoporum in eorum Diœcesibus) *aut aliquem salutet in Choro, quam a sua oratione facta surrexerit: qua facta, ipse faciat reverentiam Cardinali, & similiter salutet Canonicos, ac etiam Magistratum præsentem, a quo vicissim, & mutuo resalutabitur tunc, & non prius.* Et mox de Magistratu superveniente loquens, cæremoniam ab ipso, & ab aliis in Choro existentibus faciendam ita enarrat: *Similiter si eo tempore superveniat Magistratus, prius quidem debet orare; aut in medio Chori (quod melius est) aut in sedilibus pro eo paratis; & interim nulli, sive Clerici, sive Laici Magistratui assurgant, aut reverentiam faciant, nisi oratione penitus finita.* Id quod alii etiam Scriptores docent.

## §. VI.

Mansionariis vero, seu Beneficiatis, & aliis de Clero supervenientibus, ut supra, facta Oratione, & debita reverentia Altari, Episcopo, & Canonicis; nullus ex Canonicis, aut ex Magistratu, vel Nobilibus supradictis assurgat, sed tantummodo alii Mansionarii, & Clerici eorum æquales, vel inferiores. Et qui solent gestare almutium, dum assurgunt, a scapulis, ad brachia dimittant.

## COMMENTARIUS.

I. MAnsionariorum multiplex olim genus fuit, tum in Ecclesiis, tum in Palatiis Principum. Fuisse Mansionarium Dignitatem in Palatio Regum Francorum, docet nos Hincmarus in Epistola de Ordine, & Officiis Palatii, Cap. XVI. & XXIII. ubi ejus Officiorum ita describit: *Inter quos & Mansionarius intererat, super cujus ministerium incumbebat, sicut & nomen ejus indicat, ut in hoc maxime sollicitudo ejus intenta esset, ut tam supradicti Actores, quamque & susceptores, quo tempore ad eos illo, vel illo in loco Rex venturus esset, propter mansionum præparationem, ut opportuno tempore præscire potuissent, ne aut inde tardescientes, propter afflictionem familiæ importuno tempore peccatum, aut hi propter ad condignam susceptionem, ac si bene noluissent, cum certe non volendo, sed non valendo offensionem incurrerent.* Addit & alia Dufresnius in suo mediæ & infimæ Latinitatis Glossario verbo, *Mansionarius*, ubi etiam Comitis Mansionarii meminit, qui scilicet Mansionariis præerat.

II. In Ecclesiis antiquissimum est Mansionarii vocabulum, atque officium, cujus inter alios mentionem facit S.Gregorius Lib. III. Epistola 3. Lib. III. Dialogorum Cap. XXIV. & XXV. & alibi. Erat custos, & conservator Ædis sacræ, vocatusque iccirco etiam Ædituus, & Matricularius. Fuisse Mansionarios in Cleri ordine, pluribus probat idem Dufresnius, & Joannes Mabillonius in Commentario suo prævio ad Romanum Ordinem, Cap. IV. Occurrit in Ordine I. Romano apud ipsum Mabillonium, *Primus Mansionarius*; eratque dignitas in Ecclesia Romana, qui primus scilicet in Mansionariorum ordine erat: *Cetera vasa*, inquit Ordo ipse Romanus, Num. III. *aurea & argentea, cereostata aurea, & argentea de Ecclesia Salvatoris per manum primi Mansionarii sumunt, & bajuli portant.* Mansionarios tandem Canonicos, dictos vulgo residentes, ad discrimen Forensium, qui non residebant, memoratus supra Dufresnius affirmat.

III. Sequioribus seculis Mansionarii dicti sunt Beneficiati Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, eoque nomine appellati, quod assiduam operam præstent in Choro, in Psalmodia, ac divinis laudibus persolvendis. Fit de iis mentio in Can. *Si quis Episcopus*, I. Quæstione I. & in Cap. penult. *De Clericis non residentibus*, ubi *Assisii* vocantur, ita forte appellati, inquit Barbosa, *De Canonicis*, Cap. IV. Num. XXXVII. *propter assiduitatem, quam majorem propemodum, quam ipsi Canonici divino cultui exhibere tenentur, ex quo pro supplendis ipsorum Canonico-*

Digitized by Google

*eorum defectibus adsciti, & Ecclesiasticorum proventuum participes effecti videntur; unde facete Joannes Andreas*, ad laudatum Cap. penultimum, *ipsos Assisios, quasi asinos, quod totum fere divini cultus portent onus, appellat*. Verum videntur ipsi Beneficiati in eo capite, sicut & in multis Conciliis dici *Assisii*, quod eis *Assisia*, seu pensio annualis assignata esset, uti Dufresnius docet in laudato Glossario verbo *Assisia*, & verbo *Assisil*.

IV. In multis Ecclesiis nullum eis plane jus competit in Capitulo, & maxime statuendi circa Ecclesiam, ejusque servitium, sed ad illos veluti servos nihil aliud spectat, quam obsequendi necessitas, cum munus eorum proprie sit servitorium, nullamque habeant præeminentiam, sive dignitatem, sed Capitulo tanquam illius servitores subsint, uti pluribus allatis auctoritatibus tradit Scarfantonius in suis ad Ceccoperium animadversionibus Lib. I. Tit. III. Num. XXXIV. & seqq. Sed hæc dura nimis sunt, & aspera; sunt enim Beneficiati Clericali charactere insigniti, & ut plurimum Sacerdotes, ac doctrina, & virtutibus ornati, unde non possum non obstupescere, quod in quibusdam insignioribus Basilicis Beneficiati a Canonicis parvi æstimantur, adeo ut in Altari, ubi solemnem Missam celebravit Canonicus, non possit Beneficiatus Missam cantare, nisi prius Altare linteis, Cruce, Candelabris, aliisque ornamentis penitus exutum, alia inferiori supellectile instruatur.

V. Illa jure probata est Canonicorum præeminentia supra Beneficiatos, ac Mansionarios, aliosque de Clero, ut iis *supervenientibus, ut supra facta oratione, & debita reverentia Altari, Episcopo, & Canonicis, nullus ex Canonicis, aut ex Magistratu, vel Nobilibus supradictis assurgat, sed tantummodo alii Mansionarii, & Clerici eorum æquales, vel inferiores*. Tradit eundem ritum Crassus Lib. I. Cap. XXIII. ubi postquam enarravit cæremoniam in Choro servandam, ubi aliquis ex Canonicis, inchoato Officio, vel Missa, accederet; de Beneficiatis, Mansionariisve ita statim subdit: *Hæc lex quoad sessiones, & surrectiones, non capit Mansionarios, nec alios minores, quia aliquo eorum surgente, nulli de Choro, sive de assistentia regulariter assurgunt ei tanquum Mansionario, nisi Officium facienti: seipsos tamen invicem salutare possunt*. Sane cum Canonici passim in sacris Canonibus Clerici primi gradus dicantur, itemque Fratres, & Consiliarii Episcopi, Senatum Ecclesiæ repræsentent, aliisque prærogativis decorentur, de quibus disserit Barbosa in Tractatu, *De Canonicis, & Dignitatibus*, jure ac merito ea obsequia a Beneficiatis, aliisque inferioribus Clericis impendi ipsis Canonicis debent; consentaneum enim est, & a legibus æque Cæsareis, ac Pontificiis ordinatum, ut minores majoribus cedant, & reverentiam exhibeant.

VI. Cum tandem ex hoc nostro §. cautum sit, ut Beneficiati, Mansionariive, *qui solent gestare almutium, dum assurgunt*, Mansionario scilicet, aliive supervenienti, a scapulis ad brachia dimittant, sciendum breviter est, amiculum illud esse, quo olim Canonici, caput, humerosque tegebant. Appellatur etiam in Concilio Ravennatensi anni MCCCXIV. Can. X. *Armutia*, & apud alios etiam *Almutia*, de qua S. Carolus in Concilio suo Provinciali V. Mediolanensi, Cap. *Quæ ad divina Officia &c.* hæc habet: *Cum Almutiam pelliceam, quod insigne Canonicorum est, humeris, vel brachiis, prout moris est, Canonicus imponit, eam cogitationem suscipiat, in se restrictas, ac plane mortuas esse oportere rerum mundanarum affectiones, atque cupiditates, ut ejus rei significans est illa animalis intermortui pellis, quam de more induit*. Esse Almutiam Canonicorum non modo insigne indumentum; sed & Beneficiatorum in aliquibus Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis, notat Macryus in suo Hierolexico verbo, *Almutia*. Approbatum fuisse a Sacra Rituum Congregatione in Hydruntina XXX. Januarii MDCXVI. usum Almutii ab Hydruntino Archiepiscopo concessum Dignitatibus, Canonicis, & Presbyteris suæ Ecclesiæ Metropolitanæ coloris violacei, pro aliis vero Presbyteris collectitiis coloris nigri, testatur Barbosa in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. XX. Numero IV.

## §. VII.

**Illud quoque pro regula observandum erit, ut æqualiter omnes prædicti, qui de eodem corpore sunt, cum sedendum erit, sedeant, cum vero surgendum est, surgant. Sunt enim diversa corpora, seu Chori ministrantium, dum divina res solemniter celebratur; primus siquidem Chorus est assistentium, & ministrantium Episcopo celebranti; alter Canonicorum in suis subselliis residentium; alter Magistratuum, vel Nobilium Laicorum; alter Beneficiatorum, & reliquorum Clericorum.**

## COMMENTARIUS.

I. DE disciplina in Choro servanda, & Cæremoniales Libri, & Ecclesiarum Antistites ad Christiani populi ædificationem sanctissimas regulas, & Canones edidere. Paris de Crassis sacrarum Cæremoniarum, atque Ecclesiasticæ disciplinæ peritissimus Libro I. Cap. XXIII. ubi agit de sessionibus, atque surrectionibus in Choro, ac præterea enarrans eodem loco, quando illæ, & qualiter, & quo ordine sint peragendæ, ita ad rem inquit: *Expedit, ac etiam*



Digitized by Google

*etiam decet, ut Magistratus, Canonicique, ac reliqui omnes de Clero, & Populo rei divinæ præsentes, hanc normulam in suis sessionibus, surrectionibusque observent, ut quando sedendum erit, ab omnibus sedeatur, pro quibus sedilia sunt deputata; item, cum stare oportet, omnes omnino stent recti, usque ad unum, & non aliter; maxime, nequa inter eos unicum corpus repræsentantes disparitas appareat*. Notanda sunt ea Crassi verba, *pro quibus sedilia sunt destinata*, in diversis scilicet Choris, ut inferius idem Auctor se explicat; neque enim cum unus de uno Choro assurgit, ceteri de aliis Choris assurgere debent, sed ii tantum, qui de illo sunt Choro.

II. Hanc Regulam jam ex antiquo ritu præscriptam, ut scilicet, *æqualiter omnes, qui de eodem corpore sunt, cum sedendum erit, sedeant, cum vero surgendum est, surgant*, inter alios sanctus Carolus antiquorum Ecclesiæ Rituum peritus, ac tenax in sua I. Provinciali Mediolanensi Synodo confirmavit, ubi in eo Capite, quod inscriptum est, *Quomodo in Choro versandum*, ita statuit: *In Choro pro temporis, & officii ratione, ex instituto, & more Ecclesiæ sedeant, stent, flectant genua, caput aperiant, & submittant, cæteraque hujus generis adhibeant: omnes vero æque idem faciant*. Id ipsum statuunt & aliæ Synodi, præsertim Salernitana Archiepiscopo Marco Antonio Columna, anno MDLXXIX. Parte II. Tit. XIII. Cap. V. ubi postquam docuit, quando Canonici debeant in Choro genua flectere, assurgere, caput aperire, vel inclinare, aut se signaculo Crucis munire, ita demum subjicit: *Studeantque, ne unus ab altero, vel pauxillum discrepet, sed exteriori gestu, atque habitu, necnon pronunciatione concordi obsequium præstent*.

III. Ubi hæc regula, & uniformitas minime servatur, ut in multis Choris contingit, in quibus alii e Canonicis sedent, alii stant, alii genuflectunt, & alii alia agunt a sanctitate loci aliena, jam non Chorus, sed locus confusionis appellari merito possit. Cum autem scribat Apostolus in Epistola I. ad Corinthios, Cap. XIV. ut *omnia honeste, & secundum ordinem fiant*, supervacaneum est loca Patrum afferre ad excitandos Canonicos, ut uniformitatem servent, ac divinorum Officiorum decorem, ne alias dici de eis possit, quod in eosdem quædam Synodus declamavit: *Spectaculum indecens facti estis mundo, Angelis, & hominibus*; utividere est apud Ceccoperium Parte I. Lib. II. *Lucubrationum Canonicalium*, Tit. V. Numero XII.

## §. VIII.

Cum igitur aliquis ex assistentibus Episcopo surgit, facturus aliquid ad Officium suæ assistentiæ pertinens, pariter & alii coassistentes, & Ministri circumstantes surgere debent; non tamen Episcopus, & sic stare, donec ille sedeat; nec ideo tunc reliqui Canonici in Choro sedentes, nec alii de Choro surgunt, tamquam diversi Chori.

## COMMENTARIUS.

I. CUm juxta regulam superius traditam, ubi Pontificales functiones celebrantur, multi sint Chori, & quidem diversi, & præterea omnes, qui de eodem sunt Choro, vel sedere, quando sedendum erit, vel assurgere, quando assurgendum, æqualiter debeant; merito in præsenti statuitur, ut cum aliquis ex assistentibus Episcopo surgit, *facturus aliquid ad officium suæ assistentiæ, & alii Coassistentes, & Ministri circumstantes* assurgant, *non tamen Episcopus, & sic stare, donec ille sedeat*. Hinc, ut alia exempla omittam, quæ in nostro Cæremoniali passim occurrunt, Lib. II. Cap. I. §. X. habemus, quod ubi primus Diaconus, qui a dexteris Episcopi assistit in Vesperis, intonaturus est secundam Antiphonam, *surgunt tantummodo alii Coassistentes*; qui scilicet in primo sunt Choro, qui in superiori §. appellantur Chorus *assistentium, & ministrantium Episcopo celebranti*; non autem alii, qui in aliis Choris sedent. Porro Episcopus licet in eodem Assistentium sedeat Choro, non assurgit tamen, cum aliquis ex Assistentibus surgit, ob supremam suam dignitatem, ac præeminentiam; neque enim decet, ut qui aliis præest, & qui in sua Ecclesia est omnium Pater, & Princeps, filiis, ac subditis eam exhibeat reverentiam.

II. At vero cum ad Assistentium Chorum pertineant etiam Acolythi illi, sive Capellani, seu Ministri, de Libro, de Candela, de Baculo Pastorali, de Mitra, & alii, de quibus egimus supra in Commentariis ad Cap. X. debent & ii assurgere cum aliquis ex Assistentibus Episcopo surgit. Id quod etiam docet Crassus Libro I. Cap. XXIII. ubi egregie hanc nostram Rubricam dilucidat his verbis: *Cum unus ex Canonicis ministrantibus, sive assistentibus surgit, facturus aliquid ad officium assistentiæ pertinens, etiam alii duo, sive alius coassistens surgat, & cum eis similiter omnes novem Capellani Cottis induti apud Cardinalem sub Tribuna servientes surgant omnino, quia hi omnes unum Chorum inter se facere censentur; sed nullatenus alii Canonici, nec Mansionarii, neque Capellani, existentes in cancellis Chori surgant; quoniam isti, qui sub Tribuna apud Cardinalem, sive Episcopum celebrantem, assistentes sunt, censentur facere unum Chorum divisum ab illo Choro, ubi sunt alii Canonici, & Mansionarii in cancellis sedentes*.

III. Sciendum denique hic illud est, quod, tametsi Acolythi illi, seu Ministri de Baculo, de Mitra, & alii jam superius enumerati, ad Assistentium Chorum pertineant, si quispiam ex his aliquid

Digitized by Google

aliquid ad officium suum pertinens acturus surgat, jam non debent ii, qui digniores sunt gradu, uti sunt Diaconi assistentes Episcopo, assurgere, ob eam scilicet rationem, quod minime deceat, ut majores dignitate, seu gradu, minoribus obsequium præstent. Esset enim contra Jura divina, humana, & naturalia, quod major debeat reverentiam exhibere inferiori. Ceccoperius Parte I. Lib. I. *Lucubrationum Canonicalium*, Lib. I. Tit. VIII. Num. XVI. ubi etiam ex Hostiensi notat, non posse fieri legem, ut minor præcedat majorem.

IV. Unum est, quod omitti nullatenus debet, hanc Rubricam, sicut & alias plerasque desumtam plane videri ex Cæremoniis Capellæ Papalis. Etenim teste Augustino Patricio Lib. III. Sectione I. Cap. VII. *Inter Sacra, si Episcopus, aut Presbyter Cardinalis assistens assurgit aliquid acturus, aut dicturus, duo Diaconi assistentes, & similiter Episcopi assistentes assurgunt; alii autem Cardinales, & Prælati non surgunt*; quia scilicet hi sedent in alio Choro diverso ab illo, qui dicitur Assistentium Chorus.

## §. IX.

**Similiter aliquo ex Canonicis in Choro residentibus surgente, ut aliquid faciat ad publicum, & commune Chori officium spectans, puta cum intonatur Antiphona, seu aliquid simile, omnes alii Canonici, ac etiam Beneficiati, & Clerici ab utroque latere Chori assurgunt, præter prædictos, qui Episcopo assistunt.**

## §. X.

**Inter Laicos quoque, uno surgente ratione officii, ut cum datur illis incensum, aut pax, cæteri quoque surgunt, secus vero, surgentibus aliis non sui ordinis.**

## COMMENTARIUS.

I. E Narrat & hanc Rubricam §. IX. Paris de Crassis eodem Lib. I. Cap. XXIII. ubi post explicatam cæremoniam in assurrectione alicujus ex assistentibus Episcopo celebranti observandam, ad Chorum Canonicorum descendens, hæc habet: *E converso dum unus de Choro cantaturus Antiphonam, vel aliquid tale facturus, quod ad officium pertinet, surgit, tum omnes, tam Canonici, qam Mansionarii, & Capellani de illo Choro, & de Assistentibus*, Canonicorum scilicet Choro, *surgant*; omnes scilicet alii Canonici, ac etiam Beneficiati, & Clerici, qui in utroque latere ejus Chori sedent, præter tamen prædictos, qui Episcopo assistunt; quia scilicet illi ad Chorum diversum pertinent, uti superius non uno in loco dictum est. Hinc ex antiquo ritu in Capella Papali, *si aliquis ex Cardinalibus surgit, omnes alii Cardinales, & Prælati, qui sunt in Capella, surgunt præter Assistentes*; ut testatur Patricius Lib. III. Sectione I. Cap. VII. & VIII. ubi in fine idipsum confirmat, ita inquiens: *Et nota, quod quandiu unus ex Cardinalibus stat, omnes Cardinales, & omnes Prælati stare debent, præterquam in præsentia Papæ assistentes*. Ceterum cum Beneficiati inferiores sint gradu, jam si contingeret aliquem ipsorum surgere, non debent Canonici, qui dignitate majores sunt, se illi erigere, sed tantummodo hanc illi reverentiam exhibebunt alii Beneficiati, & Clerici eorum æquales, vel inferiores, uti alias dictum est.

II. Laicos quoque, nobiles scilicet loci, Magistratumve functionibus Episcopalibus assistere, ac sedere in loco pro ipsis deputato extra Presbyterium, dictum jam fuit in Commentario ad §. XII. Cap. XI. facere ipsos in loco ubi sedent, Chorum distinctum, qui dicitur *Magistratuum, vel Nobilium Laicorum*, ex VII. §. hujus Capitis constat. Hinc recte docet præsens noster §. X. quod inter Laicos quoque, cum aliquis ex iis ratione officii surgit, ut cum cum datur illis incensum, aut pax, cæteri quoque ejusdem ordinis surgunt, secus vero surgentibus aliis non sui ordinis.

## §. XI.

**Si Episcopus non celebraret, sed aliquis Suffraganeus, vel alius Episcopus, præsente ipso Episcopo, adhuc efficeretur alius Chorus ministrantium celebranti, qui eamdem regulam servare debent, quoad sedendum, & surgendum, prout de aliis dictum est.**

## §. XII.

**Cum autem Episcopus surgit, singuli Chori, tam Canonicorum, & Beneficiatorum, quam Laicorum, & Celebrantis consurgere debent,**

## COMMENTARIUS.

I. C Um nihil occurrat circa Rubricam §. XI. quam explicatam censemus ex iis, quæ in superioribus Commentariis diximus, iccirco ad explicandum sequentem §. descendimus, in quo regula illa præfigitur, ut nimirum cum Episcopus surgit, Antiphonam exempli gratia



Digitized by Google

tia, vel quidpiam facturus, *singuli Chori tam Canonicorum, & Beneficiatorum, quam Laicorum, & Celebrantis* consurgere debeant, tametsi non ipse, sed alius vice illius celebret. Ratio cur Episcopo is honor exhibeatur, est suprema ejus dignitas, ac præeminentia supra ceteros omnes tum Canonicos, tum Magistratus, ac Laicos nobiles. Nota enim est communis illa fere omnium Patrum sententia, Episcopum tanto esse majorem Principibus Laicis quantumvis summis, quanto spiritus carni, cœlum terræ, aurum plumbo præstat. Sed de hac re jam alias abunde dictum a nobis est.

## §. XIII.

Est & alia regula circa reverentias observanda; videlicet, cum aliquis ex Canonicis, vel Ministris transeundo ante Celebrantem, Altare, & Episcopum, vel aliquem majorem, facturus erit plures reverentias, non inspicitur, cui prius, vel postea reverentia exhibeatur, sed tantum commoditas gradientis; puta si ille discedit a Celebrante, iturus ad Episcopum, & transiturus ante Altare, primo faciet reverentiam Celebranti, tum Altari, & ultimo loco Episcopo; & pari ratione, si discedit ab Episcopo, iturus ad Celebrantem, primo Episcopo, deinde Altari, ante quod transit, ultimo Celebranti reverentiam faciet. Et breviter reverentia fieri debet semper primo ei, a quo disceditur, & ultimo ei, ad quem itur, nullo habito respectu, quis eorum sit major.

## COMMENTARIUS.

I. NIhil puto ad explicandas hanc, & mox sequentes Rubricas afferri luculentius posse quam celebre peritissimi Cæremoniarum Magistri Paridis Crassi testimonium, qui regulam in hoc nostro §. traditam his plane verbis exponit Lib. I. Cap. XXII. *Illud autem scias, quod nihil refert, dum fit reverentia ante Altare, aut alibi, ubi Cardinalis celebrans hinc, & inde Legatus simul, vel alter eorum solus, vel alius Princeps, cui debeatur similis reverentia, adsint; an uni prius quam alteri ipsa reverentia fiat, dum tamen omnibus fiat; pro ipsa enim facienda non prioritas aliqua, sed commoditas facientis attendenda est; puta si a Celebrante discedis iturus ad Legatum, prius quidem ante ipsum Celebrantem reverentiam facit, tum ante Crucem Altaris, ultimo ante Legatum. Similiter idem facis a Legato discedens ad Celebrantem iturus; nam Legato prius, tum Cruci, inde Celebranti. Si vero ab altero ipsorum discedis ad Altare iturus, primo ei unde discedis, tum alteri, ad quem non es iturus, ultimo Altari, ad quod es iturus, reverentiam facis, & e converso.* Additque mox: *Quod in omnibus reverentiis, & ante omnes reverendos*, eos scilicet quibus reverentia exhibenda est, *observatur*.

## §. XIV.

Regula etiam est, ut si plures in eodem loco veniant Prælati, ac etiam Legatus, & Cardinales, uni tantum ex ipsis, qui erit major, puta Legato, & Celebranti reverentia exhibeatur.

## COMMENTARIUS.

I. EXplicatur hæc quoque regula a laudato Viro Clarissimo Paride Crasso, citato superius Libro I. Cap. XXII. ubi ita inquit: *Adverte tamen, si in eo loco sint simul plures Dignitates diversorum graduum, & sic una multo excellentior, quam altera, ut quia Legatus adest simul cum Magistratu; vel Episcopus Cardinalis simul cum Locumtenente: quod eo casu tunc solum debetur reverentia summo, idest, soli Legato, & non Magistratui; aut ipsi Cardinali solum, & non Locumtenenti.* Tum hanc rationem subdit, qua regula illa nititur, dicens: *Non enim fit regulariter reverentia illi, qui alteri reverentiam fecit, qui ibi summus est omnium.* Sed nota, quod idem laudatus Auctor mox statim subjicit: *Nisi quando ad ipsam minorem Dignitatem accederet ex causa particulari illum tangente, ut alloquendi ipsum de particularibus, non autem dandi pacem, sive incensum, quia nullam illi facis reverentiam penitus; si tamen omnino illum vis honorare, tunc facis quidem humiliationem, quasi per solum nutum, & longe parcius, quam ei, qui habet primum locum.* Hæc Crassus. Ceterum in hoc nostro §. edicitur, ubi plures in eodem loco adsint Prælati, ac etiam Legatus, & Cardinales, eam servandam esse regulam, ut *uni tantum ex ipsis, qui erit major, puta Legato, & Celebranti reverentia exhibeatur.* Quid autem si plures adsint Prælati ejusdem gradus, & ordinis, puta Cardinales, aut Episcopi? Respondet Castaldus

Digitized by Google

staldus in sua Cæremoniarum Praxi Lib. II. Sectione I. Cap. V. Num. IX. tunc faciendam esse reverentiam, vel uni tantum eorum, qui prior est in ordine, si genu flexo reverentia fiat, vel omnibus simul, si capitis, & humerorum inclinatione fieri debet.

## §. XV.

**Cum Episcopus celebrat, Familiares, vel Nobiles, qui ei ad lotionem manuum ministrant, genuflexi officium suum peragunt, nisi adesset Legatus Cardinalis, vel suus Metropolitanus, quo casu, ob reverentiam illorum, non genuflexi, sed inclinati ministrant. Et pari modo, si aliquis Suffraganeus, vel alius Episcopus celebraret, præsente proprio Episcopo.**

## COMMENTARIUS.

I. LOtio manuum celebrantis Episcopi, seu Sacerdotis antiquissima est in Ecclesia, munusque Diaconi erat non Celebranti solum, sed & Presbyteris, qui circum Altare stabant, lavandis manibus aquam ministrare; id enim expresse tradit S. Cyrillus Archiepiscopus Hierosolymitanus in Catechesi Mystagogica V. Num. II. ubi ita inquit: *Vidistis igitur Diaconum Sacerdoti, & Presbyteris Altare Dei circumstantibus aquam abluendis manibus porrigentem*. Ait, eam lotionis cæremoniam non fieri fuisse solitam *propter corporeas sordes extergendas*, quia scilicet nemini olim fas erat Ecclesiam illotis manibus ingredi: *Neque enim corporis sordes gerentes initio Ecclesiam ingressi eramus*; quia nimirum lavandis manibus comparati erant præ foribus Ecclesiarum dispositi fontes, de quibus nos fuse egimus Tomo II. nostri Romani Pontificalis Tit. I. §. I. Ait ergo Cyrillus, eam ablutionem manuum, symbolum esse, Sacerdotes *mundos ab omnibus peccatis, & prævaricationibus esse debere*. Et mox: *Cum enim manus symbolum sint actionis, iis lavandis puritatem operum, eorumque ab omni reprehensione immunitatem significamus*.

II. Trahunt & ad mysticum sensum ipsam lotionem S. Dionysius in Libro, *De Ecclesiastica Hierarchia*, Cap. III. & inter alios pervetustus Auctor Apostolicarum Constitutionum Lib. VIII. Cap. XV. ubi etiam munus illud abluendi manus Subdiacono tribuit: *Unus Hypodiaconus det aquam manibus Sacerdotum in signum puritatis animarum Deo repositarum*; idque in Ecclesia Parisiensi observatum olim testis est Fortunatus in Vita S. Marcelli, qui claruit circa annum CD. apud Surium die I. Novembris: *Subdiaconus effectus, cum Subdiaconali ministerio fungeretur in die Epiphaniorum hauriens aquam de fluvio Sequanæ, dum Prudentio Episcopo manibus abluendis offerret, mutatis elementis, vini sapor inventus est*. Addit, eo miraculo obstupescentem Pontificem jussisse ex ipso urceo in Calicem sacrum fundi, unde universus populus, Missa celebrata, ad communionem accepit, & ipsum vas cum ad plebis multitudinem sufficisset, ac si non tactum, & integrum esset, sic plenum permansisse, ejusque insuper vini beneficio multos tandem infirmos sanatos. Atque hic obiter nota, purificationem ex vino, quæ hodie in plerisque Ecclesiis post communionem dari solet Fidelibus per aliquem Acolythum, antiquum esse institutum.

III. Quamquam autem ex Ordine antiquo Romano VI. apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici Acolythorum munus esset manibus Papæ lavandis aquam, ac linteum ministrare, sive, ut habetur in aliis Ordinibus, Capellanus aliquis eo officio fungeretur; tradit tamen Patricius Lib. II. *Sacrarum Cæremoniarum sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, Sectione I. ubi agit de Missa majori personaliter celebrante, ipsum lotionis manuum munus exhiberi Papæ *a quatuor nobilibus Laicis, qui debent aquam deferre*, idest, in variis lotionibus, *ita quod nobilior sit ultimus. Et semper debent eligi ad hoc opus nobiliores etiamsi Reges, aut Imperator adessent*. Quod non mirum videri debet, nam, uti constat ex Ordine Romano XIV. Auctore Jacobo Gaetano, annorum circiter D. Cap. XLIV. etiam *in mensa primum ferculum ponit coram Papa aliquis de principalioribus nobilibus etiamsi Rex esset*. Et paulo post: *Alii autem nobiles majores, etiamsi essent filii Regum, serviunt Papæ in mensa, unus videlicet de cupa, alius de cultello ad incidendum, alii astant comedenti, alii sequuntur portantem fercula &c.* Celebre ejus rei exemplum narrat Rainaldus ad annum MCCXCV. ubi ait, Regem Siciliæ Carolum, & Regem Hungariæ Carolum Martellum illius filium Regio diademate redimitos in Urbe Perusiæ Romano Pontifici Bonifacio VIII. in mensa accumbenti ministrasse.

IV. Puto equidem, quod quemadmodum juxta morem, ac ritum Capellæ Papalis, celebranti Pontifici aquam manibus ejus lavandis nobiliores Laici, Regesque ipsi, atque etiam Imperator, si adessent, porrigerent, ita quoque in Diœcesibus memoratæ Capellæ exemplo usus invaluit, ut Episcopo etiam celebranti Nobiles, Magistratusve Civitatis idem obsequium exhiberent, & quidem genibus flexis, *nisi adesset Legatus Cardinalis, vel suus Metropolitanus, quo casu ob reverentiam illorum non genuflexi, sed inclinati ministrant*. Ob eandem rationem, *Cardinali celebranti in præsentia Papæ neque fiunt genuflexiones ab aliquo, neque fit ei prægustatio, sive credentia; & similiter in omnibus aliis actibus publice, aut privatim, coram Pontifice, nemini istii duo actus reverentiales exhibentur*; ut testatur Patricius Lib. III. Sectione I. Cap. X. ubi etiam & illud

Digitized by Google

illud addit, in absentia Pontificis Cardinali celebranti fieri genuflexiones a Scutiferis, cum lavat manus, & a Capellanis, dum accipit, & dum dimittit Sandalia, & prægustationem ipsam etiam fieri. Quid sit ea prægustatio, & credentia, de quibus apud recitatum Patricii locum fit mentio, jam nos superius explicuimus.

V. His ergo omissis, ut ad §. nostrum redeamus, ubi non adesset Cardinalis Legatus, vel etiam Cardinalis non Legatus, sive proprius Metropolitanus, *Familiares*, *vel Nobiles*, *qui* Episcopo celebranti *ad lotionem manuum ministrant*, *genuflexi officium suum peragunt*. Sane eo Nobiles funguntur munere, si adsit consuetudo, quæ quidem commendanda est, ut aliqui scilicet Nobiles, etiam ex Magistratu Episcopo solemniter celebranti aquam ad abluendas manus exhibeant, prout ipsam consuetudinem commendavit Sacra Rituum Congregatio die VI. Aprilis anno MDXCVI. Episcopo Anconitano rescribens, nostrumque hoc Cæremoniale supra Cap. XI. §. XII. & alibi, firmatque inter alios Gratianus Disceptatione CXI. hoc officium abluendi manus Episcopo fieri debere per unum ex Nobilibus Civitatis; & tametsi de Prioribus, seu Antianis Cæremoniale ipsum minime loquatur, tamen dum adsit consuetudo, eidem nequaquam a Cæremoniali derogatur, ut Sacra Congregatio Rituum non semel rescripsit, declaravitque præsertim in Brundusina XVII. Septembris MDCXI. uti videre est apud Ricciardellum in suo Lyceo Ecclesiastico utriusque Juris, Parte I. Cap. II. §. IV. Num. II.

VI. Quamvis autem actus voluntarii, & facultativi non sint apti ad inducendam obligationem non obstante quolibet temporis cursu, juxta regulam Glossæ in Lege I. Cod. *De annalibus præscriptionibus*, nihilominus, ut jam alibi dictum est, quando tempus præstiti obsequii excedit memoriam hominum, & versamur in dubio, an actus præcesserit ex mera voluntate, vel potius obligatione, sumenda est quidem interpretatio, quæ favet Ecclesiæ, ejusque sacris ministris; uti passim Auctores docent. Atque hinc est, quod in Camerinen. subortis inter Episcopum, & Magistratum controversiis circa obsequia quædam Episcopo a Magistratu exhibenda, inter alia, Sacra Rituum Congregatio XXI. Februarii anni MDCXCIX. servari mandavit hoc Decretum Num. VIII. *Magistratus prout in Cæremoniali, tum absente, tum præsente Gubernatore, in lotione manuum inservire valeat*. Verum cum postea Magistratus recusaret occasione celebrationis Missæ solemnis Episcopi accedere ad lotionem manuum, ex quo memoratum VIII. Decretum per illud verbum, *valeat*, non esset præscriptivum, sed facultativum, & viceversa Episcopus Magistratum minaretur compellere, iterum recursum habuerunt ad eandem Sacram Congregationem, quæ ad removenda scandala, & ad modum provisionis die XXX. Aprilis MDCCI. rescripsit: *Dilata, & interim per modum provisionis Magistratus teneatur accedere ad lotionem manuum*.

VII. Narrat hæc Monacellus in Formulario Legali practico Fori Ecclesiastici Tit. XIII. Numero VII. & seqq. ubi etiam ait, fuisse hanc prudentialem provisionem, ceterum non potuisse Episcopum censuris compellere Magistratum, *quamvis præcedenter plures ad dictam manuum lotionem sponte accessisset; cum in facultativis non detur præscriptio ex vulgatis*. Sed jam nos superius diximus, vulgatam hanc regulam suas pati exceptiones, præsertim ubi agitur de obsequio præstando Episcopo, cujus favore non modo Summi Pontifices, sed & ipsi Imperatores, Canones, ac Leges edidere. Quod autem subdit Monacellus, Decretum emanatum a Sacra Rituum Congregatione in Anconitana anno MDXCVI. quod præter Ricciardellum referunt etiam Nicolius in Floscullis verbo *Episcopus*, Num. XLIX. & Pignatellus Tomo IV. Consultatione IV. Num. XIV. in fine, nullius esse momenti, utpote emanatum antequam publicaretur Cæremoniale, cujus vulgatio sequuta est anno MDC. atque adeo a Cæremoniali correctum ex nota Regula, quod Decreta posteriora quando conciliari non possunt, derogant prioribus; hoc inquam quod Monacellus subdit, nullius est ponderis; fatemur enim nullam a Cæremoniali præscribi Magistratui legem, ut Episcopo Pontificaliter celebranti aquam ad abluendas manus ministret, sed dicimus, quod ubi invecta est ea laudabilis consuetudo, amplius tolli non possit, & quidem ex illa alia nota omnibus Regula, laudabiles consuetudines a Cæremoniali minime tolli.

VIII. Ceterum innumera pene post editum Cæremoniale afferri possent Decreta Sacræ Rituum Congregationis, quibus jubentur Magistratus illud obsequii præstare Episcopo. Hoc unum dicam, quod alias etiam notatum fuit, instante Episcopo Maceratensi, decisum a Sacra Rituum Congregatione die I. Aprilis MDCLXII. inter alia fuisse. I. Magistratum teneri præstare Episcopo, & Cathedrali Ecclesiæ consueta obsequia, tum præsente, tum absente Gubernatore, & renuentem etiam compelli posse. II. ad supplendum Magistratui absenti in lotione manuum Episcopi, posse subrogari alios nobiles Viros, quibus tamen locus in scamno Magistratus minime assignetur. Vide Pignatellum Tomo VII. Consultatione XLVIII. In summa sæpe illud accidit, ut quod initio est voluntatis, postea fiat necessitatis; sicque multa quæ olim fiebant sponte a Fidelibus, ut oblationes in exequiis mortuorum, hodie juris remediis, atque ex peculiaribus Ecclesiarum statutis a Parochis exiguntur.

IX. Quicquid autem de hac disciplina sit, admonet hic §. noster, quod ubi adsit Cardinalis, sive Metropolitanus, aqua ad abluendas manus porrigatur Episcopo celebranti a familiaribus, sive a Magistratu, vel a Nobilibus, si ea vigeat consuetudo, inclinatis quidem, non tamen genuflexis; *& pari modo, si aliquis Suffraganeus, vel alius Episcopus celebraret, præsente proprio Episcopo*; quia scilicet Episcopus in propria sua Diœcesi omnium superior reputatur, omnesque præcedit quamvis ordine, & dignitate majores. Chassaneus in Catalogo Gloriæ Mundi, Parte IV. Considera-

Digitized by Google

ſideratione XXII. Barboſa Parte I. *Univerſi Juris Eccleſiaſtici*, Cap. XIII. Num. II. Cardinalis de Luca, *De præeminentiis*, Diſcurſu XVI. Num. III. & alii paſſim Doctores.

## §. XVI.

Illud quoque ſciendum eſt, quoties aliquid offertur Epiſcopo, Celebranti, aut Legato, qui rei divinæ interſint; ac etiam cum aliquid ab eis recipitur, toties oſculanda eſt res, quæ offertur, ac deinde manus recipientis, & cum ab eiſdem aliquid recipimus, primo manus, deinde res, quæ recipitur: præterquam in Miſſis Defunctorum, in quibus talis deoſculatio omittitur, ut ſuo loco dicitur. Idem obſervandum eſt erga alios Celebrantes, abſente Epiſcopo.

## COMMENTARIUS.

I. NOtanda eſt inſuper regula, quæ in hoc præſenti §. traditur, ut nimirum quoties aliquid Epiſcopo, Celebranti, aut Legato, qui rei divinæ interſit, ſive etiam alii, qui, abſente Epiſcopo, Sacris operaretur, aliquid damus, aut ab ipſis ſimiliter accipimus, toties primo rem ipſam, quaſi pro veneratione quadam; deinde manum dexteram, quaſi pro religione oſculemur. Hanc regulam bene obſervandam admonet inter alios Craſſus Lib. I. Cap. XXIV. maxime in miniſterio Altaris, ut in porrectione Thuribuli, cochlearis, & Patenæ, & Baculi paſtoralis, & annulorum, ac chirothecarum, & ſimilium. In Miſſis autem, & Officiis Defunctorum nihil oſculamur, quia ſcilicet hujuſmodi ſolemnitates minime iis conveniunt, ut docent Auctores Liturgici in Rubricas Miſſalis, Parte II. Tit. XII. ubi tamen recte notat Gavantus, non debere in ipſis Miſſis, Officiiſque omitti oſcula Crucis in Amictu, Manipulo, & Stola induendis, tametſi de ea re dubitaverint quidam, eo quod oſcula rerum in ſolemni Miſſa Defunctorum vetita ſint.

# CAP. XIX.

*Ordo, & modus jungendi, disjungendi, elevandi, tenendique manus per Epiſcopum, vel alium Celebrantem. Quomodo vertere, & convertere ſe debeat ad Altare, vel Faldiſtorium, & e contra. Quid obſervabit in oſculatione Altaris.*

## §. I.

Illud in primis obſervandum erit ab Epiſcopo, ut cum, ſacris veſtibus paratus, ad Miſſam, ſeu Veſperarum ſolemnia progreditur, niſi paſtoralem Baculum deferat, ſemper junctis manibus incedat, hoc eſt, palmas extenſas, ac ſimul junctas ante pectus habeat, pollice dextero ſuper ſiniſtro in crucis modum poſito; interdum tamen illas disjungit, ut populo manu dextera aperta benedicat; ac mox iterum jungit: eaſque ſic junctas ſemper tenet, dum genuflexus orat, dumque ab Altari ad Sedem, vel a Sede ad Altare progreditur.

## §. II.

Cum autem ſederit, ſive in Sede ſua Epiſcopali, ſive in Faldiſtorio, ſi eſt paratus Planeta, palmas disjunctas apertas ſuper Gremiali hinc inde poſitas, quaſi illud retinens, habebit.

## COMMENTARIUS.

I. PLura quoad modum jungendi, elevandi, ac tenendi manus notant paſſim Auctores, qui Miſſalis Rubricas enarrant, Gavantus, Caſtaldus, Bauldryus, & noviſſime Cajetanus Meratus in ſuis Additionibus ad ipſum Gavantum. Quod Epiſcopum ſpectat, cum ſacris paratus veſtibus procedit ad Miſſam, aut Veſperas, niſi Baculum paſtoralem geſtet, junctis manibus ſemper incedit; hoc eſt, ut ait §. hujus Rubrica, palmis quidem extenſis ante pectus, ſed *pollice dextero ſuper ſiniſtro in Crucis modum poſito*: Id quod ſemper ab ipſo ſervandum eſt, *dum genuflexus orat, dumque ab Altari ad Sedem, vel a Sede ad Altare progreditur*; niſi ſcilicet, uti dictum eſt, paſtoralem Baculum geſtet; tunc enim debet manus disjungere, ut populo ſcilicet manu dex-

Digitized by Google

dextera benedicat; & ubi Baculum non teneret, sinistra infra pectus posita, uti notat Bauldryus in Manuali, Parte v. Cap. XII. Num. I. Sane *cum sederit, sive in Sede sua Episcopali, sive in Faldistorio*, ex §. II. Rubrica, *si est paratus Planeta, palmas disjunctas apertas super Gremiali hinc inde positas, quasi illud retinens, habebit*; sive, ut ex antiquis ritibus, & veteri praxi tradit memoratus Paris de Crassis Libro I. Cap. XLIV. *Sedens Planeta indutus, super Gremiali manus devote junctas sine digitorum insertione sic firmiter tenebit, ut quasi Gremiale contineat, ne illud de gremio cadat*. Vide quæ de ipso Gremiali, quod inter ornamenta Episcopi recensetur, diximus nostro I. Tomo Romani Pontificalis in Prolegomenis, Cap. XXII. & supra non uno in loco.

## §. III.

Sed cum surgit, dicturus, *Gloria in excelsis Deo &c. Pax vobis*, seu, *Dominus vobiscum*, vel, *Credo in unum Deum &c.*, & similia, easdem sic junctas tenens cum ea verba incipit proferre, aliquantulum disjungit, & mox, dum pronunciat ultima verba ex prædictis, eas iterum ante oculos elevatas jungit, & cum aliqua ex prædictis versus Altare dicit, ut, *Gloria*, *Credo*, & similia, caput aliquantum versus Altaris Crucem inclinat. Idem facit, cum in Præfatione dicit, *Gratias agamus &c.*, & cum ante Orationes dicit, *Oremus*. Cum vero Orationes cantat, manus ipsas elevatas, ac rectas ad humerorum æqualitatem retinet, ita ut palma palmam respiciat usque ad conclusionem Orationis, idest, *Per Dominum nostrum &c.* Quod cum dicere incipit, illico manus jungit, & cum profert nomen Jesu, caput inclinat. Quoties autem dextera, Oblata super Altari, vel alia signat, sinistram super Altari tenet, & dextera manu aperta benedicit. Ubicumque vero seipsum signat, sinistram extensam tenet infra pectus. Quoties autem, & quomodo post lectum Offertorium usque ad communionem signare super Hostiam, aut Calicem, tam ante, quam post consecrationem debeat, ac quo pacto manus, & digiti sint extendendi, late declaratur in Capite VIII Libri II. & habetur in Rubricis Missalis, ideo supervacuus labor esset, illa hic repetere.

## COMMENTARIUS.

I. TRadit ad annum Christi LVIII. Cardinalis Baronius, pro ratione divinorum Mysteriorum, distinctos olim fuisse precandi, atque orandi in Ecclesia Ritus, manusque jungendi, sive elevandi, ut nimirum nunc prostrati, nunc genuflexi, nunc junctis, nunc manibus expansis, atque elevatis Orationem ad Deum fundamus, sacrasque functiones peragamus. Ex veteri itaque disciplina procedit, quod §. hic noster edicit, ut nimirum Episcopus, sive etiam quivis alius Sacerdos, cum surgit dicturus, *Gloria in excelsis Deo &c. Pax vobis*, seu, *Dominus vobiscum*, vel, *Credo in unum Deum*, & similia, manus sic junctas tenens, pollice scilicet dextero super sinistrum posito in modum Crucis, cum ea verba proferre incipit, aliquantulum disjungat, & mox dum procunciat ultima verba ex prædictis, eas iterum ante oculos elevatas jungat, & cum aliqua tandem ex eisdem versus Altare dicit, ut *Gloria in excelsis*, *Credo*, atque id genus alia, caput parumper versus Altaris Crucem inclinet.

II. Antequam ad Missalis Rubricas nos conferamus, quibus §. is noster concinit, audire præstat Paridem Crassum, qui Lib. I. Cap. XLIV. ritum in ipso §. descriptum his plane verbis enarrat: *Dicens vero*, Gloria in excelsis, Pax vobis, Dominus vobiscum, *&* Credo, *semper manus ante pectus æqualiter usque ad humeros elevatas continebit junctas, donec primum verbum pronunciare inchoaverit, quod cum dicit, manus aperit, & eo finito, mox manus jungit, in finalibus notis ultimi verbi, ut in* Gloria, Credo, *ac* Gratias agamus, *ac intonatione Hymnorum Vesperalium, in quibus omnibus super ultimis verbis elevat manus junctas ante oculos cum capitis inclinatione. Dicens autem*, Oremus, *quia unicum est verbum, idem facit, ac si plura essent*. Capitis inclinatio, cujus Crassus meminit, facienda est utique versus Altaris Crucem, ut edicit §. noster, & Rubrica Missalis Romani Parte II. Tit. IV. Num. III. ubi Ritus ipse in recitatione memorati Angelici Hymni, *Gloria in excelsis*, ita describitur: *Dicto ultimo*, Kyrie eleison, *Sacerdos stans in medio Altaris, & manus extendens, elevansque usque ad humeros (quod in omni manuum elevatione servatur) voce prædicta incipit, si dicendum sit*, Gloria in excelsis; *cum dicit*, Deo, *jungens manus, caput Cruci inclinat: quo erecto, stans junctis manibus ante pectus, prosequitur usque ad finem. Cum dicit*, Adoramus te, Gratias agimus tibi, *&* Jesu Christe, *caput Cruci inclinat. Cum dicit in fine*, cum Sancto Spiritu, *seipsum a fronte ad pectus signat, interim absolvens*, In gloria Dei Patris, Amen.

III. Quoniam mentio de hoc Hymno incidit, alienum penitus e re nostra forte non erit, si quæ-

Digitized by Google

quædam, quæ ipsum Hymnum spectant, hic adnotabimus. Sane de Symmacho Papa, qui anno CDXCVIII. ad summum Pontificatum evectus est, tradit quidem Liber Pontificalis, quod *hic constituit ut omni die Dominico, vel Natalitiis Martyrum Hymnus*, Gloria in excelsis, *diceretur*. Quod Decretum si ad omnes Presbyteros extendatur, illud postea ad solos Episcopos restrictum fuisse videtur a S. Gregorio Maximo, quippe qui initio Libri Sacramentorum, ubi Missæ ordinem describit, ita quidem inquit: *Item dicitur*, Gloria in excelsis Deo, *si Episcopus fuerit, tantummodo die Dominico, sive diebus Festis. A Presbyteris autem minime dicitur, nisi in solo Pascha. Quando vero Litania agitur, neque* Gloria in excelsis Deo, *neque* Alleluja *canitur*. Meminit & ejus Statuti Walafridus Strabo Cap. XXII. sic dicens: *Statutum est, ut ipse Hymnus in summis Festivitatibus a solis Episcopis usurparetur, quod etiam in capite Libri Sacramentorum designatum videtur*. Idem statutum renovasse dicitur Stephanus Papa III. saltem pro Ecclesia Lateranensi, ut notat Martenius Libro I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo III. Num. VI.

IV. Sunt qui ajunt, inter quos Joannes Belethus ac Guilielmus Durandus, ea tantum prima Hymni verba, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, consuevisse dici ad Missam, reliqua vero fuisse apposita a S. Hilario Pictaviensi Episcopo, vel a Telesphoro Papa, sive a memorato Symmacho Pontifice; sed hoc incertum est, præsertim cum integer extet in Libro VII. Constitutionum Apostolicarum, ut idem notat Martenius. Teste eodem Durando Lib. IV. Cap. XIII. Innocentius III. statuit, ut quando in diebus festis celebratur in honorem Beatæ Virginis, vel Spiritus Sancti, vel sanctæ Crucis, itemque in Adventu, ac Septuagesima minime ipse Hymnus dicatur in Missa, tametsi, ut loco citato refert Durandus, *Episcopus Bethleemitanus ex abusu omni die, & in omni Missa, & pro Defunctis*, Gloria in excelsis, *decantat, pro eo quod Hymnus ille, Luca testante, primo in Bethleemita regione cantatus est*. Quicquid sit, notandum hic illud est, quod ad recitatam superius Rubricam Missalis docet Gavantus, ad decentiam quidem, non vero ad Mysterium ibidem præscribi illum manuum motum, & elevationem usque ad humeros.

V. Nunc ut cetera nostri hujus §. verba explicemus, mandat Rubrica, ut cum Episcopus Orationes cantat, manus ipsas elevatas, ac rectas ad humerorum æqualitatem retineat, ita ut palma palmam respiciat usque ad conclusionem Orationis, idest, *Per Dominum nostrum &c.* quod cum dicere incipit, illico manus jungat, & cum profert nomen, *Jesu*, caput inclinet. Hanc Rubricam, quam etiam legere est in Missali Romano, egregie explicat Crassus, ubi Lib. I. Cap. XLIV. hæc habet: *Orationes vero cantans, semper manus elevatas ad humerorum altitudinem teneat, ita quod una vola aliam volam, & non Altare respiciat usque ad*, Per Dominum nostrum, *quod cum incipit dicere, illico manus jungit, non tamen caput tunc inclinat, nisi quando profert*, Jesum Christum. *Et scias*, verba sunt ejusdem Crassi, *quod una vola manus semper aliam respicere debet, quoties Celebrans eas elevatas tenet, aut elevat*.

VI. Tradit præterea Castaldus in sua Praxi Lib. II. Sectione VII. Cap. V. Num. II. quod cum Rubrica Missalis præcipiat, ut manus disjunctæ ante pectus collocentur, attendendum est, ut non modo palma unius manus alteram respiciat, sed & digiti omnes, ac pollex ita sint inter se ordinati, ut nullum inter eos intercedat spatium, adeoque extensi, ut extremitates recta linea sursum ferantur, ac ad tantam extendantur altitudinem, ac latitudinem, qua nec summitatem, nec humerorum latitudinem excedant. Addit, servandum hunc esse ritum usque ad conclusionem Orationis, *Per Dominum &c.* juxta explicationem superius traditam; ceterum si concludatur Oratio per illa verba, *Qui tecum vivit &c.* vel, *Qui vivis & regnas &c.* scite admonet, & quidem ex perspicua Missalis Rubrica, Parte II. Tit. V. Numero I. debere tunc manus jungi, cum dicitur, *In unitate Spiritus Sancti Deus &c.*

VII. Quod tandem Orationes spectat, reliquum est, ut duo adnotemus. I. ritus huc usque explicatos jungendi ac elevandi manus, dum ipsæ dicuntur, servandos profecto esse tantum in Missa, nam in Officio, ac in exequiis Defunctorum, & in benedictionibus, ut idem monet Castaldus loco citato, Num. IV. semper tenendæ sunt manus junctæ. II. non modo in Orationibus, sed quoties nomen, *Jesu*, profertur, inclinari caput debere, & quidem versus Crucem juxta Missalis Romani Rubricam, Parte II. Tit. V. *De Oratione*, Num. II. quam integram lubet hoc loco describere: *Cum nominatur*, Jesus, *caput versus Crucem inclinat: quod etiam facit, cum nominatur in Epistola. Et similiter, ubicumque nominatur nomen B. Mariæ, vel Sanctorum, de quibus dicitur Missa, vel fit commemoratio; item in Oratione pro Papa, quando nominatur, semper caput inclinat, non tamen versus Crucem. Si plures Orationes sunt dicendæ, idem in eis in voce, extensione manuum, & capitis inclinatione, quod supra dictum est, observatur.*

VIII. Ubi nomen Jesu nominatur, faciendam esse inclinationem capitis versus Crucem, ratio perspicua est, quia ibi est Imago Christi. Quod quidem intelligi debet, nisi in Euangelii Libro legatur, tunc enim versus Librum inclinandum est, ut ex Rubrica Missalis docet Castaldus Lib. II. Sectione VII. Cap. VI. Num. II. ubi etiam subdit, ad nomen *Mariæ*, vel Sancti, de quo agitur Officium, vel Commemoratio, itemque ad nomen viventis Pontificis, fieri debere inclinationem versus Librum, non autem Crucem. Porro tradit Crassus Lib. II. Cap. XXVI. dum dicitur nomen *Jesu*, vel *Mariæ*, itemque cum in Oratione nominatur viventis Pontificis nomen, inclinari debere non modo caput, sed etiam humeros. Sed standum est Cæremonialis, ac Missalis Rubricæ, inclinationem capitis præcipientis.

IX. Cautum præterea est ex nostro §. ut quoties



Digitized by Google

ties Episcopus celebrans dextera manu Oblata super Altari, vel alia signat, sinistra super Altari teneat, & ipsa manu dextera aperta benedicat: ubicumque vero seipsum signat, sinistram extensam infra pectus teneat. Idipsum præscribunt passim Rubricæ Missalis; sed audiamus Crassum, eam rem sic explicantem loco citato: *Quoties cum dextera signat Altare, vel Oblata, sinistram super Altari, extra corporalia tenet, ipsam autem manum totam aperit, & aperta manu benedicit, non autem tribus digitis.* Et mox: *Dum vero seipsum signat, sinistram ad stomachum suum applicat.* Sed de his fuse disserunt Rubricæ Missalis, & qui eas egregie explicant, Castaldus, Gavantus, Quartus, ac novissime Cajetanus Meratus; nos multa hic omittimus, quæ alias sequentes ordinem nostri Cæremonialis opportuniori loco Lib. II. Cap. VIII. late exponemus.

## §. IV.

Quando vero, & quomodo vertere, & convertere se debeat, hoc regulariter observandum erit, ut quando Episcopus, vel Suffraganeus, aut alius Prælatus celebrat apud Faldistorium, prout Episcopo occurrere potest, præsente Legato, vel alio Cardinali, ut alibi dictum fuit, tunc diverso modo observatur. Si Altare erit sub Tribuna, ita ut Sedes Episcopalis sit e regione illius parieti adhærens, habens hinc inde sedilia Canonicorum, quo casu Episcopus sedens in Faldistorio, vertit terga populo, & tunc surgens salutaturus populum, dicendo, *Pax vobis*, vel, *Dominus vobiscum*, vertit se per latus suum dexterum versus Altare ad populum, & per idem latus revolvit se, stans facie conversa ad Altare, & cantat Orationes, seu legit, quæ sunt legenda, & pariter ab eodem latere vertit se versus Altare, cum dicturus est, *Gloria in excelsis Deo*, aut, *Credo in unum Deum &c.* Si vero Altare sit adhærens parieti, & Sedes Episcopalis in latere Euangelii juxta differentiam positam in Cap. XIII. Lib. I. §. II. tunc, quia Celebrans in Faldistorio sedens, habet faciem suam versus populum, cum surgit, salutaturus populum, non vertit se, sed eo salutato, volvit se per latus sinistrum, non versus Altare, sed potius versus credentiam, & legit, quæ sunt legenda ex Libro,

## §. V.

Hi autem modi vertendi, & convertendi se apud Faldistorium, secundum diversas positiones Altaris, quanquam videantur inter se diversi, tamen in substantia non differunt, nam utroque casu id fit respectu Altaris, quod primo casu præsupponitur esse ante faciem Celebrantis; ideo cum se vertit ad populum, vertit se per latus suum dexterum, secundo vero casu, quia Celebrans sedet in Faldistorio versa facie ad populum, præsupponitur vertere terga Altari, ideo salutato populo, vel cum dicturus est, *Gloria in excelsis Deo*, aut, *Credo in unum Deum*, absque salutatione vertit se ad Faldistorium, quasi ad Altare per latus suum sinistrum, prout faceret quisque Celebrans, stans apud Altare, qui, ut dictum est, regulariter vertit se ad populum per latus suum dexterum, & per idem latus se revolvit, quod revolvendo est sibi sinistrum: nunquam enim perficit circulum, nisi cum vertit se dicendo, *Orate fratres*, & in fine Missæ, quando dat Benedictionem, nam tunc vertit se per latus Epistolæ, & convertit per latus Euangelii perficiendo circulum.

## COMMENTARIUS.

I. Regula in hisce duobus Paragraphis traditur, quando scilicet, & quomodo Episcopus vertere, & convertere se debeat ad Altare, vel Faldistorium, & e contra. Observandum hoc regulariter, inquit noster §. IV. *ut quando Episcopus, vel Suffraganeus, aut alius Prælatus celebrat apud Faldistorium, prout Episcopo occurrere potest, præsente Legato, vel alio Cardinali*, & ut legitur in aliis Cæremonialibus Libris, ante hoc nostrum editis, *vel suo Metropolitano*, tunc si Altare sit sub Tribuna, itaut Sedes Episcopalis sit e regione Altaris, illius parieti adhærens, habens hinc inde sedilia Canonicorum, Episcopus sedens in Faldistorio, vertat terga populo, surgensque salutaturus populum, dicendo, *Pax vobis*, vel, *Dominus vobiscum*, vertat se per latus suum dexterum versus Altare ad populum; & per idem latus revolvat se stans facie conversa

Digitized by Google

versa ad Altare, & cantet Orationes, seu legat quæ sunt legenda; idemque faciat dicturus, *Gloria in excelsis Deo*, vel, *Credo*; idest, cum vertit se, convertat renes ad Credentiam, eo modo, quo alius Sacerdos convertit se ab Altari ad populum, uti notat Bauldryus in suo Manuali Cæremoniarum, Parte v. Cap. XIX. Num. IV.

II. Si vero Altare parieti adhæreat, & Sedes Episcopalis sit a parte Euangelii, ut supra diximus suo loco, in Commentario scilicet ad §. II. Cap. XIII. eo casu, quia Episcopus Celebrans in Faldistorio sedens, habet faciem versus populum, cum surgit, populum salutaturus, ex §. hujus nostri præscripto non vertit se, sed eo salutato, vol-vit se per latus suum sinistrum non versus Altare, ut non recte Bauldryus scribit, sed potius versus Credentiam, & legit, quæ sunt legenda ex Libro. Porro Auctore Crasso Lib. I. Cap. XLV. *Celebrans Episcopus apud Faldistorium stans dicturus*, Gloria in excelsis, Credo, & Oremus, *quæ versa facie Altari dicenda sunt, vertere se debet a Faldistorio ad Altare eodem modo, quo se vertit quisque Sacerdos ab Altari ad populum, sive ipsum Altare adhæreat parieti, sive non*. Quantum ad nostrum §. v. perspicua ejus verba sunt, concinitque Rubricis Missalis, in quas videri possunt, qui illas fuse, ac docte explicant, Gavantus, Quartus, Meratus, & alii.

## §. VI.

**Postremo advertendum est, dum Celebrans stat ante Altare, & se ad populum vertit, ut prius osculetur Altare in medio, nullam tamen ibi Crucem manu, vel pollice designans; & regulariter, quoties a Sede, vel Faldistorio ad Altare accedit, illud in medio osculatur.**

## COMMENTARIUS.

I. PRæscribitur & ea in hoc §. Regula, ut Episcopus quoties e Sede, vel e Faldistorio ad Altare accedit, illud in medio osculetur. Id quod etiam servandum est a Celebrante, dum stans ante Altare, se ad populum vertit; prius enim debet osculari in medio ipsum Altare, *nullam tamen ibi Crucem manu, vel pollice designans*, uti hic §. noster edicit, cui concinit etiam Crassus Libro I. Cap. XLV. sic dicens: *Ceterum illud prætermittendum non est, ut quoties osculamur Altare, ante osculationem illud manibus nunquam signemus, ut multi ignoranter faciunt, sed manibus hinc inde extra Corporale æqualiter positis, omisso signo Crucis, osculemur illud*. Idipsum admonent alii passim Liturgici Auctores, qui Romani Missalis Rubricas suis Commentariis exornarunt; legitur namque Parte II. Titulo III. ipsarum Rubricarum Missalis, Num. II. *In omni etiam deosculatione sive Altaris, sive Libri, sive alterius rei, non producitur signum Crucis pollice, vel manu super id, quod osculandum est*. Ratio est, quia, ut ait Gavantus ibidem, Altare est consecratum, Liber etiam, & aliæ res aliis de causis sanctificatæ.

II. Ut ut sit ea interpretatio, plura de osculo Altaris jam ante Crassum notavit Durandus in suo divinorum Officiorum Rationali Libro IV. Cap. IX. Num. I. Cap. XXXIX. Num. VI. & VII. ubi inter alia ritum laudat a nonnullis suo ævo servatum, qui scilicet signo Crucis in Altari prius impresso, mox illud osculabantur: *Adhuc nonnulli in locis ipsis osculandis signum Crucis cum tribus extensis digitis prius imprimunt; tum quia omnia in fide Trinitatis agenda sunt, tum quia regulariter quicquid ori applicandum est, debet prius Crucis signaculo insigniri*. Et iterum statim ritum ipsum commendans subdit: *Et quamquam Altaris mensa consecrata fuerit, & alia multa Crucis signa in ipso Missæ Officio præcesserint, non tamen hoc superfluum, tum quia non ratione ipsius loci, sed ratione operis in loco ipso fienda fiunt, tum quia quantumcumque Altaris mensa fuerit consecrata, nescitur tamen, quid in loco ipso, maligno spiritui permittatur a Deo, alia etiam multa signa prius facta, non ratione loci, sed ratione consecrationis Corporis, & Sanguinis Christi facta fuerunt*.

III. Commendat præterea memoratus Auctor & alium ritum, quem etiam sua ætate alii servabant, qui scilicet in penultimo, *Dominus vobiscum*, neque osculabantur Altare, neque in illo imprimebant Crucis signaculum, sed solum se ante faciem suam signabant, & *bene*, ut idem inquit, ob alia scilicet sacramenta, quæ in ritu ipso observat. Verum quicquid sit de vario Sacerdotum more, mysticisque Durandi interpretationibus, tenenda est hodie Regula a §. hoc nostro præscripta, quæ mandat, ut dum Celebrans stat ante Altare, & se ad populum vertit, prius quidem osculetur Altare in medio, nullam tamen ibi Crucem manu, vel pollice designet. Porro deosculatio Altaris ritus est antiquissimus, ejusque inter alios meminit Innocentius III. Libro II. *Mysteriorum Missæ*, Cap. XV. cujus locum citat doctus Durantus Lib. II. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. LVII. ubi ait: *Cum autem Altare Christum referat, qui & ipse est Altare Dei, Sacerdos Altare osculando, meminisse debet desiderii, & amoris sponsæ, idest, Ecclesiæ, quæ suspirans dicit*: Osculetur me osculo oris sui. *Rursus cum osculum sit nedum amoris, sed & reverentiæ signum.... caveat Sacerdos accedens ad osculandum Altare, ne odio aliquo a proximo dissideat ne cum tanta animi impudentia appropinquans ad Dominum, & osculans Altare, audiat cum Juda vocem illam*, Osculo Filium hominis tradis?



Digitized by Google

# CAP. XX.

*Prope Episcopum, si Missam solemnem celebret, sive eidem assistat, Liber Missalis tenendus est a Ministro Cotta induto, cui additur Minister de candela. Quænam ex eodem Libro legat. Quid observandum, si Missæ intersint Legatus de Latere, aliquis Cardinalis, Metropolitanus; & Nuntius Apostolicus cum facultate Legati de Latere.*

## §. I.

Cum Episcopus in Missis solemnibus præsens est, quamvis ipsemet Officium minime faciat, sive sit Pluviali, & Mitra, seu tantummodo Cappa Pontificali indutus, tenendus est prope ipsum Liber Missalis, quem aliquis ipsius Minister Cotta indutus, custodiet, & cum opus erit, illum super caput apertum tenens, offeret ante Episcopum, accedente cum eo regulariter ad dexteram altero Ministro, parvum instrumentum argenteum, quod vulgo *Bugiam* vocant, cum candela desuper accensa, tenente, etiamsi aer sit lucidus, ita ut opus non sit lumine ad legendum.

## §. II.

Ex hujusmodi Libro Episcopus quatuor leget infra posita, videlicet, primo Introitum; secundo, Epistolam, Graduale, Alleluja, Sequentiam, sive Tractum, & cætera usque ad Euangelium inclusive; tertio Offertorium; quarto Postcommunionem.

## COMMENTARIUS.

I. Episcopo non celebrante, sed assistente ad Missam solemnem, *sive sit Pluviali, & Mitra, seu tantummodo Cappa Pontificali indutus, tenendus est prope ipsum Liber Missalis*, ab aliquo Ministro Cotta induto, & quidem super caput ejus apertus, primo in principio Missæ, ut Episcopus ipse sedens scilicet legat Introitum; secundo ad Epistolam, Graduale, Sequentiam, sive Tractum, usque ad Euangelium inclusive; tertio ad Offertorium; quarto ad Postcommunionem, ut nimirum ex Libro legat Epistolam, & cetera *usque ad Euangelium inclusive*, Offertorium, & ipsam Postcommunionem. Porro accedendo, & recedendo Minister ipse, qui Episcopo inservit de Libro, semper cum altero Ministro de candela inserviente pari disciplina procedet, servabuntque ambo eos ritus, ac cæremonias, quas jam supra explicuimus in Commentariis ad Cap. XI. ubi de hisce Ministris egimus.

II. Unum hic addiderim, per hunc scilicet II. nostrum §. correctum jam esse, quod ait Crassus Lib. II. Cap. XXV. ut nimirum illud singulare non omittatur, *videlicet, quod sive Legatus, sive Episcopus, sive quivis alius fuerit, Librum hujusmodi ante se habens, si modo tunc non celebrat, numquam legere debet Epistolam, nec Euangelium, sed solum, & dumtaxat illud, quod aut a Choro cantatur, aut ab Organis sonatur, quamvis aliter legatur in Libro Pontificali, per ea quæ expresse præcipit sanctæ memoriæ Innocentius Papa III. qui ante Pontificatum in Jure Cæremoniali consultissimus Magister fuit.* Ait, expresse ab Innocentio ipso cautum esse in Libro, *De ritu, & expositione Missalium cæremoniarum*, intitulato, *quod satis debet esse Antistiti Romano non celebranti, si Epistolam, & Euangelium ante se palam lectum intellexerit, ut ea iterum non legat.* Addit, id quidem a memorato Pontifice minime prohiberi, quinimo præcipi, *quod Episcopus, aut etiam ipse Romanus Antistes actu celebrans, post cantatam Epistolam, legat eandem, & Euangelium, ac etiam Passionem, quæ legitur in Hebdomada sancta cum aliis intermediis, quæ cantantur a Choro, usque ad Euangelium inclusive, cum sint de pertinentiis Missæ, quas omnes Celebrans recitare debet; non celebrans vero non leget illa, sed tantum, quæ a Choro cantantur, aut ab Organo sonantur, ut supra; quod bene nota.* Hucusque Crassus.

III. Multa sunt, quæ in hoc Crassi testimonio observari possent, sed omissis illis, notandum profecto illud est, ritum in hoc nostro Cæremoniali præscriptum, quo scilicet edicitur, ut Episcopus solemni Missæ assistens legat de Libro non modo quæ cantantur a Choro, & sonantur ab Organo, sed & Epistolam, atque Euangelium, consentaneum esse *Libro Pontificali*, ut idem Crassus fatetur.

## §. III.

Observandum tamen est, quod si forte hujusmodi Missæ interesset aliquis S. R. E. Cardinalis, sive Legatus de Latere, sive non, aut aliquis Prælatus, ipso Episcopo supe-

Digitized by Google

superior, ut suus Metropolitanus, & Nuntius Apostolicus habens in eo loco facultates Legati de Latere, tunc ob eorum reverentiam Episcopus Libro hujusmodi non utetur.

## §. IV.

Cum vero ipsemet Episcopus celebrat, omnia prorsus, quæ ad Missam pertinent, ex Libro recitabit, ut latius in Cap. VIII. Lib. II. de Missa solemni, quæ ab Episcopo celebratur, exponitur. In Vesperis autem Episcopus nihil ex Libro legit, nisi Orationem, quam cantat in fine, ut in Cap. I. Lib. II. de Vesperis dicitur.

## COMMENTARIUS.

I. LImitatur in hoc §. Regula superius tradita de tenendo scilicet Libro Missalis coram Episcopo solemni Missæ Pontificaliter assistenti, quoties eidem Missæ interesset aliquis S. R. E. Cardinalis, aut Metropolitanus, Nuntiusve Apostolicus habens in eo loco facultates Legati de Latere, tunc enim *ob eorum reverentiam Libro hujusmodi non utetur*; idest, uti non debet, ut notat Bauldryus Parte V. sui Manualis Cæremoniarum, Cap. XX. Num. III. Sed audiendus est Magister omnium Crassus, qui Libro I. *De Cæremoniis Cardinalium, & Episcoporum in eorum Diœcesibus*, Cap. XXV. varia scitu digna docet de Libro ipso Missali ante Cardinalem Episcopum, seu ante Legatum, & ante alterum, vel neutrum ex ipsis, & in quibus Officiis tenendo, ac de legendis ex eodem Libro.

II. Itaque sciendum est, I. quod Liber Missalis ante Episcopum Cardinalem, seu Legatum, in Missis tantum, & non in aliis Officiis tenendus est, nisi in Sabbato Sancto pro tractibus tribus inter Prophetias ante Missam tunc legendis. II. si Episcopus Cardinalis celebrat præsente Legato, Liber ante ponendus, qui in hoc Celebranti Cardinali deferri solet. III. similiter si Cardinalis Episcopus non celebrat, sed præsens cum Legato Missæ intersit, tunc neuter Librum habebit. IV. absente altero, alter semper habebit Librum ante se etiam in Missis pro Defunctis, in quibus non fiunt circuli. V. quod de Episcopo Cardinali dicitur, intelligendum est etiam de Episcopo non Cardinali, quia Ordinarius quantumcumque simplex, absente Superiore, semper Librum ante se habebit. VI. consequenter ipse Episcopus non Cardinalis, præsente Legato non Librum, sed Legatus solus habebit illum, & omnes præeminentias, quemadmodum etiam si alius Cardinalis non Legatus adsit Missæ, qui quidem præsente simplici Ordinario Episcopo, solus ille habebit Librum. VII. tandem Episcopus non Cardinalis, præsente suo Archiepiscopo, nec uti Libro debet, quia etiam ob reverentiam sui Superioris Archiepiscopi circulos Canonicorum non habebit ante se.

III. His adde, abstinendum esse Episcopo ipsius Libri usu, ubi Missæ solemni interesset *Nuntius Apostolicus habens in eo loco facultates Legati de Latere*, uti in hoc nostro §. expresse edicitur, tametsi nulla apud memoratum Crassum, & in editis ante hoc nostrum Cæremonialibus de ipso Nuntio habeatur mentio. Quod IV. §. spectat vide quæ infra suo loco dicemus.

# CAP. XXI.

*Quoties Episcopus sacris paramentis induitur, Dignitates, & Capitulum stent circa ipsum facientes circulum per ordinem. Quater in Missa solemni, quæ coram Episcopo celebratur, circuli fiunt. Qui ordo servandus a Canonicis in reverentiis faciendis, & in circulis peragendis. Circuli in Missis tantum fiunt, non in Vesperis, nec aliis præterquam proprio Episcopo.*

## §. I.

Quotiescumque Episcopus sacris paramentis induitur in Secretario, vel alibi ad Missam solemnem, vel ad Processionem iturus, Dignitates, & Canonici debent circa illum stare, dum paramenta capit, detectis capitibus, quos tamen semel, aut iterum invitari ab Episcopo decet, ut caput tegant, cui illi reverenter obtemperent, se cooperiendo.

## COMMENTARIUS.

I. QUemadmodum & ceteri pene omnes, ita quoque & is ritus ex Romano Summi Pontificis Cæremoniali, Auctore Augustino Patricio, desumtus est, ubi Libro III. Sectione III. Cap. IX. de circulis Cardinalium, quæ fiunt ante Papam, ita quidem inquit: *Domini*

Digitized by Google

*mini Cardinales primum dum Papa in Camera sui paramenti accipit sacras vestes, faciunt circulum ante suam Sanctitatem stantes capite detecto; sed consuevit Pontifex illos invitare, ut cooperiant caput, & tempore frigoris monere iterum, ut tegant: quod ipsos tandem facere convenit.* Ergo ad imitationem cæremoniæ ipsius, quæ a S. R. E. Cardinalibus peragitur erga Summum Pontificem, quoties Episcopus capit paramenta in Secretario, vel etiam alibi ad Missam solemnem, vel ad Processionem iturus, Dignitates, & Canonici omnes suo habitu Canonicali induti debent circa illum stare, & quidem nudo capite, ac ordine retrogrado: *quos tamen semel, ac iterum invitari ab Episcopo decet, ut caput tegant, cui illi reverenter obtemperent, se cooperiendo.*

II. Dignitates dumtaxat, & Canonicos ad denotandam scilicet membrorum unionem cum suo capite, idest, Episcopo(id enim ipsa circulorum cæremonia designat) debere ante proprium Antistitem circulos agere, non autem alios, imo nec Vicarium Generalem, & multo minus Beneficiatos, decidit Sacra Rituum Congregatio in Maceraten. XXVIII. Septembris anni MDCXXX. ut testatur Barbosa in Tractatu, *De Canonicis, & Dignitatibus*, Cap. XXXIII. Num. XXV. Meratus in suis ad Gavantum additionibus, & inter alios Ricciardellus in suo Lyceo Ecclesiastico, Cap. VIII. §. I. Num. XII. ubi citato eodem Sacræ Congregationis Decreto ita ait: *Non debet Vicarius facere circulum cum Canonicis Episcopo in Missa solemni ad Hymnum Angelicum, Credo, Sanctus, & similia, quia pertinet ad Dignitates, & Canonicos.* Debet sane Canonicus etiamsi Titularis Episcopus sit, in Missis cantatis assistente Episcopo locali una cum aliis Canonicis a Choro discedere, & illi consuetos circulos facere a Cæremoniali præscriptos, ut declaravit Sacra Rituum Congregatio in Asculana XX. Martii MDCCXXVIII. in responsione ad II. Dubium una cum aliis nonnullis eidem Sacræ Congregationi propositis, occasione Joannis Philippi de Cautis Canonici Asculani, qui factus fuerat Episcopus Titularis cum retentione Canonicatus.

## §. II.

**Quo casu dignior ex omnibus tam Dignitatibus, quam Canonicis stare debet a sinistris Episcopi, & alii per ordinem apud illum, facientes circulum usque ad ultimum, qui versus dexteram Episcopi stabit; quod ita fiet, ut commodior, & facilior sit exitus, cum ultimi, qui ad dexteram consistunt, debeant esse primi exeundo a dicto loco; alias regulariter digniores semper a dexteris Episcopi stare debent.**



## COMMENTARIUS:

I. TAmetsi illa jure probata sit regula, ut digniores Canonici semper a dexteris Episcopi stare debeant, sciendum hic tamen est, quod, ubi agitur de circuli cæremonia, quæ a Canonicis proprio Episcopo exhiberi solet, ultimus quidem Canonicus versus dexteram

ram Episcopi stabit, ut scilicet *commodior, & facilior sit exitus, cum ultimi, qui ad dexteram consistunt, debeant esse primi exeundo a dicto loco*; juxta rationem, quam hic edicit §. noster; qui plane concinit iis, quæ tradit Crassus Lib. 1. Cap. xx. ubi de circulis Canonicorum agens ante Cardinalem, sive Episcopum in sua Diœcesi, hæc habet: *Cum autem venturi sunt, primo incipiunt juniores venire; cum vero in circulo stant, qui sunt magis antiqui, stant propiores ad Cardinalis dexteram; sed cum discessuri sunt, ordine converso discedunt, nam primo antiqui incipiunt discedere*. Desumtus hic quoque est ritus e Cæremoniali Capellæ Papalis, Auctore Augustino Patricio sic ajente: *Senior*, Cardinalis, *erit ante sinistram Papæ, & alii per ordinem illum sequentur*. Sane de hac figura apposita post 11. hunc nostrum §. illud minime omittendum est, quod in calce antiqui Cæremonialis Romæ editi anno MDC. ubi hujusmodi figuræ conspiciuntur, legitur: *In hac figura, quæ repræsentat circulos, qui fiunt coram Episcopo in Missis, nec Episcopus paratus cum Planeta, sed cum Pluviali, vel Cappa esse debet, nec Diaconi assistentes cum Tunicellis, sed cum Cappis, vel Cottis assistere debent*. Sed hæc correctio indigere etiam correctione videtur, nam etiam in Missis Episcopo Planeta induto circuli fiunt, ei assistentibus Diaconis cum Dalmaticis.

## §. III.

In Missa quoque solemni, quæ non ab Episcopo, sed coram eo celebratur, quater circuli fiunt, primo cum Episcopus stans in sua Sede, legit Introitum, & dicit. *Kyrie eleison &c.*, & successive Hymnum Angelicum, *Gloria in excelsis Deo &c.* postquam intonatus erit a Celebrante, si recitandus sit. Canonici enim opportuno tempore, discedentes ab eorum sedilibus, procedunt ad medium Chori, factis Altari, & Episcopo reverentiis, & se sistunt in circulum ante Episcopi faciem, quod diversimode fit pro diversitate situationis Altaris, & Sedis Episcopalis. Si enim Altare adhæreat parieti, & Sedes Episcopalis sit in latere Euangelii, incipient procedere juniores Canonici a sedili Diaconorum, ita ut ultimus Canonicus consistat ante faciem Episcopi, quos gradatim alii sequuntur, perficiendo circulum, & dignior Canonicus, sive Dignitas, modicum a suo sedili digressus, stat ad dexteram Episcopi. Si vero Altare erit sub Tribuna, & Sedes Episcopalis ex opposito Altaris, tunc Canonici venientes ad circulum, procedunt simul ab utraque parte, non perficientes circulum, ne terga vertant Altari, sed facientes hinc inde semicirculum, & sic stantes dicunt cum Episcopo, *Kyrie eleison*; quo dicto, si dicendum sit. *Gloria in excelsis Deo &c.*, expectant ibidem, donec Celebrans incipiat *Gloria in excelsis Deo*, & ipsi cum Episcopo prosequantur usque ad finem. Quo finito, producente super eos Episcopo signum Crucis, quod sic semper in fine circuli observatur, factaque illi, & Altari reverentia, recedunt ad loca sua, eumdemque ordinem servant, quoties in Missa veniunt ad circulum; quod secundo erit, cum dicitur Symbolum, si dicendum est, in quo simul cum Episcopo genuflectunt ad articulum, *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est*. Et si forte cum redeunt ad loca sua, idem articulus cantetur a Choro, ubicumque erunt, pariter genuflectent, donec articulus perficiatur; tertio loco veniunt ad circulum circa finem Præfationis, ut dicant cum Episcopo, *Sanctus, Sanctus &c.* non tamen pectus percutientes; dicto *Benedictus, qui venit in nomine Domini &c.* & facto super eos signo Crucis ab Episcopo, recedunt; quarto, & ultimo, paulo antequam Celebrans dicat, *Per omnia secula &c.* ante, *Pax Domini &c.* iterum veniunt ad circulum, ut dicant cum Episcopo, *Agnus Dei &c.* Et tunc, dum veniunt ad circulum, & dum discedunt, ambobus genibus versus Altare genuflectant propter reverentiam SS. Sacramenti, quod est super eo.

## §. IV.

Cum Canonici a circulis revertuntur ad sedes suas, faciunt contrario modo, quam faciunt veniendo; quia primo revertuntur seniores, mox juniores.

## COMMENTARIUS.

1. CElebrante Episcopo nunquam Canonici ad circulos aliquos cum eo venire debent, sive ipsi induti sint Pluvialibus, sive non, quia scilicet, ut scite admonet Crassus Lib. 1. Cap. xx. Episcopus celebrans cum suis solis Ministris quæcumque dicenda sunt dicit, & prosequi-

Digitized by Google

sequitur, nullatenus autem cum aliis Canonicis, qui, ut dixi, tunc non veniunt ad circulum, sed, ut ait Castaldus Lib. I. Sectione VIII. Cap. V. Num. VII. parati in locis suis stantes faciunt Confessionem, & dicunt, *Kyrie eleison*, *Gloria*, *Credo*, *Sanctus*, *& Agnus Dei*. Quando vero non celebrat, sed solemni Missæ Episcopus ipse assistit, tunc semper & Dignitates, & Canonici ad circulum venire debent, nisi Missa esset pro Defunctis, & nisi adesset Legatus, vel alius Prælatus superior, ut infra suo loco dicetur.

II. Præter circulum in Secretario exhibitum Episcopo, quum sacris paramentis induitur, debent Dignitates æque ac Canonici ex §. hujus præscripto, ubi Episcopus solemni Missæ assistit, quater venire ad circulum; primo, cum ille *stans in sua Sede legit Introitum*, *& dicit*, Kyrie eleison &c. *& successive Hymnum Angelicum*, Gloria in excelsis Deo &c. *postquam intonatus erit a Celebrante*, *si recitandus sit*. Quando, & qualiter peragendus sit circulus iste, ita inter alios exponit Crassus loco citato: *Veniunt autem in totum quater pro qualibet Missa*, *videlicet primo pro Introitu*, Kyrie eleison, Gloria in excelsis, *simul ac semel tantum*, *nam cum Chorus cantat*, *sive Organum sonat ultimum*, Kyrie eleison, *tunc Canonici veniunt primo*, *& sic ipsi cum Cardinali tunc surgente*, *& legente Introitum*, *&* Kyrie eleison, *assistunt respondentes*. *Debet autem a Choro*, *sive Organo ita*, *& taliter tempus dispensari*, *quod illico ultimo*, Kyrie eleison, *per Cardinalem finito*, *Celebrans commode*, *& opportune possit incipere cantando*, Gloria in excelsis, *quod Cardinalis ad Canonicos versus in circulo stantes prosequitur*, *& in fine facit super eos signum Crucis*, *sed ipsi dum signantur a Cardinale*, *non signant se ipsos*. Addit mox etiam illud, quod si *Gloria* in Missa non dicitur, tunc non multum refert, an veniant, quamquam venire magis conveniens esset.

III. Qui recitatum hactenus Crassi locum cum §. nostro conferat, jam facile animadverterit, quædam in eo contineri, quibus §. noster egregie dilucidari possit; tametsi multa is plane contineat, quæ apud Crassum desiderantur. Ergo ex præscripto nostri §. & ut inter alios notat etiam Bauldryus Parte V. Cap. XXI. Num. III. & IV. cum cantatur ultimum, *Kyrie*, Canonici discedentes ab eorum sedibus procedunt ad medium Chori, cum reverentiis debitis Altari, & Episcopo, & se sistunt in circulum ante Episcopi faciem; quod diversimode fit pro diversitate situationis Altaris. Si enim Altare adhæreat parieti, & Sedes Episcopalis sit in latere Euangelii, incipiunt procedere juniores Canonici a sedili Diaconorum, itaut ultimus Canonicus sistat se ante faciem Episcopi, quos gradatim alii sequuntur, perficiendo circulum, & dignior Canonicus, sive Dignitas, modicum a suo sedili digressus, stat ad dexteram Episcopi.

IV. Si vero Altare est sub Tribuna, & Sedes Episcopalis ex opposito Altaris, tunc Canonici venientes ad circulum, procedunt simul ab utraque parte, non perficientes circulum, neque terga Altari vertant, sed facientes semicirculum hinc inde; & sic stantes, dicunt cum Episcopo, *Kyrie eleison*; quo dicto, si dicendum sit, *Gloria in excelsis Deo*, & ipsi cum Episcopo prosequuntur illud usque ad finem; eoque finito, ac producente Episcopo super eos signum Crucis (quod sic semper in fine cujusque circuli observatur) factaque illi, & Altari reverentia, redeunt ad sua loca. Licet autem aliquando in Missa non dicatur, *Gloria in excelsis*, semper tamen debent venire ad circulum, ut cum Episcopo dicant, *Kyrie eleison*, uti notat Bauldryus loco citato; tametsi Crassus, tunc non multum referre inquiat, an ad circulum veniant, convenienque magis esse affirmet, si ad circulum ipsum pergant.

V. Antequam reliquos Canonicorum circulos explicemus, abs re non erit cæremoniam exponere, qua ante Romanum Pontificem a S. R. E. Cardinalibus circuli fiunt, ex iis enim, ut supra notavimus, & illi desumti sunt: *Domini Cardinales*, ait Patricius Libro III. Sectione III. Cap. IX. *Veniunt ad circulum ad Introitum facta reverentia ante Missam hoc modo. Junior Diaconus incipit*, *& ponit se factis reverentiis Altari*, *& Papæ*, *in ultimo loco contra sinistram Pontificis*; *Senior in loco primo*, *& viciniori Papæ*; *Junior vero ex Presbyteris Cardinalibus primo se movet a loco suo*, *& ponit se haud longe a juniori Diacono ante faciem Papæ*: *illum sequuntur Presbyteri*, *& deinde Episcopi*, *incipiendo semper a junioribus*, *itaut senior Episcopus Cardinalis descendat tantum de gradu*, *in quo sedebat*, *& teneat primum locum*, *& viciniorem ad Pontificis dexteram*. Hoc ordine ait venire ad circulum Cardinales, nempe ad Introitum, *Kyrie eleison*, & *Gloria in excelsis*; itemque ad *Credo*, ad *Sanctus*, & ad *Agnus Dei*. Tum, postquam dixit, præveniendum esse quando datur tempus, maxime ad *Sanctus*, & ad *Agnus Dei*, ita statim subjicit: *Stant semper*, *& in viâ*, *& dum sunt in circulo capite detecto*; *veniendo*, *& redeundo faciunt Altari reverentiam*, *& Papæ*. *Cum vadunt*, *juniores incipiunt*; *cum revertuntur ad sedes*, *incipiunt seniores*, *& Diaconi post Presbyteros omnes*. Varia & ex hoc loco addiscimus, sed illud potissimum, Canonicos quoque, non modo dum sunt in circulo coram Episcopo, verum etiam ad circulum debere capite detecto procedere.

VI. Circulus alter in Missa, cui Episcopus scilicet assistit, fit a Canonicis, *cum dicitur Symbolum*, *si dicendum est*, *in quo simul cum Episcopo genuflectunt ad articulum*, Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est; *& si forte cum redeunt ad loca idem articulus cantetur a Choro*, *ubicumque erunt*, *pariter genuflectunt*, *donec articulus perficiatur*. Notat Crassus, nihil referre, an Celebrans, & Episcopus, qui assistit Missæ, simul concurrant in genuflexione ad versiculum, *Et incarnatus est*; advertere tamen debent Canonici, ut dum versiculus ipse cantatur a Choro, si ipsi forte essent in via revertentes, tunc ubicumque sint, genuflectant in terra, usquequo Episcopus a genuflexione

Digitized by Google

xione surrexerit, qui tamen surgere non debet, nisi versiculo illo prorsus finito. Eo siquidem articulo, uti nos jam notavimus Lib. II. *De Codice sancti Euangelii*, Cap. XXII. in fine, sublimium, atque inenarrabilium Mysteriorum feracissimo, veluti per anacephalæosim immensa Dei Omnipotentis charitas in humanum genus manifestatur, qui, ut illud e diaboli laqueis, & æterna morte eriperet, divinæque gratiæ, qua per peccatum exciderat, restitueret, & cælo donaret, Filium suum Unigenitum hominem fieri tribuit, mortemque ipse amarissimam subire ultro libensque voluit in ara Crucis pro nobis Sacerdos factus, & Sacrificium.

VII. Tertio loco veniunt Canonici ad circulum *circa finem Præfationis, ut dicant cum Episcopo*, Sanctus, Sanctus &c. *non tamen pectus percutientes, & facto super eos signo Crucis ab Episcopo, recedunt*. Quarto, & ultimo, paulo antequam Celebrans dicat, *Per omnia secula seculorum*, ante *Pax Domini &c.* iterum venire debent ad circulum, *ut dicant cum Episcopo*, Agnus Dei; *& tunc dum veniunt ad circulum, & dum discedunt, ambobus genibus ante Altare genuflectunt, propter reverentiam Sanctissimi Sacramenti, quod est super eo*. Eundem hunc ritum servandum, ut scilicet utrumque genus flectant Canonici, ubi Sanctissimum Sacramentum expositum est extra Ciborium, notat Castaldus Lib. I. Sectione VIII. Cap. V. Num. VI. Ceterum tenenda est & regula illa, quam supra exposuimus, ut nimirum ad circulum accedentes, si Sedes Episcopi sit a dexteris Altaris, scilicet, a latere Euangelii, quod tunc contingit, cum Altare parieti adhæret, ultimus Canonicus primum accedere debeat ante faciem Episcopi a sinistris ejus, reliqui vero per ordinem successive, primum juniores, sequentibus gradatim senioribus, itaut senior modicum a sua sede recedens sit a dextris Episcopi. Ubi autem a circulo sunt reversuri, cautum est quidem ex §. IV. ut primum seniores recedant, deinde vero juniores.

VIII. Forte quod circulorum cæremonia a Canonicis facienda Episcopo solemni Missæ assistenti alicubi esset neglecta, S. Carolus ejus quoque obsoletæ disciplinæ restaurator, in Concilio suo IV. Mediolanensi Provinciali, Cap. *Quæ pertinent ad sanctissimum Missæ Sacrificium &c.* paucis multa quidem complexus est, quæ ipsam cæremoniam circulorum spectant, ubi ita statuit: *Missæ Sacrificium præterquam pro mortuis fit, uti Episcopus præsens adsit, Canonici, & aliqua illius Ecclesiæ dignitate præditi, quo tempore*, Gloria in excelsis, *& Symbolum item, & alia ejusmodi canuntur, ad Episcopum ordine veniant, in cujus conspectu corona facta, tunc simul cum eo singulas illas Missæ partes dicant pro cæremoniarum ritu, & ratione*. Porro teneri etiam Episcopum Titularem Canonicum in Missis cantatis cum assistentia Episcopi localis discedere a stallo una cum reliquis Canonicis pro faciendis consuetis circulis a Cæremoniali præscriptis, decidit Sacra Rituum Congregatio in Asculana XX. Martii MDCCXXVIII. in responsione ad Dubium II. uti etiam supra diximus in Commentario ad §. I.

## §. V.

**Illud demum sciendum est, hujusmodi circulos fieri tantum in Missis, non autem in Vesperis, & cum Episcopus præsens est Missæ per alterum cantatæ, sive diebus festis, sive ferialibus; nunquam autem, quando ipsemet Episcopus celebrat; nec fieri ante ullum, quantumvis Episcopo superiorem, etiam Legatum de Latere, aut ejus Metropolitanum, & multo minus ante inferiorem, vel Suffraganeum, vel alium Episcopum, sed dumtaxat ante ipsum proprium Episcopum: qui tamen circuli, præsente Legato de Latere, vel Prælato superiore, ob eorum reverentiam omittuntur.**

## §. VI.

**In Missis vero Defunctorum circuli non fiunt, nec Feria sexta in Parasceve.**

## COMMENTARIUS.

I. QUandoquidem, ut superius notatum jam fuit, circuli denotant membrorum unionem cum suo capite, nempe Canonicorum cum proprio Episcopo, qui ipsorum est caput, ea profecto ratio est, cur circuli proprio dumtaxat Episcopo assistenti ad Missam solemnem fiunt, nulli autem prorsus alii, etiamsi fuerit S. R. E. Cardinalis, Legatus a Latere, vel Metropolitanus; non enim his circuli fieri debent ex præscripto nostri §. V. tametsi ob ipsorum reverentiam, ubi scilicet solemni & ipsi Missæ præsentes fuerint, publice nimirum, non privatim, prædictis circulis abstinere omnino proprius Episcopus debeat, uti ex eodem §. cautum est, ubi ita ait: *Qui tamen circuli, præsente Legato de Latere, vel Prælato superiore, ob eorum reverentiam omittuntur*.

II. Eandem ob rationem quod circuli membrorum unionem cum capite suo designent, non debere Canonicos ad illos accedere cum Episcopo Coadjutore, quia ille non est caput, edixit jam olim Sacra Rituum Congregatio, teste Barbosa in



Digitized by Google

in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. CXLIX. Num. I. & II. ubi etiam citat Prosperum de Augustino in additione ad Quarantam in Summa Bullarii, Piaseccum in Praxi Episcopali, & Campanile in Diversorio Juris Canonici Rubrica VII. Cap. VI. Num. CVII. Hinc etiam nostro hoc seculo, cum anno scilicet MDCCXXII. die XXII. Augusti, in Sarsinaten. functionum Episcopalium inter alia Dubia proposita Sacræ Rituum Congregationi, IV. Dubium esset, *An Episcopo Civitatis Ducalis, Administratori Ecclesiæ Sarsinaten. dum assistit Missæ solemni ab alio cantatæ, debeant Canonici facere circulos ad* Kyrie eleison, Gloria in excelsis, Credo, Sanctus, *&* Agnus Dei, *tuncque ubinam debeat sedere*, respondit ipsa Sacra Rituum Congregatio: *Negative, & sedeat in primo Stallo Chori*. Affert hoc Decretum Dominicus Ursaya Tomo V. Parte I. Disceptatione II. tametsi ipse partes Episcopi administratoris sustinuerit, testaturque, Episcopum ipsum Civitatis Ducalis deputatum fuisse a sanctæ memoriæ Clemente XI. administratorem Ecclesiæ Sarsinaten. *cum amplissimis facultatibus tam in temporalibus, quam in spiritualibus, & cum illa expressione*, ac si ab ipso Pontifice eidem Episcopo vere ac proprie Sarsinatensis Ecclesia collata esset.

III. Ergo proprio Episcopo fieri a Canonicis circuli debent, sed *tantum in Missis, non autem in Vesperis*, & quidem dum ipse Missæ solemni assistit, *sive diebus festis, sive ferialibus, numquam autem, quando ipsemet Episcopus celebrat*; tunc enim, uti superius notatum fuit, cum suis solis Ministris, quæcumque dicenda sunt, dicet; Canonici autem parati in locis suis stantes quidem facient Confessionem, & dicent, *Kyrie*, & alia ut supra. In Missis Defunctorum, & Feria sexta in Parasceve consuetos circulos nullo modo fieri debere, cautum est ex §. VI. & docet Patricius in Capellæ Papalis Cæremoniali Libro III. Sectione III. Cap. IX. ubi de circulis Cardinalium disserens, qui ante Papam fiunt, postquam dixit, omnes quidem Cardinales in Missis tantum venire ad circulum ante Pontificem iis assistentem, & non in Vesperis, ita demum inquit: *In Missis pro Defunctis non veniunt ad circulum, neque in sexta Feria Parasceve*. In recitatis superius locis tum Paridis Crassi, tum IV. Provincialis Concilii Mediolanensis nulla fit quidem de Parasceve mentio, quia scilicet, nulla ea die celebratur Missa, Præsanctificatorum dumtaxat Officium peragitur, de quibus abunde jam alias diximus. Quicquid sit, omittuntur in Missis Defunctorum, & in Feria sexta Parasceves circuli, quod diebus scilicet summæ tristitiæ, & luctus, minime conveniant circuli ipsi, sicut nec aliæ multæ solemnitates, quæ ob eandem rationem ex antiquo ritu solent omitti.

# C A P. XXII.

*In Missa solemni, quæ ab Episcopo celebratur, decet haberi concionem, vel per ipsum Episcopum, vel per Presbyterum assistentem. Si Episcopus non celebret, habeatur per alium idoneum. Quis erit ejus habitus, si fuerit Clericus, & quis, si Regularis. Concionator Benedictionem ab Episcopo petat, & Indulgentias. Finita concione, e suggestu Indulgentias publicat. Si sermo ob aliquam graviorem causam habendus est, finita Missa, habeatur. Oratio funebris post Missam Defunctorum dicenda.*

## §. I.

Quemadmodum in Capite VIII. Libri II. de Missa solemni, dicitur, Episcopo solemniter celebrante, non decet omnino sermonem haberi, nisi vel ab ipsomet Episcopo, vel ab alio Canonico, qui eo casu servit Episcopo in officio Presbyteri assistentis; atque ibidem, & in Capite VII. Libri I. §. IV. declaratur, qua forma, & modo id agere debeat.

## COMMENTARIUS.

I. EXplorata res est sacris divinæ Scripturæ, Sanctorum Patrum, atque Conciliorum auctoritatibus facta conspicua, jure divino teneri Episcopos prædicare gregibus suis sanctum Jesu Christi Euangelium. Id quod a nobis non uno in loco ostensum fuit, in Commentariis scilicet ad Concilia Oecumenica, & in Commentariis illis, quibus Romanum Pontificale illustravimus, in Opere quoque, *De Codice sancti Euangelii*, Lib. II. Cap. XXXI. & alibi quamfrequentissime. Verum ne quid in hoc Commentario desiderari possit, nonnulla Patrum afferimus loca, quibus magis magisque pateat, quanta sit obligatio Episcoporum commissos sibi populos pascere salutaris doctrinæ pabulo, & lupos instar canum latratibus suis arcere, ne rapiant, & disperdant oves. Id sane oneris sibi impositi agnovit jam S. Ambrosius, qui Lib. I. *De Officiis*, Cap. I. agens de se ad Episcopatum Mediolanensem compulso ita ait: *Jam effugere non possumus officium docendi, quod nobis refugientibus imposuit Sacerdotii necessitudo*.

II. Multa sunt autem, ex quibus perspici potest hæc in Episcopis concionandi necessitas; sed primum omnium est profecto magnum periculum, quod illis impendet, qui delatum, ac susceptum

Digitized by Google

ceptum munus prædicandi verbi Dei explere neglexerint: *Frequenter in Scripturis Sanctis*, ait S. Augustinus Homilia V. Libri quinquaginta Homiliarum, *audivit caritas vestra, Fratres carissimi, in quo sint Sacerdotes periculo constituti, si noluerint implere illud quod contestatur Apostolus*, Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa, cum omni patientia, & doctrina. *Et quia tam grave pondus imminet cervicibus nostris, quibus dicitur*, si non annunciaveritis iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram *necesse nobis est quoscumque negligentes, aut secrete, aut publice castigare*. Idem Sanctissimus Præsul, ac Doctor, ut alia ejus loca reticeam, quæ videri possunt apud Bernardinum Ferrarium in Opusculo quod scripsit de ritu sacrarum Ecclesiæ veteris concionum Lib. II. Capite II. in Homilia XXVIII. ejusdem Libri idipsum confirmat, sic dicens: *Dico vobis, libero animam meam; in magno enim sum non periculo, sed exitio constitutus, si tacuero; sed cum ego dixero, & implevero officium meum, vos jam attendite periculum vestrum. Quid autem volo? Quid desidero? Quid cupio? Quare loquor? Quare hic sedeo? Quare vivo? nisi hac intentione, ut Christo simul vivamus?* Et paulo post: *Sed si me non audieritis, non tamen ego tacuero, animam meam liberabo.*

III. Supervacaneum est innumera pene tum ipsius Augustini, tum aliorum Patrum testimonia congerere, quibus ingenue fatentur, illos qui dignitate Pastorali præditi sunt, etiamsi sancte ipsi vivant, si non prædicent, haud dubie in manus Dei incidere; sed audiamus futiles quorumdam Præsulum excusationes, quas tamen egregie refellit doctissimus Cardinalis Bellarminus Lib. II. *De gemitu columbæ*, Cap. V. *Alia*, inquiunt, *nunc sunt tempora, alii mores*. Ita est, respondet laudatus Theologus, alia sunt tempora, alii mores, sed non alia obligatio. Cur enim in consecratione Episcoporum etiam nunc dicitur: *Accipe Euangelium, vade, prædica populo tibi commisso?* An non timere debent Episcopi sic ordinati, ne in judicio audiant, cur prædicationis officium suscepisti, si illud implere nolebas? Et si alia nunc esset obligatio: cur in ipso generali Concilio Tridentino postremis temporibus celebrato disertis verbis diceretur, prædicationis munus præcipuum esse inter Episcopalia munia? Et cur adhuc in Ecclesiis Cathedra sublimis Episcopis erigitur, nisi ut ex edito loco populum doceant?

IV. Forte dicent & quidem non pauci, qui e Foro ad Episcopatus assumuntur: *Non dedimus operam sacris literis, neque in prædicatione, sed in judiciis versati sumus*. At neque S. Ambrosius, ait Bellarminus, neque S. Gregorius prædicationi operam dederunt, sed forensibus judiciis, & tamen vocati ad præfecturam Ecclesiæ, continuo lectioni Scripturarum, & prædicationi verbi Dei operam dare cœperunt. Quod idem fecit nostro tempore S. Carolus Cardinalis, qui cum jurisprudentiæ operam dedisset, & usum concionandi non haberet, & linguæ quoque impedimentum praeretur, omnes tamen difficultates Christi amore, & officii sui adimplendi desiderio superavit, & assidue uberrimo cum fructu usque ad mortem Euangelium prædicavit.

V. Denique inquiunt: *Multi sunt hoc tempore Prædicatores verbi Dei ex Ordinibus Religiosis*. Verum est id quidem; sed illi vocati sunt in adjutorium Episcoporum, non ut proprium munus ipsorum impediant, neque adjuvari dicitur, qui nihil facit. Et Christus ipse Apostolos duodecim, & septuaginta duos Discipulos misit ad prædicandum, ut ipsum in eo munere quodammodo juvarent, & tamen non ideo intermisit ipse assidue prædicare; & de Pastore ait Joannis Cap. X. *Vocem ejus audiunt, & eum sequuntur*. Itaque si Episcopi Pastores sunt, ut omnino esse debent, id quoque eos præstare necesse est, ut oves vocem eorum audiant, ipsorumque vitam, & exempla sequantur. Hæc Bellarminus Theologus nostri ævi præstantissimus, cujus verba eo consilio retulimus, quod multi sunt hodie, quibus si antiquorum Patrum, & Canonum loca objicias, respondere soliti sunt, Patres oratorio modo loquutos, Canones vero antiquos in desuetudinem abiisse. Quod quidem ineptissime dictum est, præsertim cum Synodus Oecumenica Tridentina non uno in loco edixerit, præcepto Divino mandatum esse Episcopis commissos sibi greges prædicatione verbi Dei pascere.

VI. Ergo debent Episcopi verbum Dei prædicare, præsertim cum ipsi solemnia Missarum celebrant, uti edicitur sup. Lib. I. Cap. VII. §. IV. & infra Lib. II. Cap. VIII. §. XLVIII. Neque enim decet, ut Episcopo solemniter celebrante, sermo habeatur, nisi vel ab ipsomet Episcopo, vel ab aliquo Canonico, qui eo casu servit Episcopo in officio Presbyteri assistentis. Id sane cautum est hoc nostro præsenti §. & quidem consentanee ad ritum Capellæ Papalis, ut constat ex testimonio Augustini Patricii Lib. III. Sectione IV. Cap. I. ubi ita ait: *Summus Pontifex non consuevit facere sermonem, alio quopiam celebrante, sed tantum dum ipse celebrat*. Tum Cap. II. inquit: *Cardinales non faciunt sermonem in Capella Papæ, nisi celebrante Pontifice, val cum ipsemet Cardinalis celebrat. Si facit sermonem in Missa Papali, ipse, vel Episcopus, sive Presbyter sit, debet assistere in Officio Capellæ, etiamsi non sit prior, & in tempore cum Pluviali, & Mitra facere sermonem. Si vero ipse celebrat, dicto Euangelio, ipse deponens Casulam, accipit Pluviale, vadit ad osculum manus Pontificis, petit benedictionem, & Indulgentias, & ascendit Pulpitum, & cum Mitra simplici orat.*

VII. Sed ut videas ritus fere omnes in hoc nostro Cæremoniali præscriptos desumtos fuisse ex Cæremoniis Capellæ Papalis, recensenda hic primo sunt, quæ nostrum Cæremoniale edicit citato Lib. II. Cap. VIII. §. XLVIII. *Si erit*, inquit, *habendus sermo, quem, Episcopo celebrante, ab eo fieri convenit, vel ab aliquo Canonico Presbytero; siquidem Episcopus erit concionaturus, id faciet in propria sua Sede, quando est versa ad populum, vel quando Altare adhæret parieti, apud ipsum Al-*



Digitized by Google

*Altare, sedens ibi super Faldistorio, in suppedaneo, versis Altari renibus*. Et mox §. sequenti ait: *Sedebunt ad ejus dexteram Presbyter assistens, & modicum post eum Diaconus Euangelii, & primus Diaconus assistens: a sinistris vero sedebunt, Subdiaconus, & alter Diaconus pariter assistens*. Hæc consentanea esse ritui, quem ex Cæremonialis Romani præscripto servare Papa solitus erat, dum ipse Celebrans sermonem haberet, his plane verbis laudatus Patricius tradit: *Tunc si Altare est apud parietem, itaut Prælati, & omnes sint inferius, ut in Capella Palatii, tunc Papa descendit de Sede eminenti, & sedet ante Altare super Faldistorium, vel Sedem ibi paratam, vertens faciem ad populum, & renes ad Altare, & post eum Diaconus Euangelii, deinde Diaconus assistens a dexteris, a sinistris vero sedet Diaconus tantum, & qui ab illo Altari assistit Subdiaconus Apostolicus.*

VIII. Qui ritus olim a Romano Pontifice servaretur, dum sermonem inter Missarum solemnia haberet ipse, longe ante Patricium enarrat in Ordine Romano XIV. Jacobus Gaetanus, Capite XLVII. apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici, Pag. 284. *Si Pontifex prædicaturus est, Cardinalis ipse, qui servit, pergat ad locum, in quo faciendus est sermo, & sit in dextera parte Pontificis, dum prædicat, videlicet stans, si Pontifex stat, aut sedens in aliquo apto loco, si Pontifex sedeat. Et facto sermone, cum ipso Pontifice redeat ad Sedem ipsius, præcedens ipsum*. Et mox ritum describens, ut, nolente Pontifice sermonem habere in Missa, a Cardinale Pontifici in officio Presbyteri, vel Episcopi assistentis deserviente, sermo ipse habeatur, ita quidem inquit: *Si autem ipse, qui servit, sermonem facturus est, postquam incensavit Pontificem, genu flexo ante ipsum osculatur pedem ejus, & petat benedictionem dicens*, Jube Domne benedicere. *Recepta benedictione, reverenter quærat a Pontifice, quantam Indulgentiam placeat ei concedere, & audito beneplacito ejus, pergat ad locum, ubi prædicare debet, & prosequatur sermonem suum &c.*

IX. Celebrante Episcopo, ubi is nolit sermonem facere, decere omnino, ut sermo fiat a Presbytero assistente, vel *ab aliquo Canonico, qui eo casu servit Episcopo in officio Presbyteri assistentis*, diserte §. hic noster affirmat, ubi etiam citatur §. IV. Capitis VII. hujus Libri, ubi ritus ab eo servandus ita describitur: *Si vero sermo habendus erit per ipsum Presbyterum assistentem, vel per aliquem Canonicum, qui eo casu servire debet Episcopo in officio Presbyteri assistentis cum Pluviali etiamsi non sit ex antiquioribus, & dignioribus Canonicis, finito Euangelio accedet ad osculum manus Episcopi, & profunde inclinatus ab eo petet benedictionem, & sic paratus ascendet Ambonem, sive Pulpitum, & sermonem habebit; ac finita confessione per Diaconum, publicabit Indulgentias in forma*. Ubi nota ritum hunc ritui illi concinere, quem ex Cæremonialis Romani præscripto Cardinales servare debent, ubi Celebrante Pontifice, vel cum ipsimet celebrant, in Capella Papæ sermonem facerent.

X. Omitti hic demum nullatenus debent, quæ de Episcopi vestitu, ac variis ritibus ab eo servandis dum habet concionem, mandavit in sua Provinciali IV. Synodo Mediolanensi S. Carolus Parte I. Constitutionum, Cap. *De verbi Dei prædicatione*, ubi ita inquit: *Episcopus cum in Missa solemnis Sacrificio sermonem, aut concionem habet, Mitra, Episcopaliqne sacro omni vestitu, quem in Missa adhibet, indutus sit. Cui concionanti Ministri Ecclesiastici sacris vestibus induti, septem, ut antiquo Canone jussum est, ubi potest, si minus, pauciores ab utroque latere assistant. Adsit etiam vel dignitate præditus, vel Canonicus, vel alius denique, ad quem ex probato instituto spectat, Baculi pastoralis sustentatio, Pluviali indutus, qui ante ipsum a latere sinistro Baculum manu sustineat*. Eadem tradit Parte IV. Actorum Ecclesiæ Mediolanensis in instructionibus Prædicationis verbi Dei, in eo Capite, quod inscripsit, *De ritu concionandi*.

XI. Quod de septem Diaconis ait adstandis Episcopo concionanti ex antiquo Ecclesiæ Canone, alludit plane ad Canonem, *Diaconi*, Distinctione XCIII. quem Euaristo Papæ tribuunt, de quo alias Liber Pontificalis in ipsius Pontificis Vita hæc habet: *Euaristus septem Diaconos ordinavit, qui custodirent Episcopum prædicantem propter stilum veritatis*. Sed audiamus ipsum Euaristum, sive alium ejus nomine, qui in Epistola I. ad Africanos, in eo Canone relata, ita scribit: *Diaconi, qui quasi oculi videntur esse Episcopi in unaquaque Civitate juxta Apostolorum constituta septem debent esse, qui custodiant Episcopum prædicantem*. Quænam fuerit ejus Decreti ratio, in eodem Canone legitur; sic enim mox subjicit: *Ne aut ipse ab insidiatoribus quodammodo infestetur, aut lædatur a suis; aut verba divina detrahendo, aut insidiando polluantur, vel despiciantur: sed veritas spirituali redoleat fervore, & pax prædicata labiis, cum voluntate animi concordet*. Puto equidem cum doctissimo Vignolio in Nota ad Vitam S. Euaristi, eam rationem in Canone memoratam minime probari posse, quinimo videri potius ab ipsius Euaristi mente omnino alienam; etenim ut ait Baronius ad annum CXII. *Nullum certe extat exemplum, ut Diaconi more Prætorianorum Militum pro defensione Imperatoris, pro tuendo suo ipsorum Episcopo adversus persecutores vel leviter obnisi fuerint, aut fuisse aliquando consuetudinis, Ecclesiam Dei castrorum more tueri*.

XII. Hæc sane neque ejusmodi, neque interpretatione alia indiguisse putamus, cum Auctor laudatus Vitæ Euaristi verbis illis *propter stilum veritatis*, ejusdem Euaristi mentem satis explicaverit, ut nimirum iidem Diaconi testes eorum essent, quæ ab ipso prædicabantur Episcopo, qui propterea Diaconi *Testimoniales* dicti fuere. Ait præterea Baronius, ex Decreto Euaristi debere septem Diaconos assistere Episcopo concionanti ob muneris majestatem, & functionis amplitudinem. Instar enim cælestis illius præstantissimæ Hierarchiæ, Ecclesiasticam pariter esse compositam, docet in Epistola sua ad Trallenses S. Ignatius.

Digitized by Google

tius. At vero in illa septem Spiritus in circuitu Throni Deo assistere visi sunt in Apocalypsi Cap. I. Qua ratione sicut Angeli, qui *administratorii Spiritus* ab Apostolo dicti sunt in Epistola ad Hebræos, Cap. I. ita pariter & Diaconi, qui ministri Ecclesiæ sunt, non tantum ut Episcopo, quod ab ipsa primitus eorum institutione factum est, ut Tomo II. Conciliorum in Commentario ad Canonem XVI. Trullanum, & alias etiam abunde probavimus, Sacrificium offerenti, sed etiam ut eidem Euangelium annuncianti præsto sint, instituti fuere.

XIII. Persequamur nunc cæteros ritus, quos ab Episcopo concionaturo servandos, idem S. Carolus memoratis locis præscripsit: *Si vero*, inquit, *sermonem in Missæ Sacrificio non solemni habet, sacris item vestibus Missæ Sacrificio dicatis utatur, & Mitra, & cum Baculo item adsit Minister. Eique assistant præterea Ministri duo ad minimum, Superpelliceo, aut, si Canonici, vel Dignitate præditi sint, suo in Chori Officiis stato Habitu quotidiano induti; nisi pro alicujus celebritatis, solemnisve actionis, ac populi concursus ratione, aliis sacris vestibus eos amictos esse aliquando jusserit.* Id porro muneris obire ait debere Episcopum sedentem in medio Altari in Faldistorio, aut in Sede loco eminentiori collocata, aut in Cathedra Episcopali, aut etiam in Suggesto, Amboneve, ubi itidem sedens, & Mitra item ornatus, cæterisque ut supra adhibitis commodius a populo conspiciatur, & audiatur.

XIV. In alia vero actione, quam in Missæ Sacrificio, aliove tempore, prout actio solemnis, populive frequentia est, sermonem iisdem, ut supra, locis arbitratu suo habere potest Episcopus, Pluviali, & Mitra etiam indutus, adhibitis quoque vel pluribus, vel duobus saltem, qui digniores aliis in Ecclesia sunt, ubi de more illius Ecclesiæ, Episcopo in sacris actionibus ii assistere solent, vel Archidiacono, & altero Diacono, qui digniori loco sedet, aut demum duobus, ut Episcopo videbitur, Canonicis Diaconis, sacro Diaconali Amictu vestitis. Quod si Cappa Episcopali, & Stola potius, quam Pluviali, & Mitra uti maluerit, mandat mox etiam S. Carolus, ut illi duo Assistentes non sacro Diaconali Amictu, sed & ipsi, & alii Ministri Superpelliceo, aliove sui Canonicatus, Dignitatisve in Chori Officiis insigni induantur, adhibeaturque præterea non solum qui Pastoralem Baculum, sed alter etiam, qui Mitram a dextero latere teneat.

XV. Cum vero sermonem, aut concionem minus frequenti populo, aut in actione minus solemni, vel in Ecclesia non insigni habebit, poterit Rocchetto, & Mozzetta indutus id præstare, Stola etiam adjuncta. Nec vero propterea omittet, quo minus si per temporis, & loci opportunitatem liceat, & Assistentes, & alios Ministros, ut supra, adhibeat, cum insignibus Episcopalibus. Si quando autem tunc duo illi Canonici cum Superpelliceo, vel cum indumento, habituve Canonicali non assistent, Ecclesiastici tamen Ordinis homines aliquot graviores præsentes adesse conveniens erit. Hactenus Sanctissimus Præsul ejusque Synodus IV. Provincialis Mediolanensis, cui aliarum Provinciarum Synodi adhærentes, similia statuerunt circa ritus ab Episcopo servandos dum habet sermonem.

XVI. Audiamus autem quid Synodus ipsa Mediolanensis post explicatos varios ritus concludit: *Triplex porro hæc ratio*, inquit, *vel Pluviali, vel Cappa Episcopali, vel Rocheto, Mozzetaque cum Stola utendi, cum sermonem non in Missæ Sacrificio, sed in alia functione, aliove tempore Episcopus habet, non ita ei præscripta est, quia modò unam, modo alteram, modo tertiam, prout maluerit, & temporis, loci, personarumve ratio tulerit, adhibere possit. Nec præterea prohibetur ex tempore, ut aliquando usuvenerit, ubique etiam sine Stola gregem suum verbo Dei, & salutaribus monitis pascere pro munere suo pastorali, cum ejus & dicta, & facta, quasi perpetuam quandam prædicationem ministrare, præbereve debeant.* Sane ignoro quid luculentius vel ex tota veteri Ecclesiæ disciplina afferri possit, ad enarrandos varios ritus, qui ab Episcopo concionaturo pro sua Pontificia, ac Pastorali majestate, & gradu servari possunt juxta scilicet temporis personarumve rationem.

XVII. Prætereundus minime hic est Episcopi, ac Parochi qnoque modus alius concionandi, quem ex veteri pariter Ecclesiæ usu describit eadem IV. Provincialis Synodus Mediolanensis loco citato his verbis: *Episcopus, Parochusve sacrum Euangelium, aut etiam Scripturæ sacræ partem coram populo e loco superiori tractans collocatum ante se aliquando, cum viderit expedire, habeat Euangelii, aut sacræ Scripturæ librum: de quo ipse, aut etiam Minister, cum Episcopus est, per membra, clausulas, & sententias distincte ejusdem Euangelii, sacræve Scripturæ verba pronunciet, quæ ipse scilicet, vel Episcopus, vel Parochus concionando, quo ordine leguntur, sigillatim populo explicet. Minister vero in hoc munere legendi Episcopo, Archidiaconus sit, vel Diaconus Canonicus, aliusve denique quem Episcopus elegerit, isque ante illum capite aperto stans, de libro verba distincte pronunciet.* Confer & ea, quæ hac in re Acta Ecclesiæ Mediolanensis in eo Capite quod, inscriptum est, *De concionandi ritu*, præscribunt.

XVIII. Sunt hi quidem antiqui Ecclesiæ ritus, qui etiam suam a Christo Domino trahunt originem, quippe qui, ut testis est in suo Euangelio S. Lucas Cap. IV. & legit ipse, & explanavit locum Isaiæ Prophetæ: *Intravit Jesus secundum consuetudinem diei Sabbati in Synagogam, & surrexit legere, & traditus est illi Liber Isaiæ Prophetæ, & ut revolvit Librum, invenit locum, ubi scriptum erat:* Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, euangelizare pauperibus misit me &c. *Et cum plicuisset Librum reddidit Ministro, & sedit, & omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum; cœpit autem dicere ad illos &c.* Paulum quoque, & Barnabam nonnisi post sanctorum voluminum lectionem a Synagogæ Principibus ad dicendum fuisse invitatos, tradit

Digitized by Google

dit idem Lucas Actorum Cap. XIII. sic dicens: *Venerunt Antiochiam Pisidiæ, & ingressi Synagogam die Sabbatorum, sederunt; post lectionem autem Legis, & Prophetarum miserunt Principes Synagogæ ad eos dicentes*: Viri Fratres, siquid est in vobis sermo exhortationis ad Plebem dicite: *Surgens autem Paulus, & manu silentium indicens, ait &c.*

XIX. Ex recitatis locis jam constat, non modo alium aliquando legisse ea quæ deinde Concionator exponeret, verum etiam eundem illum, qui legit, lectum exposuisse. Ritum hunc alterum servatum olim fuisse ab Episcopis concionem habentibus, ut ipsi nempe, & legerent sacrum Codicem, & quod ex eo recitarent, populo exponerent, ex S. Augustino addiscimus, qui in Sermone XLV. de diversis, hæc habet: *Jam quæ sit ista mulier, me proloquente, audistis, videte etiam, ut, me legente, agnoscatis &c.* Idem Sanctissimus Præsul Sermone CXXI. eundem morem confirmat, ubi ita inquit: *Sed ex ipso Codice audite: propterea enim non tantum disputatoris, sed etiam Lectoris fungor officio, ut sermo iste noster sanctarum Scripturarum auctoritate fulciatur, non humanis suspicionibus super arenam ædificetur, si forte aliquid non memoriter occurrerit. Audite ergo Euangelium secundum Joannem*: Amen, Amen dico vobis &c.

XX. Planissime omnino hoc ipsum ex eo licet intelligi, consuevisse priscos Episcopos concionaturos Sugestum ascendentes sacrum Codicem in manibus habere, quem scilicet, vel legerent ipso concionis initio ad indicandum qua de re essent verba facturi, vel etiam longius provecti, prout se se dicendi, aut legendi occasio dabat, iterum sumerent legendum, ut singulas sacri Textus sententias exponerent, ne memoria forte lapsi, aliquid explicandum omitterent. Plura in ejus ritus confirmationem, sicut & de aliis multis ritibus, qui ad concionem habendam spectant, videri possunt apud doctissimum Virum Bernardinum Ferrarium, qui de eo argumento celeberrimum Tractatum edidit, & in tres libros divisit omnigena eruditione refertos.

XXI. Cum autem prædicatio præcipuum sit Episcoporum munus, merito statuit in Concilio Viennensi Clemens V. & ex eo in Concilio suo Provinciali IV. Mediolanensi Parte I. *Constitutionum*, Cap. *De verbi Dei prædicatione*, S. Carolus, ut qua hora Episcopus id officium præstat, nullus alius cujuscunque Ordinis est, illa ipsa hora in ea Urbe, oppido, vico, locove, ubi ille prædicat, etiam in Ecclesia Regularium, aut alias exemta, sermonem, concionemve habeat, nisi facultate ab ipso impetrata. Debere autem Prædicatores omnes silere, cum Episcopus prædicaverit, posseque ipsum illis inhibere, ut eo tempore a prædicatione se abstineant, decidit Sacra Concilii Tridentini Interpretum Congregatio in Bituntina XVII. Februarii, & II. Martii MDCXXIX. Prædicatoribus quoque Regularibus prohibere posse Episcopum, ne aliquo die concionentur, ut totus populus conveniat ad Ecclesiam Cathedralem, ex eadem Congregatione decisum refert Gavantus in suo Manuali, verbo, *Concio sacra*, Num. LI. & Lezana in Summa *Quæstionum Regularium*, verbo, *Concionari*.

XXII. Illud demum ex sacris Canonibus cautum est, ne Episcopi in aliena Diœcesi concionem habeant: *Ne liceat Episcopo*, ait Canon XX. Trullanus, *in alia, quæ ad se non pertinet, Civitate publice docere. Siquis autem hoc facere deprehensus fuerit, ab Episcopatu desistat, & Presbyteri munere fungatur*. Damnat abusum quorumdam Episcoporum, qui, ut ait Canon XIV. Concilii Sardicensis, sua eloquentia freti ad alias Urbes pergebant, ut propriis inde ejectis Episcopis, qui in prædicatione parum instructi erant, in illis ipsi constituerentur. Quicquid sit, non ita accipiendi sunt ejusmodi Canones, ut omnino Episcopis interdictum sit, ne in aliena Civitate conciones habeant, sed ne habeant eas publice præter mentem, atque expressam licentiam illius Civitatis Episcopi. Etenim & illud fuit usu olim receptum, ut peregrini Episcopi ad concionandum invitarentur ab ejus Civitatis, ad quam venissent, Antistite, ut perspicue ostendit eruditus Ferrarius Lib. II. *De ritu sacrarum Ecclesiæ veteris concionum*, Cap. V. Atque hunc verum esse eorumdem Canonum sensum memoratus Auctor Cap. IV. ejusdem Libri affirmat, probatque ex Scholiis Zonaræ, ac Balsamonis ad ipsum Canonem XX. Trullanum. Porro ubi Episcopus extra suam Diœcesim concionetur, non quidem Mozzetta super Rocchettum, sed Mantelletto utetur, ut scite docet Castaldus in sua Cæremoniarum Praxi Lib. II. Sectione II. Cap. VI. citans in margine nostrum Cæremoniale Episcoporum Libro II. Cap. VIII.

## §. II.

Si vero Episcopus non celebret, sed Missæ per alium cantatæ intersit, tunc ab aliquo ex Clericis idoneo, de Episcopi licentia, sermo habendus erit: ejus habitus erit Cappa supra Rocchettum, vel alius, qui fuerit in Ecclesia proprius habitus Canonicalis. Si autem fuerit Regularis, in habitu, ab ipso deferri solito in concionando. Sermo vero regulariter infra Missam debet esse de Euangelio currenti. Quicumque sermonem habiturus, finito Euangelio, ducendus est per Cæremoniarium cum debitis reverentiis ad osculum manus Episcopi; quam, nisi fuerit Canonicus, genuflexus osculatur; Canonicus autem stans, profunde inclinatus, osculatur manum; deinde benedictionem petit, dicendo *Jube Domne Benedicere*, cui Episcopus

Digitized by Google

ſcopus reſpondet, *Dominus ſit in corde tuo, & in labiis tuis, ut digne, & fructuoſe annuncies verba ſancta ſua. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

## COMMENTARIUS.

I. QUi ritus ſervandi ſint ab Epiſcopo, ubi ipſe ſolemniter præſertim celebrans concionem habet, jam ſupra abunde explicuimus, videndum nunc quinam in concione ſervandi ſunt ritus, ubi ipſe Epiſcopus non celebret, ſed Miſſæ per alium cantatæ interſit. Ait hic quidem §. noſter, quod *tunc ab aliquo ex Clericis idoneo de Epiſcopi licentia ſermo habendus erit*. Ubi nota I. habendam eſſe concionem a viro idoneo, qui ſcilicet potens ſit in opere, & ſermone, uti edixit Synodus IV. Oecumenica Lateranenſis Can. X. qui relatus eſt in Cap. XV. *De officio Ordinarii*. Unde non immerito dolet Patricius Lib. III. Sectione IV. Cap. II. quod, cum *ſecundum antiquas, & probatas cæremonias* in Capella Papali nonniſi *Doctor in Theologia* ſermonem ſoleret habere, ſuo tamen ævo, *non modo inferioris gradus viri, ſed ſine dignitate, aut ſacro Ordine, in ſtudiis humanitatis tantum docti non ſine loci, & ordinis Pontificalis dedecore, onus orandi in totius orbis graviſſimo, ac celeberrimo conſeſſu ſibi aſſumerent*.

II. Notandum ſecundo eſt illud, concionem non poſſe ab aliquo haberi, niſi *de Epiſcopi licentia*. Quemadmodum enim omnis animarum cura, & Sacerdotii plenitudo penes Epiſcopos ſit, atque ab his in inferiorem Clerum diffunditur; ita quoque prædicandi auctoritas, quæ Sacerdotii, & Paſtoralis officii præcipua portio eſt, tota, & plenarie penes Epiſcopos reſidet, atque ab his in alios inferiores diffunditur, qui, niſi auctoritate ab Epiſcopo accepta, id muneris obire nequeunt. Hinc apud Latinos ex commiſſione Valerii Hipponenſis Epiſcopi S. Auguſtinum adhuc Presbyterum ad populum ſermonem habuiſſe, teſtis eſt in ejus vita Poſſidius Cap. V. Apud Græcos quoque Sanctus Chryſoſtomus in ordine Presbyteratus conſtitutus, ut refert in ejuſdem Vita Palladius, *agebat vices Epiſcopi in prædicatione verbi Dei, omniumque corda mirabili facundia Scripturarum dulcedine ornata ad ſe rapiebat*.

III. Concionatoris Habitus, ſi ſcilicet ſit Canonicus, qui habebit ſermonem, *erit Cappa ſupra Rocchettum, vel alius qui fuerit in Eccleſia Habitus Canonicalis*. Sacerdos ſimplex ex Clericis tam Secularibus, quam Regularibus, ſi quando ex facultate permiſſa concionatur, Superpelliceo, & Stola utetur, quemadmodum etiam & Diaconus concionaturus, ſed Stola in tranſverſum ducta, uti diximus Lib. II. *De Codice ſancti Euangelii*, Cap. X. in fine. Si autem ſermonem habiturus Regularis fuerit, ideſt, ex Ordine Monaſtico, vel Mendicantium, habitu ſuæ Religionis, tunc utetur *deferri ſolito in concionando*. Ita quidem §. noſter, cui concinit Romanum Cæremoniale, Lib. III. Sectione III. Cap. VIII. ubi agens de habitu ſermonem habituri in Capella Papali, *Mendicantes*, inquit, *& alii Religioſi orant in ſuo habitu*. Ceterum ſi laicus, ubi ſcilicet id ei ab Epiſcopo permitteretur, *in ſuo ſimiliter feſtivo habitu indutus ſermonem faciet*, ut docet Craſſus Lib. I. Cap. XL. ubi etiam ait, honeſtius eſſe, *ſi potius toga, quam ſago, ideſt, longa potius quam brevi veſte indutus eſſet*. Permiſſum quandoque fuiſſe laicis ex juſta ſcilicet, & laudabili cauſa publice concionari, ipſo tamen jubente, vel permittente Epiſcopo, oſtenſum a nobis jam fuit Tomo II. Conciliorum in Commentario ad §. LXIV. Conciliii Trullani.

IV. Sermonem regulariter intra Miſſam debere eſſe de Euangelio currenti, mandat hic noſter §. debet enim haberi ſermo immediate poſt ſolemnem Euangelii lectionem a Diacono in ſolemni Miſſa peractam: *Hujuſmodi ſermo*, inquit Craſſus Lib. I. Cap. XL. *ſolet fieri immediate, finito Euangelio, & antequam inchoetur Credo*. Antiquus eſt plane is ritus, cujus meminit quidem Auctor pervetuſtus Apoſtolicarum Conſtitutionum Lib. II. Cap. LVII. ubi Miſſæ Sacrificii Ritum, ac ordinem enarrans, ipſam tum Presbyterorum, tum Epiſcopi concionem proxime poſt Euangelii lectionem ſtatuit: *Acta*, inquit, *noſtra legantur, item Epiſtolæ Pauli adjutoris noſtri, quas Eccleſiis miſit Spiritus Sancti inſtinctu dictatas. Poſtea Diaconus, aut Presbyter Euangelia legat; deinde hortentur populum Presbyteri non omnes ſimul, ſed ſingulatim, & poſtremus omnium Epiſcopus, qui ſimilis eſt gubernatori navis*. Celebre eſt ejuſdem Scriptoris de ipſa re teſtimonium, quod legitur Lib. VIII. Cap. V. ubi ita ait: *Poſt lectionem Legis, & Prophetarum, & Epiſtolarum noſtrarum, atque Euangeliorum ſalutet Eccleſiam ordinatus dicens*: Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & caritas Dei Patris, & communicatio Spiritus Sancti cum omnibus vobis; *& omnes reſpondeant*: Et cum ſpiritu tuo; *& poſt ſalutationem alloquatur populum ſermone hortatorio*.

V. Eundem hunc ritum habendi ſermonem proxime poſt lectionem Euangelii ſtatutum fuiſſe ab antiquis Conciliorum Canonibus, teſtantur Patres Concilii Valentini anni DXXIV. Can. I. ſic ajentes: *Antiquos Canones relegentes, inter cetera hoc cenſuimus obſervandum, ut ſancta Euangelia ante munerum oblationem in Miſſa Catechumenorum in ordine lectionum poſt Apoſtolum legantur, quatenus ſalutaria præcepta Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel ſermonem Sacerdotis* (Ecce concionem ſtatim poſt lectum Euangelium) *non ſolum fideles, ſed & Catechumeni, & pœnitentes, & omnes, qui ex adverſo ſunt, audire licitum habeant; ſic enim Pontificum prædicatione audita nonnullos ad Fidem attractos evidenter ſcimus*. Synodus Tridentina, ut alias omittam, Seſſione XXII. & alibi, nihil antiquius habens, quam veterem diſcipli-

Digitized by Google

ſciplinam reſtaurare, non ſemel mandat Paſtoribus, aliiſque animarum curam gerentibus, ut frequenter inter Miſſarum ſolemnia, utique poſt Euangelium, ſicut mos eſt, per ſe, vel per alios, ex iis, quæ in Miſſa leguntur, aliquid exponant.

VI. Tum ex recitatis ſacræ Scripturæ lectionibus, tum maxime vero ex pronunciato mox ante Euangelio conſueviſſe veteres Patres ſuas exordiri conciones, docent nos eorumdem Patrum Sermones, atque Homiliæ, quas ſuper Euangelia potiſſimum edidere. Videri inter alios poſſunt Sermones S. Petri Chryſologi Archiepiſcopi Ravennatum. Sed, ut alios reticeam, teſtis locupletiſſimus ejus plane ritus eſt S. Auguſtinus, qui in Sermone CCXXXVII. de tempore ita inquit: *Lectiones ſanctas plures, cum recitarentur, audivimus, & de his nos oportet dicere, quod Dominus fuerit donare dignatus. Sed lectionum omnis auditor, quod recentius lectum eſt, magis meminit, & ut inde aliquid a Tractatore verbi dicatur, expectat. Cum ergo in ultimum ſit ſanctum Euangelium recitatum, non dubito expectare caritatem veſtram, ut de conductis, ac de mercede denarii aliquid audiatis*. Tractator idem hic eſt ac Concionator, de eaque voce videri poteſt memoratus Ferrarius Libro I. Cap. II.

VII. Quod præ ceteris ſcripturis explicandum ſit Jeſu Chriſti Euangelium perſpicua ea ratio eſt, quia quod Lex, & Prophetæ pervetuſtis ſeculis futurum prænuntiarunt, completum in ſancto Euangelio demonſtratur; quæ etenim in veteri Teſtamento leguntur, tot ſcilicet Patriarcharum geſta, tot Prophetarum oracula, tot viſionum ſymbola, tot hoſtiarum ſacrificia, tot baptiſmatum, & cæremoniarum ſacramenta, tot legum Decreta de ſanguine animalium ſancita, umbræ nonniſi, & typi fuere, quæ Chriſto præluderent, eumque quaſi in ænigmate, & ſub velamine rudi populo repræſentarunt; at vero Euangelium manifeſte nobis Chriſtum, ejuſque Myſteria, & Sacramenta exhibet. Unde Apoſtolus poſtquam in Epiſtola I. ad Corinthios Cap. X. ſcripſit: *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt*; ita deinde in Epiſtola II. ad eoſdem Corinthios, Cap. III. inquit: *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur, tanquam a Domini ſpiritu*. Et ad Romanos ſcribens, ita ſuam orditur Epiſtolam: *Paulus ſeruus Jeſu Chriſti vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Euangelium, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis de Filio ſuo*.

VIII. Rurſus ex §. noſtri præſcripto *quicumque ſermonem habiturus, finito Euangelio, ducendus eſt per Cæremoniarium cum debitis reverentiis ad oſculum manus Epiſcopi, quam, niſi fuerit Canonicus, genuflexus oſculatur*. Ritus deſumtus eſſe videtur a toties laudato Romano Cæremoniali, ubi ejus compilator Patricius Lib. III. Sectione IV. Cap. II. de Cardinali celebrante loquens, qui inter Miſſarum ſolemnia, præſente Pontifice, ſermonem eſt habiturus, hæc habet: *Si ipſe celebrat, dicto Euangelio, ipſe deponens Caſulam, accipit Pluviale, & vadit ad oſculum manus Pontificis, petit benedictionem, & Indulgentias, & aſcendit Pulpitum, & cum Mitra ſimplici orat*. Tum de alio, qui ſcilicet non eſt Cardinalis, inter ipſa Miſſarum ſolemnia concionaturo coram ipſo Pontifice, hæc habet: *Oraturus igitur, finito Euangelio, cum habitu ſibi condecenti offert ſe Clerico Cæremoniarum, qui, poſtquam Papa eſt oſculatus Librum Euangeliorum, & incenſatus, ſederit cum Mitra in ſua Sede, ducit oraturum cum reverentiis conſuetis ad pedes Pontificis, quos orator genuflexus oſculatur*. Eſt is peculiaris ritus oſculandi ſolius Summi Pontificis pedes ex veteri Eccleſiæ more, quem Canone IX. in ſuo Dictatu confirmavit S. Gregorius VII. ubi ſtatuit, *Quod ſolius Papæ pedes omnes Principes deoſculantur*.

IX. Deoſculandam Epiſcopi manum tum a Canonico, tum ab alio concionem habituro, tradit inter alios Craſſus Lib. II. Cap. XXIX. Servandus tamen ille ſemper eſt ritus, ut qui non eſt Canonicus, manum ipſam Epiſcopi genuflexus oſculetur, *Canonicus autem ſtans, profunde inclinatus*, uti edicit hic §. noſter, & alibi non uno in loco noſtrum hoc Cæremoniale, cui etiam concinunt ſacræ Rituum Congregationis Decreta allata a nobis in Commentariis ſuperioribus. Porro ſive alius quiſpiam, ſive Canonicus ſermonem, præſente Epiſcopo, habiturus *benedictionem petit dicendo*, Jube Domne benedicere, *cui Epiſcopus reſpondet*, Dominus ſit in corde tuo, & in labiis tuis, ut digne, & fructuoſe annuncies verba ſancta ſua. In nomine Patris ✠ & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

X. Ad Regulares quod attinet, cujuſcumque Ordinis ii ſint, qui tamquam Epiſcopi, Parochive adjutores in prædicationis munere vicariam operam navant, licet ab illis, qui eorum curæ præſunt, concionandi facultatem habeant, ne in ſuis Eccleſiis concionentur, niſi benedictionem ab Epiſcopo ante petierint, ex Oecumenica Tridentina Synodo Seſſione V. *De reformatione*, Cap. II. ſancitum eſt; neque autem ullo ſane modo eo contradicente, repugnanteve, ut docet S. Carolus in Eccleſiæ ſuæ Mediolanenſis Actis; tametſi aliqui perperam inquiant, ſufficere Regularibus benedictionem petere ab Epiſcopo, licet eam non obtinuerint. In Eccleſiis vero, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, ultra licentiam ſuorum Superiorum, ex ejuſdem Synodi Tridentinæ Decreto etiam Epiſcopi licentiam habere debent, ſine qua in ipſis Eccleſiis non ſuorum Ordinum nullo modo prædicare poſſunt.

XI. Licet autem Regulares, qui abſque licentia Epiſcopi prædicaverint in Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, in memoratum Tridentini Concilii Decretum impingant, & ut plerique autumant, non poſſint ab Epiſcopo puniri, ſed a ſuperioribus ſuis Regularibus; hodie nihilominus per Conſtitutionem Gregorii XV. Pontificis Maximi, nonis Februaris editam anni MDCXXII. incipitque, *Inſcrutabili*, §. *Ac demum*, Regulares quidem concionantes in alienis Eccleſiis, non petita illius benedictione, aut ipſo contradicente, ab Epiſcopo puniuntur, ut teſtantur Diana Parte III.

Digitized by Google

te III. *Moralium Resolutionum*, Tractatu II. *Resolutione* CXI. & Lezana in Summa Quæstionum Regularium, Tomo I. Cap. I.

XII. Quid porro causæ sit, cur initio concionis peti, ac dari debeat benedictio, eam puto commode proferri posse rationem, quam Rupertus Abbas Tuitiensis reddidit Lib. I. *De divinis Officiis*, ubi rationem explicat, cur lecturus in Ecclesia benedictionem petat, dicens, *Jube Domne benedicere*, quia scilicet nemo, nisi missus officium prædicandi usurpare potest: *Lecturus*, inquit, *benedictionem petens hoc significat, quod nemo nisi missus, aut permissus officium prædicandi usurpare debeat: Quomodo enim prædicabunt, inquit Apostolus, nisi mittantur?* Vide Commentarium nostrum in Canonem XXXIII. Concilii Trullani, nostro II. Tomo Conciliorum, & quæ scripsimus in Tractatu, *De Codice Sancti Euangelii &c.* Lib. II. Cap. XII. ubi inter alia egimus de ritu petendæ benedictionis ad sancti Euangelii lectionem. Siquis autem hic interroget, cur sermonem habiturus benedictionem petens utatur potius his verbis, *Jube Domne benedicere*, quam illis, *Domne benedic?* Respondeo cum S. Petro Damiani, qui in Opusculo, *De Dominus vobiscum*, Cap. II. egregie dubium resolvit. Ait enim, Lecturum, sive etiam Concionaturum, magnæ humilitatis gratia, non a Sacerdote, sed ab eo cui ille jusserit, benedictionem postulare; Sacerdotem autem, ut tantæ humilitatis vicem reddat, non subjecto cuiquam benedicendi delegare officium, non per semetipsum benedictionem elargiri audere, sed potius, ut a Deo, qui est super omnia benedictus, benedictio prærogetur, exposcere.

XIII. Formula benedictionis, *Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ut digne, & fructuose annuncies verba sancta sua &c.* totidem plane verbis legitur in Romano Cæremoniali Augustini Patricii Lib. III. Sectione IV. Cap. II. & apud Crassum Lib. I. Cap. XL. tametsi apud hunc Auctorem, non quidem *verba sancta sua* legatur, sed *suum sanctum verbum*. Puto equidem, quod quemadmodum ad Euangelii lectionem variæ Ecclesiæ variis formulis benedictionis usæ sunt, ita etiam in illius prædicatione. Varias ejusmodi formulas a Monachis servari solitas recenset quidem Edmundus Martene in Opere, *De antiquis Monachorum ritibus*, Lib. II. Cap. IV. §. II. ut illas reticeam, quæ in variis Liturgiis leguntur, quarum nonnullas descripsimus nos in nostro Opere, *De Codice sancti Euangelii*, Libro II. Cap. XII. Porro ea benedictionis verba, *Dominus sit in corde tuo &c.* ideo dicit Episcopus Concionaturo, quo is diligenter intendat, ut cor suum cum Dominicis verbis eat, & non sit infructuosa illa oratio, & bededictio, quam Episcopus impertit, & ut Dominum in mente teneat, quem per benedictionem suscipit. Ut autem non exhalent verba imposita, neve introeant nociva, ideo tandem signo Crucis facto manu Episcopi super caput ipsius munitur. Tradit hæc Amalarius Lib. III. *De Ecclesiasticis officiis*, ubi explicat benedicendi ritum, qui vel olim servari solitus fuit, ubi Diaconus Euangelium erat lecturus.

XIV. Adnotandum superest, quod, licet nullus sine Episcopi benedictione, eo præsertim præsente, concionari possit, si tamen ipse extra suam Dioecesim sermonem sit habiturus, nullo modo ab Episcopo ordinario, etiamsi sit Cardinalis benedictionem petere debet; non enim decet, ob supremum Ordinem, & Dignitatem Episcopalem alii se subjicere, prout Sacra Rituum Congregatio declaravit die XXVIII. Aprilis anni MDCVII. ut post Barbosam, Castaldum, Pignatellum, & alios testatur etiam Meratus in suis ad Gavantum Additionibus.

XV. Porro, quum, uti jam dictum est, nemini licitum sit sine licentia proprii Ordinarii, verbum Dei ad populum prædicare, nam secundum Apostolum in Epistola ad Romanos Cap. X. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Et præceptum Christi Domini est, rogandum Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam: jam summa est hæreticorum audacia, qui a nullo missi, prædicare, sive potius falsis suis interpretationibus Euangelium Christi fœdare audent. Non me latet, solitos esse ipsos jactare invisibiliter se mitti a Deo, missionemque invisibilem, ac divinam multo esse digniorem, quam sit missio visibilis, & humana. Verum deliramenta hæreticorum hæc sunt, quibus jam olim irrisit Innocentius III. Pontifex Maximus relatus in Cap. *Cum ex injuncto*, XII. *De hæreticis*, ubi hæc habet: *Potest rationabiliter responderi, quod cum interior illa missio sit occulta, non sufficit cuiquam nude tantum adserere, quod ipse sit missus a Deo, cum hoc quilibet hæreticus adseveret; sed oportet, quod adstruat illam invisibilem missionem per operationem miraculi, vel Scripturæ testimonium speciale*. Tum scite subdit, quod cum Dominus olim vellet mittere Moysen in Ægyptum ad filios Israel, ut crederent ei, quod mitteretur ab ipso, dedit ei signum, ut converteret virgam in colubrum, & virgam iterum reformaret. Affert deinde celebre exemplum S. Joannis Baptistæ, qui, uti habetur in Euangelio, speciale suæ missionis testimonium protulit de Scriptura dicens: *Ego vox clamantis in Deserto, dirigite viam Domino, sicut ait Isaias Propheta*.

XVI. Concludendum itaque cum ipso laudato Pontifice, non esse ei credendum, qui dicit se missum a Deo, nisi de se speciale proferat testimonium de Scripturis, & ejusdem miraculum operetur. Nam de his, qui missi leguntur a Deo, Euangelista testatur, quod ipsi *prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*. Sed de his late, ac docte Theologi complures disputant contra hæreticos præsertim nostri temporis, qui temere, ac impie se missos jactant ad eo ad prædicandum Christi Euangelium. Cæterum ille corrigendus esset abusus quorumdam mendicorum nebulonum, qui per vias ad captandam pecuniam concionari solent, narrare miracula, ut alios omittam, quos aliquando audivi sacros Missæ ritus exponere.



Digitized by Google

## §. III.

Accepta ab Episcopo benedictione, petit mox ab eodem Indulgentias, dicendo: *Indulgentias Pater Reverendissime*; cui Episcopus concedit Indulgentias consuetas; quibus habitis, cum debitis reverentiis recedit, ac vadit ad Ambonem, seu Pulpitum, in quod cum conscendit, aliquantulum quiescit, ac se componit, cooperiens caput, & statim, capite detecto, signat se signo Crucis, & genuflexus, recitat Salutationem Angelicam, non *Regina Cœli*, etiam tempore Paschali, voce intelligibili, & devota; mox surgit, & capite cooperto, incipit Sermonem.



## COMMENTARIUS.

I. ANtequam hunc Commentarium aggrediar, corrigenda est præsens Figura, quæ alias conspicitur in antiquis Cæremonialibus, ac præsertim in illo, quod editum fuit Romæ anno MDC. Sermocinator enim sustinere manu dextera videtur fimbrias Cappæ, & gestit sinistra, quod contra esse debet. Hoc notato, ut ad §. nostrum deveniamus, ubi Concionaturus benedictionem ab Episcopo accepit, *petit mox ab eodem Indulgentias*, *dicendo*, Indulgentias Pater Reverendissime. *Cui Episcopus concedit Indulgentias consuetas*; idest quadraginta dierum, vel centum, si Episcopus sit Cardinalis; nam singuli Cardinales non solum in suis Ecclesiis, sed ubicumque Missæ præsentes fuerint, centum dies dant, nisi plures dies, vel annos haberent a Papa ex particulari facultate, ut scite notat Crassus Libro I. Cap. XLI. Porro solius Romani Pontificis est privilegium ob Primatus sui præeminentiam, & vices Christi, quas gerit in terris, multorum annorum, plenariamque Indulgentiam concedere. Unde ex Cæremoniali Romano Lib. III. Sectione IV. Cap. II. ubi concionaturus coram Summo Pontifice Indulgentias petit, dicendo: *Indulgentias Pater sancte*. Papa concedit Indulgentias prout sibi placet.

II. Esse antiquum morem, ut is qui habiturus erat sermonem inter Missarum solemnia a Pontifice Indulgentias peteret, ut deinde, finito sermone, ipsius Pontificis nomine publicarentur, liquet sane ex Ordine XIV. Romano, Auctore Jacobo Gaetano, Cap. XLVII. ubi non modo legitur Indulgentiæ petitio a Cardinale concionaturo facta, sed etiam ejusdem publicatio post peractum Sermonem: *Quo finito*, inquit, *maneat in eodem loco*, *donec facta sit confessio per Diaconum Cardinalem*; *& tunc*, *antequam Pontifex det absolutionem*, *dictus Cardinalis*, *qui prædicaverit*, *annuntiet Indulgentiam talibus*, *vel similibus verbis*: Dominus Summus Pontifex auctoritate omnipotentis Dei, & Beatorum, Petri, & Pauli, Apostolorum ejus, & sua, omnibus vere pœnitentibus, & confessis concedit Indulgentiam unius anni, & quadraginta dierum; *vel plus*, *sicut Pontifici*

Digitized by Google

*tifici placuerit*. Occurrit hic idem ritus petendi Indulgentiam ante sermonem, & publicandi ipsam sermone finito, etiam alias in citato Ordine Romano Gaetani, itemque in illo, quem concinnavit Petrus Amelius, estque apud Mabillonium Ordo Romanus xv.

III. Indulgentiis ab Episcopo acceptis, *cum debitis reverentiis recedit, ac vadit ad Ambonem, seu Pulpitum*, ornatum scilicet pallio convenientis coloris officio diei, excepta Feria sexta in Parasceve, qua debet esse omnino nudum. Absente Episcopo, poterit super illud apponi Umbella, vel Baldachinum, præcipue si Concionator sit in aliqua dignitate constitutus, & vox ipsius debilis id exigeret; non enim presente Episcopo debet apponi, nisi necessitas id postulet, & debilitas vocis Concionatoris, ut docet Bauldryus in suo Manuali sacrarum Cæremoniarum, Parte I. Cap. x. Num. III. & IV. Sed hoc plane intelligendum est de Pulpito, mobili, non autem de fixis, in quibus etiam fixum passim cernitur Baldachinum; neque enim tollendum tunc illud esset, quod in ejusmodi Pulpito, præsente proprio Episcopo, prædicatio fieret.

IV. Statim ac in Pulpitum Concionator conscendit, *aliquantulum quiescit, ac se componit, cooperiens caput, & statim capite detecto signat se signo Crucis*. Non addubito, quin & is ritus sit antiquissimus, ut concionem exorsuri, Crucis signaculo se munirent; constat namque ex pervetusto Ecclesiæ Scriptore Tertulliano in Libro, *De Corona militis*, Cap. III. a primis Christianæ Religionis temporibus Fideles *ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum, & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia*, atque ad alium quemcumque quotidianum usum, *frontem Crucis signaculo terere* consuevisse. Id quod etiam non uno in loco alii Patres confirmant, inter quos S. Cyrillus Hierosolymitanus in IV. Catechesi ita ait: *Signo isto utere, cum edens, ac bibens, tum sedens, ac cubans, de lecto surgens, loquens, ambulans, &, ut semel dicam, in omni re, omnique negotio*. Idem in Catechesi XIII. idipsum tradit sic inquiens: *In fronte confidenter signaculum digitis imprimatur, & in aliis omnibus Crux fiat; in panibus comedendis, & in poculis bibendis, & in egressu, & in ingressu, ante somnum, recumbendo, & surgendo, eundo, & quiescendo*.

V. Si ergo in communi, & quotidiano usu signabant se olim Fideles Crucis signo, multo magis eum ritum servabant, qui sacram concionem, functionem scilicet omnium sanctissimam, incepturi erant. Hinc de Justino Juniore Augusto scribit Corippus Africanus, eum post acceptam Imperii coronam verba facturum ad populum Crucis signaculo prius se muniisse. Sic autem canit.

*Ipse coronatus Solium conscendit avitum,*
*Atque Crucis faciens signum venerabile sedit,*
*Erectaque manu, cuncto præsente Senatu,*
*Ore pio hæc orans ait....*

Atque huc etiam referendum videtur, quod de S. Zenobio Florentino Episcopo Auctor ejus Vitæ Joannes Archipresbyter Aretinus narrat apud Surium die XXV. Maji. Ait enim, quod, cum insciis parentibus, Baptismum susceperit, iisque eam ob causam iratis, ille factum suum probare volens, *signo Crucis edito, pios in Cælum oculos sustulit, cujus linguæ Sanctus Spiritus tantam extemplo eloquii ubertatem infudit, ut parentes ipsius, impio furore deposito, eum, quem paulo ante in filio baptismum culpaverant, ipsi mox nuda humo prostrati, ad pedes sacri Antistitis contenderent*.

VI. Observat hæc quidem eruditus Ferrarius Lib. I. Cap. x. ubi etiam scite notat, cum hæreticis quoque, & maxime cum Crucis Christi adversariis disputaturos olim Fideles Cruce se se consignasse. Certe Sanctus Porphyrius, Gazensis Episcopus cum Manichæa muliere disputationem exordiri volens, linguam signo Crucis munivit, ut legitur in ejus Vita apud Surium ad diem XXVI. Februarii. Idipsum faciendum monet in laudata sua Catechesi XIII. S. Cyrillus Hierosolymitanus, sic dicens: *Arma pro ipsa Cruce contra adversarios sume: fidem Crucis pro trophæo adversus contradicentes statue. Quando enim de Cruce Christi contra infideles disceptationem instituturus eris, prius manu signum Crucis emitte, & obmutescet, qui contra nititur*. Ergo signo Crucis se primum munit habiturus concionem, tum quia magna est illius virtus, tum etiam, ut alludat ad illud Apostoli ajentis, prædicare se *Jesum Christum, & hunc crucifixum*.

VII. Porro antequam Concionator Crucis signo se muniat, nonnulli ab eo servandi sunt ritus, qui tametsi in hoc nostro §. omissi sint, servari ex laudabili more ab omnibus solent, ac debent. Ubi itaque ascendit Pulpitum, statim Cruci, vel Altari aperto capite reverentiam faciet, genuflexionem scilicet, si non sit Canonicus, si vero Canonicus sit, profundam dumtaxat inclinationem, nisi in Altari adesset Sanctissimum Sacramentum. Mox surgens Episcopum, Clerum, ac populum salutabit; servato scilicet ritu, quem de ea salutatione Sacra Rituum Congregatio variis editis Decretis præscripsit. Potissimum vero de salutatione Concionatoris animadvertendum est illud, quod, uti habetur in sequenti §. ubi Concionator prima concionis suæ verba protulit, debet soli Episcopo Diœcesano, vel Cardinali Legato profunde inclinare caput, ut infra dicemus in Commentario sequenti, non autem alii, licet Præses sit, seu Gubernator, aut Vice-Legatus; iis enim reverentiam Concionator faciet, antequam sermonem incipiat, & postquam scilicet primo loco fecit Episcopo reverentiam.

VIII. Id plane colligimus ex novo Cæremoniali jussu Regnantis Pontificis XIV. edito, pro Provinciarum Præsidibus, Gubernatoribus Prælatis, & Apostolicis Vice-Legatis, Cap. VII. in fine, ubi postquam dixit, quod Concionator salutationem numquam prætermittet, sive Feria sexta in Parasceve Sermonem de Passione, sive de laudibus alicujus defuncti post mortualem Missam sit facturus, ita paulo post subjicit: *Et ideo post illam primo loco debitam Episcopo, vel Archiepiscopo,*

*ſcopo, ſpeciatim verſus Præſidem, ſeu Gubernatorem, aut Vice-Legatum reverentiam aliam ſemper faciet*. Loquitur haud dubie de reverentia, quæ fit antequam ſermo inchoetur, nam alias, uti infra dicemus, reverentia poſt inceptum ſermonum ſoli debet exhiberi Epiſcopo Dioeceſano, & cum profunda capitis inclinatione.

IX. Facta ſalutatione, caput tegit, quieſcitque aliquantulum, ac ſe componit, donec populi rumor quieſcat; tum capite detecto, ex more, manibus junctis biretum ante pectus tenens, ſi ſcilicet Concionator ſit Clericus Secularis, vel Regularis, oculiſque ad Cælum elevatis, ſecreto dicit, *Munda cor meum &c.* ut ait Caſtaldus Libro II. Sectione II. Cap. VI. Num. IV. ſive, ut docet S. Carolus in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis de Concionatoris officio in ſuggeſtu loquens, brevi tacita oratione illud a Deo precatur, ut ſincerum, caſtumque ſit prædicationis ſuæ ſtudium, ut nemini noxium, ut & ſibi, & omnibus in commune ſalutare; hocque etiam ſumma prece tacitus contendet, ut, ſi fortaſſe in concionando ſe, vel gloria inani, vel alio vitio attentari aliquando contigerit; id, & alia omnia, quæ aliorſum, quam ad divinam gloriam, ad animarumque ſalutem ſpectent, Deus divinæ ſuæ gratiæ virtute dejiciat, atque plane avertat.

X. Oratione iſta, vel alia ſimili, brevi tamen, ac tacite peracta, *ſignat ſe ſigno Crucis*, dicens pro ſuo arbitrio, ſecrete tamen, *In nomine Patris &c.* uti in Urbe, ac tota fere Italia mos eſt; tum vero genuflexus verſus Altare, *recitat ſalutationem Angelicam*, *non*, Regina Cæli, *etiam tempore Paſchali*, *voce intelligibili*, *& devota*. Tametſi perſpicua ſit hæc Rubrica, vetans omnino dici Antiphonam ipſam, *Regina Cæli lætare &c.* etiam tempore Paſchali, adhuc tamen per totum illud tempus Concionatores multi initio ſuæ concionis ipſam Antiphonam recitant, ut alios omittam, qui una cum eadem Antiphona, ſive cum Angelica ſalutatione, unicuique concioni ſuæ elogium Immaculatæ Virginis Conceptioni canunt contra Cæremonialis ritum, & univerſæ Eccleſiæ uſum, qui ſolam ipſam ſalutationem Angelicam, in qua præcipua Deiparæ privilegia continentur, concioni habendæ præmittendam volunt. Porro ea verba, *non* Regina Cæli, *etiam tempore Paſchali*, addita primum fuere huic §. in hoc novo Cæremoniali, in anterioribus enim deſiderantur; eſtque uſus Pontificiæ Capellæ, ut tempore Paſchali Concionator ſalutationem Angelicam recitet.

XI. Sanctus Carolus in Actis Eccleſiæ ſuæ Mediolanenſis de Concionatoris officio in ſuggeſtu diſſerens, de eo ritu, ac modo recitandæ ſalutationis Angelicæ proxime ante concionem ita quidem inquit: *Deinde, quod antiquiſſimi inſtituti eſt, ac non ſine myſterio quidem, ſalutationem Angelicam non feſtinanter, non canore, ſed gravi, piaque pronunciatione, ac genibus flexis recitabit ad præſcriptam verborum formulam, qua Eccleſia ſancta utitur, itaut ne verbum quidem vel addat, vel detrahat, vel mutet, quod ab illius inſtituta ratione diverſum ſit*. Sunt qui putant, inter quos etiam Ferrarius Lib. I. *De ritu ſacrarum Eccleſiæ veteris concionum*, Cap. XI. S. Vincentium Ferrerium Ordinis Prædicatorum, qui floruit labente Seculo XIV. uſque ad annum Domini MCDXVIII. ejus inſtituti fuiſſe Auctorem, quod primus ex omnibus Eccleſiaſticis Scriptoribus illius ritus meminerit, dum ſingulis ſermonibus ſuis præmittit ea verba, *Salutetur Beata Virgo*.

XII. Certe ex eo tempore invaluiſſe uſum, ut ſalutatio Angelica præmitteretur *in principio ſermonis*, ſeu concionis, ſive id intelligas abſolute de principio ante exordium, ut fit hodie quoque in noſtra Italia, & in quibuſdam Germaniæ locis, ſive de principio poſt exordium, ut apud Gallos, patet profecto ex Ordine Romano XV. Auctore Petro Amelio, qui & ipſe floruit labente Seculo XIV. Etenim Cap. XLIII. poſtquam dixit, Papam genuflectere in Miſſa, & ſemper extrahi ſibi Mitram, dum Cantores cantant illa Symboli verba, *Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto &c.* ita ſtatim addit: *& etiam, dum dicitur*, Ave Maria, *in principio ſermonis*. Sane in Gallia Concionatores, ut teſtantur Bauldryus Parte I. ſui Manualis Cap. X. Num. XII. & Mabillonius in Nota ad recitatum locum Ordinis XV. Romani, poſt factum ſignum Crucis, & recitatum exordium concionis, ſalutationem Angelicam flexis genibus recitant; verum, ut idem Mabillonius notat loco citato, *commodius*, *& opportunius videtur*, quod ſcilicet in noſtra Italia hodie fit, & alibi etiam, ſi ante concionis exordium Angelica ipſa ſalutatio recitetur.

XIII. Quamquam vero in noſtro hoc §. præſcribatur, ut Concionator *genuflexus recitet ſalutationem Angelicam*; puto nihilominus, debere eam genuflexionem omitti, atque a ſtante Concionatore orationem ipſam recitari *toto tempore Paſchali*, *& diebus Dominicis infra annum*, ut ſcite notat Caſtaldus Lib. II. Sectione II. Cap. VI. Num. IX. tametſi ibidem non recte inquiat, ſancto Paſchæ, & duobus ſequentibus diebus Concionatorem loco ſalutationis Angelicæ debere dicere Antiphonam, *Regina Cæli &c.* id enim expreſſe vetat noſtrum Cæremoniale, mandans, ſemper dicendam Angelicam ſalutationem, *non* Regina Cæli, *etiam tempore Paſchali*; quia ſcilicet contra Eccleſiæ uſum Concionatores quidem novum hunc ritum ſuo privato arbitrio introducere conabantur. Ceterum, ut diebus cunctis Dominicis, & toto Paſchali tempore Chriſtiani omnes *ſtantes Deo orationes effundant*, cautum eſt ex Synodo I. Nicæna Oecumenica, Can. XX. in quem plura nos de eo ritu notavimus noſtro I. Tomo Conciliorum in Commentario ad ipſum Canonem.

XIV. Sed nec in omnibus plane concionibus præmittenda eſt Angelica ſalutatio, nam primo, ut docet S. Carolus loco citato, *ſi concionatur intra Miſſarum ſolemnia*, *quæ ipſe* Concionator *celebrat*, *ſalutatione Angelica non utetur*; quod puto intelligendum eſt, ſi concio in Altari fiat, non autem ſi in Pulpito, vel Ambone. Secundo in Paraſceve, ſiquis coram Epiſcopo concionetur, neque benedictionem petet, neque ipſam

Digitized by Google

ſam orationem dicet, ſed loco illius Concionator genuflexus verſus Crucem, quæ in Altari, vel in aliquo alio loco congruo, adhibitis etiam duobus intortitiis collocari ſolet, ipſam Crucem ſalutabit, dicens, *O crux ave ſpes unica*, *Hoc paſſionis tempore &c.* ut loco citato notat Caſtaldus Num. VIII. Tertio in ſermonibus, qui fiunt in funeribus, ac exequiis mortuorum, nec benedictio petitur a Concionatore, nec dicitur, *Ave Maria*, ut idem Auctor tradit Num. XII. Quarto omitti etiam ſolet ipſa oratio a Philippinis, & ab aliis, qui ſermones familiares habent ad populum, itemque ab aliis, qui in honorem Sanctorum panegyricas Orationes recitant. Quod tamen recte factum non puto.

XV. Cur autem in Eccleſiam ea fuerit conſuetudo invecta, ut initio Concionis ſalutatio Angelica recitetur, aliam commodiorem adſignari non poſſe rationem exiſtimat loco citato Ferrarius, quam quæ ab erudito Viro Carolo Regio in ſuo Oratore Chriſtiano Lib. I. Cap. II. ſtrictim attingitur his plane verbis: *Arbitror, eſſe recens inſtitutum, & inductum forte propter hæreſes in Beatam Virginem exortas.* Et ſane, ſubdit Ferrarius, quemadmodum ad peſtiferam Arii, aliorumque hæreticorum Seculo Chriſti IV. graſſantium opinionem ejiciendam, ac evellendam prorſus, qua Patri Filium minime coæternum, nec conſubſtantialem affirmant, caverunt Patres in Nicæna I. Synodo congregati, ut in formatis Epiſtolis conſcribendis adhiberentur prima Græca elementa, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Π Υ. Α. Π. veluti ſymbolycæ formulæ eandem divinarum Perſonarum æqualitatem, ac conſubſtantialem exprimentes, ut in libello de antiquo Epiſtolarum genere apud Criſtianos idem Auctor Ferrarius docet; & ſicut ad eundem Arianorum errorem refellendum, ac coarguendum, conſtitutum fuit, ſicut ex Vaſenſis Concilii II. Canone V. liquido conſtat, ut Glorificationis Hymno adderentur ea verba, *Sicut erat in principio, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum*, exprimentia trium Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonarum coæternitatem, ac conſubſtantialitatem; quemadmodum etiam ad Pelagii hæreſim, qui liberum arbitrium divinæ Gratiæ anteferebat, adfirmabatque ad divina juſſa implenda, voluntatem per ſe ſine Gratia ſufficientem eſſe, convellendam, conſuerunt illius temporis Patres in Epiſtolarum ſuarum principio, *Miſericordia Dei, & Gratia indigentes* ſe ſe appellare, ut tradit Baronius ad annum Chriſti CDXV. ita credendum videtur, fuiſſe ab Eccleſia inſtitutum, ut ſermonibus ſuis præmitterent Concionatores Angelicam ſalutationem, ob ipſas in Beatam Virginem exortas hæreſes.

XVI. At vero tametſi hæc erudita Regii, ac Ferrarii obſervatio de origine introducendi ritus ſalutandi Deiparam initio concionis, minime contemnenda ſit, puto nihilominus invectam fuiſſe eam ab Eccleſia conſuetudinem ad implorandum ſcilicet Deiparæ auxilium, ut ſua interceſſione, qua plurimum pollet apud Filium, efficiat, ut concio ipſa tum illam habenti, tum auſcultantibus proficua ſit, ac ſalutaris; quam ob rem juxta laudabilem morem, homines pii complures, cum genuflexus Concionator concionis initio clara, ac intelligibili voce ſalutationem Angelicam dicit, eandem genuflexi & ipſi devote, ſed tamen ſecrete recitant. Eadem quoque ratione obtinendæ ſcilicet interceſſionis Deiparæ audiendi cum fructu Verbum Dei, ſolent hodieque in exercitiis ſpiritualibus poſt aliquam concionis præfatiunculam, ipſius Beatæ Virginis Litaniæ recitari.

XVII. Quicquid ſit, ſiquis primum Angelicam ſalutationem præmiſſam fuiſſe concionibus de Annunciatione, Aſſumtione, & aliis ſanctiſſimæ Deiparæ Feſtivitatibus, atque paulatim ceteris cujuſcumque argumenti concionibus præfixam fuiſſe dixerit, forte non aberraverit. Erravit certe, deliravitque Eraſmus, quum joceſe, impieque ſcribere non dubitavit in Eccleſiaſte, ob id Concionatores introduxiſſe Virginis ſalutandæ conſuetudinem ipſo concionum initio, ut ſexui femineo blandirentur, atque Poetas ethnicos imitarentur, Virginem ſcilicet Matrem, pro Muſa ſubſtituentes. Deliria plane ſunt hæc hominis impii, atque Catholicæ Eccleſiæ rebellis, tametſi illum excuſet Mabillonius in Præfatione ad Seculum V. Benedictinum, Num. CXXIV. ubi ait, improbaſſe quidem Eraſmum eum ritum, *non quo Deiparæ venerationi detraheret, ſed quod locus etiam Spiritui Sancto, aliiſque Sanctis, de quibus etiam conciones interdum habebantur, relinqui vellet.*

XVIII. De ſalutatione tandem Angelica, illud hic minime omittendum cenſeo, priorem nempe ejus partem, quæ ſalutationem ipſam ex verbis Gabrielis Archangeli, & Eliſabethæ ad Beatam Virginem dictis, & apud Lucam in Euangelio relatis contextam continet, antiquiſſimam eſſe in Eccleſia; alteram vero partem, qua Fideles Beatæ Virginis ſuffragia in vita, ac in hora mortis petunt, longe eſſe recentiorem. Egregie id quidem oſtendit Mabillonius loco citato, Numero CXIX. & ſeqq. aitque Num. CXXIII. eam appendicem, ſive precationem, quæ incipit, *Sancta Maria Mater Dei &c.* nondum Seculo XV. fuiſſe adjunctam, ſed in Breviario Religioſorum Ordinis Redemtionis Captivorum excuſo Pariſiis anno MDXIV. occurrere, uſque ad illa verba ultima, *nunc & in hora mortis noſtræ, Amen.* Sed neque ex eo anno obtinuit, ut ipſa appendix ab omnibus fuerit recepta; multa enim Breviaria poſt illum annum edita citat Mabillonius, in quibus ipſa deſideratur.

XIX. Quædam de eo additamento jam diximus nos Tomo II. Romani Pontificalis in Commentario ad §. II. Tit. XV. ubi etiam Auctores notavimus, qui illud additamentum ad Patres Concilii Epheſini referunt, ut nimirum Neſtorianos confoderent, qui Beatam Virginem Theotochon, ideſt, Dei Genitricem impie pernegabant. Sed hiſce omiſſis, recens plane eſt inſtitutum additamentum illud, quod cum varie ſoleret a Concionatoribus recitari, merito S. Carolus recitato ſuperius loco Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis

Digitized by Google

nensis statuit, recitandam esse a Concionatore Angelicam salutationem *ad præscriptam verborum formulam, qua Ecclesia sancta utitur; itaut ne verbum quidem vel addat, vel detrahat, vel mutet, quod ab illius instituta ratione diversum sit*. Mandat certe, ut eo modo, quo hodie, recitetur, quia scilicet, dum ipse floruit, jam modus ipse ubique locorum invaluerat.

XX. Recitata Angelica salutatione, & quidem genibus flexis, uti supra explicatum est, ex §. nostri præscripto Concionator *surgit, & capite cooperto, incipit sermonem*; si scilicet Sanctissimum Sacramentum non sit expositum, ut tempore Orationis quadraginta horarum; tunc enim si sermo habeatur vel in Pulpito, vel ante Altare in cornu Euangelii, semper Concionator stare debet aperto capite, etiamsi sit Episcopus, ut docet Castaldus loco citato Num. VII. citans etiam in margine Sacræ Congregationis declarationem, & Bauldryus Parte I. Cap. X. Num. XIV. ubi etiam aliquorum morem sugillat, qui velum ante SS. Sacramentum apponunt, ut Concionator sedere, & tegere caput valeat; sed recte mox subdit, hoc videri contra Rubricas, cum Celebrans Feria V. in Cœna Domini, & die sequenti debeat uti iisdem cæremoniis, coram SS. Sacramento incluso in Calice cooperto, ac si esset omnino expositum, etiam in capsula incluso. Rectius ergo esse ait, ut vel omnino includatur, si fieri potest, vel, ut semper sit nudo capite, & stans. Porro servandum omnino est Sacræ Rituum Congregationis Decretum die XVI. Februarii anni DCXXX. editum, & alias iterum, apud Meratum in suis ad Gavantum Additionibus; ex eo enim Decreto cautum est, ante sacræ Eucharistiæ Sacramentum publice expositum, non posse fieri concionem capite tecto, non obstante quacumque contraria consuetudine, & abusum esse omnino tollendum.

XXI. A concionatore præterea nudandum est caput, ubi mentionem nominis Jesu, vel Beatissimæ Virginis Mariæ facit, non tamen si Christi tantum. Quod si sæpius sit repetendum, ad evitandum adstantium, suique incommodum, sub Christi, seu Salvatoris, aut Redemtoris, vel Beatæ Virginis, seu etiam Dominæ nostræ, alioque simili modo ea nomina repetere poterit, uti iidem Auctores notant. Ad viventis quoque Pontificis nomen caput detegit, uti docet Patricius Lib. III. Sectione IV. Cap. II. Sed & quando Episcopum alloquitur, aut ad Legatum ibi præsentem, ad eum conversus, caput etiam suum profunde inclinabit, ut mox in sequenti §. IV. edicitur, in quem nos quædam notabimus.

## §. IV.

Inter concionem, cum convertit orationem ad Episcopum, aut Legatum ibi præsentem, caput profunde inclinat. Finito sermone, capite detecto, genuflexus, expectat finem confessionis, quam facit Diaconus; & ea finita, surgit, & stans in eodem Pulpito, seu Suggesto, publicat Indulgentias ab Episcopo concessas, & statim descendit, receditque in pace; advertat præterea, ut formam pronunciandi Indulgentias memoriter teneat.

## COMMENTARIUS.

I. Notatum jam fuit ad præcedentis Commentarii calcem, quod Concionator cum inter concionem orationem suam ad Episcopum, vel ad Legatum ibi præsentem convertit, debet caput profunde ei inclinare, detectum scilicet, ut inter alios Bauldryus notat. Profundam hanc capitis inclinationem, quæ fit paulo post inchoatam concionem, puto equidem adeo soli Episcopo debitam, ut nulli alteri inferiori, laico præsertim Magistratui, cujuscumque gradus, & dignitatis existat, competere valeat, cum non sit simplex urbanitatis actus, prout illa, quæ fit ante concionem, sed quædam petitio veniæ, & licentiæ persequendæ concionis, quam Concionator nequit ab alio petere, quam ab Episcopo in sua Dioecesi, cui soli competit spiritualis potestas, & jurisdictio quoad munus prædicandi verbum Dei, quod de jure Divino solus Episcopus per se, vel per alios, quibus facultatem concesserit, obire potest, adeoque alteri cuicumque, laico præsertim incommunicabilis, tamquam privilegium personale ipsius Episcopi, uti sacri Canones docent a nobis Tomo I. Romani Pontificalis, & alibi compluries relati, & inter alios tradit in terminis ipsis Araux Tractatuum Ecclesiasticorum, Quæstione XV. Num. VIII. & XIII. ubi ita argumentatur: *Injuriosum est*, inquit, *reverentiam, & veniam uni Superiori ratione suæ superioritatis, & excellentioris dignitatis debitam, dare alteri inferiori, sed dicta venia Episcopis debetur ratione prædicta, ergo illam dare inter concionandum Episcopo inferiori, procul dubio est actio injuriosa, quia solis Episcopis debetur*.

II. Hæc prædicandi licentia respectu Concionatoris affinis esse quidem videtur illi benedicendi licentiæ, quam petit Sacerdos in fine Missæ ab Episcopo in sua Dioecesi ex Rubricis Missalis Parte II. Tit. XII. Num. III. *Si celebrabit coram Episcopo in Civitate, vel Diœcesi sua existente, Celebrans .... dicto*, Benedicat vos omnipotens Deus, *convertens se ad Episcopum capite inclinato, quasi licentiam benedicendi petens prosequitur*. Et mox: *Si autem celebret coram Episcopo extra Civitatem, vel Diœcesim constituto, ei absque alio respectu, ut*

Digitized by Google

*ut cæteris, qui interfunt more consueto benedicit.* Et iterum infra Num. v. *Finito Euangelio in fine Missæ, si celebret coram Episcopo, convertit se ad illum, & facit reverentiam convenientem. Si autem non celebret coram illo, hujusmodi reverentiam prætermittit.* Hactenus Rubricæ Missalis, quæ sane perspicuæ sunt, nec opus est pro earum explicatione ad Doctores, quos vocant forenses recurrere, quos alias promtos semper invenias ad suam vel de arduis Theologicis quæstionibus proferre sententiam, tametsi nec prima Theologiæ elementa noverint.

III. Ex recitatis autem Missalis Rubricis, quibus veluti legibus a Summis Pontificibus probatis nefas est adversari, liquido apparet, quod docet rei Theologicæ æque, ac Canonicæ, & Ritualis peritissimus Septempedanus Antistes Dionysius Pieragostini in Libello inscripto, *Addenda ad Parerga adnotata in ordine divini Officii pro Clero Septempedano S. Severini anni MDCCXLIII.* §. VI. quod nempe, quemadmodum petitio licentiæ benedicendi per capitis inclinationem, sicut & aliæ reverentiæ superius indicatæ soli Episcopo in sua Diœcesi conveniunt, ita a fortiori dicendum est, licentiam prædicandi, quæ magis urget, quam illa benedicendi, aliique actus reverentiales, ut supra, tam præsente, quam absente Episcopo, incommunicabilem esse alteri inferiori præsertim laico. Quod si Episcopus ipse extra suam jurisdictionem prætendere nequit petitionem licentiæ prædicandi, nec alias prædictas reverentias a Sacerdote Celebrante, neque a Concionatore continuandi concionem, multo minus illam prætendere potest Gubernator, & Magistratus laicus omnis prorsus jurisdictionis spiritualis expers. Id quod etiam dicendum est de Gubernatoribus Prælatis, qui licet Ecclesiasticæ personæ sint, reputantur tamen veluti laici, uti docet Cardinalis de Luca, *De Judiciis*, Discursu XXXVII. in Relatione Curiæ Romanæ Discursu IV. XXV. & XXXVI. & *De Regalibus*, Discursu CXXXI. Num. III.

IV. Neque vero his officit consuetudo si quæ sit in contrarium, sublatæ enim hujusmodi consuetudines sunt veluti corruptelæ, & abusus, tum a nostro Cæremoniali, tum a Concilio Romano anni MDCCXXV. Tit. XV. Cap. I. inhærente Constitutioni sanctæ memoriæ Innocentii XIII. super Ecclesiastica disciplina in Regnis Hispaniarum §. XX. illamque confirmante, jussis Episcopis, *ut contraria omnia, quæ in Ecclesiis, seu Secularibus, seu Regularibus.... contra præscriptum Pontificalis Romani, & Cæremonialis Episcoporum, vel Rubricas Missalis, Breviarii, & Ritualis irrepsisse compererint, detestabiles tanquam abusus, & corruptelas prohibeant, & omnino studeant removere, quavis non obstante interposita appellatione, vel immemorabili allegata consuetudine.* Sed quid alia argumenta quærimus, cum constet eam fuisse expressam sanctæ memoriæ Clementis XII. sententiam per Literas (*a*) Secretariæ Status ad Episcopum Reatinum datas XXVIII. Martii MDCCXXXIII. ut soli Episcopo Diœcesano veluti capiti, & Superiori reverentia hujusmodi exhibeatur.

V. Tandem ut cætera contenta in nostro §. persequamur, *Concionator*, inquit, *finito sermone, capite detecto genuflexus expectat finem confessionis, quam facit Diaconus, & ea finita, surgit, & stans in eodem Pulpito, seu Suggesto publicat Indulgentias ab Episcopo concessas.* Est plane antiquus ritus jam olim in Capella Papali servatus, uti constat ex Ordine Romano XIV. Auctore Jacobo Gaetano, qui floruit labente Seculo XIII. Sic enim inquit Cap. XLVII. loquens de Cardinali, qui in Officio Episcopi, vel Presbyteri assistentis Papæ Missarum solemnia celebranti servit, quique post Euangelii lectionem sermonem habet: *Quo finito, maneat in eodem loco, donec facta sit confessio per Diaconum Cardinalem, & tunc antequam Pontifex det absolutionem, dictus Cardinalis, qui prædicaverit, annuntiet Indulgentiam talibus, vel similibus verbis:* Dominus Summus Pontifex auctoritate Omnipotentis Dei &c.

VI. Occurrit is idem ritus, de quo alias nos iterum infra dicturi sumus, aliis etiam Capitibus memorati Romani Ordinis Jacobi Gaetani, & Ordinis Romani, Auctore Amelio, itemque in Romano Augustini Patricii Cæremoniali Lib. III. Sectione IV. Cap. II. in fine, ubi ita de eo, qui habuit concionem, inquit: *Finito sermone, caput detegit; Diaconus autem Euangelii ductus ante Pontificem, dicit alte*, Confiteor Deo &c. *& tunc Papa, & omnes surgunt.* Et paulo post: *Diaconus, & qui oravit stans adhuc in Suggestu, pronunciat Indulgentias a Pontifice concessas, & vadit in pace.* Sane advertere Concionator debet, *ut formam pronunciandi Indulgentias memoriter teneat*, ex præscripto hujus nostri §. Quo autem modo publicare ipsam Indulgentiam debeat, dicemus infra suo opportuniori loco in Commentario ad §. I. Capitis XXV. Unum hic addendum, quod notat Bauldryus Parte I. Cap. X. Num. XI. nempe ubi ab alio Indulgentiæ publicari solent, vel alio tempore, quam post Euangelium, debere Concionatorem finita confessione discedere.

## §. V.

**Si vero habendus sit sermo extraordinarius, velut ad publicandum aliquod Jubilæum, vel pro gratiarum actione ad Deum de aliquo felici nuncio, aut publicatione fœderis,**

(*a*) Prædictarum literarum verba hæc sunt, allata jam a memorato superius Episcopo Septempedano: *Al solo Vescovo come Capo, e Superiore in cotesta Chiesa, e Diocesi è dovuta la detta riverenza non per motivo di semplice urbanità, ma per una spezie di licenza, che gli si chiede da chi intende di perorare &c.*

Digitized by Google

ris, seu in adventu alicujus maximi Principis, vel ex alia quacumque simili occasione, non debet infra Missam fieri, sed illa finita, nec tunc petitur benedictio.

## COMMENTARIUS.

I. PRæter ordinarios Sermones, qui ex Canonum præscripto Dominicis, præcipuisque diebus festis ab Episcopis inter Missarum solemnia juxta veterem ritum superius ostensum agi deberent, vel ab aliis, si illi legitimo impedimento fuerint detenti, quædam intra annum occurrere possunt, quorum gratia extraordinarius sermo haberi debeat, si publicandum scilicet sit aliquid Jubilæum, vel agendæ sint gratiæ Deo de aliquo felici nuncio, aut alia quæcumque similis occurrat occasio; tunc enim ait §. noster, extraordinarium ipsum sermonem nec fieri intra Missam debere, sed illa finita, nec benedictionem peti, etiam præsente Episcopo, ut notat Bauldryus Parte I. Cap. X. Num. XXII. Copiosam, aptamque materiam pro extraordinariis hujusmodi sermonibus habendis legere est apud Humbertum de Romanis, qui floruit Seculo XIII. in Opere, *De eruditione Prædicatorum, & de modo promte cudendi sermones circa omne hominum, & negotiorum genus*. Quod quidem Opus, quod vix apud Bibliopolas inveniretur, anno MDCDXXXIX. ab innumeris pene erroribus expurgatum, & Notis illustratum publica nos jam luce donavimus.

## §. VI.

Idem dicitur, si in Missa Defunctorum, vel in laudem alicujus magni viri Defuncti habeatur, quo casu fit statim, finita Missa, antequam fiat absolutio, ut in Cap. XI. Lib. II. de Missa Defunctorum dicitur, & in habitu ordinario.

## COMMENTARIUS.

I. ANtiquissimas esse in Ecclesia funebres Orationes, in laudem scilicet Defunctorum habitas, jam satis, abundeque ostendimus Tomo III. Romani Pontificalis ad Tit. XXVII. §. I. Morem præterea fuisse, ut ipsæ Orationes non inter Missarum solemnia, sed iis tandem peractis, ante Defunctorum absolutionem haberentur, docent nos antiqui Codices Rituales, inter quos Ordo Romanus XV. Auctore Amelio, Cap. CLXVI. ubi de exequiis Cardinalium loquens ita inquit: *Sermonem facit aliquis Magister in Theologia, qui debet fieri post Missam, & ante absolutionem*. Tum mox inferius refert, *quod anno MCDXXXIV. in exequis Domini Cardinalis Novariensis celebravit Missam Dominus Cardinalis Sancti Marci, & dicta Missa immediate fuit sermo*. Est & ejusdem moris testis Augustinus Patricius in suo Cæremoniali Lib. I. Sectione XV. Cap. I. ubi sic inquit: *Finita Missa, post*, Requiescant in pace, *fit sermo in laudem Defuncti*. Loquitur de exequiis Cardinalium; additque mox, quod *Cardinalis, qui celebravit, dimissa Planeta, accipit Pluviale, & sedet cum Mitra alba, dum fit sermo*. Hodie Romæ nullus in ipsis Cardinalium exequiis habetur sermo, qui tamen fieri semper assolet in laudem defuncti Summi Pontificis, & quidem post Missam, juxta ritum Romani Cæremonialis citato loco Cap. II.

II. Rituum antiquorum, ac præsertim Romanorum peritus, ac tenax S. Carolus statuit inter alia in Concilio Provinciali IV. Mediolanensi, Constitutionum Parte I. ubi agit de verbi Dei prædicatione, sermonem de mortui laudatione, *nullo modo in Missa, sed ea peracta*, pronunciari debere, si tamen Episcopus sermonem haberi permiserit; non enim in cujuscumque hominis mortui laudem habendus est sermo, sed, ut ait hic §. noster, *in laudem alicujus magni viri defuncti*; qui scilicet magnus sit dignitate, doctrina, sanctitate, gestisve insignibus magnus sit; in talium quippe defunctorum funere solent hodieque Orationes funebres fieri, & quidem etiam Romæ, uti servatum vidi in exequiis Reverendissimi Patris Joannis Benedicti Zuannelli Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magistri, in Templo S. Mariæ super Minervam celebratis; itemque in funere Reverendissimi Patris Fulgentii Bellelli Exgeneralis Ordinis Eremitarum S. Augustini, quod summa cum pompa peractum fuit in Templo S. Augustini, cujus etiam Oratio funebris edita fuit in lucem.

III. Enarrandus nunc nobis est ritus, quem de sermone habendo in laudem alicujus defuncti post Missam refert in suo Cæremoniali Crassus Lib. II. Cap. XL. *Si sermo*, inquit, *in defuncti laudem habendus est, tunc finita de toto Missa, & nullatenus intra eam habetur, hoc modo, quia perfecta Missa sermocinaturus vestibus nigris indutus, non tamen veste cucullata, & lugubri, sicut reliqui consanguinei, nisi esset & ipse consanguineus, aut familiaris defuncti, quia sic vestitus, non tamen cucullo capiti imposito, sed eo tunc super humero dextero, & cauda sub sinistra, more Prælatorum retractis, vadit ante medium Altaris, ubi genuflexus orat; deinde surgens absque aliqua benedictionis petitione a Celebrante, seu a Cardinali, vel ab aliquo, ascendit, facta prius reverentia Cardinali* (sive Episcopo) *in pulpitum panno nigro, si placet, coopertum, & facit suum sermonem, pro quo non præmunit se aliquo signo Crucis in pectore, nec divinam invocat gratiam, neque præfatur Angelicam salutationem,*

*sicut*

Digitized by Google

*sicut in aliis sermonibus, qui in laudem Dei intra Missam fieri solent*. Ait, aliter sermonem in laudem defuncti fieri debere, statimque subjicit, finito sermone, ejus recitatorem simpliciter recedere posse, quo placet, & si est de familia defuncti, funebriter vestitum reverti ad locum suum inter alios consamiliares funestos, ubi dimissa cauda, & recucullato capite sedet, & tunc a nullo compellatur, nec laudatur, quod diserte oraverit, etiamsi dissertissime fuerit concionatus.

## C A P. XXIII.

*Quo ordine, & modo thus in thuribulum imponatur, illudque benedicatur. Quo ritu fiat ab Episcopo, vel Celebrante thurificatio in Vesperis solemnibus. Crux Altaris triplici ductu thurificatur. Altare, Reliquiæ, seu Imagines Sanctorum quomodo incensandæ. Ritus thurificandi in Missa solemni. Quando incensandi sint Legatus de Latere, vel alius Cardinalis, Episcopus, Dignitates, & Canonici. Quo ritu thurificandum Sanctissimum Sacramentum in Altari expositum. A quibus, & quo ordine thurificandi sint, Legatus, Rex, Princeps magnus, Magistratus, & nobiliores.*

### §. I.

Circa thuris benedictionem hoc servandum est, ut cum Acolythus, sive Cæremoniarius, affert thuribulum cum prunis ardentibus sinistra, naviculam autem cum thure, & cochleari, dextera, ad Episcopum, aut Celebrantem, illico adsit, vel primus Presbyter assistens, vel, si Episcopus celebrans est apud Alare, Diaconus Euangelii, juxta regulas suis locis traditas, & accipit de manu prædicti Acolythi naviculam semiapertam, & cochlear in ea existens, cum osculo cochlearis, & manus Episcopalis, offert eam Episcopo, dicens: *Benedicite Pater Reverendissime*. Episcopus vero, accepto cochleari, sumit cum eo ter ex navicula thus, illudque etiam ter in thuribulum mittit, dicens interim: *Ab illo benedicaris, in cujus honorem cremaberis.*

### §. II.

Quo facto, ac reddito cochleari eidem ministro, qui rursus manum, & illud osculatur, ipse Episcopus format manu dextera signum Crucis super thus in thuribulo; ipse vero Acolythus thuribulum deferens, illud portat, & cum opus est, operculum per catenulam sursum trahit, juxta normam in Cap. XI. hujus Lib. I. §. VII. positam.

## COMMENTARIUS.

I. THuris usum antiquissimum esse in Ecclesia, ostendimus, tum in Opere, *De Codice sancti Euangelii*, Libro II. Cap. XIII. tum in Commentariis ad Romanum Pontificale. Thuribulum, quod etiam Thymiamaterium, & Suffitorium dicitur ab Anastasio in Vitis Summorum Pontificum, vas est ex argento, vel alio metallo artificiose elaboratum, in quo thura, & alii odores incenduntur in solemni oblatione. Thuribula, seu Thymiamateria aurea Constantinum Imperatorem plerisque Ecclesiis largitum fuisse, tradit Liber Pontificalis Damaso Papæ adscriptus. Eundem Constantinum S. Nicolao thuribulum aureum, quo inter sacrificandum uteretur, donasse, in Vita ipsius Sancti testatur Simeon Metaphraste s. Auctor quoque Libri Pontificalis scribit, Sergium Papam fecisse thymiamaterium, vel thuribulum *aureum magnis cum columnis, & cooperculo, quod suspendit ante Imagines tres aureas Beati Petri Apostoli, in quo incensum, & odor suavitatis festis diebus, dum Missarum solemnia celebrantur, omnipotenti Deo opulentius mittitur*.

II. Usum thuribulorum, vel similium vasorum, in quibus thura, & varii odores adolentur in solemni oblatione, ex Apostolica traditione, & Mosaicæ Legis exemplo profluxisse, ostendit inter alios Joannes Bona Cardinalis Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XXV. Num. IX. Certe mentio thuris ad Ecclesiæ usum habetur in antiquis Canonibus, & Constitutionibus Apostolorum; occurritque in Liturgiis S. Basilii, & Sancti Joannis Chrysostomi, in quibus etiam forma benedicendi incensum exaratur. Ut autem de ritu Latino loquamur, *regulariter*, ait Crassus Lib. I. Cap. XLVI. *quotiescumque aliquid incensandum est, similiter expedit, ut prius incensum benedicatur, nisi quando Sacramentum Corporis, aut Sanguinis Christi incensatur tam intra, quam extra Missam, ut in die Cœnæ Domini, & Para-*

 *rasce-*

Digitized by Google

*rasceve, quando a loco ad locum portatur, & in die Corporis Christi, & similibus actibus &c.*

III. Circa thuris benedictionem, ut servandus sit ritus, exponit idem Crassus citato loco sic dicens: *Ad Episcopum Cardinalem, seu quemcumcumque Prælatum Pontificaliter Celebrantem Cæremoniarius portans naviculam dextera, & thuribulum sinistra pro benedictione, & positione incensi, firmat se ad sinistram ipsius Celebrantis, ubi stans humiliatus ipsam naviculam apertam porrigit Diacono Euangelii parato stanti ad ejusdem dexteram; semper enim ipse in Missa naviculam ministrat Celebranti, in Vesperis vero Presbyter assistens Planeta indutus id facit, qui stans humiliatus ipsam ita approximat thuribulo, ut thuribulum, & navicula se se simul tangant ante pectus Episcopi, dicens*: Benedicite Pater Reverendissime, *vel*, Reverende, *prout congruit; quod cum dicit, osculatur cochlear, & manum Episcopi, & ille benedicit verbo, non manu, dicens*: Ab illo benedicatur, in cujus honore crematur.

IV. Sane putat memoratus Auctor, convenientius esse, ut ea Celebrans utatur formula, *Ab illo benedicatur &c.* sed standum est Rubricæ nostri §. ac Missalis Romani, quæ docet, dicendum, *Ab illo benedicaris, in cujus honorem cremaberis*, præsertim quod frequentissimus usus obtinuit, eode Crasso teste, *ut in benedictione, & impositione incensi utamur illis verbis*, videlicet: *Ab illo benedicaris &c.* cujusmodi formula etiam legitur in Romano Cæremoniali apud Augustinum Patricium. Porro petita benedictione, Episcopus accepto cochleari, sumit cum eo ter ex navicula thus, illudque etiam ter in thuribulum mittit, dicens quasi cum incenso loquens, *Ab illo benedicaris &c.* quæ verba uti alios citans docet Meratus in suis ad Gavantum Additionibus sic distribuere debet; ut in prima thuris immissione dicat, *Ab illo benedicaris*; in secunda, *in cujus honore*; in tertia, *cremaberis, Amen*. Sed hæc levia sunt. Vox *Amen*, tametsi nota sit orationum, & benedictionum, in nostro hoc tamen §. sicut etiam in Crassi Cæremoniali desideratur.

V. Sed hisce omissis, petita qnidem benedictione, Episcopus, seu Celebrans, accepto cochleari de manu Diaconi, seu Presbyteri assistentis, ponit tribus vicibus thus in thuribulum tribus scilicet locis distinctis, in medio, a dexteris, & a sinistris, ut ait Meratus, & in fine super thuribulum facit Crucis signum; quo facto, & non prius, ait Crassus, Diaconus, seu Presbyter assistens, osculatur iterum receptum cochlear, & manum Episcopi, redditque naviculam Cæremoniario, seu Acolytho, qui, cum opus est, operculum per catenulam sursum trahit, juxta normam Cap. XI. §. VII. positam, ut §. is noster docet, quod Episcopus, ubi post positum thus, & recitatam benedictionem illam, *Ab illo benedicaris &c.* cochlear ministro reddit, is statim manum Episcopi, & ipsum cochlear osculatur, eaque peracta cæremonia, *ipse Episcopus format manu dextera signum Crucis super thus in thuribulo*. Atque hic nota, quod ubi benedicendum sit thus in thuribulo a Celebrante, thuribulum ipsum apertum a ministro teneri debet ante Celebrantem, donec is thus benedixerit. Non posse, ubi fumus, vel ignis in thuribulo ad perfectionem incensationis deesset, a quoquam tunc ignem, vel thus superaddi, ex laudato Crasso in Commentario sequenti dicemus.

## §. III.

Materies autem, quæ adhibetur, vel solum, & purum thus esse debet suavis odoris; vel, si aliqua addantur, advertatur, ut quantitas thuris longe superet.

## COMMENTARIUS.

I. QUum, uti ex sacris Paginis & sancti Patres, & Scriptores Liturgici passim docent, non sine Mysterio adhiberi soleat thus in Ecclesia, significat enim Christi Divinitatem, uti ex SS. Patribus docet Stephanus Durantus Lib. I. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. IX. Num. I. itemque orationem Sanctorum, uti ex Apocalypsi Cap. VIII. & Psalmo CXL. Auctores Ecclesiastici tradunt; jure ac merito ex hoc nostro §. cautum est, ut si quidquam aliud misceatur cum incenso, major quantitas semper esse debet incensi: *Ex omnibus aromatibus*, ait Crassus Lib. I. Cap. XLVI. *thus, sive incensum spectaliter in thuribulum ponitur adolendum: quod si boni odoris, ac suaviter olentis sit, non alio vapore miscetur, sin autem, potest cum aromatibus quibusvis aliquin suaviter odorantibus admisceri; ita tamen, ut odor fumi thurei prævaleat. & plus de incenso, quam alio sufficienter redoleat. Ipsum vero thus neque omnino contusum sit, ne nimis repente evanescat; neque integrum, aut solidum, ne omnino cremari non possit*. Addit mox, adverti illud debere, ut, si paulum fumi, vel ignis in thuribulo ad perfectionem totalis incensationis deesset, nullatenus a quoquam ignis, vel incensum superaddatur, nisi quod ab initio semel per Celebrantem fuerit benedictum, & impositum.

## §. IV.

Hujusmodi thurificatio principaliter fit versus Altare, & Crucem, ac Reliquias, & Imagines Sanctorum super eo positas, hoc ordine. Nam imposito, & benedicto thure,

Digitized by Google

thure, ut ſupra, Epiſcopus, vel Celebrans capit de manu Diaconi in Miſſa, vel de manu Presbyteri aſſiſtentis in Veſperis, thuribulum, videlicet, ſiniſtra catenulas, quibus thuribulum ſuſtinetur in earum ſummitate, dextera vero eaſdem catenulas ſimul junctas, prope thuribulum tenet, ac thuribulum ſuſtinet, ita ut illud commode ducere verſus Crucem, & Imagines prædictas, & ad ſe retrahere poſſit; quod recte fit, ſi ipſe Epiſcopus, aut Celebrans, accepto thuribulo, teneat dexteram, quo fieri poteſt, proximiorem ipſi thuribulo, ita ut parvum catenularum ſpatium remaneat inter ipſius manum dexteram, & thuribulum, præſertim cum thurificantur Oblata; nam, ſi nimis thuribulum pendeat, nec commode, nec ſecure, nec decore illam actionem expedire poſſet, & facta Cruci profunda reverentia, thurificet illam triplici ductu.

## COMMENTARIUS.

I. THurificatio Altaris antiqua eſt in Eccleſia, ejuſque paſſim meminere pervetuſtæ Liturgiæ SS. Jacobi, Baſilii, Chryſoſtomi, itemque S. Dionyſius, vel alius antiquus Auctor, *De Hierarchia*, Cap. III. & ſanctus Ambroſius ad Cap. I. S. Lucæ, dicens: *Atque utinam nobis quoque adolentibus Altaria Sacrificium deferentibus aſſiſtat Angelus*. Fit & de eadem mentio in Ordinibus antiquis Romanis a Mabillonio Tomo II. Muſæi Italici allatis, ex quorum etiam præſcripto Sacerdos benedicens incenſum orat, ut omnes inſidiæ, & phantaſmata dæmonum, omneſque languores vi odoris ipſius effugentur.

II. Sed neque ob hanc rationem ſolum fit incenſatio, verum etiam ad repræſentandum odorem bonum Chriſti, ex S. Germano in Theoria; ad ſignificandum orationem Sanctorum, uti ex Apocalypſi Cap. VIII. & Pſalmo CXL. tradit inter alios S. Hilarius; item ad denotandum effectum gratiæ, qua ſicut bono odore Chriſtus plenus fuit, juxta illud Geneſis Cap. XXXVII. *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni*; & a Chriſto derivatus ad Fideles officio Miniſtrorum, odorem notitiæ ſuæ ſpargit per nos in omni loco, & ideo undique thurificato Altari, per quod Chriſtus deſignatur, thurificantur omnes per ordinem, uti ſcitiſſime obſervat S. Thomas III. Parte, Quæſtione LXXXIX. Articulo V. Suffumigatur itaque Altare non ad reverentiam loci, ut malus odor inde pellatur concurrentis populi, ut ſcribit Bellarminus Lib. II. *De Sacrificio Miſſæ*, Cap. XV. Ut quid enim in ea ſuffumigatione benedictio thuris, & Crucis ſignum adhiberetur? ſed ad alia omnino ſignificanda, uti docent Patres.

III. Quod autem thurificationis modum ſpectat, de quo in hoc §. & ſeqq. agitur, quamvis in omni Altaris incenſatione magis quædam gratia, quam ars ulla requiratur, incenſationis tamen ipſe actus ſatis apte, & decenter fiet, ſi Celebrans non in cornu Epiſtolæ, ait Craſſus Libro I. Cap. XLVII. ſed ante medium Altaris ſtans rectus latis parum manibus æquali ipſarum diſtantia capiat thuribulum manu dextera, quantum brevius fieri poteſt, proximans manum ſuam thuribuli vaſculo, quia ſi longam nimis facit catenam itaut ipſum thuribuli vaſculum nimis pendeat, maxime quando Calix ſuper Altari eſt, non poteſt commode, nec ſecure, nec cum gratia thuribulum ducere; quod tamen cum ducit, advertere etiam debet, ut non totam perſonam, neque caput traducat, neque ſiniſtram incommode moveat, ſed ſolum, quantum poteſt, brachium dexterum tractim, ac placide ducat, & reducat, itaut cum thuribulum retrahit, ſub brachio retrahat illud.

IV. Commodius quoque erit, ſi, uti notat memoratus Craſſus, in incenſando, cum ſpatiatur ante Altare circuens illud, & incenſans, ſemper prius illum pedem moveat, qui eſt proximior Altari in eundo, & redeundo, tot paſſus faciens, quod tractus thuribuli facit. Ergo accepto thuribulo Epiſcopus, vel Celebrans, ſiniſtram, qua ſummitatem catenularum juxta manubrium complectitur, admovens infra pectus, eamque immobilem tenens in tota incenſatione, dextera vero eaſdem catenulas ſimul junctas prope operculum firmas tenens, vertit ſe ad Altare, *& facta Cruci profunda reverentia*, etiam ſi eſſet in ea veræ Crucis particula, uti poſt Bauldryum, & Biſſum notat Meratus, *thurificat illam triplici ductu*; nihil ſcilicet dicens, ſed poſt unamquamque incenſationem tantillum quieſcens, itaut diſtinguatur, tres factas eſſe incenſationes; ſunt enim nonnulli, qui adeo velociter eam functionem peragunt, ut minime ductus ipſi thurificationis Cruci exhibitæ diſcernantur.

V. Cruci, ſacriſque Imaginibus ex antiqua, & pia conſuetudine recte offerri lumen, & incenſum, non ſolum omnes Theologi docent, ſed & ſeptima Oecumenica Synodus, ſecunda Nicæna in ſuo Fidei Decreto definivit, allato a nobis Tomo II. Conciliorum poſt explicatos ipſius Synodi Canones. Neque obſtat, quod S. Auguſtinus in Libro, *De hæreſibus*, Cap. VII. de Carpocrate hæreſiarcha ita plane inquit: *Sectæ ipſius fuiſſe traditur quædam Marcellina, quæ colebat Imagines Jeſu, & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ, adorando, incenſumque ponendo*. Non enim S. Doctor in Marcellina Carpocratis ſectatrice fidelem incenſi uſum, ſed gentilem, atque hæreticum idololatriæ ſuperſtitionis abuſum damnabat, ut ſcite docet doctiſſimus Lupus in Scholio ad Decretum de Fide, quod ipſa Nicæna ſecunda Synodus adverſus Iconoclaſtas edidit.



Digitized by Google

VI. Dici etiam hic potest, quod olim adversus Vigilantium scripsit S. Hieronymus, cereorum usum negantem, qui in honorem Sanctorum accendi solebant: *Causabantur*, inquit, *olim Apostoli, quod periret unguentum, sed Domini voce correpti sunt. Neque enim Christus indigebat unguento, nec Martyres lumine cereorum; & tamen illa mulier in honorem Christi fecit, devotioque mentis ejus recipitur. Et quicumque accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo*: Unusquisque in suo sensu abundet. *Idololatras, appellas hujusmodi homines? Non diffiteor, omnes nos, qui in Christo credimus de idololatriæ errore venisse. Non enim nascimur, sed renascimur Christiani. Et quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne simili eum videamur honore venerari.* Notanda præsertim sunt, quæ mox idem S. Doctor subjicit: *Illud fiebat idolis, & idcirco detestandum est; hoc fit Martyribus, & idcirco recipiendum est*. Ubi nota, Christianam Fidem superstitionem in Religionem demutasse; quamquam dici etiam posset, Christianos non a gentilibus usum incensi, aliosque ritus, sed a veteri Testamento, in quo illi probantur, fuisse mutuatos.

VII. Omitti hic tandem non debet antiquus Ritus in Ecclesia Romana servatus, in qua plures super Altare extabant Cruces, quæ etiam inter Missarum solemnia post Oblatorum thurificationem a Papa celebrante incensabantur, teste Jacobo Gaetano in Ordine XIV. Romano, Cap. LXXI. *Et continuando*, inquit, *incenset Cruces &c.* Id quod etiam repetit Cap. LXXII. quod inscribitur, *In festo S. Stephani*. Erant ergo plures super Altari Cruces, nempe Crux Stationalis, & quæ alias ex antiquo, & communi ritu super ipsum Altare poni debebat. Crucis Stationalis mentionem facit Ordo Romanus XI. Auctore Benedicto, ex quo etiam addiscimus, eo nomine appellatam, quod solita esset deferri ad Stationes; sic enim ait Num. X. *Feria quarta, Statio ad sancta Mariam Majorem. Fit collecta ad S. Petrum ad Vincula in Eudoxia. Primicerius cum schola, & Subdiaconi regionarii, & Acolythi cum Cruce Stationali sancti Petri, levant inde Crucem cum collecta processionali, cantando usque ad sanctam Mariam Majorem &c.* Crucem ipsam Stationalem consuevisse reponi super Altari, ex eodem Romano Ordine liquet, dum Num. XXIX. ita ait: *Subdiaconus Regionarius levat Crucem Stationalem de Altari, plane portans eam in manibus usque ad Ecclesiam &c.*

VIII. In multis etiam hodie Ecclesiis extant Altaria, in quibus duæ cernuntur Cruces, & quidem cum imagine Crucifixi, quarum altera, & quidem magna, est loco tabulæ pictæ, altera vero parva inter candelabra locari solet. Quamquam vero, quicquid alii sentiant, ubi prima adesset, non sit necesse, ut ponatur in ipso Altari alia Crux parva, dum Missa celebratur, ex sententia complurium Doctorum, ac præsertim ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis die XVI. Junii, apud Meratum in Indice Decretorum Num. CD. sciendum tamen, quod ubi ipsum Altare incensandum sit, in quo scilicet duæ extent Cruces, sola illa parva thurificari debet triplici ductu juxta ritum in Rubricis nostri Cæremonialis, ac Missalis Romani præscriptum. Porro cum de Cruce Altaris hic mentio inciderit, sciendum & illud est, ponendam illam esse in Altari, etiamsi ibi expositum sit Sanctissimum Sacramentum. Ita enim decidit Sacra ipsa Rituum Congregatio in una Senarum die XXIV. Maji anni MDCCVII. apud eundem Meratum in memorato Indice Numero DCLXIV. Quod Decretum conforme est quidem Rubricæ, quæ indefinite loquitur de Cruce apponenda super Altare, sine ulla exceptione; quando autem Lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, uti communiter Doctores tradunt.

## §. V.

Mox iterum facta Cruci reverentia, incensat Altare, ter ducens thuribulum æquali distantia, prout distribuuntur candelabra, a medio ejus usque ad cornu Epistolæ, ubi demissa manu, thurificat illius postremam partem inferiorem, mox superiorem, duplici ductu thuribuli: deinde conversus ad Altare, elevans manum, ab eodem latere illius planitiem, seu mensam ipsam in parte superiori, triplici ductu usque ad medium, ubi facta Cruci reverentia, procedit thurificando aliud latus Altaris triplici ductu usque ad cornu Euangelii, & pariter incensata inferiori, & superiori parte ipsius cornu Euangelii similiter duplici ductu, adhuc stans ibidem, elevat thuribulum, & ter incensat superiorem tabulæ partem versus medium Altaris, ut fecit in cornu Epistolæ, deinde manu aliquantulum demissa, incensat frontem, seu anteriorem partem Altaris, ter ducens thuribulum, dum procedit a cornu Euangelii usque ad medium Altaris: ubi denuo facta Cruci reverentia, incensat similiter triplici ductu reliquam partem anteriorem usque ad cornu Epistolæ, ubi sistat.

## COMMENTARIUS.

I. THurificata Cruce triplici ductu, quæ, uti superius notatum fuit, ex antiquo usu super Altari inter candelabra locari solet, factaque eidem reverentia, & quidem profunda, ut prius, pergit Episcopus, seu Celebrans thurificare Altare, *ter ducens thuribulum æquali*

Digitized by Google

*æquali distantia, prout distribuuntur candelabra*; non enim candelabra incensantur, sed posterior pars illa Altaris, in qua sunt candelabra; quæ quidem etiamsi pauciora essent, vel plura, quam sex, adhuc triplici ductu ea pars incensanda est, uti expresse cautum est infra ex §. VI. Rubrica. Ergo ubi Sacerdos Altare incensat, ter ducit thuribulum æquali distantia, prout distribuuntur candelabra, si scilicet, sex in Altari extent, *a medio ejus*, idest Altaris, *usque ad cornu Epistolæ*; *ubi* semivertens se ad posterius cornu, ut ait Crassus, *demissa manu, thurificat illius postremam partem inferiorem, mox superiorem duplici ductu thuribuli*; idest, semel inferiorem, & semel superiorem, non unamquamque partem semel, & iterum, ut notat Gavantus ad Rubricas Missalis, Parte II. Tit. IV. Num. IV. ubi idem habetur ritus, qui in hoc §. descriptus est.

II. Incensata inferiori, ac superiori laterali parte Altaris, quæ est ad cornu Epistolæ, *conversus* Celebrans *ad Altare, elevans manum, ab eodem latere illius, incensat planitiem, seu mensam ipsam in parte superiori, triplici ductu usque ad medium*; nempe ducit thuribulum obliqua linea velut in semicirculum a dextera sua ad sinistram, & æquali distantia, terna vice, ac procedendo ad medium Altaris, ut prius, tot passus faciens, quot incensationes. Deinde perveniens ad medium Altaris, ibique *facta Cruci reverentia, procedit thurificando aliud latus Altaris triplici ductu usque ad cornu Euangelii*; ter scilicet ducens thuribulum, prout distribuuntur candelabra, incipiens a parte proximiore Cruci recta linea, prout supra dictum est de parte Epistolæ. Tum *pariter incensata inferiori, & superiori parte ipsius cornu Euangelii similiter duplici ductu*, juxta modum scilicet superius explicatum, *adhuc stans ibidem, elevat thuribulum, & ter incensat superiorem tabulæ partem*, in cornu Euangelii, ducens thuribulum, quasi in semicirculum, ut fecit ad cornu Epistolæ, sed cum hoc tamen discrimine, quod notat Meratus, quia scilicet in parte Epistolæ ducit thuribulum a sua dextera ad sinistram; in parte vero Euangelii ducendum est a sinistra ad dexteram, nec ibi facienda est ulla reverentia Cruci, quia numquam tunc accedit usque ad medium, sed statim quasi retrogreditur ad cornu Euangelii; ubi *manu aliquantulum demissa incensat frontem, seu anteriorem partem Altaris, ter ducens thuribulum, dum procedit a cornu Euangelii usque ad medium Altaris, ubi denuo facta Cruci reverentia incensat similiter triplici ductu reliquam partem anteriorem usque ad cornu Epistolæ, ubi sistat*.

III. Finita incensatione Altaris, thurificandus est demum in cornu Epistolæ Episcopus, uti infra in §. VII. edicitur. De qua thurificatione hæc habet Crassus citato Lib. I. Cap. XLVII. *Denique firmans se in cornu Epistolæ, det thuribulum Diacono, qui osculata ejus dextera expectet, quousque fuerit Mitra Celebranti per Cæremoniarium posita; & sic cum Mitratum manibus junctis, & recto, immobilique capite stantem incenset triplici ductu, facta prius, & postea per ipsum Diaconum incensantem reverentia, adversus quem tamquam suum Ministrum, ac in eo actu minorem se, Celebrans numquam caput humiliat; quia hujusmodi humiliatio in incensationibus non fit respectu incensationis, sed conditionis illius, qui incensat*. Notanda iccirco sunt ea quæ mox subjicit: *Cum autem Canonicus Canonicum, vel Prælatus Prælatum, aut Cardinalis Cardinalem cum capitis inclinatione incensat, tunc sibi utrinque mutuæ inclinationes, quasi gratiæ reciprocæ, fieri debent, quod expresse servatur in Capella Papali*. Concludit tandem, & ait, illud sufficere, quod celebrans Episcopus Cardinalis signum Crucis manu faciat super incensantem etiam Prælatum.

## §. VI.

Si vero in Altari fuerint Reliquiæ, seu Imagines Sanctorum, incensata ter Cruce, & facta ei reverentia, antequam discedat a medio Altaris, primum incensat eas, quæ a dexteris sunt, idest, a parte Euangelii prope Crucem, bis ducens thuribulum; & iterum facta Cruci reverentia, similiter incensat bis alias, quæ sunt a sinistris, hoc est, a parte Epistolæ, deinde prosequitur incensationem Altaris, ut supra, ter ducens thuribulum in unoquoque latere, etiamsi in eo essent plures Reliquiæ, vel Imagines, seu etiam plura, vel pauciora candelabra.

## COMMENTARIUS.

I. DEsumtus est hic §. sicut superior ex Rubrica Missalis Romani Parte II. Tit. IV. ubi agitur de incensatione Reliquiarum, seu Imaginum Sanctorum, quæ super Altari inter candelabra collocari solent. Ad Reliquias Sanctorum quod attinet, mos est Catholicorum antiquus adolendi ante ipsas thus, aliaque odora, ut egregie docet Vir Clarissimus Joannes Chrysostomus Trombellius Canonicus Regularis inclitæ Congregationis Rhenanæ, & Sanctissimi Salvatoris Bononiæ Abbas in eruditissimis Dissertationibus suis de cultu Sanctorum, præsertim vero Dissertatione VIII. Cap. XXXIII. & XXXIV. ubi hæreticos etiam refellit, qui & cultum Sanctorum impugnant, & ritum thuris, quo ipsorum Reliquiæ, ac Imagines ex antiquo Ecclesiæ instituto a sacris Synodis, & a priscis Patribus, ac Romanis Pontificibus non semel probato invene-

Digitized by Google

venerationis argumentum adoleri solent.

II. Sed ut aliqua probatione ostendam, thus ante Sanctorum Reliquias adoleri olim consuevisse, narrat Gregorius Turonensis Lib. I. *De gloria Martyrum*, Cap. XXIII. solitos fuisse Fideles ad sancti Bartholomæi Apostoli *sepulcrum concurrere, eique deprecationes assidue, & incensa deferre &c.* Celebre & ad eandem consuetudinem comprobandam aptissimum est illud, quod in Vita S. Silvestri refert Anastasius Bibliothecarius, statuisse scilicet Constantinum Imperatorem *annis singulis olei nardi pistici libras nongentas, balsami libras centum, aromata, incensum, ante Corpora Sanctorum Marcellini, & Petri libras centum*. Sanctum Gregorium Magnum Pontificem Maximum Secundino Monacho misisse *aloen, thymiama, styracem, & balsamum Sanctorum Martyrum Corporibus offerenda*, ex ejusdem Gregorii Lib. VII. Epistola LIV. ad ipsum Secundinum addiscimus.

III. Ritum esse Ecclesiæ antiquum, ut sacræ Sanctorum Reliquiæ capsis inclusæ super Altari collocarentur, ex Concilio quodam Remensi refert Ivo Carnotensis Episcopus Parte II. Decreti, Cap. CXXXI. ubi de Altari loquens, inter alia edicit, ut *nihil super eo ponatur, nisi capsæ cum Sanctorum Reliquiis, & quatuor Euangelia*. Alicubi ea fuit religio erga Altare, ut exceptis iis, quæ ad sacram oblationem spectarent, nihil omnino super Altari deponi sinerent. Unde cum aliquando Custos Ecclesiæ Monasterii Dervensis, S. Bercharii Abbatis sacras Reliquias, honoris, & devotionis gratia super Altare composuisset, idem Sanctus illi apparens, cum increpatione eas protinus jussit auferri, ut scribit Anonymus Libro II. De miraculis ejusdem S. Abbatis, Cap. XXVI. apud Martenium Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. III. Articulo VI. Num. XI. ubi etiam ait, S. Walpurgem ob simile factum a miraculis cessasse memorari apud S. Odonem Lib. II. Collationum, Cap. XXVIII. Sane putat prædictus Joannes Chrysostomus Trombellius in celeberrimo Opere, *De cultu Sanctorum*, Dissertatione VIII. Cap. L. fortasse monuisse Sanctos ipsos, in Altaris planitie collocandas non esse Reliquias, vel quod eæ impedimentum aliquod afferrent Celebranti, vel quod populus non admodum cautus putaret, eundem honorem tribui Sanctis, qui adhibetur Christo, vel affinem aliquam ob causam, quæ ignota est.

IV. Quicquid autem sit de hoc vario locorum usu, constat ex Ritualibus Libris, ac præsertim ex ms. Ordinario insignis Ecclesiæ Bajocensis apud laudatum Martenium, Cap. IV. Articulo XII. Ordine XX. non modo sacrarum Reliquiarum capsas super Altari poni, sed & inter Missarum solemnia incensari consuevisse; loquens enim de secunda thurificatione, quæ fit post Offertorium, ait, quod *Calice a Sacerdote incensato, primo ter in modum Crucis, deinde ter in circuitu, incensata etiam parte Altaris anteriori, ab eodem sumens Diaconus thuribulum de manu ejus, incensat ipsum Sacerdotem ter, & post flexis genibus attrahit versus terram limbum casulæ ejus anteriorem, & surgens incensat capsas*, in quibus scilicet juxta antiquum ritum reconditæ erant Reliquiæ, *quæ super Altare sunt, deinde ipsum Altare in parte sinistra, deinde in parte dextera, deinde armariolum, in quo Corpus Domini reponitur, postea Altare Beatorum Ravenni, Rasiphi, & Sanctorum Reliquias prope Altare existentes; & fit ejusmodi incensatio in omni Missa &c.* Munus fuisse Diaconi in quibusdam Ecclesiis thurificare Altare, docent varii mss. Ordines a memorato Martenio allati.

V. Constat quoque & illud, Imaginibus scilicet Sanctorum eumdem thuris cultum jam olim fuisse exhibitum, teste Anastasio Bibliothecario in Vita Sergii Papæ, de quo ita scribit: *Hic fecit thymiamaterium aureum majus cum columnis, & cooperculo, quod suspendit ante Imagines tres aureas B. Petri Apostoli, in quo incensum, & odor suavitatis festis diebus, dum Missarum solemnia celebrantur, Omnipotenti Deo opulentius mittitur.* Legitur in Actis S. Gerardi Episcopi, ad honorem Beatissimæ Matris Domini Salvatoris, venerabilem in Ecclesia erexisse Aram, *ante quam thuribulum argenteum collocavit, ejusque ministerio duos provectæ ætatis homines adhibuit, qui jugiter illic vigilarent, ne unquam ulla hora thymiama ibi deesset*.

VI. Præclarissimus ejus ritus adolendi incensum in honorem Imaginum Sanctorum, testis est quidem S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, qui in literis ad Thomam Claudiopolitanum Episcopum Honoriadis Metropolitam datis, ac lectis, atque probatis in Actione IV. Synodi VII. Oecumenicæ, II. Nicænæ, ritum ipsum commendat, & rationem reddit his plane verbis: *Nec illud scandalizat quosdam, quod ante Imagines Sanctorum concinnatio luminariorum, & suavis odoris thymiamata fiant. Symbolice namque talia celebrari ad honorem illorum excogitata sunt, quorum cum Christo requies est, quorum honor in eum recurrit, hoc probante Basilio sapiente, quia honor circa bonos conservorum approbationem habet benevolentiæ erga communem exhibitæ Dominum. Indicia sunt namque sensibilia lumina divini, & sine materia luminis*. Et mox: *Porro aromatum incensum est purissimæ, & totius Sancti Spiritus inspirationis, & repetitionis insigne.* Morem fuisse Romæ, ut sacræ *Imagines stantes super Altare*, inter Missarum solemnia post Oblatorum thurificationem a Papa incensarentur, testatur Jacobus Gaetanus in Ordine Romano XIV. Cap. LXXI. *De secunda Missa Natalis Domini*, & Cap. LXXII. *In festo S. Stephani*.

VII. Sed exponamus nunc ritum, quo ex præscripto nostri hujus §. & Romani Missalis in thurificatione Altaris incensari debent, Reliquiæ seu Imagines Sanctorum, si in Altari extiterint. *Incensata ter Cruce*, inquiunt, *& facta ei reverentia, antequam discedat*, Episcopus, seu alius Sacerdos, *a medio Altaris, primum incensat eas, quæ a dexteris sunt, idest, a parte Euangelii prope Crucem*, nulla scilicet eis facta capitis inclinatione, seu reverentia ob Crucis præsentiam, cui solum inclinare debet, ea ratione, qua abstinemus a ge-

Digitized by Google

a genuflexione, quæ fit, verbi gratia, Episcopo proprio, si coram eo sit Cardinalis, aut Papa, ut scite notat Gavantus. Ubi autem Reliquias ipsas, seu Imagines Sanctorum thurificat, quæ sunt a parte Euangelii, incipere debet ab iis, quæ sunt Cruci, seu Tabernaculo proximiores, bis tantummodo ducens thuribulum, etiamsi plures Reliquiæ, aut Imagines fuerint; factaque incensatione, & exhibita Cruci profunda reverentia, simili ritu bis incensabit alias Reliquias, seu Imagines, quæ sunt a sinistris, seu a latere Epistolæ, statimque procedet absque nova inclinatione Cruci exhibenda ad incensandum Altare, ut supra exposuimus.

VIII. Porro Sanctorum Imagines thurificandæ in incensatione Altaris, debent esse inter candelabra, & sculptæ, non autem in parietibus depositæ, ut post Gavantum observat Meratus, & quidem diversæ ab illis, quæ aliquando in tabellulis depinguntur, aut circa Tabernaculum disponuntur, ut notat Bauldryus Parte II. sui Manualis sacrarum Cæremoniarum Cap. IX. Articulo II. Num. XI. Sed ait Quartus in Rubricas Missalis Parte II. Tit. IV. Rubrica V. quem etiam sequitur Meratus, incensandas quidem esse Reliquias, sive sint in vasis, sive repositæ in statuis Sanctorum, non autem alias Imagines, in quibus nullæ essent Reliquiæ. Sed hoc videtur contra Rubricas, quæ absolute jubent, thurificandas esse Reliquias, seu Imagines Sanctorum, præsertim, cum, uti ex superius dictis liquet, jam olim consueverit Ecclesia Sanctorum Imaginibus, in eorum venerationis indicium, thus exhibere. Ex Missali Codice Ambrosiano jussu S. Caroli anno MDLX. impresso, ubi Sacerdos thurificat Oblata, incensat etiam *Crucem, & Crucifixum Missalis*. Est enim antiquus ritus, ut in Missali Crucifixi imago, aliæque depingerentur, & quidem initio Canonis, quas etiam Episcopi, aliique Celebrantes osculabantur, ut inter alios tradunt Durandus, & Jacobus Cardinalis Gaetanus, qui in Ordine Romano XIV. de Missa Papæ loquens, *Postea*, inquit, *Capellano præstante sibi Librum Missalem, osculetur Imagines, quæ debent esse depictæ in eodem Libro ante Canonem*; quia scilicet initio Canonis ea deosculatio fieri solita erat, uti ex eodem Auctore liquet. Ceterum notandum superest, quod si in medio Altaris sit exposita aliqua insignis Reliquia, immediate post Crucem duplici ductu incensari debet absque ulla inclinatione, vel reverentia ob Crucis præsentiam, cui solum inclinare debet, utpote Christum Dominum repræsentanti, qui Rex est Sanctorum. Incensata autem illa, insigni scilicet Reliquia, in medio Altaris, si quæ erit, absque ulla capitis inclinatione, antequam discedat a medio ejusdem Altaris, thurificabit mox alias Reliquias, seu Imagines Sanctorum, quæ inter candelabra extiterint, juxta ritum superius explicatum.

IX. Quamvis denique commendandus sit ritus ponendi Imagines Sanctorum hinc inde super Altare, ille tamen abusus est, quem vidi alicubi in usu esse, collocari scilicet inter candelabra Imagines, quæ animas fidelium repræsentant purgatorii flammis torqueri. Scio zelosiores Præsules eum abusum damnasse, qui tamen utinam ab omnibus Ecclesiis eliminetur, in quibus viget.

## §. VII.

Finita hoc modo incensatione, sistens in cornu Epistolæ, reddit thuribulum Diacono, seu Presbytero assistenti, & si celebret Missam, accepta Mitra, ibidem triplici ductu thurificabitur, ut infra dicetur.

## §. VIII.

Dum autem Episcopus, seu alius celebrans, prædictam Altaris thurificationem facit, advertat, ut se in ea graviter, & decore gerat, non personam, aut caput, dum thuribulum ducit, reducitque, movens; sinistram, quæ summitatem catenularum retinet, firmam stabilemque ante pectus tenebit, dexteram vero manum, ac brachium commode, ac tractim cum thuribulo movebit; ita ut, cum thuribulum ad se retrahit, illud sub brachio leviter, & competenti mora reducat, & dum procedit thurificando Altare, eundo, & redeundo, semper illum pedem prius moveat, qui proximior est Altari; totque omnino passus faciat, quot thuribuli tractus, ut manus, pedesque in motu decenter concordent.

## §. IX.

Hæc, quæ dicta sunt, observantur cum Episcopus, vel alius in Vesperis, vel in principio Missæ thurificat Altare.

## COMMENTARIUS.

I. QUamquam quæ in Paragraphis hisce continentur, jam alias explicata fuerint a nobis, præsertim supra in Commentariis ad §. IV. & V. dicam hic nihilominus primo, debere Episcopum in cornu Epistolæ sistere, ibique thuribulum Diacono, seu Presbytero assistenti

Digitized by Google

ſtenti reddere, & ſi Miſſam celebret, accepta Mitra, ibidem triplici ductu thurificari a Diacono ipſo, vel a Presbytero aſſiſtente, cui nullatenus ante, nec poſt inclinabit caput. Secundo, ſive a Celebrante, ſive a Miniſtris actus thurificationis exerceatur, advertendum eſt, ut graviter, & decore ſe gerant; & uti habetur in Cæremoniali Romano, Auctore Auguſtino Patricio, ipſa thurificatio ſemper fieri debet tractim, modeſte, quiete, & ſine ſtrepitu, ac ſine properatione. Advertere autem potiſſimum Celebrans debet, ut, quemadmodum ajunt Rubricæ tum noſtri Cæremonialis, cum etiam Miſſalis Romani, & docent ii paſſim, qui de eiſdem agunt, Patricius, Craſſus, Gavantus, Caſtaldus, Bauldryus, Meratus, aliique plurimi, non perſonam, non caput, cum ducit, ac reducit thuribulum, ullo pacto moveat; ſiniſtram, qua ſummitatem catenularum tenet, immobilem prope pectus collocet, dexteram vero decore, ac tractim cum thuribulo moveat, quod ad ſe trahens, ſub brachio leviter, ac competenti mora reducat; & dum thurificando Altare, procedit, proximiorem Altari pedem prius, movens, tot omnino paſſus, quot thuribuli tractus, perficiat.

II. Admonendum ſupereſt, quod in §. IX. edicitur, ea ſcilicet, quæ in Paragraphis ſuperioribus dicta ſunt, obſervari tunc quidem debere, *cum Epiſcopus, vel alius in Veſperis, vel in principio Miſſæ thurificat Altare*; quia ſcilicet in thurificatione Oblatorum, ut infra dicetur, alii ſervandi ſunt Ritus.

## §. X.

Cum vero poſt Offertorium, Oblata, & Altare iterum thurificantur, Diaconus Euangelii porrigens naviculam Epiſcopo, vel Celebranti, dicit, ut prius, *Benedicite Pater Reverendiſſime*, cui ille reſpondet, *Per interceſſionem Beati Michaelis &c.* & accipiens thuribulum de manu Diaconi, nulla facta tunc Cruci reverentia, ter facit ſignum Crucis cum eo ſuper Calicem, & Hoſtiam ſimul in modum Crucis, & ter circum Calicem, & Hoſtiam, ſcilicet, bis a dextera ad ſiniſtram, & ſemel a ſiniſtra ad dexteram, Diacono interim pedem Calicis tenente manu dextera, diſpenſans verba in qualibet incenſatione, hoc modo. In prima incenſatione *incenſum iſtud*; in ſecunda, *a te benedictum*; in tertia, *aſcendat ad te Domine*; in quarta, *& deſcendat ſuper nos*, in quinta, & ſexta, *miſericordia tua*.

## COMMENTARIUS.

I. OBlatorum thurificationis primum fuiſſe auctorem S. Leonem Magnum, Pontificem Maximum, in memoriam Chriſti Domini, teſtatur Radulphus Tungrenſis, *De Canonum obſervantia*, Propoſitione XXII. At nec ſemper, nec ubique viguiſſe hunc olim Ritum, ex Micrologo addiſcere licet, qui in Libro, *De obſervationibus Eccleſiaſticis*, ſic inter alia inquit: *Romanus Ordo præcipit, ut incenſum ſemper præcedat Euangelium, cum ad Altare, ſive in Ambonem portatur; non autem concedit, ut Oblatio in Altari thuriſicetur; quod & Amalarius in Prologo Libri ſui de officiis Romanos devitare fatetur, quamvis modo a pluribus, imo pene ab omnibus uſurpetur*.

II. Jam multis ab hinc ſeculis conſueviſſe Oblata incenſari, docent paſſim Codices antiqui Miſſarum, ac mſs. Ordines a Martenio allati Libro I. *De antiquis Eccleſiæ Ritibus*, Cap. IV. Articulo XII. in quibus etiam pro varietate Eccleſiarum varius ritus in ea incenſatione fieri ſolitus deſcribitur, una cum precibus, quæ dicebantur. Sed audiamus primum, quid de ea re ſtatuerit Miſſale Ambroſianum: *Ad incenſandum Sacrificium*, inquit, *primo dicat ponendo incenſum in thuribulum*: Iſtud eſt incenſum contra inſidias diaboli firmamentum. *Deinde ſignando oblatum Sacrificium cum thuribulo incenſo fumigante dicat*: In nomine Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus-ſancti ✠, Amen. *Deinde in circuitu oblationis & incenſando Crucem, & Crucifixum Miſſalis, & circa Altare, & a parte anteriori, dicat ſequentes verſus*: Dirigatur Oratio &c: Elevatio manuum &c. Pone Domine &c. *Poſtea reddendo thuribulum Miniſtro dicat*: Ecce odor Sanctorum Dei tanquam odor agri pleni, quem benedixit Deus. ℟. Deo gratias.

III. Ex Miſſali Eccleſiæ Antiſſiodorenſis præſcriptum eſt, ut benedicto incenſo, Sacerdos *accipiens thuribulum, & elevans illud in altum dicat*: Stetit Angelus juxta aram templi habens thuribulum aureum in manu ſua; aſcendit fumus aromatum in conſpectu Domini de manu Angeli; *tunc cum thuribulo faciat Crucem ſuper Calicem, & incenſet illud circumquaque, poſtea Altare a dexteris, & a ſiniſtris, & in anteriori parte, deinde tradat thuribulum Diacono*. In antiquo autem Miſſali Eccleſiæ Catalaunenſis præſcribitur, ut Sacerdos incenſet Altare, & Sacrificium, dicens: *Domine Deus noſter, qui ſuſcepiſti munera Abel, Noe, Aaron, & Samuel, & omnium Sanctorum tuorum, ſuſcipere dignare incenſum iſtud in conſpectu tuo in odorem ſuavitatis in remiſſionem peccatorum, Amen*. Vel ſic: *Incenſum iſtud a te benedictum &c.* Ex Miſſali vero Majoris-Monaſterii cautum eſt, ut Sacerdos accipiat incenſum a Diacono,

Digitized by Google

cono, & offerat super Sacrificium, dicendo: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo*; postea reddat Diacono, dicendo: *Suscipiat Dominus vota tua, & dimittat tibi omnia peccata tua. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.*

IV. Celebris æque, ac pervetustus ritus est ille, qui de incensatione Oblatorum legitur in Missa a Mathia Flacco Illyrico edita: *Postea*, inquit, *accipiens Episcopus thus a Diacono, ponat in thuribulum, dicens*: Per intercessionem Sancti Gabrielis Archangeli, stantis a dexteris Altaris incensi, & omnium Electorum suorum, incensum istud Dominus dignetur benedicere, & in odorem suavitatis accipere. *Hæc oratio dicenda est, dum incenso misso in thuribulum, ipsum thuribulum super panem, & Calicem circumducitur*: Memores sumus æterne Deus, Pater Omnipotens gloriosissimæ Passionis Filii tui, Resurrectionis etiam ejus, & Ascensionis ejus in Cælum. Petimus ergo Majestatem tuam, ut ascendant preces humilitatis nostræ una cum incenso isto in conspectum tuæ clementiæ, & descendat super hunc panem, & super hunc Calicem plenitudo Divinitatis. Descendat etiam Domine illa Sancti Spiritus incomprehensibilis, invisibilisque majestas, sicut quondam in Patrum hostias descendebat. Per eundem &c. ejusdem &c. *Circumiens autem Altare cum incenso Episcopus, aut Presbyter, dicat*: Incensum istud a te benedictum ascendat ad te Domine, & descendat super nos misericordia tua. *Sequitur*: Dirigatur Oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo Domine. *Quando odor incensi porrigitur Sacerdoti, & Fratribus, dicat unusquisque eorum*: Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris, & flammam æternæ charitatis.

V. Hactenus Missa Illyrici de thurificatione Oblatorum, quam scilicet ex antiquo ms. Codice Illyricus tametsi hæreticus, & Centuriatorum Magdaburgensium Princeps anno MDLVII. Argentinæ edidit. Ex ea autem Missa, quam ad VII. Christi seculum eruditi Scriptores referunt, non modo addiscimus ritum thurificandi Oblata, sed & varias orationes, quæ in ea incensatione ex Missalis Romani, ac nostri Cæremonialis præscripto dicuntur, jam olim in usu fuisse. Id quod etiam constat ex Ordinibus Romanis, ac præsertim ab illo, quem edidit Jacobus Gaetanus, Cap. LXXI. ubi de Papa Missam celebrante, sic inter alia inquit: *Postea vertat se ad Diaconum Cardinalem, & benedicat incensum, signando, dicens*: Ab ipso sanctificeris, in cujus honore cremaberis. *Deinde recipiat thuribulum de manibus dicti Cardinalis, & incenset super Calicem, & Hostiam in modum Crucis, dicendo*: Incensum istud a te bene ✠ dictum ascendat ad te ✠ Domine, & descendat ✠ super nos misericordia tua. Dirigatur oratio mea &c. Elevatio manuum mearum &c. Pone Domine custodiam ori meo &c. Et non declinet cor meum &c. *Et continuando, incenset Cruces, & Imagines stantes super Altare desuper; postea incenset iterum supra Hostiam, & Calicem; deinde reddat thuribulum dicto Cardinali, dicendo*: Accendat Dominus in nobis ignem sui amoris, & flammam æternæ charitatis, Amen.

VI. Ea verba Orationis, quæ incipit, *Per intercessionem &c.* tametsi in hoc Ordine Gaetani desiderentur, ex antiquo tamen ritu recitari solent in thurificatione Oblatorum, uti constat ex memorata Illyrici Missa, & ex aliis multis mss. Codicibus, quales sunt Tillianus ab Hugone Menardo vulgatus post Sacramentarium S. Gregorii Papæ, Salisburgensis apud Martene, loco citato, Sagiensis XI. Seculo exaratus, & a Petro Le Brun allegatus Tom. I. Parte III. Articulo VII. itemque Missalis Codex pervetustus, qui Romæ extat in celebri Bibliotheca Angelica Fratrum Eremitarum S. Augustini, in quibus tamen non quidem nomen Archangeli Michaelis, uti in hoc §. habetur, & in Rubrica Missalis Romani, sed Gabrielis Archangeli nomen legitur, & quidem recte. Angelus enim, qui Zachariæ apparuit, & stetit a dexteris Altaris incensi, fuit proculdubio Gabriel, uti constat ex Euangelio Lucæ Cap. I. ubi Angelus ipse ait: *Ego sum Gabriel &c.* Videtur itaque Michaelis nomen non ab Auctore ejus precationis positum, sed oscitantia librariorum recentiorum dictæ precationi insertum, ut scite notat Meratus in suis ad Gavantum Additionibus Parte II. Tit. VII. Num. LIII. ubi etiam ait, piissimum, & doctissimum Cardinalem Thomasium ejus loci emendationem exoptasse.

VII. Correxit sane eum locum Missale Ecclesiæ Meldensis, quod doctissimus Antistes Jacobus Bossuet edi curavit, ubi loco Michaelis, nomen Gabrielis apposuit. Missale novum Parisiense eam difficultatem declinans, nomen utriusque Archangeli siluit, dicens dumtaxat: *Per intercessionem sancti Archangeli stantis &c.* Conatus est memoratus Le Brun sensum ejus precationis tueri, in qua legitur Michaelis Archangeli nomen, quia scilicet in Apocalypsi Cap. VIII. ubi legitur, *Angelus stetit ante Altare habens thuribulum aureum &c.* Angelus ille fuisse creditur Michael. Sed ut scite etiam observat Meratus, præterquamquod in Apocalypsi nomen Michaelis non exprimitur, certum est, quod Auctor ejus precationis mentem intenderit ad Zachariæ factum, quod in laudato Euangelio Lucæ Cap. I. legitur. Quocirca non poterit non esse contorta quæcumque effingatur explicatio; neque etiam contra manifestam veritatem stare potest aliqua probabilis ratio, seu conjectura, qualis est illa, quam loco citato affert laudatus Le Brun de apparitione S. Michaelis in Monte Gargano, in cujus historia legitur, quod visus fuerit S. Michael in loco, ubi ædificata est Ecclesia, tenens in manu sua thuribulum; unde est, quod in officio ipsius illa Antiphona recitatur: *Stetit Angelus juxta aram Templi habens thuribulum aureum in manu sua.*

VIII. Sunt profecto hæ conjecturæ levis momenti, minimeque sufficientes ad eam difficultatem diluendam, cum nimis manifestum sit, Auctorem precationis illius, *Per intercessionem &c.* alludere voluisse ad exprimendum Angelum illum,



Digitized by Google

qui stabat a dexteris Altaris incensi, Zachariæ apparuit, eique dixit: *Exaudita est oratio tua*. Hunc autem fuisse Angelum Gabrielem, Euangelium Lucæ expresse testatur. Optimum itaque esset, ut locus ille corrigeretur, juxta votum religiosissimi Cardinalis Thomasii, præsertim cum multa extent exempla, ex quibus docemur, non semel factas Romanorum Pontificum jussu in Missa, ac divinis Officiis hujusmodi correctiones. Porro tametsi, uti dictum est, ea precatio antiqua sit, & in Missalibus multis præscripta, sciendum tamen in multis aliis desiderari, eamque etiam hodieque omitti a PP. Prædicatoribus, & Carthusianis, uti videre est in eorum Missalibus, in quibus non legitur, sicut nec etiam recepta est ab Ecclesiis Lugdunensi, Senonensi, Tullensi, ac Laudunensi, ut testatur Meratus.

IX. Quod autem spectat Ritum thurificandi Oblata in §. hoc nostro præscriptum, docente Crasso, Lib. I. Cap. XLVII. Oblata incensari debent hoc modo: *Celebrans*, inquit, *accepto thuribulo, & nulla facta tunc Cruci reverentia, thuribulum elevans super Calicem, facit quatuor puncta extra Calicem in forma Crucis super quatuor partes Calicis, non tamen Altare tangens cum pede thuribuli, & incipiens primo ultra Calicem, secundo versus se, tertio versus cornu Euangelii, quarto versus cornu Epistolæ, & sicut hanc unam Crucem fecit, similiter alias duas faciet, ut sint in totum Cruces tres modo prædicto. Quibus factis, etiam tres circulos cum thuribulo eodem modo faciat in gyrum, ducendo circa Calicem hoc modo; quia primo ponit thuribulum citra Calicem versus se, & illud ducit versus cornu Epistolæ, perficiendo circulum versus cornu Euangelii, & similiter secunda vice facit; sed in tertio facit in contrarium duorum priorum, idest, ducendo manus a se ad cornu Euangelii, & finiendo per latus Epistolæ*. Hæc Crassus, qui tamen non recte ait, faciendam esse Crucem in ea incensatione Oblatorum per quatuor puncta; fieri enim debet *super Calicem, & Hostiam simul in modum Crucis*; ut ait Rubrica, & notat Gavantus in Rubricas Missalis Parte II. Tit. VII. §. X.

X. Sed ut rem expendamus omnem ex præscripto Rubricæ hujus §. quæ eadem est, ac Rubrica Missalis Romani: *Cum vero post Offertorium*, inquit, *Oblata, & Altare iterum thurificantur, Diaconus Euangelii porrigens naviculam Episcopo, vel Celebranti, dicit, ut prius*: Benedicite Pater Reverendissime. *Cui ille respondet*: Per intercessionem Beati Michaelis &c. *& accipiens thuribulum de manu Diaconi &c.* nempe ministrante Diacono cochlear, cum ejus deosculatione, ac manus Episcopi, ac ajente, *Benedicite &c.* ubi Episcopus ea verba dicit, *Per intercessionem &c.* ter imponit incensum, & semel illud benedicit in thuribulo, itaut ad verbum illud *benedicere*, quod in ea precatione legitur, reddito cochleari, manu dextera producat signum Crucis super thuribulum fumigans, tametsi nihil de hoc ritu Rubrica nostra edicat, quia scilicet alias illum expressit, præsertim §. I. hujus Capitis, ubi nos jam multa notavimus.

XI. Benedicto incenso, & finita illa precatione, *Per intercessionem &c* quam legere est in Ordine Missæ, Episcopus, sive Celebrans, *accipiens thuribulum de manu Diaconi, nulla facta tunc Cruci reverentia*, imo nec etiam Sanctissimo Sacramento, tametsi expositum adesset, ut Auctores Liturgici notant, *ter facit signum Crucis cum eo super Calicem, & Hostiam simul in modum Crucis*; sive, ut ait Rubrica Missalis, *incensat Oblata, ter ducens thuribulum super Calicem, & Hostiam simul in modum Crucis*; recta scilicet linea, & transversa æquali altitudine, non autem veluti quatuor puncta designando, ut non bene tradit Crassus. Est autem ea trina thurificatio in modum Crucis super Calicem, & Hostiam simul, ritus Ecclesiæ antiquus, utpote cujus Codices antiqui Missarum meminere, eoque designari ait Innocentius III. Lib. II. Mysteriorum Missæ LXXV. triplicem Mariæ Magdalenæ unctionem. Id quod etiam tradit Durandus Lib. IV. sui Rationalis, Cap. XXXI. ubi alias ejusdem ritus mysticas significationes enarrat.

XII. Peracta ea cæremonia, qua scilicet Celebrans incensando Oblata ter duxit thuribulum super Calicem, & Hostiam simul in modum Crucis recta linea, & transversa, uti dictum est; *ter circum Calicem, & Hostiam, scilicet, bis a dextera ad sinistram, & semel a sinistra ad dexteram, Diacono interim pedem Calicis tenente manu dextera*, idem thuribulum ducit. Quod etiam non sine mysterio fieri, & quidem ex antiquo ritu, Durandus affirmat loco citato, dicens, fieri eam incensationem in modum Crucis, & in modum coronæ, ut ex passione Christi ad coronam Trinitatis fiat transitus. Porro Diaconus, dum Celebrans Oblata incensat, ne forte thuribulo tactus Calix cadat, Calicis pedem manu dextera tenet, ex præscripto hujus §. & Rubricæ Missalis; sinistra vero posteriorem partem Planetæ aliquantum sublevat. Advertere autem & illud Celebrans debet, ut postquam æquali altitudine ter cum thuribulo fecit Crucem super Calicem, & Hostiam simul, ita aliquantulum thuribulum ipsum demittat, cum scilicet ter circum Calicem, & Hostiam illud ducit, ut summitas operculi thuribuli non altius elevetur, quam summitas cupæ ipsius Calicis, ui ait Bauldryus Parte II. Cap. IX. Articulo II. Num. XIV.

XIII. Ille tandem ex Rubricarum præscripto in thurificatione Oblatorum servandus est ritus, ut verba in ea ex antiquo ritu proferenda, nempe, *Incensum istud a te benedictum ascendat ad te, Domine, & descendat super nos misericordia tua*, hunc in modum dispenset, nimirum, ut in prima incensatione dicat: *Incensum istud*; in secunda, *a te benedictum*; in tertia, *ascendat ad te Domine*; in quarta, *& descendat super nos*; in quinta, & sexta, *misericordia tua*. Hanc orationem antiquam esse in Ecclesia, & dici solitam fuisse in thurificatione Oblatorum, testantur Ordines prisci Missarum, tametsi nulla fiat mentio de præscripta verborum distributione. In Missa Illyrici dicebatur ea oratio ab Episcopo, vel Presbytero

Digitized by Google

sbytero cum circumibant Altare, nam in Oblatorum thurificatione alia utebantur oratione, quam superius descripsimus. Notat autem Melchior Huleamus, *De cæremoniis Missæ*, sexies incensari Oblata, quia ante sex dies Paschæ ivit Jesus in Bethaniam: bis circum Calicem, & semel converso circulo, quia rediit Hierusalem ad ramos Palmarum, & de Hierusalem rediit in Bethaniam. Sed hæc puerilis est observatio, tametsi illam non esse contemnendam dicat Gavantus.

XIV. Jam nec alii desunt, qui eum ritum mysticis aliis observationibus exponunt, suo quisque arbitrio. Sed cum nostrum præcipuum sit institutum literalem potius ritum, & ejus antiquitatem exponere, parum curamus curiosis complurium Scriptorum adinventiones. Illud profecto minime omittendum censemus, quod de eo ritu incensandi scilicet Oblata scribit Patricius Libro III. sui Romani Cæremonialis Sectione V. Cap. II. *Facit super ea*, inquit, *ter signum Crucis cum thuribulo, incipiens ab Altari, & ducens versus se, & deinde in transversum. Tunc facit super eadem circulos cum thuribulo a dextera in sinistram, & tertium e contrario a sinistra in dexteram*. Brevia sunt, sed omnino consona Rubricæ nostri hujus §. & Romani Missalis.

## §. XI.

**Deinde facta reverentia Cruci, incensat illam, & Altare, eo modo, quo paulo ante dictum est, assistente semper ibi Diacono, qui, cum Episcopus Crucem incensat, amovet Calicem ad partem Epistolæ, & incensata Cruce, reponit in loco suo. Cum vero Episcopus incipit thurificare Crucem, inchoat illa verba, *Dirigatur, Domine Oratio mea &c.* & reliqua sequentia prosequitur in incensatione Reliquiarum, & Imaginum, si ibidem sint, atque ipsius Altaris, ita ut ea taliter distribuat, ut eodem tempore finiantur verba, & thurificatio.**

## COMMENTARIUS.

I. POstquam incensata fuerint Oblata, facta, Episcopus, seu Celebrans, Cruci reverentia, incensabit illam, Reliquias, seu Imagines, & Altare, eo modo, quo superius dictum fuit §. IV. & duobus sequentibas, dicens interim ex antiquo ritu eam orationem, *Dirigatur Domine Oratio mea &c.* ut in Ordine Missæ legitur, & in Codicibus antiquis Missarum, apud Alcuinum, Cap. *De celebratione Missarum*, & alios. Ea autem verba ex hoc nostro §. ita distribuet, ut eodem tempore finiantur, quo absolvitur incensatio Altaris. Porro, ut Liturgici Auctores docent, verba ipsa ita solent distribui. Ad incensationem Crucis dicit: *Dirigatur, Domine, oratio mea*. Ad incensationem Altaris a parte Epistolæ: *Sicut incensum &c.* & a parte Euangelii: *Pone Domine &c.* Denique incipiendo incensationem totius frontis anterioris Altaris: *Ut non declines &c.* Dum Crucem incensat, cautum est ex nostro hoc §. & ex Rubrica Missalis, ut Diaconus amoveat Calicem ad partem Epistolæ, non tamen extra Corporale, ut notat Gavantus. Observat autem Meratus in suis ad ipsum Gavantum Additionibus, prædictum ritum removendi Calicem non servari profecto ab iis, qui juxta antiquum morem adhibent magnum Corporale in Missa, quo Calicem obducunt. Quamobrem apud Carthusianos, qui antiquorum rituum cultores adhibent Corporale multo longius, latiusque, quam nobis sit in usu, & ejusdem parte posteriore cooperiunt Calicem, & Hostiam, minime ritus ipse servatur, removendi Calicem, qui tamen ab omnibus aliis servandus est, qui Calicem obducunt parva palla a Corporali distincta. Sane ubi incensata est Crux, debet Diaconus, qui Calicem ad partem Epistolæ amovit, in loco suo reponere.

## §. XII.

**Cum reddit thuribulum Diacono, dicit, *Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris &c.* Peragenda autem est hujusmodi thurificatio a quocumque Celebrante, semper detecto capite.**

## COMMENTARIUS.

I. EXtat & hæc oratio in antiquis Missarum Codicibus, ac præsertim in pervetusta Missa Illyrici, ex cujus præscripto non modo a Sacerdote, sed ab aliis dici solebat, quando incensabantur. Sic enim inquit: *Quando odor incensi porrigitur Sacerdoti, & Fratribus, dicat unusquisque eorum*: Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris, & flammam æternæ charitatis. In Ordine XIV. Romano, Auctore Jacobo Gaetano, Cap. LXXI. orationem celebrans Papa dicebat, quum Cardinali Diacono, qui ei in solemni Missa assistebat, thuribulum tradebat: *Deinde reddat thuribulum dicto Cardinali, dicendo*: Accendat Dominus &c.



Digitized by Google

II. Peragendam esse Altaris thurificationem a quocunque Celebrante, detecto capite, & consequenter ab Episcopo sine Mitra, ex antiquis mss. Codicibus addiscimus, inter quos ms. Pontificalis Codex Gulielmi Durandi apud Martenium Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo XII. Ordine XIX. ubi de prima Altaris thurificatione loquitur, quæ initio Missæ fit, ita inquit: *Altari autem thurificato, quod semper Mitra deposita fieri debet &c.*

## §. XIII.

Et in Vesperis quidem semel tantum Altaris, & Celebrantis, deinde Episcopi, nisi ipsemet celebret, mox aliorum thurificatio fit, videlicet, inchoato Cantico, *Magnificat &c.* sed in Missis solemnibus ter, modo supradicto thus benedicitur, videlicet, in principio, antequam dicatur Introitus, & tunc thurificatur Altare, Celebrans, & Episcopus, quando adest in Missa per alium celebrata cum Pluviali, & Mitra, & non alii. Secundo ante Euangelium, & tunc thurificatur tantummodo Liber Euangeliorum, & Episcopus post Euangelium illico, si est paratus Pluviali, & Mitra, & nulli alii, præterquam, si adesset Cardinalis Legatus, vel alius Cardinalis, quia tunc post Euangelium non thurificatur Episcopus, sed Legatus, vel Cardinalis, nam Episcopus, præsente Legato, vel alio Cardinali, non debet assistere Missæ paratus cum Pluviali, & Mitra. Tertio post Oblata, & tunc thurificantur Oblata, Altare, Celebrans, Episcopus, mox Dignitates, & Canonici, & alii omnes eo ordine, quo infra dicetur, ita ut Episcopus Mitratus ter in Missa thurificetur. Quod similiter observandum est de Cardinali Legato, vel alio Cardinali Mitrato, qui Missæ assistit: nullus vero neque Legatus, neque Cardinalis, neque Episcopus, si non sunt Mitrati, incensantur in Missa, nisi semel, scilicet, post Oblata.

## COMMENTARIUS.

I. DOcet hic primum §. noster, faciendam esse thurificationem ad Vesperas semel tantum, Altaris, Celebrantis, quicumque ille sit, Episcopi, nisi ipse celebret, & aliorum, dum scilicet dicitur Canticum, *Magnificat*, non autem initio illarum, nisi aliter usus exigat, prout Bononiæ vel olim viguit, quem tamen reprehendit Crassus Libro II. Cap. IX. ubi postquam dixit, eum morem in prædicta servari Ecclesia, ita deinde subdit: *Sed regularius esset incensationem hujusmodi non fieri in initio Vesperarum*. Certe auctore Patricio Lib. III. Sectione V. Cap. II. *Secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ in Vesperis semel tantum fit incensatio, idest, ad* Magnificat; *& tunc incensat Papa Altare, incensatur ipse, & deinde alii omnes*.

II. In solemnibus Missis ter modo superius dicto benedici incensum, antiquus est Ecclesiæ ritus, cujus & veteres non pauci Missarum Codices, & Auctores Liturgici meminere; Durandus in ms. Pontificali, quod olim usui fuit insigni Ecclesiæ Catalaunensi, apud Martenium Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo XII. Ordine XIX. idemque Auctor in suo divinorum Officiorum Rationali Lib. IV. Patricius in Cæremoniali Papæ, & inter alios tandem Crassus Libro I. Cap. XLVI. ubi ita ait: *Incensi positio fit ter in Missa, videlicet, in principio Missæ; secundo pro Euangelio cantando apud Faldistorium; tertio post Oblata apud Altare, nisi sit Missa pro Defunctis, quia solum semel ponitur, idest, post Oblata tantum*.

III. Sed ut explicemus quid de eo ritu edicit §. noster, ter inquit & ipse fieri benedictionem thuris; nempe primo ante Introitum, & tunc incensatur Altare, Celebrans, & Episcopus, quando scilicet ipse non celebrat, sed præsens est cum Mitra, & Pluviali Missæ per alium celebratæ, & non alii. Quod si paratus ille hoc modo non fuerit, tunc nec Celebrans, nec ipse thurificantur, uti notant Bauldryus Parte V. Cap. XXIII. Num. II. Castaldus, & alii. Secundo benedicitur, & ponitur thus ante Euangelium, & tunc thurificantur dumtaxat Euangelii Liber ante ejus lectionem, & Episcopus illico post lectum Euangelium, si paratus sit scilicet modo prædicto, Pluviali nimirum, & Mitra; & nulli alii, præterquam si adesset Cardinalis Legatus, vel alius Cardinalis, *quia tunc post Euangelium non thurificatur Episcopus, sed Legatus, vel Cardinalis*; ob eam scilicet rationem, quam §. noster subdit: *Nam Episcopus, præsente Legato, vel alio Cardinali, non debet assistere Missæ paratus cum Pluviali, & Mitra*. Tertio post Oblata, & tunc thurificantur Oblata ipsa, Altare, Celebrans, Episcopus, Dignitates, Canonici, & alii omnes eo ordine, quo infra dicetur.

IV. Ergo Episcopus regulariter ter in Missa thurificatur, cum illi assistit, modo Pluviali, & Mitra indutus sit. Quod similiter ex præscripto nostri hujus §. observandum est de Cardinali Legato, vel alio Cardinali Mitrato, qui Missæ adesset; nam alias, nullus, neque Legatus, neque Cardinalis, neque Episcopus, ut dictum est, si non

Digitized by Google

non sint Mitrati, incensatur in Missa, nisi semel, scilicet post Oblata. Atque hæc sane concinunt iis, quæ de incensatione Legati scribit Crassus Lib. I. Cap. XLVIII. sic inquiens: *Legatus nunquam incensari debet in principio Missæ, nec dicto Euangelio, nec in principio Vesperarum*, ubi scilicet contra communem regulam is mos viget, *quia tunc non habet paramenta sacra Pontificalia, sicut etiam in Capella Papali non incensatur Papa non habens Pontificalia paramenta prædicta, & similiter Episcopus Cardinalis Missæ præsens, quando non habet paramenta sacra, non incensatur, nisi post Oblata, simul cum aliis.*

V. Opus itaque est, ut si Legatus, vel Cardinalis, sive Episcopus, proprius scilicet, si velint, cum Missæ assistunt, ter incensari, induti sint Pontificalibus indumentis, exemplo Capellæ Papalis, in qua nec ipse Papa ter incensatur, si paramenta ipsa Pontificalia non habeat. Atque hinc est, quod, uti notat Macrius in suo Hierolexico, verbo, *Thurificatio*, Pontifex quando in Capella Papali assistit ad Missam, semper est Mitratus, & Pluviali indutus, qui, quando debet sedendo incensari, tunc ob reverentiam Cathedræ, quæ est prima Sedes, thurificatur a Cardinali assistente genuflexo, & quando erectus incensatur, tunc idem Cardinalis functionem illam exercet erectus. Ceterum quod Episcopus Missæ assistens Mitratus ter incensetur, ritus est ex memorata Capella Papali desumtus. Etenim, ut inquit idem Patricius loco citato: *In Missa post confessionem incensat Altare Celebrans, incensatur ipse, & Papa tantum; ad Euangelium Diaconus incensat Librum in principio, in fine Papa incensatur, & eo absente Celebrans tantum; post Offertorium Celebrans incensat Oblata, & Altare, incensatur ipse, deinde Papa, & demum omnes alii ordines Capellæ.* Additque mox, ad elevationem Sacramentum tantum incensari. Sed de hoc ritu alias infra scilicet loco opportuniori.

## §. XIV.

Imponitur autem, & benedicitur thus ab Episcopo, si celebret, regulariter apud Sedem suam, vel apud Faldistorium, præterquam in principio Missæ, & ad Oblata, quia tunc imponit, & benedicit thus stans apud Altare; si non celebret, sed cum Pluviali, & Mitra, vel saltem cum Cappa assistat Missæ solemni, semper imponit, & benedicit thus apud Sedem suam.

## COMMENTARIUS.

I. CLara est §. hujus Rubrica, *imponitur*, inquit, *& benedicitur thus ab Episcopo, si celebret, regulariter apud Sedem suam, vel apud Faldistorium, præterquam in principio Missæ, & ad Oblata*; quia scilicet, *tunc imponit, & benedicit thus, stans apud Altare*; & apud Sedem regulariter sedet cum Mitra, nisi præsente Sanctissimo Sacramento exposito; & apud Altare stat sine Mitra cum pro thurificatione Oblatorum ponit, ac benedicit incensum, uti docent Auctores passim, inter quos Crassus Lib. II. Cap. III. ait: *Facta oblatione Celebrans sine Mitra ante medium Altaris, ministrante Diacono naviculam, ponit incensum &c.* Apud Sedem, vel Faldistorium ponitur quidem, & benedicitur ab Episcopo celebrante thus pro Euangelio cantando, uti superius dictum fuit ex testimonio ejusdem Crassi: quod Cæremonialis nostri Rubricæ consonum est, ut suo loco infra videbimus Lib. II. Cap. VIII. Porro ubi Episcopus non ipse celebret, sed cum Pluviali, & Mitra, aut saltem cum Cappa assistat Missæ solemni, semper imponit, & benedicit thus apud Sedem suam, ornatus scilicet Mitra.

## §. XV.

In Vesperis pro Defunctis nulla prorsus, nec Altaris, nec hominum fit thurificatio, sed in Missis Defunctorum, semel tantum post Oblata, & tunc Oblata, Altare, Celebrans, & Episcopus tantum, si ipse non celebrat, & nulli alii thurificantur, & fit benedictio thuris, prout in aliis Missis, ad Oblata videlicet dicendo: *Per intercessionem Beati Michaelis &c.* Advertat autem Thuriferarius, ut cum dat thuribulum in manibus, vel Presbyteri assistentis, vel Diaconi, qui mox illud ad manus Episcopi Altare thurificaturi, porrigunt, catenularum summitatem in dextera, thuribulum vero in sinistra dicti Ministri ponant, ut ipse deinceps Minister commode ad manus Episcopi contrario modo porrigat, videlicet, catenulas in sinistra, thuribulum in dextera.

## COMMENTARIUS.

I. IN Vesperis pro Defunctis nullam prorsus nec Altaris, nec hominum thurificationem fieri debere, Scriptores passim tradunt, qui sacras Cæremonias enarrant. Ad Missas autem Defunctorum quod attinet, ita inquit Rubrica Missalis Parte II. Tit. XIII. §. II. *In Missa solem-*

Digitized by Google

*solemni non incensatur Altare ad Introitum*. Et mox, postquam dixit, ad Euangelium non deportari incensum, non incensari Librum, nec in fine Celebrantem, ita subjicit: *Oblata, & Altare incensantur, ut supra; incensatur solus Celebrans, & non incensantur alii*. Quod intelligendum est, si Episcopus non adsit Missæ, tunc enim, ut inquit hic §. noster, *Oblata, Altare, Celebrans, & Episcopus tantum, si ipse non celebrat, & nulli alii, thurificantur*. Idem est, quod in Cæremoniali Papæ præscribitur, Auctore Patricio Lib. II. Sectione II. Cap. XXVI. ubi agens de commemoratione animarum, Papa præsente, primo ait, Altare ad Introitum non incensari; secundo, non thurificari Euangelium, quod legitur in Missa; tertio tandem de Oblatorum incensatione sic inquit: *Post Offertorium Papa imponit incensum more consueto, & incensantur Oblata, Altare, Celebrans, & Papa tantum, & non alii*.

II. Neque Altare initio Missæ, neque Euangelium ad ejus lectionem thurificari, ubi scilicet solemnis Missa pro Defunctis celebratur, tam præsente, quam absente Episcopo, tradit etiam Crassus Lib. II. Cap. XXXIX. & XL. & inter alios antiquus Auctor Gulielmus Durandus Lib. VII. *Rationalis divinorum Officiorum*, Lib. VII. Cap. XXXV. Num. XXIX. ubi etiam ab ipsa Defunctorum Missa thurificationem Oblatorum excludit, ubi ita ait: *Licet in Missa pro vivis debeant omnes thurificari, ad significandum, quod illorum orationes ad cælestia diriguntur, in Missa tamen pro Defunctis non debet thus per Chorum portari, nec offerri, idest, Altare thurificari*. Et mox: *Nullus ergo in hoc officio thurificatur*, ad notandum, quod mortui nil amodo valent orationibus suis promereri, unde Psalmo CXIII. *Non mortui laudabunt te Domine*. Cur in ipsa Missa non debeat incensari Altare, hanc rationem reddit, quia scilicet in veteri Lege prohibitum fuit oleum, & thus pro peccatis offerri, mors autem est pœna peccati. Sane Defunctorum corpora thurificari ait, & aqua benedicta aspergi, *non ut eorum peccata tollantur, quæ tunc per talia tolli nequeunt, sed ut omnis immundorum spirituum præsentia arceatur*. Addit, servari etiam hunc ritum in signum societatis, & communionis Sacramentorum, quam nobiscum, dum vixerunt, habuerunt.

III. At vero invaluit jam ritus incensandi Oblata, ut scilicet illa ad consecrationem præparentur, ut notat Gavantus in Rubricas Missalis Parte II. Tit. XIII. §. II. ubi etiam ait, una cum Oblatis incensari Altare, quod etiam observatur in Parasceve. Ut enim ait Durandus loco citato, & alii Scriptores passim, Defunctorum Officium imitatur triduanam Christi Domini sepulturam. Ceterum ex Rubricarum præscripto, ubi Oblata in ipsa Defunctorum Missa thurificanda sunt, fieri debet *benedictio thuris, prout in aliis Missis ad Oblata*, & dici etiam Oratio illa, *Per intercessionem Beati Michaelis &c.* Finita autem incensatione Altaris, solus Celebrans incensatur, & Episcopus, *licet non sit paratus*; ut notat Meratus in suis ad Gavantum Additionibus.

IV. Cautum est tandem ex hoc nostro §. ut Thuriferarius cum dat thuribulum in manibus Diaconi, aut Assistentis, qui mox illud ad manus Celebrantis Altare thurificaturi porrigere debent, catenularum summitatem in dextera, thuribulum vero, idest, catenularum extremitatem prope vas, in sinistra ipsorum ponat, ut ipsi deinceps commode ad manus Celebrantis contrario modo porrigant, videlicet, catenulas in sinistra, thuribulum in dextera. Ut id autem, quod hic præscriptum est, Thuriferarius præstare possit, naviculam alicui Acolytho dabit, thuribulum vero sola dextera manu per catenularum summitatem Diacono porriget. Sane sive thuribulum, sive naviculam Thuriferarius tradit Diacono, sive ipsa ab illo accipit, numquam illius osculabitur manus. Diaconus vero thuribulum Celebranti porrigens, contrario modo utetur, summitatem enim catenularum, quam prius deosculabitur, in sinistra Celebranti ponet, extremitatem vero prope vas in ejusdem dextera, quam pariter osculatur, uti Auctores passim docent.

## §. XVI.

**Illud observandum est, ut Episcopus, sive Archiepiscopus, sive etiam Legatus, aut alius S. R. E. Cardinalis, sive paratus sacris indumentis, sive non, nunquam sedens, sed stans thurificetur, aliquando tamen cooperto capite, aliquando eo detecto. Nam in principio Missæ, Altari thurificato, Episcopus, si est paratus, stans cum Mitra, thurificatur: post vero Euangelium, sine Mitra: post Oblata, cum Mitra; si vero non est paratus, post Oblata tantum, stans capite detecto.**

## COMMENTARIUS.

I. Ritus est omnium Scriptorum Liturgicorum sententia probatus, ut Episcopus, sive Archiepiscopus, sive etiam Legatus, aut alius S. R. E. Cardinalis, sive paratus sacris indumentis, sive non, nunquam sedens, sed stans thurificetur, aliquando tamen cooperto capite, aliquando eo detecto: *Ipse Legatus incensatus*, inquit Crassus Lib. I. Cap. XLVIII. *debet stare detecto capite*. Sed hoc intelligendum juxta distinctionem in hoc præsenti §. expressam: *Nam in principio Missæ, Altari thurificato, Episcopus, si est paratus, stans cum Mitra thurificatur*;

Digitized by Google

*tur; post vero Euangelium, sine Mitra; post Oblata, cum Mitra*. Solum itaque cum post Euangelium thurificatur, stat sine Mitra, cujus ritus testem etiam habemus Durandum in suo ms. Codice Pontificali apud Martenium. Advertendum tamen, si expositum sit Sanctissimum Sacramentum super Altari, tunc nec initio Missæ, nec post Oblata debere Episcopum cum Mitra thurificari, ob reverentiam Sacramenti.

II. Ubi autem Episcopus non paratus Missæ assistat solemni, tunc quidem ad Oblata tantum thurificabitur, detecto capite stans, deposito etiam pileolo. Quod autem finito Euangelio Missæ solemnis, cui assistit Episcopus cum Cappa, thurificandus sit Celebrans solus, non autem Episcopus, declaravit etiam Sacra Rituum Congregatio in Dalmatien. die IV. Augusti MDCLXIII. uti videre est apud Meratum in Indice Decretorum Numero CDX. & in Additionibus ad Gavantum Parte II. Tit. VI. §. V.

## §. XVII.

**In Vesperis si ipse Episcopus paratus celebrat, thurificato Altari, capit Mitram, & revertitur ad Sedem, ibique Mitram retinens thurificatur. Si vero interest Vesperis non paratus, sed in Cappa, thurificato per Celebrantem Altari, ipse apud Sedem suam stans, detecto capite thurificatur. Nullatenus autem permittat, sive paratus, sive non, sedentem se ab ullo genuflexo thurificari, neque in principio Missæ, neque post Oblata, quæ est specialis prærogativa Summi Pontificis.**

## COMMENTARIUS.

I. CErta & illa regula est, tum ex Rubricarum præscripto, tum ex communi Scriptorum sententia, Celebrantem Episcopum semper incensari cum Mitra stantem, sive sit apud Altare, nisi Sacramentum sit super ipso Altari expositum, uti superius notatum est, sive apud Sedem, tam in Vesperis, quam in Missa, nisi post Euangelium, quia tunc incensatur sine Mitra, uti etiam supra notatum fuit. Eum ritum servari in Vesperis, ut Episcopus celebrans, thurificato Altari, ad Sedem suam reversus, ibi cum Mitra thurificetur, constat etiam ex Cæremoniali Ambrosiano Lib. I. Cap. quod inscriptum est, *De ratione celebrandi Vesperas, & Missam Pontificalem*, ubi ita inquit: *Si forte dum cantatur*, Magnificat, *ipse Archiepiscopus incensandus erit, tunc stabit in sua Sede Mitratus*; quousque scilicet thurificatur, etenim ut idem Cæremoniale docet, *Cum fuerit incensatus, deposita Mitra, stat, donec fuerit completum Magnificat*; usque ad Versiculum, videlicet, *Sicut erat in principio*, inclusive, quia tunc deposito Baculo, ait Crassus Lib. II. Cap. XI. sedens accipit Mitram. Sed de his nos alias.

II. Quod si Episcopus non ipse celebret, neque paratus intersit Vesperis, sed in Cappa assistit, tunc ex §. hujus nostri præscripto, *thurificato per Celebrantem Altari, ipse apud Sedem suam stans detecto capite thurificatur*. Sed nec permittere debet, sive paratus, sive non paratus sit, sedentem se ab ullo genuflexo thurificari, quia est sola prærogativa Summi Pontificis, quam ita enarrat in suo Romano Cæremoniali Augustinus Patricius Lib. III. Sectione IV. Cap. II. *Surgens* (Cardinalis assistens) *vadit ante gradus Solii Pontificis, & genuflexus supra infimum gradum incensat Pontificem sedentem cum Mitra ter ducens thuribulum*. Extat & ea in re Decretum Sacræ Rituum Congregationis in Oscen. IV. Maji MDCXIII. apud Barbosam, *De Canonicis*, Cap. XXXIV. Num. XXIX. Ricciardellum in Lyceo Ecclesiastico, Parte I. Cap. I. §. V. Num. IV. & apud Meratum in Additionibus ad Gavantum, & in suo Indice Decretorum, ubi edicitur, Canonicos, & Dignitates non debere genuflectere, quando Episcopum celebrantem thurificant. Sed nec alios licet Canonicis dignitate inferiores debere genuflexos incensare Episcopum, sat noster hic §. docet; vetuitque hunc abusum jam olim eadem Sacra Rituum Congregatio die XXI. Decembris anni MDLXXXVII. in una Gallipolitana, Episcopo ejus Civitatis rescribens, ne sineret ab ullo genuflexo thurificari, ut idem Ricciardellus testatur loco citato, Num. III. Cur sedens Pontifex a genuflexo Cardinali incensetur, jam supra in fine Commentarii ad §. XIII. explicuimus, ob reverentiam scilicet Cathedræ, quæ est prima Sedes.

## §. XVIII.

**Si Sanctissimum Sacramentum super Altari expositum sit, semper ab Episcopo, vel alio Celebrante genuflexo thurificandum est triplici ductu: quod si ipsum solum Sacramentum sit thurificandum, ut in principio, & fine Processionis Feria quinta, & sexta majoris Hebdomadæ, & in Festo ejusdem SS. Corporis Christi, & cum ponitur Oratio Quadraginta horarum, nunquam debet ab Episcopo, neque ab alio thus benedici, sed simpliciter poni in thuribulum, & porrigitur sine osculatione manus Epi-**

Digitized by Google

Episcopi: similiter, & quando per Cæremoniarium, vel Acolythum, aut Subdiaconum in elevatione thurificatur, quo casu ab eodem Acolytho, seu a quocumque alio Clerico ponitur in thuribulum simpliciter absque benedictione.

## COMMENTARIUS.

I. SCitissime admonet Bauldryus in suo Manuali sacrarum Cæremoniarum Parte II. Cap. IX. Articulo III. variis modis thurificari Sanctissimum Sacramentum super Altari expositum. Etenim aliquando simul cum ipso Altari, aliquando vero solum, & nihil aliud. Thurificatur cum Altari simul, quoties Missa, aut Vesperæ celebrantur solemniter ad Altare, in quo expositum est. Thurificatur solum, cum in Missa solemni elevatur, cum exponitur, vel reconditur, aut in Parasceve deferri debet. Quando ergo solum Sacramentum est thurificandum, ut in principio, & fine Processionis Feria quinta, & sexta majoris hebdomadæ, & in Festo ejusdem sanctissimi Corporis Christi, & cum ponitur Oratio quadraginta horarum, *nunquam debet ab Episcopo, neque ab alio thus benedici, sed simpliciter poni in thuribulum*, ut ait hic §. noster, & docet Crassus Lib. I. Cap. XLVI. ubi postquam dixit, regulariter, quotiescumque aliquid incensandum est, debere prius benedici incensum, mox casum illum excipit, *quando scilicet Sacramentum Corporis, aut Sanguinis Christi incensatur, tam intra, quam extra Missam, ut in die Cœnæ Domini, & Parasceve, quando a loco ad locum portatur, & in die Corporis Christi, & similibus actibus*; tunc enim ait, non debere thus benedici, sed simpliciter debere in thuribulum poni; *ad majorem reverentiam Sanctissimi Sacramenti, a quo omnis benedictio*, uti notat Gavantus in Rubricas Missalis Parte II. Tit. VIII. Num. VIII.

II. Ob eandem similiter rationem, quando per Cæremoniarium, vel Acolythum, aut Subdiaconum in elevatione ad Missam thurificandum est Sacramentum, ponitur etiam in thuribulum thus simpliciter absque benedictione, ut præter præscriptum nostri hujus §. edicit quoque Romani Missalis Rubrica his verbis; *Thuriferarius genuflexus in cornu Epistolæ*, ante infimum scilicet Altaris gradum in plano, *ter incensat Hostiam cum elevatur, & similiter Calicem, posito incenso in thuribulo absque benedictione*; nempe Sanctissimum Sacramentum incensat triplici ductu thuribuli pro unaquaque elevatione, scilicet, primo incensat unico ductu, & capitis inclinatione profunda ante & post, quando Celebrans adorat Hostiam, in prima genuflexione; secundo incensat altero ductu, quando elevatur Hostia; denique incensat tertio ductu, quando Hostiam Celebrans jam elevatam super Corporale deponit, uti Gavantus, & alii explicant, quos citat, & sequitur Meratus, qui etiam notat, eundem ritum a Thuriferario esse servandum, cum ter Calicem incensat.

III. Semper ab Episcopo, vel alio Celebrante genuflexo thurificandum esse triplici thuribuli ductu SS. Sacramentum super Altari expositum, Liturgici omnes Scriptores tradunt, qui tamen in eo non conveniunt, ubi scilicet genuflectere debeat Sacerdos, cum Sacramentum ipsum thurificat. Tradit Gavantus, incensari debere *a Celebrante super altioris Altaris gradum cum Ministris genuflexo*. Quicquid sentiant alii, ac præsertim Castaldus Libro II. Sectione X. Cap. II. Num. V. ea est praxis Basilicarum Urbis, quæ aliarum Ecclesiarum norma esse debet, ut Celebrans genuflexus super Altaris suppedaneo, Ministris in plano Capellæ genuflexis, ter ducens thuribulum cum debitis profundis inclinationibus ante & post, Sanctissimum Sacramentum incenset. Advertendum autem hic illud, a Diacono ministrante Episcopo, vel Celebranti, non deberi osculari cochlear, quod Episcopo, vel Celebranti porrigitur, ad ponendum thus in thuribulo, neque ejus manum, uti expresse in hoc nostro §. edicitur, & aliis locis infra. Ratio autem est, præsentia Sanctissimi Sacramenti.

## §. XIX.

Sed si thurificandum est Altare, super quo positum sit SS. Sacramentum apertum, ut in Vesperis festivitatis ejusdem Corporis Christi, tunc benedicitur thus, sed thurificatio Sacramenti fit cum genuflexione; & quoties ante illud transit Celebrans, toties genuflectit. Cum in Missa, post thurificationem Oblatorum, Episcopi, & Canonicorum, seu Dignitatum ad ejus latus assistentium, fit generalis omnium thurificatio in Choro, omnes, præter Episcopum, & dictos ejus assistentes, stant.

## COMMENTARIUS.

I. IN Vesperis solemnibus festivitatis Corporis Christi, quando est expositum Sanctissimum Sacramentum, & facienda est thurificatio, benedicet tunc quidem Celebrans thus, quia scilicet, ut ait Gavantus in Missalis Rubricas Parte II. Tit. XIV. §. VI. Altare, & Celebrans thurificari debent; ob eamque rationem solemni etiam in Missa coram Sanctissimo Sacramento exposito

Digitized by Google

posito, in thurificatione ad Introitum Missæ, & ad Oblata, thus ipsum a Celebrante benedicetur. Ad Vesperas quod attinet, celebrans Episcopus, cum pervenerit ad Altare, genuflectit utroque genu in plana terra, factaque ibidem profunda inclinatione, Altare ascendit, quo osculato, ministrante Presbytero assistente, imponit, & benedicit thus de more; & recedente Thuriferario ad locum suum cum debita genuflexione, Celebrans cum Ministris sacris sine ulla genuflexione descendit ad secundum Altaris gradum, cavens, ne terga vertat Sanctissimo, ut ait Bauldryus, ubi genuflexus super suppedaneum, sive *pradellam*, ut varii Auctores tradunt, & nos jam superius adnotavimus, medius inter ipsos Ministros ibidem pariter genuflexos, thuribulum ab Assistente Presbytero, sed tamen sine consuetis osculis accipit, statimque præmissa cum eisdem Ministris profunda inclinatione incensat Sanctissimum Sacramentum triplici ductu, motu gravi, & interposita brevi morula inter unumquemque ductum, duobus interim Assistentibus fimbrias Pluvialis ipsius Celebrantis hinc inde elevantibus.

II. Thurificato Sanctissimo Sacramento, surgit mox Celebrans, quem etiam Ministri sequuntur, ascenditque ad Altare, quod, facta prius genuflexione unico genu, incensat de more jam alias explicato. Crux non incensatur, quia scilicet, incensato Originali, quod est Sanctissimum Sacramentum, non est cur incensetur ejusdem imago & figura, qualis est Crux, ut post alios advertit Meratus in Additionibus ad Gavantum Parte II. Tit. XIV. Num. VII. in fine. Advertere autem debent Celebrans ipse, ejusque Assistentes, ut dum accedunt ad medium Altaris, vel ab eo recedunt, sive per ipsum transeunt, semper unicum genu flectant, solusque Celebrans genuflectendo extremitates manuum ponat super Altare, ut facilius surgat, ut inter alios Scriptores notat Bissus. Exstat Sacræ Rituum Congregationis Decretum die XIX. Augusti anni MDCLI. editum, quod quidem edicit, ut quando Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publice discoopertum exponitur, omnes ante illud transeuntes, cujuscumque conditionis, & ordinis sint, sive ad illud accedentes, sive ab eodem recedentes, semper utroque genu flectere debeant. Sed notandum hic velim, non loqui Decretum de Celebrante, ac ejus Ministris, qui unicum genu flectunt, uti superius dictum est, sed de aliis, qui in Altari minime occupati sunt.

III. Ait hic tandem §. noster, ut cum in Missa post thurificationem Oblatorum, Episcopi, & Canonicorum, seu Dignitatum ad ejus latus assistentium fit generalis omnium thurificatio in Choro, omnes præter Episcopum, & dictos ejus Assistentes stent. Cujus ratio illa est, quam explicuimus supra Cap. XVIII. in Commentario ad §. VII. quia scilicet diversi sunt Chori, & consequenter, cum omnes alii Canonici, ac etiam Beneficiati, & Clerici, ab utroque latere Chori assurgunt, ob intonationem scilicet Antiphonæ, vel ob aliquid aliud simile, Assistentes, qui una cum Episcopo suum peculiarem Chorum constituunt, minime assurgent. Sed hæc suis locis jam nos fuse explicuimus.

## §. XX.

**Ipsi autem, quibus thus datur, observare solent, ut alter alterum immediate subsequentem capitis nutu modeste invitet ad thurificationem prius capiendam, sive Ecclesiastici, sive sæculares sint, & si is, qui thurificat, sit æqualis dignitatis cum eo, qui thurificandus est, aut etiam majoris, invicem capite inclinato, sibi reverentias faciunt ante, & post thurificationem: si vero, qui thurificat, minor est, ipse quidem versus majores caput profunde inclinat ante, & post, illi autem parum, vel nihil versus thurificantem correspondent, pro qualitate ipsius thurificantis, qui & ipse thurificando alios post Canonicos, parum, vel nihil versus eos caput inclinat, pro eorum qualitate.**

## COMMENTARIUS.

I. QUæ in hoc præscribuntur §. de ritu in thurificatione tum Ecclesiasticorum, tum laicorum servando, jam olim ex veteri more descripsit Crassus in suo Cæremoniali Lib. I. Cap. XLIX. dicens: *Observare autem solent, qui incensandi sunt, ut semper cum modestia vultus invitent sequentem ad prius incensum capiendum, sive ipsi Ecclesiastici, sive seculares sint*. Est plane ritus a Capella Papali desumtus, quem ita enarrat Patricius Libro III. Sectione V. Cap. II. *Cardinales autem, antequam accipiant incensum, quisque semper invitat alium subsequentem, caput versus illum inclinando*. Et mox: *Cardinalis assistens invitat Diaconum a dexteris, & ille deinde suo tempore Diaconum a sinistris, qui nullum invitat*. Et iterum: *Primus inter Episcopos Cardinales invitat subsequentem, & sic usque in finem sedium Episcoporum, & Presbyterorum*.

II. Circa reverentiæ modum, qui thurificantem inter & thurificandum servari debet; tenenda est regula, quam noster hic §. docet, ut nimirum, quando is, qui thurificat, sit æqualis dignitatis cum eo, qui thurificandus est, aut etiam majoris, tunc invicem capite inclinato sibi reverentiam faciant, ante, & post thurificationem;



Digitized by Google

cum vero qui thurificat minor est, ipse quidem versus majores incensandos caput profunde ante, & post incensationem, inclinet, illi autem parum, aut nihil versus thurificantem correspondeant, pro qualitate scilicet ipsius thurificantis, qui & ipse thurificando alios post Canonicos, si illis scilicet dignior sit, parum, vel nihil versus eos caput inclinat pro eorum qualitate.

## §. XXI.

**Sed Episcopus, vel Legatus, cum thurificatur, nullatenus versus thurificantem caput, nec modicum quidem, inclinet, sed manu dextera super eum signum Crucis faciat.**

## COMMENTARIUS.

I. QUamvis cum Canonicus Canonicum incensat, vel Prælatus Prælatum, aut Cardinalis Cardinalem cum capitis inclinatione, tunc sibi utrimque mutuæ inclinationes quasi gratiæ reciprocæ fieri debent, quod expresse servatur in Capella Papali, ut testatur Crassus Lib. I. Cap. XLXII. tamen cum Episcopus, vel Legatus thurificantur, nullatenus versus thurificantem caput, nec modicum quidem inclinare debent, sed sat est, quod manu dextera super eum signum Crucis faciant, ut in nostro §. edicitur, & idem Crassus loco citato docet. Quod tamen ita intelligendum est de Episcopo, si Legatus non adsit, tunc enim ea benedictione abstineret, quia scilicet Legatus præsente Episcopo, non vero Episcopus præsente Legato cum incensatur, signum Crucis super thurificantem faciet; ut notat Bauldryus Parte V. Cap. XXIII. Num. IX. Ergo Episcopus, vel Legatus ob suam ipsorum dignitatem cum incensantur recto immobilique stant capite, nec caput ullo modo thurificanti inclinant, quia, uti docet memoratus Crassus, *hujusmodi humiliatio in incensationibus non fit respectu incensationis, sed conditionis illius, qui incensat.*

## §. XXII.

**Personæ autem, quibus hoc officium thurificandi alios competit, solent esse diversæ pro diversitate Celebrantium, & Solemnitatum, ac Personarum, quæ thurificandæ sunt. Nam Episcopus solemniter celebrans Vesperas, thurificato per ipsum Altari, thurificatur stans apud Sedem a primo Presbytero assistente parato, qui postmodum dat thuribulum in manibus Subdiaconi, qui in crastinum cantaturus est Epistolam in Missa, vel alicujus Acolythi, vel alias, ut dicitur in Cap. I. Lib. II. qui thurificat reliquos omnes de Choro.**

## §. XXIII.

**In Missa vero, cum Episcopus est apud Altare, thurificatur semper a Diacono Euangelii parato: cum vero est apud Sedem, videlicet, finito Euangelio, thurificatur a prædicto Presbytero assistente, Pluviali parato, qui accipit thuribulum de manu Acolythi, qui illud tenebat.**

## COMMENTARIUS.

I. CErta est regula illa, quam hic §. noster tradit, quod scilicet Personæ, quibus hoc officium thurificandi alios competit, solent esse diversæ pro diversitate Celebrantium, Solemnitatum, ac Personarum thurificandarum. Hinc Episcopus solemniter celebrans Vesperas, thurificato per ipsum Altare, thurificatur deinde & ipse stans apud Sedem a primo Presbytero assistente parato, cujus scilicet officium est inter alia Episcopo inservire in thurificatione Altaris, eumque post thurificatum Altare, ad Sedem suam stantem cum Mitra triplici ductu incensare, cui ille benedicet, uti jam superius dictum est non uno in loco, ac præsertim in Commentario ad §. II. Cap. VII. ubi etiam retulimus Sacræ Rituum Congregationis Decretum in Placentina die XIX. Maji anni MDCVII. ubi edicitur, assistentem Presbyterum debere Episcopum thurificare ad Sedem, quicumque is sit, sive Dignitas, sive Canonicus, non autem Diaconum Euangelii; quia scilicet munus ipsius Diaconi est non apud Sedem stantem, sed apud Altare Episcopum incensare.

II. Hinc itaque non modo in Vesperis, sed in Missa, finito Euangelio, Presbyter assistens thurificabit Episcopum, quia scilicet tunc apud Sedem ex ritu a Rubricis præscripto incensari debet. Diaconus vero post thurificationem Altaris initio Missæ, & deinde post alteram, quæ ex pervetusto Ecclesiæ instituto ad Oblata fieri solet, eundem Episcopum thurificabit, quia scilicet tunc ad

Digitized by Google

ad Altare thus accipere debet Episcopus. Ceterum ubi Presbyter assistens in Vesperis thurificavit Episcopum, dat statim postea thuribulum Subdiacono, qui sequenti die Epistolam est cantaturus in Missa, vel Thuriferario, qui post ipsum assistentem Presbyterum thurificatum duplici ductu thuribuli, reliquos deinde omnes de Choro thurificabit, ut dicetur infra Lib. II. Cap. I.

## §. XXIV.

**Sed si celebret apud Faldistorium, puta præsente Legato, vel Metropolitano, thurificatur ab eodem Diacono, qui & alios de Choro thurificat: deinde dat thuribulum in manu alicujus Acolythi, qui primo ipsum Diaconum, a quo recipit thuribulum, mox alios, si qui in Choro supersunt, & reliquum populum thurificat. Diaconus vero tunc revertitur ad officium suum.**

## §. XXV.

**Quod si adesset Legatus, Rex, aut Princeps magnus, nihilominus eædem personæ ipsos thurificarent, quas diximus Episcopum celebrantem thurificare, & non aliæ, præsertim, quæ in dignitate Episcopali sunt constitutæ, quas nullo modo convenit alios, quantumlibet maximos Principes, thurificare.**

## COMMENTARIUS.

I. Quum in Faldistorio Episcopus celebrat, quia scilicet præsens esset Legatus, sive Metropolitanus, ex Rubricæ præscripto §. XXIV. thurificatur ab eodem Diacono, qui scilicet post thurificatum ipsum Legatum, sive Metropolitanum, & alios de Choro thurificabit, nempe post thurificationem, quæ fit ad Oblata; neque enim in incensatione, quæ fit initio Missæ, alii thurificantur, nisi solus Celebrans. Diaconum autem Euangelii debere Chorum thurificare, nec posse ab eo munere excusari sub prætextu contrariæ consuetudinis, decidit jam Sacra Rituum Congregatio die XV. Martii anni MDCVIII. uti videre est apud Meratum in Addionibus ad Gavantum, & in suo Indice Decretorum Num. LXXXVI.

II. Sane intelligi debet Decretum de thurificatione Canonicorum, Dignitatum, Prælatorum, ac Magistratus, nam alias Beneficiati, seu Mansionarii, aliique Capellani in Choro existentes, non quidem a Diacono Euangelii inserviente Episcopo in Missa, qui unus e Canonicis esse debet, sed ab alio Capellano, sive a Magistro Cæremoniarum, vel ab aliquo Acolytho, pro consuetudine Ecclesiarum, thurificari debent, juxta Decretum ejusdem Sacræ Rituum Congregationis in Lucen. die X. Junii anni MDC. apud Barbosam in Tractatu, *De Canonicis*, Cap. XXXIV. Num. XXIV. Quod quidem Decretum consentaneum est memorato nostro §. XXIV. ubi edicitur, quod peracta thurificatione a Diacono, *dat is deinde thuribulum in manu alicujus Acolythi, qui primo ipsum Diaconum, a quo recipit thuribulum, mox alios, siqui in Choro supersunt, & reliquum populum thurificat.*

III. Clarius rem ipsam exponit Crassus Libro I. Cap. XLIX. ubi postquam dixit, Diaconum incensare Canonicos omnes stantes in Choro, ita statim subjicit: *Quibus omnibus duplici ductu, & cum capitis aliqua demissione incensatis, ipse Diaconus vadit ad Altare, ubi stans in loco suo, incensatur similiter duplici ductu ab uno Capellano ad hoc specialiter deputato, qui omnes alios de Choro sine aliqua inclinatione, & unico ductu incensat.* Porro in generali Chori incensatione omnes, qui incensantur, stare nudo capite debent, præsertim quum incensantur Canonici; non tamen Canonici, dum Beneficiati incensantur, neque, dum Magistratus: quia scilicet, ut alias rationes omittam, diversum ii Chorum constituunt, uti superius suo loco notatum fuit. Præterea advertere debet, qui prior est incensandus, ut capitis inclinatione alterum immediate subsequentem invitet ad incensationem capiendam. Teste Bauldryo Parte II. Cap. IX. Articulo V. Num. III. in quibusdam Ecclesiis incensantur omnes Clerici, etiam Canonici Cathedralium Ecclesiarum successive a Thuriferario, vel alio sine mora, non habita ratione dignitatis, procedendo ab ima parte Chori ad superiorem, vel contra, pro situ Chori. Addit, hunc morem non sine ratione forte observari, quod hoc scilicet modo occurratur multis casibus, qui sæpe solent generare lites, & discordias inter multos. Sed cum alius sit usus omnium fere Ecclesiarum, sciendum & illud est, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis die XV. Septembris anni MDCXLVIII. Dignitates, & Canonicos a digniori latere Chori sedentes prius esse thurificandos, deinde vero Dignitates, & Canonicos, qui sedent a latere Chori minus digno.

IV. Nullum esse incensandum, nisi stet capite detecto, & si aliquis sedeat, aut genuflectat, modeste eum esse admonendum, ut surgat ad incensationem capiendam, & si noluerit, nullatenus debere incensari, recte admonet Bauldryus ipse citato loco Num. II. ubi etiem notat, singulos incen-



Digitized by Google

incensari debere a thurificante versus thurificandum facie ad faciem cum inclinatione ante & post, pro dignitate personæ, nisi forte fiat incensatio sine mora, ut aliquando accidit in Missa ante finem Præfationis, vel ante principium orationis ad Vesperas, tunc enim sat fuerit, si tantum primo cujusque ordinis se inclinet, uti complures Auctores docent, estque hæc praxis multarum insignium Ecclesiarum.

V. Thurificandum insuper populum esse, & noster §. & Rubrica Missalis Parte II. Tit. VII. §. X. jubent: *Thuriferarius postea incensat Acolythos, & populum*; qui etiam stare & ipse debet ad capiendum thus, de eoque ritu admoneri, præsertim in multis Italiæ nostræ Diœcesibus, in quibus non parva pars populi tum ejus ritus, tum aliorum complurium rudis penitus est, socordia scilicet Pastorum Ecclesiarum, qui sua solum quærentes, non quæ Jesu Christi, & quæ ad Gregis sui utilitatem conducunt, satis fecisse se putant, si prima sola Fidei rudimenta Gregem ipsum utcumque docent. Neque enim notitia ejus ritus omnino est contemnenda; nam, ut scitissime docet S. Thomas, Tertia Parte, quæstione LXXXIII. Articulo V. fit ea quidem populi thurificatio ad significandum, quod Christus aliis communicat odorem suum; ideoque reverenter, modeste, ac nudo capite stare tunc populus debet.

VI. Incensandi populum ritus is plane est. Thuriferarius post incensatos Acolythos, facta genuflexione Cruci Altaris, & debita reverentia Choro ab utraque ejus parte, si scilicet Chorus sit ante Altare, sistit se loco convenienti, idest, in medio aditus Presbyterii, vel certe a latere Euangelii, si in Altari sit expositum Sanctissimum Sacramentum, ne ei terga vertat, & facta capitis inclinatione versus populum, triplici thuribuli ductu, uti notat Gavantus in citatam Rubricam Missalis, populum incensat, primo in medio deinde versus latus Epistolæ, quod est dextrum populi, ubi mares divisi a feminis stabant olim, hodieque in Cathedralibus Mediolanensi, & aliis stare solent, ex Decreto S. Caroli; tertio versus latus aliud, cum inclinatione capitis, ut prius. Ter autem ex communi usu thurificatur populus, ut significetur, ait Gavantus diffusio gratiæ Christi in populum in nomine Trinitatis.

VII. Sed ut ad explicationem Rubricæ §.XXV. deveniamus, ubi, celebrante apud Faldistorium Episcopo, *adesset Legatus, Rex, vel Princeps magnus*, præscribit quidem ipsa Rubrica, quod *nihilominus eædem personæ ipsos thurificarent, quas diximus Episcopum celebrantem thurificare, & non aliæ, præsertim quæ in dignitate Episcopali sunt constitutæ, quas nullo modo convenit alios quantumlibet maximos Principes thurificare*; & ratio est, tum quia magna est Episcoporum dignitas, ac potestas in propria sua præsertim Ecclesia, tum etiam maxime, quia Celebrans ob sanctissimum munus, quod agit ex stato Ecclesiæ ritu non debet quemcumque thurificare, neque etiam Summum Pontificem, nisi Altare, Sanctissimum Sacramentum, Crucem, & Sanctorum Reliquias, vel Imagines. Ceterum a Presbytero celebrante non esse thurificationem Domino loci, nec alii cuivis alii præstandam, declaravit Sacra Rituum Congregatio in Calaguritana die V. Julii anni MDCXIV. apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum, Collectan. DCCV. Numero XVIII.

VIII. Quis autem thurificare debeat Legatum, Regem, aut Principem magnum, si Episcopali solemni Missæ adessent, diserte edicit §. nostri Rubrica, easdem scilicet personas debere ipsos thurificare, *quas diximus Episcopum celebrantem thurificare*, & non alias. Thurificabunt itaque ipsos Diaconus Euangelii in Missa, post incensatum scilicet Episcopum in thurificatione Oblatorum, & in Vesperis Presbyter assistens, postquam Episcopum ipsum thurificavit; eæ enim personæ sunt, quæ in Missa, & Vesperis ex præscripto Cæremonialium ritu Episcopum incensant. Corrigendus itaque est Crassus, qui Lib. I. Cap. XLVIII. ait, Legatum post Oblatorum, & Celebrantis incensationem incensari *cum triplici ductu thuribuli non per ipsum Diaconum simplicem Canonicum, si Diaconus simplex Canonicus sit, sed per primum Prælatum ibi præsentem sive suum, sive alienum, ut Patriarcham* (parum abfuit quin nominaret etiam Papam) *Archiepiscopum, Episcopum, Protonotarium, aut Abbatem, vel alium actu, & habitu Prælatum &c.*

IX. Crassi Ævo idest vel initio seculi XVI. abusus ille invaluerat, ut non soli Cardinali Legato, sed & aliis quoque Cardinalibus genuflexi Episcopi loquerentur, & in mensa dum manus lavarent, similiter ad eas abstergendas mantile porrigerent, ut testatur Patricius Lib. III. sui Cæremonialis Romani Sectione I. Cap. XIII. cujus locum jam alibi recitavimus, sicut & Leonis Papæ X. Constitutionem in generali V. Lateranensi Concilio laudatam, qua abusui illi, ac dedecori dignitatis Episcopalis occurrere studuit. Non itaque mirum si huic videndo abusui assuetus Crassus, thurificandum scribat esse Legatum non a Diacono, sed a primo Prælato in Missa præsenti, Episcopo, Archiepiscopo, & etiam Patriarcha. Plura de Episcoporum dedecore in aulis Cardinalium videri possunt apud Alvarum Pelagium in celebri Opere, *De Planctu Ecclesiæ*.

## §. XXVI.

**Si autem Episcopus non celebrat, sed interest Vesperis, vel Missæ per alium celebratæ, ipse Episcopus semper a primo Presbytero assistente thurificandus est; Canonici vero, & alii de Choro in Vesperis ab aliquo Acolytho, in Missa a Diacono, qui cantat Euangelium thurificantur, qui & ceteros omnes thurificat. Antequam**

Digitized by Google

quam inchoetur Euangelium, videlicet, lecto per Diaconum titulo Euangelii, ipse ter thurificat Librum Euangeliorum, primo in medio, tum a parte dextera Libri, mox a sinistra.

## COMMENTARIUS.

I. E Piscopum non celebrantem, sed Vesperis, aut Missæ solemni per alterum cantatæ præsentem debere a Presbytero assistente thurificari, dictum fuit etiam supra Cap. VII. in Commentario ad §. VII. Quod autem Canonicos spectat, & alios de Choro, ex præscripto nostri hujus §. thurificandi sunt ipsi ab aliquo Acolytho; in Missa a Diacono Euangelii, *qui & ceteros omnes thurificat*, Canonicos scilicet, & Dignitates; nam Beneficiatos, & alios inferiores Thuriferarius incensabit ex variis Sacræ Rituum Congregationis Decretis, & ex praxi insignium Ecclesiarum præsertim Urbis.

II. Thuris usus ad solemnem sancti Euangelii lectionem antiquus est in Ecclesia, cujus mentionem faciunt, & prisci Scriptores, & Ordines antiqui Romani. Lecto per Diaconum titulo, idest, *Initium*, vel *Sequentia sancti Euangelii &c.* antequam ei respondeat Chorus, *Gloria tibi Domine*, accipit mox ipse thuribulum a Thuriferario, vel ab aliquo Cæremoniario juxta consuetudinem Ecclesiarum, & *ter thurificat Librum Euangeliorum, primo in medio, tum a parte dextera Libri, mox a sinistra*: facta scilicet ante, & post incensationem debita capitis inclinatione ipsi Libro, propter reverentiam sacri textus in eo contenti, uti notant Scriptores laudati a Merato in Additionibus ad Gavantum Parte II. Tit. VI. §. V. Thurificandum esse a Diacono Euangelium triplici ductu thuribuli *in medio, a dexteris, & a sinistris*, iisdem pene verbis jubet Rubrica Missalis, & docet etiam in suo Cæremoniali Patricius Lib. III. Sectione II. Cap. XV. quod est, *De officio Cardinalis Diaconi Euangelium lecturi*. Docet idipsum & Crassus Lib. I. Cap. V. ubi etiam notat, ita cito, & modeste debere Diaconum eam incensationem facere, *ut continuet Euangelium immediate post responsionem Chori*; qui iccirco cum aliqua mora, verba illa, *Gloria tibi Domine*, canere debet. Id quod & alii Scriptores monent.

## §. XXVII.

Ordo autem thurificandi, sive in Vesperis, sive in Missa, erit talis. Primo in Vesperis, thurificato Altari, thurificatur Episcopus celebrans, vel alius quicumque celebrans, cum dicitur, *Magnificat anima mea &c.* Idem observatur in Missa, tam in principio, quam post Oblata; tum Legatus Cardinalis, si aderit, vel etiam Cardinalis non Legatus, mox Archiepiscopus illius Provinciæ, si aderit, & post eum Episcopus non celebrans, sed præsens in Sacrificio, post quem immediate Presbyter assistens, & duo Diaconi assistentes, nisi adsint majores Episcopo, & casu, quo non fiat Episcopo assistentia.

## §. XXVIII.

Si forte aderunt Nuntius Apostolicus cum facultate Legati de Latere, intra fines suæ Legationis, aut Visitator Apostolicus Episcopus, thurificantur ante Archiepiscopum, & Episcopum; sed si Nuntius Apostolicus non habeat talem facultatem, vel Visitator non sit Episcopus, post Episcopum, & Archiepiscopum; & hoc intelligatur, quando Nuntius, & Visitator sunt in loco eorum jurisdictionis. Si aderunt Episcopus, vel Archiepiscopus hospites, thurificandi sunt post proprium Episcopum.

## §. XXIX.

Si forte aliquis S. R. E Cardinalis esset Episcopus Suffraganeus, præsente suo Metropolitano non Cardinali, thurificandus est prius ipse Cardinalis ob reverentiam dignitatis Cardinalitiæ; post prædictos thurificantur, si aderunt, Protonotarii de numero participantium; deinde Nuntii Apostolici Prælati, non existentes in loco eorum jurisdictionis, sed transeuntes; tum Dignitates, & Canonici secundum eorum ordinem; videlicet, primo Dignitates, deinde Canonici Presbyteri, tum Diaconi, mox Subdiaconi, si Præbendæ sint distinctæ; tum, si aderunt, Abbates benedicti; & post eos, si erunt aliqui Protonotarii supernumerarii, nisi essent consangui-

nei

Digitized by Google

nei alicujus maximi Principis, qui pro judicio, & prudentia Episcopi, thurificari poterunt loco convenienti, ante Dignitates, & Canonicos. Vicarius vero Episcopi pro consuetudine Ecclesiarum; & hæc quoad personas Ecclesiasticas.

## COMMENTARIUS.

I. DEscribitur in tribus hisce Paragraphis quinam ordo inter personas Ecclesiasticas debeat in generali incensatione servari, sive in Vesperis, dum dicitur Canticum, *Magnificat*, sive in Missa post Oblatorum thurificationem; in incensatione enim, quæ initio Missæ fit, solus Celebrans ex recepto Ecclesiæ ritu thurificatur. Primo itaque tam in Vesperis, quam in Missa, *thurificato Altari*, *thurificatur Episcopus celebrans*, *vel alius quicumque celebrans*. Tanta enim est Celebrantis dignitas, quicumque ille sit, sive Episcopus, sive simplex Sacerdos, ut quemadmodum notat Gavantus in Rubricas Missalis Parte II. Tit. III. §. IX. etiam coram Papa dicatur illi a Ministro in confessione, quæ initio Missæ fit, *Tibi Pater*, & *Te Pater*. Quamobrem merito Bauldryus Parte II. sui Manualis, Cap. IX. Articulo V. Prælatis multis, & præcipue Abbatibus Commendatariis succenset, *qui volunt incensari ante Celebrantem inferioris ordinis*, *agentes contra Cæremoniale*, *& quod magis est*, *volunt etiam thurificari ab ipso Celebrante abusive*.

II. Longe major fuit abusus quorumdam locorum Baronum, qui & ipsi summa nonnisi temeritate audebant thuris sibi suffitum fieri a Sacerdote celebrante; sed hanc audaciam repressit jam Sacra Rituum Congregatio in Calaguritana die V. Julii anni MDCXIV. ubi decidit thurificationem a Presbytero celebrante non esse præstandam Domino loci, nec alii, uti videre est apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. DCCV. Num. XVIII. Nullum itaque incensare Celebrans debet, sed ipse omnium primus tam in Vesperis, quam in Missa thurificari debet, tametsi præsentes sint, Episcopus loci, Archiepiscopus, Cardinalis, Legatus, imo & ipse Pontifex Maximus; constat enim ex Cæremoniali Capellæ Papalis, Auctore Patricio Lib. II. Sectione I. Cap. II. quod est de ordine servando, quando cantatur Missa ordinaria coram Papa per Prælatum, thurificato Altari initio Missæ, celebrantem Prælatum, longe Summo Pontifice dignitate, ac potestate inferiorem, incensari tamen primo a Diacono in cornu Epistolæ, tum vero Papam.

III. Ergo post Celebrantem thurificabitur Legatus, si aderit, vel etiam Cardinalis non Legatus, imo etiam Cardinalis Suffraganeus, præsente suo Metropolitano non Cardinali, prius thurificabitur, *ob reverentiam dignitatis Cardinalitiæ*, uti edicitur in §. XXIX. Ita enim supra cæteros eminent S. R. E. Cardinales, ut nullus majori honoris, & dignitatis luce præfulgeat, teste Hostiensi, quem sequitur Joannes Andreas, aliique in Cap. *Dilectus* XIX. *De præbendis*; quia scilicet Cardinalium ordo una cum Papa judicat omnes, & ipsi a nemine judicantur, ut ex pluribus citatis Canonibus docet in suo Templo Lancellottus Lib. II. Cap. II. §. III. ubi varia Cardinalium privilegia, ac prærogativas recenset. In concursu tamen plurium Cardinalium jam semper præferendus est Cardinalis Legatus, præsertim ille qui a latere dicitur, cujus quidem summa est potestas, ut fuse peculiari tractatu Gambarus tradit; alii vero incensabuntur juxta gradum suum, primo scilicet Episcopi, tum Presbyteri, deinde Cardinales Diaconi, juxta ritum Capellæ Papalis, in qua, teste Patricio Lib. III. Sectione IV. Capite II. thurificantur primum Episcopi Cardinales, tum Presbyteri, & demum Diaconi.

IV. Post Cardinales, thurificari debet Archiepiscopus illius Provinciæ, si aderit, & post eum Episcopus loci non celebrans, sed præsens in Sacrificio, uti docet §. XXVII. Post illos vero *immediate Presbyter assistens*, *& duo Diaconi assistentes*, *nisi adsint majores Episcopo*, *& in casu, quo non fiat Episcopo assistentia*, ut in eodem §. habetur. Assistentes Episcopo etiamsi minus digni sint, ratione tamen assistentiæ debere ante Dignitates thurificari, & pacem accipere, decidit compluries Sacra Rituum Congregatio, præsertim vero in Cremen. XXVIII. Septembris MDCII. in Nolana XXIII. Maji MDCIII. & in Bracharen. XIX. Junii MDCIX. Præcedere etiam ipsos Vicarium generalem, & esse ante illum thurificandos eadem Sacra Rituum Congregatio iterum jam, atque iterum declaravit, ac præsertim in Egitanien. III. Augusti MDCII. & in Tiburtina VI. Martii MDC. Ceterum Presbyter assistens, licet non sit prima Dignitas, thurificandus est tamen ante alios, imo & ante Archidiaconum a dexteris Episcopo assistentem, quamvis ipse Archidiaconus prima Dignitas sit, ex memoratæ Sacræ Congregationis Decreto in Vercellen. XXIII. Junii anni MDCVII. Exstant hæc Decreta apud Barbosam in Tractatu, *De Canonicis*, & in Summa Apostolicarum Decisionum, itemque apud Meratum in Additionibus ad Gavantum, Parte II. Tit. VII. & in suo Indice Decretorum.

V. Si autem forte aderunt Nuntius Apostolicus cum facultate Legati de Latere intra fines suæ Legationis, aut Visitator Apostolicus Episcopus, thurificantur ipsi ex præscripto nostri §. XXVIII. ante Archiepiscopum, & Episcopum. Quod si Nuntius Apostolicus non habet talem facultatem, vel Visitator non sit Episcopus, vel non sit in loco eorum jurisdictionis, tunc post proprium Episcopum, & Archiepiscopum thurificandi sunt. Ceterum si aderunt Episcopus, & Archiepiscopus hospites, thurificandi quoque sunt ipsi post proprium Episcopum, quia scilicet Ordinarius Episcopus, uti alibi dictum est, excepto proprio Metropolitano, nulli alii tametsi Archiepiscopo, vel

Digitized by Google

vel Patriarchæ, in propria sua Diœcesi cedit. Ubi plures adessent Episcopi, sicut in sede, ita & in incensatione præferendi sunt prius ordinati, nullo habito respectu ad ætatem, & qualitatem personarum, sive Ecclesiarum dignitatem, uti ex variis sacris Canonibus decisum jam fuit, quos nos alias recensuimus.

VI. Thurificatis Episcopis, incensantur deinde ex Rubrica §. XXIX. Protonotarii de numero participantium. Teste Cardinali Petra in Constitutionem v. Pii II. ea olim fuit hujusmodi Protonotariorum dignitas, ut Episcopos etiam, & Archiepiscopos præcederent, duravitque ea præeminentia usque ad annum MCDLIX. quo laudatus Pontifex Pius animo volvens altitudinem Episcopalis dignitatis Literis suis Mantuæ datis die I. Junii memorati anni statuit, ut Episcopi etiam electi super Protonotarios præcedentiam haberent. Atque hinc est, quod ex §. XXIX. Protonotarii post Episcopos incensantur. Præcedunt autem non modo Nuntios Apostolicos Prælatos, qui scilicet in loco eorum jurisdictionis non existunt, sed transeunt, verum etiam Sacristam Papæ, modo non sit Episcopus, itemque Præceptorem Hospitalis S. Spiritus, Archimandritam Messanensem, Abbates usum Mitræ habentes, & Canonicos tam in Ecclesiis Cathedralibus extra Urbem, quam in Patriarchalibus Ecclesiis Urbis, uti ex variis Decisionibus Sacræ Rituum Congregationis ostendit laudatus Eminentissimus Petra loco citato, & docet doctissimus amicus noster Andreas Hieronymus Andreuccius Societatis Jesu Theologus in peculiari insigni Tractatu, quem edidit, *De Protonotariis Apostolicis e numero participantium in Curia Romana*, Cap. VI. Sed de his, sicut & de Legatis, ac Nuntiis Apostolicis vide quæ scripsimus nos in Commentariis superioribus.

VII. Itaque post Protonotarios thurificandi sunt *Nuntii Apostolici Prælati non existentes in loco eorum jurisdictionis, sed transeuntes; tum Dignitates, & Canonici, secundum eorum ordinem, videlicet, primo Dignitates, deinde Canonici Presbyteri, tum Diaconi, mox Subdiaconi, si Præbendæ sint distinctæ*. Quid autem si Præbendæ distinctæ non fuerint? Servanda est tunc quidem Ecclesiarum consuetudo, in quarum nonnullis præcedunt Canonici inter se se secundum tempus datæ provisionis, & gratiæ sibi factæ; in aliis vero ratione majoris Ordinis. Sed de hac quæstione videri possunt Barbosa, *De Canonicis*, Cap. XVIII. & Ceccoperius, Lib. I. *Lucubrationum Canonicalium*, Tit. XI. ubi fuse agit de præcedentia Canonicorum diversarum Cathedralium, ac inter Canonicos ejusdem Cathedralis, seu Collegiatæ, & quando attendatur tempus adeptæ possessionis, & quid, quando præbendæ sint distinctæ in Presbyterales, Diaconales, & Subdiaconales, & quomodo reguletur præcedentia, si posterior in possessione præcedat antiquiorem in Ordine. Interim non est hic omittendum illud Sacræ Rituum Congregationis Decretum XXX. Julii MDCLXXXIX. editum, quo edicitur, Canonicos Sacerdotes, quamvis possessione Canonicatus posteriores, ubi præbendæ non sunt distinctæ, semper, & ubique præferendos esse Canonicis inferioris Ordinis etiam possessione Canonicatus anterioribus, non obstante immemorabili consuetudine, quam abusum impræscriptibilem etiam esse declaravit. Quod consonum est Capiti *Statuimus, De majoritate &c.* Vide Pignatellum Tom. III. Consultatione LIV.

VIII. Quicquid sit de quæstionibus hisce, quæ longam exposcunt examinationem, & iccirco videri possunt apud Canonici Juris Consultos, ut quod dicit §. noster XXIX. de Dignitatum thurificatione, quæ ante Canonicos fieri debet, examinemus, sciendum est, debere & ipsas juxta earum majorem, minoremve prærogativam, thurificari, adeoque primo primam, tum alteram, & sic deinceps. Quænam autem prima sit Dignitas, cum certa hodie regula dari nequeat, quia scilicet in una Ecclesia Archidiaconatus est prima Dignitas, in alia Archipresbyteratus, & alia in aliis; attendi iccirco potius debet varia Ecclesiarum consuetudo, quam jus commune, ut inquiunt Grammaticus Decisione LXIV. Num. XVII. & XVIII. Parisius, *De resignatione beneficiorum*, Lib. II. Quæstione I. Num. LXXXIII. Rota Decisione CLXXV. Num. III. coram Mantica, & in Regien. Beneficii XXVII. Junii MDCLIII. §. *Nec relevat*, coram Bevilaqua. Vide Barbosam, *De Canonicis*, Cap. IV. Num. IX. X. & XI. & Panimolle Parte I. Decisione I. Adnotatione VI.

IX. Post Dignitates juxta §. nostri præscriptum incensandi sunt, *si aderunt, Abbates benedicti*. Licet enim Abbas præcedere debeat omnes non habentes usum Mitræ, ut decisum refert Gavantus in Manuali Episcoporum, verbo *Abbas*, Num. XLI. ex Leone in thesauro Fori Ecclesiastici, Cap. IX. Num. IV. & utpote vere Dignitas anteferendus sit Canonicis Cathedralis, qui improprie dicuntur Dignitates ex doctrina Glossæ in Can. *A Subdiacono*, Distinctione XCIII. & aliorum Doctorum, quos citant Barbosa in laudato tractatu Cap. XVIII. Num. LVI. & Gratianus Disceptatione III. Num. IX. procedit id tamen, si Canonici considerentur uti singuli, non autem quando collegialiter congregati reperiuntur, tunc enim repræsentant Cathedralem Ecclesiam, quæ sicut omnibus aliis præfertur, ita & ejus Canonici præferuntur, uti docent Auctores jam passim laudati a Panimolle, & Barbosa locis citatis. Dicuntur namque ipsi Canonici pars corporis Ecclesiæ, & Episcopi, Cap. *Novit, De iis quæ fiunt a Prælato &c.* ideoque Abbatibus præferendi.

X. Quamquam sicut Mitrati Abbates, ita & Protonotarii extra numerum præcedant Canonicos uti singulos, non autem uti collegialiter congregatos ex Decretis Sacræ Rituum Congregationis allatis a Barbosa Lib. I. *Ecclesiastici universi*, Cap. XXIII. Num. XXIV. & in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. DCXVII. Num. IX. ob eandem tamen rationem, qua Canonici præcedunt Abbates, ita & Protonotarios præcedunt tum in sessionibus, tum in thurificatione; & quemadmodum Protonotarii ipsi post Abbates, & non supra

Digitized by Google

ſupra ſedere debent juxta deciſionem Sacræ Rituum Congregationis in Aſculana Apuliæ die VI. Martii anni MDCX. quam idem Barboſa refert, in Tractatu, *De Canonicis*, Cap. XVIII. Num. XXIV. & aliis locis, ita etiam poſt eoſdem thurificari; pari enim paſſu ambulant honor ſedis, ac thuris; uti addiſcere licet ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis, die XV. Septembris anni MDCXLVIII. apud Meratum in Additionibus ad Gavantum, Parte II. Tit. VII. ubi edicitur, Dignitates, & Canonicos a digniori latere Chori ſedentes prius eſſe incenſandos, & deinde illos, qui ſedent a latere Chori minus digni.

XI. Si adeſſent conſanguinei alicujus maximi Principis, ait §. noſter, *pro judicio, & prudentia Epiſcopi*, poſſe ipſos loco convenienti *ante Dignitates, & Canonicos* thurificari. Ad Vicarium vero quod attinet, ſervandam eſſe conſuetudinem Eccleſiarum; quia ſcilicet locus etiam Vicarii debet eſſe ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ, quæ non eſt mutanda, ut decidit Sacra Rituum Congregatio in Alexandrina XV. Martii anni MDCVIII. in reſponſione ad III. Dubium. Etiam circa ejus thurificationem ante, vel poſt Canonicos, ſervandam eſſe conſuetudinem Eccleſiæ, ex variis ejuſdem Sacræ Rituum Congregationis, & Auctoribus docet laudatus Panimolle Parte I. Deciſione I. Adnotatione V. Num. X. additque Num. ſequenti, id quidem procedere quoad Canonicos non paratos, ſecus vero quoad Canonicos, qui ſunt parati, qui cum Celebrante ex quo faciunt unum corpus, thurificandi ſunt ante Vicarium, uti declaravit non ſemel Sacra Rituum Congregatio apud Barboſam, *De Canonicis*, Cap. XVIII. Num. XXIX. & Gavantum in Manuali Epiſcoporum, verbo, *Præcedentia*, Num. XXVII.

XII. Ceterum, ubi Vicarius generalis Epiſcopi ex privilegio habitu utitur Prælatitio, poſſe tunc ipſum etiam thurificari ante Canonicos paratos, tradit Maſſobrius, de Synodo Diœceſana, Cap. IV. Dubio VI. Num. XLVII. Verſu, *Imo poteſt*, ubi affert hocce Sacræ Congregationis Decretum: *Ad aliud Dubium ratione paramentorum Canonici parati thurificari debent ante Vicarium, maxime ſi Vicarius non utatur habitu Prælati, ideſt, Rocchetto, & Mantelletto.*

## §. XXX.

**Quod vero ad Laicos, Princeps magnus Dominus loci non recognoſcens Superiorem, thurificatur immediate poſt Epiſcopum. Imperator tamen, & Reges indiſtincte ante Epiſcopum ſunt thurificandi. Proreges vero, & Gubernatores Regnorum, ac Provinciarum immediate poſt Epiſcopum; Magiſtratus Civitatum thurificantur poſt Dignitates, & Canonicos, niſi ſint de majoribus, & perpetuis, qui thurificantur ante Canonicos, niſi rurſus Canonici ſint parati; quia tunc & ipſi thurificantur poſt Canonicos paratos. Barones, & Domicelli ſine titulo poſt Magiſtratus omnes. Hi omnes ab iis thurificantur, ad quos ex conſuetudine id munus pertinet.**

## COMMENTARIUS.

I. ORdine hucuſque explicato incenſandi perſonas Eccleſiaſticas, reſtat explicare ordinem illum, quo thurificandi ſunt Laici. Quod ergo ad ipſos attinet, *Princeps Magnus Dominus loci non recognoſcens Superiorem*, qualis exempli gratia in Italia eſt magnus Dux Etruriæ, *thurificatur immediate poſt Epiſcopum*. Aliter tamen dicendum de Imperatore, & Regibus, qui *indiſtincte ante Epiſcopum ſunt thurificandi*; non quod Epiſcopo dignitate, ac poteſtate ſuperiores ſint, ſed in ſignum honoris, & obſequii eam prærogativam ipſis Eccleſia, ſicut & alias multas conceſſit; quia ſcilicet divinum jus mandat, ut Regem honorificemus. Unde in Eccleſia Conſtantinopolitana invaluit mos, ut, quemadmodum ait Codinus, & conſtat ex Euchologio, Patriarcha, Imperatorem, & omnes Proceres incenſaret olim, quod ſane non minimum pertinebat ad eorum honorem. Cum enim Oleo ſacro Imperator, vel etiam Chriſmate ungatur, eundem thuris honorem habeat æquum eſt, non tamen ab Epiſcopo, qui ubi præſertim celebrat, incenſare neminem debet, tametſi ſinat Eccleſia ante ipſum Epiſcopum, præſentem ſcilicet Miſſæ, non celebrantem, thurificari Imperatorem, ac Reges. Quod autem in Conſtantinopolitana Eccleſia Patriarcha incenſaret Imperatorem, ac Proceres, ſolitæ Græcorum adulationi erga Principes ſuos tribui debet.

II. Poſt Epiſcopum immediate thurificabuntur Proreges, & Gubernatores Regnorum, & Provinciarum, quales ſunt Proreges Siciliæ, & Gubernatores Mediolani, itemque Præſides Provinciarum noſtri Regni, & ſimiles, qui Regum vices in tota Provincia gerunt. Quantum vero ad Magiſtratus Civitatum, ii quidem ex præſcripto hujus noſtri §. *thurificantur poſt Dignitates, & Canonicos, niſi ſint de majoribus, & perpetuis, qui thurificantur ante Canonicos, niſi rurſus Canonici ſint parati, quia tunc & ipſi thurificantur poſt Canonicos paratos*. Quibus concinunt quæ ſcribit Craſſus Lib. I. Cap. XLIX. ubi enarrans incenſationem Magiſtratus, Oratorumque, & Prælatorum, ac totius Chori Canonicorum Bononienſium, ita inter alia inquit: *Poſt Prælatos Apoſtolicos in habitu, & tonſura incedentes, incenſantur omnes, & ſinguli Canonici ſacris Paramentis, ideſt, Pluvialibus induti, & poſt eos ſic paratos incenſantur Quadraginta Conſiliarii, & etiam minores Vexil-*

Digitized by Google

*Vexillifero populi, ac omnes Nobiles, & alii suo ordine patrio incensandi sunt; hac tamen moderatione servata, ut, si Canonici Pluvialibus induti fuerint, ipsi post Prælatos immediate, ut supra, incensentur, propter habitum Ecclesiasticum, & sacrum; si vero non sunt induti Pluvialibus, tunc, juxta tamen patrium morem, post Vexilliferos populi collegialiter Magistratum repræsentantes, & non aliter, & post Quadraginta Consiliarios similiter congregatos ipsi incensantur; alioquin Canonici Bononienses in Choro cum Cottis, sive Superpelliceis vestiti, prius incensari debent.*

III. Quamquam autem ex recitato hactenus loco eruditissimi Crassi, Rubrica nostri hujus §. de Magistratus thurificatione egregie illustretur, pro majori tamen intelligentia illud adnotandum censeo, quod docet Cardinalis de Luca, *De præeminentia*, Discursu XVII. & inter alios Scarfantonius in animadversionibus ad Ceccoperium Libro I. *Lucubrationum Canonicalium*, Tit. XV. nempe, Magistratuum secularium tres esse species. Prima est Civitatum non subditarum, quæ in forma Reipublicæ reguntur; altera illorum Magistratuum majorum, qui immediate Principem repræsentant, illiusque vices gerunt, cum potestate, ac exercitio meri, ac mixti imperii; tertia denique Magistratuum Civitatum recognoscentium Superiorem, & penes quas non residet plena jurisdictio, sed aliqua modica pro cognitione levium causarum, aut simplex etiam œconomia pro recta gubernatione Communitatis, quæ apud eos remansit, veluti imago quædam, & umbra antiquæ jurisdictionis, quæ originarie dum in figura Reipublicæ gubernabantur, erat penes populum, & postmodum omnino transfusa fuit in Principem.

IV. Ad primam speciem Magistratuum Rerumpublicarum quod attinet, dummodo sint de supremis, atque etiam quod alteram Magistratuum majorum speciem spectat, qui scilicet habent exercitium potestatis gladii, indubitata est illorum præeminentia supra Capitulum, & Canonicos Ecclesiæ Cathedralis ex determinatione hujus nostri §. ubi disponitur, hujusmodi Magistratus majores ante Canonicos esse thurificandos: *Magistratus Civitatum thurificantur post Dignitates, & Canonicos, nisi sint de majoribus, & perpetuis, qui thurificantur ante Canonicos.* Ex quibus verbis certam etiam regulam addiscimus, nempe deberi Canonicis præcedentiam supra tertiam speciem Magistratuum Civitatum subditarum; quia scilicet respectu horum Magistratuum regula illa procedit, quod, cum Capitulum, unum & idem corpus constituat cum Episcopo, juxta celebrem Textum in Cap. *Novit, De his, quæ fiunt a Prælatis &c.* cum aliis apud laudatum Cardinalem de Luca loco citato, Discursu XXIII. Num. VII. & alibi passim, itaut sicut his Magistratibus supereminet Episcopus: ita pariter eosdem præcedat Capitulum etsi cum Episcopo non conveniat, cum æqualis utrique debita sit honorificentia, ex quo Capitulum in corpore Cathedram Episcopalem repræsentat, uti docent Felinus in Cap. *Non licet*, Num. II. *De præscriptionibus*, Gratianus Disceptatione CXI. Nnm. II. & seq. Barbosa, *De Canonicis*, Cap. XVIII. Num. XLIV. & seq. Cardinalis de Luca in Tractatu, *De præeminentia*, Discursu XVII. Num. IV. Pignatellus Consultatione CCIX. Num. I. Tom. IV. Rota Decisione CXI. Num. X. & XI. Parte V. Recentiorum.

V. Hæc autem procedunt non solum quia in concursu Dignitatis Ecclesiasticæ, & temporalis, illa præcellit secularem dignitatem, quia scilicet prima comparatur luminari majori, nempe Soli, altera vero minori, videlicet Lunæ, Cap. *Solitæ*, & ibi Doctores, *De majoritate, & obedientia*, verum etiam solidius propter illam jurisdictionem, quam habitualiter habet Capitulum Cathedrale Sede plena, & actualiter illa vacante, vel Episcopo impedito, dum ad illud tota Episcopalis jurisdictio, exceptis iis, quæ sunt Ordinis, devolvitur, exercibilis etiam supra ipsum Magistratum, cum possit ferre Leges, & Edicta, totius populi, & consequenter Magistratus obligatoria, prout Sede plena concurrit cum consilio in promulgatione Synodalium Constitutionum, quæ pariter ipsum populum, & Magistratum ad observantiam illarum adstringunt, ut optime advertit ad rem memoratus Cardinalis de Luca citato Discursu XVII. Num. IV. & Discursu XXIII. Num. VII. prædictamque præeminentiam Capituli supra hujusmodi Magistratus tam respectu utriusque corporis, quam singularium personarum canonizatam fuisse a Sacra Rituum Congregatione anno MDCLVI. idem ipse de Luca affirmat in Discursu XXIII. Num. I.

VI. Explicatæ hucusque rationes tametsi æque vigeant in Magistratibus tum majoribus, tum minoribus, standum est nihilominus regulæ nostri hujus §. qua vult majores quidem Magistratus thurificari ante Canonicos, & Dignitates, nisi sacris indumentis parati sint, tunc enim nonnisi post ipsos thurificandi essent, non modo ex recepto Ecclesiarum ritu, cujus meminit laudatus Crassus Libro I. Cap. XLIX. loquens de insigni Ecclesia Bononiensi, verum etiam ex clara dispositione Cæremonialis, & ex variis Sacræ Rituum Congregationis Decretis. Ubi itaque Dignitates, & Canonici sacris indumentis non sint parati, ex Ecclesiæ concessione, atque indulgentia, Magistratus majores, & perpetui ante illos thurificantur, imo etiamsi non sint perpetui, modo majores sint Magistratus, ut declaravit Sacra Rituum Congregatio in Patavina, II. Martii MDCII. apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. CDXL. Num. VIII. & apud Ursayam Tomo II. Parte I. Disceptatione XVII.

VII. Porro in Urbe, quæ omnium aliarum Civitatum magistra est, Magistratus quidem, seu Domini Conservatores, non sunt perpetui, sed mutantur de trimestri in trimestre, & tamen nemo dixerit, non venire ipsos appellatione majorum Magistratuum, inter quos alias merito illos enumerat Fensonius ad Statutum Urbis Cap. XV. & inter alios Zaulus ad Statutum Faventinum Tomo I. Lib. I. Rubrica IV. Num. LV. Exstant præterea



Digitized by Google

terea in Statu Ecclesiastico multæ Civitates, quæ tametsi subjectæ sint Summo Pontifici, ut exempli causa Bononia, & Ferraria, earum nihilominus Magistratus, ob eximiam dignitatem, ac potestatem, qua præditi sunt, inter majores haud dubie recenseri debent; ideoque tametsi perpetui non sint, in thurificatione Dignitatibus, & Canonicis præferendi, uti de facto, ut testatur Crassus, Bononiæ præferuntur. Habenda est itaque ratio Civitatum, & jurisdictionis Magistratuum illarum, nihilque obstabit, si isti ad tempus constituti sint, multoque minus, quod ipsæ Civitates dominio Principum subjiciantur, præsertim cum a nonnullis earum Oratores ad Summum Pontificem mittantur, qui in Capella Papali in thurificatione, ac in osculo pacis, itemque in distributione Candelarum, & Palmarum Prælatis utriusque Signaturæ Referendariis, ipsisque Sacræ Rotæ Auditoribus præferuntur, uti post Pignatellum notat Ursaya loco citato Num. XLIX. & seq.

VIII. Minorum Civitatum Magistratus, ac præsertim illorum locorum, qui Baronibus subjecti sunt, non deberi ullo modo præferri Canonicis, imo nec aliis de Choro, non semel decidit Sacra Rituum Congregatio, præsertim vero in Asculana terræ Pennæ die XVII. Martii MDCXXIX. ubi expresse edixit, *thurificandos esse post omnes de Choro*; uti videre est apud Pignatellum Tomo II. Consultatione XXXV. Num. VI. In sequelam prælationis Canonicorum Ecclesiarum, præcipue Cathedralium Canonicorum supra hujusmodi Magistratus inferiorum locorum venit, quod iidem Canonici sint ante ipsos omnino thurificandi, & nullatenus duo adhibeantur thuribula, quorum altero Canonici, altero Magistratus eodem tempore simul incensentur. Faciendam etenim esse thurificationem juxta formam Cæremonialis cum unico tantum thuribulo declaravit Sacra Rituum Congregatio, in Alexandrina XV. Martii anno MDCVIII. in Lucerina XXI. Julii MDCXVIII. & in Interamnensi die IV. Julii MDCXLIV. apud eundem Pignatellum Tomo II. Consultatione XXXV. Num. V. & Tomo III. Consultatione LXIV. Num. V.

IX. Licet autem duplicis thuribuli usus tamquam contra morem Romanæ Ecclesiæ, & Cæremonialis regulam a Sacra Rituum Congregatione improbatus compluries fuerit, eadem nihilominus Sacra Congregatio in Fanen. die XVII. Novembris MDCVII. teste Merato in Additionibus ad Gavantum Parte II. Tit. VII. Ursaya Tomo II. Parte I. Disceptatione XVII. & aliis, censuit servandam consuetudinem immemorabilem, quod eodem tempore thurificentur Canonici, & Magistratus, utique usu duorum thuribulorum; qui licet alias regulariter in incensatione Personarum a Sacra Congregatione Rituum improbatus sit, non autem in Processionibus Sanctissimi Sacramenti, præsertim in Cœna Domini, Parasceve, & Festo Corporis Christi, juxta præscriptum Cæremonialis Canonicorum Regularium, Cap. XXI. & Cæremonialis Patrum Camaldulensium; itemque in solemnibus sacrarum Reliquiarum translationibus, ut notat inter alios Bauldryus.

X. Sunt tamen hodie nonnulli Religiosi Ordines, qui in Personarum thurificatione duo ex præscripto Cæremonialium suorum thuribula adhibent. Certe Tutinius in laudato Cæremoniali Camaldulensium Lib. I. Cap. XX. Num. III. ita inquit: *Si duo Acolythi cum duobus thuribulis essent, thurificato Celebrante, posset unus thurificare unam Chori partem, alter alteram, & ita partes populi, simul conveniendo, quo melius possent.* Minores quoque tam Conventuales, quam Observantes, ut testatur etiam Pignatellus Tomo III. Consultatione LXIV. Num. IV. ita in Cæremoniali suo inquiunt: *In solemnioribus Festivitatibus adhiberi poterunt duo Thuriferarii cum thuribulis, qui Chorum incensantes, incensabunt suo quisque thuribulo suam partem ejusdem, ac ultimo populum.* Sunt plane Ritus, qui, uti dictum est, & Cæremoniali Episcoporum, quod aliorum omnium, quantum fieri potest, norma esse debet, & repetitis Sacræ Rituum Congregationis Decretis, quibus duorum thuribulorum usus improbatur, ac Romanæ Ecclesiæ praxi adversantur.

XI. Neque vero his obstat, quod ex Cæremoniali Ambrosiano non duo solum, sed & tria adhiberi possunt thuribula, habet enim inclita Ecclesia Mediolanensis suos peculiares Ritus auctoritate Pontificum comprobatos, quibus summa cum majestate, & admiratione, Ecclesiasticæ functiones Pontificales peragi solent. Sic autem Cæremoniale Ambrosianum jussu Federici Cardinalis Borromæi memoratæ Ecclesiæ Archiepiscopi editum Lib. I. Cap. *De Thuriferariis, & eorum officio*, inter alia inquit: *Curabunt parari ambo thuribula cum igne pro incensatione post Offertorium; sed unum tantum deferant ad Altare pro benedictione incensi, eo ordine, quo supra. Thuribulo autem, quo utitur Archiepiscopus, nemo utetur, sed statim illud deponent apud Credentiam, alterum tradentes Magistro Cæremoniarum, qui illud Archidiacono porriget ad incensationem Chori. Veruntamen si adessent Magistratus, duo thuribula adhibenda essent, alterum pro Choro, alterum pro Magistratibus. Reservato omnino Archiepiscopi thuribulo.*

XII. Peculiari itaque ritu tria ex laudato Cæremoniali Ambrosiano adhibentur thuribula, unum, quo solus utatur Archiepiscopus, & nemo alius omnino, alterum ad incensandum Chorum, tertium denique ad Magistratus thurificandos, ne scilicet uni aliis præferantur; alias enim ex regula superius tradita Mediolanensis Magistratus, cum proculdubio inter majores recensenseatur, constat enim ex Viris illustribus, & maxima pollet auctoritate, ante Canonicos esset thurificandus. Sed cum ex adverso magna sit dignitas, & prærogativa Canonicorum Capituli Mediolanensis, adeo ut unus ex ipsis Joseph Puteobonellus Vicarius Capitularis pius æque ac doctus BENEDICTO XIV. regnanti Pontifici dignus visus fuerit, ut ad Archiepiscopalem ipsius Ecclesiæ Cathedram eveheretur, optimum fuit temperamentum, ut duo adhibeantur thuribula, quorum alterum thurificando Choro Canonicorum, alterum

Digitized by Google

rum Magistratui usui esset; *reservato omnino Archiepiscopi thuribulo*, quo scilicet solus ipse uteretur. Sed hic peculiaris est ritus Ecclesiæ Mediolanensis, quæ aliis insignibus privilegiis fulget.

XIII. Post Magistratus denique omnes, thurificantur *Barones*, *& Domicelli sine titulo*, idest, viri nobiles, & qui nullo Feudo illustres sunt; nam alias Barones locorum, quales in nostro Regno sunt Duces, Principes, Marchiones, Comites variis Titulis, ac eximia nobilitate præstantes thurificari forte debent ante Canonicos, & Dignitates, si enim his majores Civitatum Magistratus præferuntur, multo magis nostri Regni Barones, qui in Feudis suis multum habent auctoritatis, & jurisdictionis, tametsi Regi subjecti sint. Ceterum in juribus hisce honorificis, uti docet Cardinalis de Luca in Tractatu, *De præeminentia*, & notat Ursaya Tomo IV. Parte II. Disceptatione IV. Num. LXVII. *attendenda quoque particulariter videtur qualitas Dominii, & Baroniæ, & etiam qualitas personæ, in qua illud Feudum, vel Baronia resideat &c.*

## §. XXXI.

**Si adesset aliqua mulier insignis, ut Regina, vel magna Principissa, utique & ipsi thus dari convenit in loco, ubi daretur ejus viro, si adesset. Demum advertere debet Thurificator, ut numerum thurificationum observet pro qualitate rerum, & personarum, quæ thurificantur.**

## COMMENTARIUS.

I. TAmetsi regulariter ex repetitis Sacræ Rituum Congregationis Decretis præsertim in Pacen. die XXVIII. Januarii anni MDCXII. & in Lucerina III. Junii MDCXVII. apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. DXIX. Num. V. & Bauldryum Parte II. Cap. IX. Articulo V. Num. XII. non obstante contraria consuetudine mulieres nec incensari, nec pacem accipere inter Missarum solemnia debeant: excipiuntur nihilominus ex Rubrica nostri hujus §. feminæ quædam illustres, *ut Regina, vel Magna Principissa*, quibus utique thus dari convenit in loco scilicet, ubi daretur eorum Viris, si adessent. Nomine autem magnæ Principissæ illa intelligitur, cujus Vir Princeps non recognoscit Superiorem; nam in §. XXX. ubi fit mentio de magno Principe, additur: *non recognoscens Superiorem*. Ex quo etiam §. colligi posset, nec feminam quamcumque insignem ad thurificationem esse admittendam, nisi Dominam loci, & quidem immediate post Episcopum, sicut Vir ejus, ut in eodem §. edicitur.

## §. XXXII.

**Nam Sanctissimum Sacramentum, Crux Altaris, Episcopus, vel Archiepiscopus, thurificantur triplici ductu; Dignitates, & Canonici duplici ductu; inferiores unico ductu. Si adesset Legatus, vel alii Cardinales, ipsi ter, & Episcopus, & Celebrans bis, Dignitates, & Canonici semel, cæteri transeundo. Si vero adsit Dominus loci laicus, vel alius Princeps major, ter, ut Episcopus; Celebrans, Dignitates, & Canonici bis, cæteri semel, ut supra, nisi rursus adessent Legatus, vel alii Cardinales, quo casu duplici ductu thurificantur, sicut Episcopus, Dignitates vero, & Canonici tunc unico tantum ductu thurificantur, ut proxime dictum est. Illud igitur observandum est, ut Celebrans semper triplici ductu incensetur, si nullus sit eo major, cui triplex ductus debeatur. Porro Nuntius Apostolicus cum facultate Legati, Visitator Apostolicus Episcopus in loco eorum jurisdictionis triplici ductu incensantur; quemadmodum triplici ductu thurificantur Dominus loci Laicus, & Princeps maximus, qui thurificari debent ab iis, qui ex consuetudine hæc munia explere solent.**

## COMMENTARIUS.

I. POstquam nostrum Cæremoniale monuit in §. superiori, ut is qui thurificat, *numerum thurificationum observet pro qualitate rerum, & personarum, quæ thurificantur*; regulam in hoc præsenti §. tradit, quæ in ipsarum rerum personarumve teneri, atque observari debet: *Nam Sanctissimum Sacramentum*, inquit, *Crux Altaris, Episcopus, vel Archiepiscopus thurificantur triplici ductu; Dignitates, & Canonici duplici ductu, inferiores unico ductu.* Atque hæc est praxis omnium fere Ecclesiarum, ac præsertim Urbis, in quibus Canonici tametsi nonnulli ex ipsis Episcopi sint, ut in Basilica præsertim Vaticana, duplici ductu incensantur, Vicario eorum excepto, qui triplici ductu thurificatur; Beneficiati vero, vel unico tantum ductu, si tem-



Digitized by Google

si tempus id sinat, aliter tamen transeundo incensari solent.

II. At vero tametsi Dignitatibus, & Canonicis Cathedralium, & Collegiatarum in suis Ecclesiis duplici, cæteris vero de Choro, unico tantum ductu thurificatio debeatur, etiam ex Decretis Sacræ Rituum Congregationis, ut in Patavina Plebis Sacci IX. Maji MDCVI. & in Comen. Valucciæ XXX. Januarii MDCXVI. notandum hic tamen est, id locum habere, nisi hujusmodi de Choro Protonotarii & alii Beneficiati, vel alio nomine nuncupati, in omnibus sint æquales Canonicis, & æqualiter incedant in Processionibus, & sedeant in æqualibus scamnis, quia tunc duplici & ipsi ductu thurificandi sunt, sicut Canonici, non obstante dispositione nostri hujus §. qui intelligitur, quando non adsint Presbyteri, qui non sint omnino Canonicis æquales, ut declaravit Sacra Rituum Congregatio in Cæsaraugustana die XXI. Martii MCCXV. apud Barbosam in Tractatu, *De Canonicis*, Cap. XXXIV. Num. XXXI. & apud Meratum in suo Indice Decretorum.

III. Procedunt autem hæc, ubi non adesset Legatus, vel alii Cardinales, qui tamen, si præsentes fuerint, *ipsi ter*; *& Episcopus*, *& Celebrans bis*; *Dignitates*, *& Canonici semel*, *cæteri transeundo*, incensabuntur; ob præeminentiam scilicet Cardinalitiæ dignitatis, quæ in juribus honorificis, jam pluribus ab hinc seculis ex Maximorum Pontificum decisionibus Episcopali præfertur; quemadmodum ob reverentiam erga Episcopum præsentem, qui triplici ductu incensandus, nisi Cardinales absint, Celebrans ipse duplici tantum ductu thurificatur, uti notat Gavantus in Rubricas Missalis Parte II. Tit. VII. §. X. ubi ita ait: *Celebrans*, *nullo majore præsente*, *cui triplex ductus thuribuli debeatur*, *triplici ductu incensandus erit*; *eo præsente*, *duplici tantum ductu*. Quod quidem consentaneum est §. hujus nostri Rubricæ, ubi statuit, illud esse observandum, *ut Celebrans semper triplici ductu incensetur*, *si nullus sit eo major*, *cui triplex ductus debeatur*.

IV. Hæc præcisa verba addita primum fuere in hoc novo Cæremoniali a Benedicto XIII. probato, nam alias in antiquioribus desiderantur. Neque vero obstat, quod plura exstent Decreta Sacræ Rituum Congregationis, præsertim in Entomilien. II. Decembris MDCIV. & in una Civitatis Ducalis II. Novembris MDCXIV. in quibus edicitur, thurificationem cum triplici ductu thuribuli, unico, & digniori, idest, Episcopo, non præsentibus scilicet Cardinalibus, convenire. Etenim absente Episcopo, Celebrantem triplici thuribuli ductu esse incensandum, decidit eadem Sacra Rituum Congregatio in Patavina Plebis Sacci IX. Maji MDCVI. Sed & Canonicos ipsos, quibus alias ex Cæremonialis præscripto, & Sacræ Rituum Congregationis Decretis, duplex thuribuli ductus debetur, probata immemorabili consuetudine, posse, absente Episcopo, thurificari triplici ductu, censuit eadem Sacra Rituum Congregatio in Casertana XVIII. Septembris MDCXXXII. Legi Decreta hæc possunt apud laudatum Barbosam in eodem Tractatu, *De Canonicis*, Cap. XXXIV.

V. Licet autem præsente Episcopo ob majorem ipsius dignitatem bis tantum incensandus sit Celebrans, excipitur tamen, si Celebrans sit etiam Episcopus, vel Abbas, qui usum scilicet Pontificalium habeat, & Pontificaliter celebret coram Episcopo Dioecesano; tunc enim sicut Episcopus, ita & Abbas triplici ductu incensandus erit, uti colligitur ex generali Decreto Sacræ Rituum Congregationis edito die XXVII. Septembris anni MDCXLIX. coram Alexandro VII. Ibi enim §. XV. edicitur, quod *Episcopus trino ductu*, *& immediate Canonici duplici*, *moxque Abbas*, *nisi celebret*, *pariter duplici*, *ac subinde Canonici*, *vel Monachi Abbatialis Ecclesiæ*, *unico tantum ductu thurificentur*. Ubi nota verba illa, *nisi celebret*; ex quibus recte deducit Meratus in Additionibus ad Gavantum Parte II. Tit. VII. quod si dictus Abbas celebret Pontificaliter coram Episcopo, non duplici, sed triplici ductu thurificari debeat.

VI. Hanc eandem sententiam jam antelaudatum generale Sacræ Rituum Congregationis Decretum tradidit quidem Tutinius in Cæremoniali PP. Camaldulentium, Cap. XX. Num. XXIII. sic inquiens: *Quod si adesset Episcopus*, *vel alius valde insignis Prælatus nullam in ea Diœcesi vel Ecclesia jurisdictionem habens*, *thurificato Celebrante duplici ductu*, *vel habente ipso Privilegium Pontificalium*, *triplici*; *triplici statim thurificantur ipsi*, *& multo magis*, *si adesset loci Episcopus*, *Metropolitanus*, *Nuntius Apostolicus*, *Legatus a latere*, *Cardinalis*, *vel alius maximus Præsul*, *aut Princeps*, *&c. Ita fere Cæremoniale Episcoporum Lib.* I. *Cap.* XXIII. *Ut partim habeatur reverentia erga Celebrantem sacris vestibus ornatum*, *thurificando eum primo loco*, *partim erga Præsules*, *vel Principes*, *& sic erga Abbatem Generalem existentem pro tempore*, *thurificando eos pluribus ductibus*. Quæ quidem sententia, & nostro Cæremoniali, & Sacræ Rituum Congregationis Decisionibus concinit, cum ait Celebranti coram Episcopo, ratione sacrarum vestium, & multo magis celebrationis Sacrificii deberi incensationem præcedenter ad thurificationem Episcopi, cum eo scilicet tamen discrimine, quod Episcopus ob suam dignitatem triplici, Celebrans vero duplici ductu incensari debeat; nisi scilicet Celebrans sit Abbas, & Pontificaliter celebret, nam tunc non obstante præsentia Episcopi Dioecesani, triplici & ipse, sicut Episcopus, thuribuli ductu thurificabitur.

VII. Sed enarremus cetera, quæ in hoc nostro §. præscribuntur: *Si vero*, inquit, *adsit Dominus loci laicus*, *vel alius Princeps major*, *ter*, *ut Episcopus*: *Celebrans*, *Dignitates*, *& Canonici bis*, *ceteri semel*, *ut supra*. Notanda est hic sapientissima emendatio facta in hunc locum a Benedicto XIII. aliter enim ea verba in prioribus Episcoporum Cæremonialibus, & quidem non sine Episcopalis dignitatis injuria legebantur. Præscriptum etenim in iis fuerat, ut si adesset Dominus loci laicus, vel alius Princeps major, triplici ductu; Episcopus autem, & Celebrans, Dignitates,

Digitized by Google

tes, & Canonici duplici ductu incensarentur. Verba hæc erant: *Si vero adsit Dominus loci laicus, vel alius Princeps major, ter, Episcopus autem, Celebrans, Dignitates, & Canonici bis &c.* Sane inter alia egregia facinora, quibus Papa Benedictus XIII. vitam suam sanctissimam illustravit, illud quidem maximi momenti est, quod tum in minoribus, tum vero præsertim quum ad Summi Pontificatus apicem evectus fuit, Episcopalem dignitatem a laicis quibusdam Magnatibus, & ab ipsis etiam aliquando Episcopis parvi habitam impense coluerit, & ab injuriis vindicaverit.

VIII. Ergo ex novi Cæremonialis præscripto, ubi adsit Dominus loci laicus, vel alius Princeps, ter, ut Episcopus; Celebrans, Dignitates, & Canonici bis, ceteri semel, ut supra, idest, transeundo, incensabuntur. Quod ita tamen intelligendum est, *nisi rursus adessent Legatus, vel alii Cardinales, quo casu duplici ductu*, ipsi scilicet, Dominus loci, vel alius Princeps major, *sicut Episcopus; Dignitates vero, & Canonici tunc unico tantum ductu thurificantur*; uti in nostro §. edicitur, ut nimirum ea varietate majores dignitate a minoribus distinguantur. Hinc tametsi in Basilica Vaticana Vicarius triplici ductu incensetur, Canonici vero etiamsi Episcopi, & Archiepiscopi sint, duplici; ubi tamen adesset Cardinalis, tunc cum is triplici ductu thuribuli incensetur, Vicarius ipse, sicut & ceteri Canonici ductu duplici thurificantur.

IX. Præter hactenus explicata verba nihil aliud priora Episcoporum Cæremonialia in hoc Capite præscribunt, sunt tamen nonnulla, quæ in hoc nostro novo Cæremoniali jussi memorati Benedicto XIII. edito, huic §. adjuncta sunt, ac primum illud, quod jam superius memoravimus, atque explicuimus, observandum scilicet esse, *ut Celebrans semper triplici ductu incensetur, si nullus sit eo major, cui triplex ductus debeatur*; si, scilicet, non adsit Episcopus, aut Cardinalis, itemque si non fuerit præsens, *Dominus loci laicus*, qui scilicet non recognoscit Superiorem, uti notatur supra in §. xxx. Ceterum tametsi Canonici majores sint dignitate Beneficiatis, præsertim in Basilica Vaticana, ubi ipsi Canonici eximiis ornati sunt prærogativis, multique etiam ex iisdem Episcopali, & Archiepiscopali insigniti sunt charactere: adhuc tamen cum Beneficiatus Missam solemnem celebrat, triplici ductu incensatur, duplici vero Canonici, & triplici Vicarius.

X. Rursus ex peculiaribus quorumdam Ordinum Cæremonialibus, etiamsi adessent Episcopi, vel alii Prælati, Proreges, & Gubernatores Regnorum, ac Provinciarum, semper Celebrans triplici ductu thurificatur, immediateque post ipsum illi ter incensantur: *Si adessent Episcopi exteri, vel alii Prælati, honoris gratia semper thurificentur immediate post Celebrantem triplici ductu, sicut & triplici ductu incensubitur ipse Celebrans*. Verba sunt Cæremonialis Fratrum Minorum, quos Observantes vocant, Parte III. Cap. II. §. VI. In Cæremoniali vero Clericorum Regularium Minorum, Auctore Dominico Flumara Parte II. Cap. III. ita legitur: *Proreges, & Gubernatores Regnorum, ac Provinciarum thurificantur triplici ductu post Celebrantem, qui etiam triplici ductu thurificari debet*.

XI. Additamentum insuper aliud, quod in hoc nostro §. a Benedicto XIII. factum est, hæc habet: *Porro Nuntius Apostolicus cum facultate Legati, Visitator Apostolicus Episcopus triplici ductu incensantur, quemadmodum triplici ductu thurificantur Dominus loci laicus, & Princeps Maximus, qui thurificari debent ab iis, qui ex consuetudine hæc munia explere solent*. Duo ait, primum explicandi gratia Rubricam, quæ nullam fecerat mentionem de thurificandis triplici ductu thuribuli Nuntio Apostolico facultatem Legati habente, & Visitatore Apostolico Episcopali charactere insignito, tametsi ex §. XXVIII. colligi posset, debuisse ipsos eo ritu incensari. Aliud quod subdit, nempe thurificari ipsos debere *ab iis, qui ex consuetudine hæc munia explere solent*, optimo consilio adjunctum est, difficile enim fuisset, ut ubi jam peculiares invaluere usus, quorum homines tenacissimi esse solent, iis sublatis, certus ubique locorum ritus servandus statueretur.

XII. Quod Protonotarios Apostolicos spectat, illos scilicet, qui sunt de numero participantium, & Nuntios Apostolicos Prælatos, tametsi non exstent in loco suæ jurisdictionis, cum nihil de eisdem in hoc loco dicatur, puto equidem, thurificandos & esse ipsos, sicut incensantur Episcopi, triplici scilicet ductu, si Legatus, vel Cardinalis non adsit, post ipsos tamen Episcopos, juxta ordinem supra in §. XXIX. Sunt enim ii Prælati, Protonotarii nempe Apostolici, magnæ existimationis, & aliquando etiam Episcopos præcedebant, uti superius notatum fuit, obtinentque hodie honorabiliorem locum *super omnes Prælatos Curiæ*; uti docet Eminentissimus Petra in Commentario ad Constitutionem V. Pii II. Papæ. Nuntiorum quoque Apostolicorum summa est dignitas, quippe qui Personam Summi Pontificis repræsentant, ejusque vices gerunt.

XIII. Cum tandem ex jam superius traditis Abbates benedicti post Dignitates, & Canonicos thurificandi sint, jam etiam sicut illi, ita & isti duplici ductu incensari debent. Id quod alias decisum est a Sacra Rituum Congregatione in Decreto generali coram Alexandro Papa VII. die XXVII. Septembris MDCLIX. §. XV. per ea præcisa verba: *Episcopus trino ductu, & immediate Canonici Cathedralis duplici, moxque Abbas, nisi celebret, pariter duplici, ac subinde Canonici, vel Monachi Abbatialis Ecclesiæ unico tantum ductu thurificentur*. Vicario generali sedenti in Choro licet supra Canonicos, absente Episcopo, thurificationem duplici, non autem triplici ductu deberi, si tamen non sit Prælatus, decisum etiam ab ipsa Sacra Rituum Congregatione in Nepesina XIV. Januarii MDCXVII. testantur Barbosa in Tractatu, *De Canonicis*, Cap. XXXIV. Num. XXIX. Panimolle Parte I. Decisione I. Adnotatione V. Num. XII. & inter alios Meratus in Additionibus ad Gavantum.

XIV. Ba-

Digitized by Google

XIV. Baronem Dominum loci in Ecclesia Parochiali non Collegiata, ubi non sunt Canonici, thurificandum esse post Celebrantem, Ministros paratos, & Archipresbyterum duplici ductu ab eodem Ministro, qui thurificat, & ante omnes alios Presbyteros, declaravit etiam Sacra Rituum Congregatio in Bisinianen. XXVII. Septembris MDCVIII. Quod Gubernator Civitatis etiamsi sit uxoratus thurificandus sit immediate post Canonicos assistentes, absente vero Episcopo, immediate post Vicarium Generalem, eadem Sacra Rituum Congregatio decidit olim in Faventina, XVII. Novembris MDCVII. Thurificandum esse Gubernatorem Civitatis duplici, non triplici ductu, constat ex alio ejusdem Congregationis Decreto in una Civitatis Ducalis II. Novembris MDCXIV.

# C A P. XXIV.

*Ordo dandi pacis osculum. Si Episcopus celebrat solemniter, dat osculum Presbytero assistenti, qui illud per Chorum ordine distribuit. Diaconus Euangelii, & Subdiaconus Epistolæ pacem accipiunt ab Episcopo celebrante, cum ab eo communicantur. Presbyter assistens, osculum ferens, nulli reverentiam facit, antequam ei pacem dederit. Ordo servandus in pace distribuenda. Si Episcopus assistat, Presbyter assistens capit pacem, quam defert Episcopo, qui eam duobus Diaconis assistentibus dat. Quid servandum, si Prælatus celebret, Episcopo assistente. In Ecclesiis Collegiatis, pax a Subdiacono per Chorum distribuitur.*

## §. I.

Pacis osculum alio modo, ac per diversos Ministros præberi consuevit, cum scilicet Episcopus ipse celebrat solemniter Missam; aliter cum Missæ per alium Prælatum, vel non Prælatum cantatæ interest; aliter cum, ipso Episcopo absente, vel in Collegiatis Ecclesiis Missa solemnis celebratur; & demum aliter in Missa plana.

## COMMENTARIUS.

I. OSculum pacis in Missa antiquissimus est tum Latinæ, tum Græcæ Ecclesiæ ritus, & Apostolicum institutum. Ejus tamquam moris jam introducti meminit pervetustus Auctor Tertullianus in Libro, *De oratione*, Cap. XIV. sic inquiens: *Quale sacrificium est, a quo sine pace receditur?* Ex traditione Apostolorum ait Florus Magister in expositione Missæ, servari hunc ritum ab Ecclesia, *cui frequenter ab Apostolis dicitur*: Salutate invicem in osculo sancto; *idest, pacifico, vero, columbino, non ficto, non subdolo &c.* Plures de eo ritu Patres loquentes tum Latinos, tum Græcos affert eruditissimus Stephanus Durantus Lib. II. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. LIV. & alii passim Scriptores, qui antiquos Missæ ritus enarrant.

II. Ritu Romano, & Ambrosiano traditur quidem pacis osculum post primam Orationem, quæ dici solet post illa verba, *Agnus Dei &c.* Græci vero, & alii Orientales, itemque Mozarabes, ut notat Joannes Bona Cardinalis Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XVI. Num. VI. ante Præfationem dant osculum pacis diverso ritu, sed eadem fide, & religione, ut ostendant se omnes in Christo unum esse, eosque dumtaxat divinorum munerum participatione dignos censeri, qui pacem fratribus verbo, & opere impendunt. In Liturgia S. Jacobi post Symboli recitationem porrigitur osculum illud, præmonente Diacono: *Osculemur nos in osculo sancto*. In Liturgia vero S. Joannis Chrysostomi ante Symbolum ait Diaconus: *Diligamus nos invicem, ut in concordia confiteamur Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum*. Mozarabes tandem in singulis Missis proprias habent orationes pro osculo pacis, quibus breviter a Deo petunt, ut pacem, quam ore annunciant, opere impleant, ut una dilectionis copula jungat, quos unius Fidei Sacramenta locupletant.

III. Datum in Ecclesia Latina pacis osculum post sacra confecta Mysteria, testis est Innocentius I. in sua illa celebri Epistola I. ad Decentium Eugubinum Episcopum, Cap. I. ubi ita inquit: *Pacem ergo asseris ante confecta mysteria quosdam populis imperare, vel sibi inter Sacerdotes tradere, cum post omnia, quæ aperire non debeo, pax sit necessario indicenda; per quam constet, populum ad omnia, quæ in Mysteriis aguntur, atque in Ecclesia celebrantur, præbuisse consensum, ac finita esse, pacis concludentis signaculo demonstrentur*. Relatus est insignis hic locus in Can. *Pacem*, De consecratione, Distinctione II. Errat autem inter alios Gavantus in Rubricas Missalis Parte II. Tit. X. §. III. & ante illum Durandus Libro IV. Cap. LIII. Num. V. qui ipsi Innocentio I. hujus osculi institutionem adscribit; constat enim ex recitato loco, non instituisse Innocentium, eum ritum, sed abusum emendasse, qui irrepserat, ut contra usum Romanæ Ecclesiæ pax alicubi ante sacrorum Mysteriorum confectionem traderetur: quem usum Ecclesiæ Romanæ, omnium aliarum matris atque magistræ ea mystica, & egregia ratione

Digitized by Google

tione comprobat, ut scilicet dato osculo pacis post consecrationem, *demonstretur, populum ad omnia, quæ in Mysteriis aguntur, atque in Ecclesia celebrantur, præbuisse consensum &c.* uti dictum est.

IV. Admonent vero, & passim Patres, pacem externam, illam scilicet, quæ in Ecclesia inter Fideles dabatur, nullius prorsus esse momenti, si desit animorum in charitate unio: *In principio pax amica*, inquit S. Gregorius Nazianzenus Oratione III. de pace, *non re dumtaxat, sed nomine quoque ipso jucunda, quam nunc populo dedi ac recepi: haud scio, an sinceram ab omnibus vocem, spirituque dignam.* Idem paulo fusius tradit S. Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus in sua v. Catechesi Mystagogica, Cap. III. his verbis juxta versionem clarissimi Interpretis Antonii-Augustini Touttee Presbyteri, & Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri: *Deinde clamat Diaconus*: Vos invicem suscipite, osculemurque mutuo. *Ne osculum illud arbitrare ejusdem ordinis, ac moris esse, qualia illa sunt, quæ inter communes amicos in foro frequentantur. Non est hujusmodi osculum istud; animas enim mutuo conciliat, & miscet, atque omnem illis injuriarum oblivionem spondet. Signum igitur est osculum hoc, animas sibi invicem admisceri, & omnem injuriarum memoriam ablegare. Propterea Christus ajebat*: Si offeras munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque munus tuum ad Altare, & vade prius, ac reconcilieris fratri tuo, & tunc accedens offer munus tuum. *Igitur osculum reconciliatio est; & propterea sanctum, sicut alicubi Beatus Paulus clamabat, dicens*: Salutate invicem in osculo sancto. *Et Petrus*: In osculo charitatis.

V. Sed audiamus aliquos Patres Latinos, qui & ipsi de eodem ritu loquentes, sæpenumero inculcant, alterum iccirco in Mysteriis alterum amplecti, ut unum multi fiamus. S. Augustinus in Sermone de Vigilia Paschæ, *Post ipsam*, inquit, *dicitur*, Pax vobiscum, *& osculentur se Christiani in osculo sancto. Sed pacis Christi signum, quod ostendunt labia fiat in conscientia, idest, quomodo labia fratris tui accedunt, sic cor a corde non recedat.* Atque, ut alios omittam, S. Isidorus Lib. I. *De Officiis Ecclesiasticis*, Cap. XV. ubi agit de Missa, & Orationibus, hæc habet: *Quarta posthæc infertur pro osculo pacis, ut charitate omnes reconciliati invicem, digni Sacramento Corporis, & Sanguinis Christi, consocientur, quia non recipit dissensionem cujusquam Christi indivisibile corpus.* Notent hæc sacri præsertim homines illi, qui signum pacis externum dantes, accipientesve, odium intus fovent, & quod horrendum est dictu, inter sacras epulas Judæ osculum porrigunt.

VI. Ceterum observandum est illud, in Missæ Sacrificio, viros quoad osculum secerni consuevisse a feminis. Viri enim laici laicos, feminæ feminas osculabantur, teste antiquissimo Auctore Apostolicarum constitutionum Lib. VIII. Cap. XI. & Ordine II. Romano, ubi postquam dixit, quod Archidiaconus dat pacem Episcopo, ita mox inquit: *Deinde ceteri per ordinem, & populus, separatim viri, & feminæ.* Idque optima ratione, carnales enim amplexus, ut ait Amalarius Fortunatus Lib. III. *De Ecclesiasticis Officiis*, Cap. XXXII. quibus sæpissime junguntur viri, ac feminæ, vitandi sunt in Ecclesiæ conventu. Concinit Durandus Lib. IV. sui Rationalis Cap. LIII. Numero IX. *Viri quoque, & mulieres*, inquit, *non sibi invicem osculum in Ecclesia porrigunt, ne forte aliquid lasciviæ subrepat, quia ibi carnales fugiendi amplexus, & casti sic spirituales actus habendi, propter quod etiam in Ecclesia situ sequestrantur locali.* Itaque etsi olim Christiani pacis osculum sibi a Sacerdote per Ministrum porrectum invicem præberent, hodie tamen ne recti specie aliquid libidinis diabolico afflatu irrepat, tabula Christi Imaginem, aut Sanctorum Reliquias continens offertur singulis osculanda, ut tradit Gabriel Biel super Canonem Missæ Lectione LXXXI. Putat autem Baronius ad annum XLV. tabellam ipsam inductam fuisse in usum tamquam cautelam contra fraudes, quæ arte diaboli inter se invicem osculantes irrepserant.

VII. Itaque abrogato osculorum pacis in Ecclesia usu, alius usus jam pluribus ab hinc seculis inductus fuit, ut nimirum sacra quædam imago adstantibus Clericis, & plebi ad osculandum porrigatur, quam vulgari vocabulo *Pacem* appellamus, ad eumque novum usum alludit Joannes Abrincensis in Opusculo, *De Officiis Ecclesiasticis*, ubi ita inquit: *Sacerdos partito Corpore Domini*, Pax Domini, *alta voce proferat, a quo unus Canonicorum Pacem accipiat; quam in utroque Choro Majoribus distribuat &c.* Varia est ejus instrumenti nomenclatura, appellatur enim *Osculatorium*, ut in statutis Valteri Archiepiscopi Eboracensis anni MCCXX. in statuto Joannis Archiepiscopi Cantuariensis anni MCCLXXXI. in Concilio Mertonensi anni MCCC. ubi etiam *osculare* nuncupatur. Rursus in Concilio Oxoniensi anni MCCLXXXVII. Cap. XII. *asser ad pacem*; in Bajocensi anni MCCC. Cap. X. *marmor*; & in statutis Ordinis de Sempingham, *lapis pacis* dicitur; in aliis etiam tabula pacis. Vide Jacobum Cardinalem Papiensem in Epistola CCXCV. Per Patenam vice tabellæ dari pacem, prohibuit sanctus Pius V. in Epistola ad Archiepiscopum Tarraconensem relata a Vincentio Suriano Parte I. ejusque meminit Gavantus loco citato in Rubricam V. & VIII.

VIII. Prætereundum denique illud non est, quod cum osculum pacis omnium Ecclesiasticarum functionum signaculum & sigillum esset, uti notat memoratus Joannes Bona Cardinalis loco citato Num. VII. & ut ait præsertim Tertullianas in Libro, *De oratione*, Cap. XIV. nulla oratio sine osculo pacis integra censeretur: *Quæ oratio cum divortio sancti osculi integra?* pia hæc & religiosa antiqua Ecclesiæ disciplina summa cum laude renovata fuit a S. Philippo Nerio, quippe qui in Oratorio S. Hieronymi Charitatis Urbis persequens pias exercitationes a Persiano Rosa, & Bonsigno-

Digitized by Google

signorio Cacciaguerra primum ibidem institutas eum ritum etiam voluit, ut peracta mentali oratione Vespertina, ac recitatis precibus, pax deosculanda singulis præberetur. Id quod etiam nunc viget in eodem primo omnium Oratorio.

IX. Præmittere hæc operæ pretium duxi, ne sanctissima antiqui ritus disciplina ignoraretur; quod autem nostrum hunc §. spectat, nihil profecto explicandum in eo occurrit; nihil enim aliud ait, quam pacis osculum alio modo, ac per diversos Ministros præberi consuevisse, cum scilicet Episcopus ipse celebret solemniter Missam; aliter, cum Missæ per alium Prælatum, vel non Prælatum cantatæ interest; aliter, cum, ipso Episcopo absente, vel in Collegiatis Ecclesiis, Missa solemniter celebratur; & demum aliter in Missa plana. Ut autem servandi sint isti ritus, ex Paragraphis sequentibus addisces.

## §. II.

**Episcopo igitur celebrante, postquam cum Presbytero assistente a sinistro, ac Diacono a dextero latere, dixerit *Agnus Dei &c.* ipse Presbyter assistens accedit ad ejus dexteram, & genuflectit ante Sanctissimum Sacramentum, ac surgens, osculatur Altare simul, & eodem tempore cum ipso Celebrante; mox appropinquans sinistram genam sinistræ Celebrantis, accipit ab eodem Celebrante dicente, *Pax tecum*, osculum pacis, cui ipse respondet, *Et cum spiritu tuo*; factaque ibi iterum genuflexione, discedit, comitante Cæremoniario, osculumque prædictum per Chorum ordine distribuit, incipiendo a dignioribus.**



## COMMENTARIUS.

I. DUo sunt primum in hac Figura, quæ in multis antiquis Cæremonialibus conspicitur, notandi errores. Nam primo Diaconus, qui accipit pacem a Celebrante, male stat a sinistris illius, cum debeat a dexteris stare. Secundo, Calix super Altare velo tectus cernitur, quum alias Palla tantum coopertus esse debeat. Hisce notatis, ut ad §. nostrum deveniamus, primus in eo describitur modus dandæ pacis, cum scilicet Episcopus ipse Pontificaliter celebrat; tunc enim postquam cum Presbytero assistente a sinistro, & Diacono a dextero latere dixerit, *Agnus Dei &c.* Presbyter assistens, ut supra Cap. VII. dictum fuit, accedit ad ejus dexteram, & genuflectens ante Sanctissimum Sacramentum, ac surgens, osculato una cum Celebrante Altari, post finitam scilicet Orationem, *Domine Jesu Christe &c.* appropinquans sinistram genam sinistræ Celebrantis Episcopi accipit ab eo pacem dicente, *Pax tecum*, cui mox ille respondet, *& cum spiritu tuo*. Plura in hunc ritum notat Durandus Lib. IV. sui Rationalis, Cap. LIII. ubi

Digitized by Google

ubi inter alia Num II. tradit ad dexteram Celebrantis recipi pacem, qui prius erat a sinistris, ut significetur, populum Gentilem primum transisse in pace a sinistra infidelitatis ad dexteram fidei, & æternitatis.

II. Recipi osculum pacis ad dexteram Celebrantis est & antiquus ritus Capellæ Pontificiæ, teste Patricio in suo Cæremoniali Lib. III. Sectione IV. Cap. III. ubi agens de ordine dandi pacem inter Missarum solemnia, ita inquit: *Quando Papa celebrat, osculato Altari, dat primo pacem Cardinali Episcopo assistenti, qui ab ejus dextera genuflexus, primo osculatur Altare, & deinde accipit osculum a Pontifice, eique dicenti*, Pax tecum, *respondetur*, Et cum spiritu tuo. Habes hic breviter expositum, quod in nostro §. præscriptum est. Sinistris genis dari pacem docet Rubrica Missalis Romani Parte II. Tit. X. Num. VIII. quia scilicet per genas sinistras significatur, dari pacem e corde, quod ad sinistram vergit, & quod in adversis etiam pax cum proximo habenda sit.

III. Juxta ritum quarumdam Ecclesiarum Sacerdos pacem daturus, osculatus Hostiam dicebat: *Pax tua sit mihi Christe*; deinde ad Diaconum conversus, osculum illi præbebat, dicens: *Et tibi Frater, & omnibus sanguine Christi redemtis*; uti constat ex Codice Missali S. Remigii Remensis anno MDLVI. edito, & ex aliis multis, quos se vidisse testatur Martenius Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo IX. Numero VIII. meminitque ejus consuetudinis exordium magnum Cisterciense Distinctione V. Cap. XIV. his verbis: *Consecratione vero divinorum Sacramentorum rite peracta, cum pacis osculum in populum esset diffundendum, & Sacerdos juxta morem quorumdam sacram Hostiam primitus oscularetur &c.* Sed hanc consuetudinem jam olim improbavit Picardus Poore Episcopus Sarum in Constitutionibus suis, quas edidit circa annum MCCXVII. Cap. XXXVII. mandans, ut *in celebratione Missæ, Hostiam consecratam, pacem daturus Sacerdos ore suo non adveniat, quia ante perceptionem ore suo tangere non debet*.

IV. Varios dandæ pacis in Missa Ritus recenset ex antiquis mss. Codicibus laudatus Martenius loco citato, Ordine IV. & aliis sequentibus: nos, ut ea quæ ad hanc spectant Rubricam, explicemus, ubi Presbyter assistens accepit ab Episcopo pacem ritu superius explicato, *facta ibi genuflexione, discedit, comitante Cæremoniario, osculumque prædictum*, oris scilicet, *per Chorum ordine distribuit, incipiendo a dignioribus*. Etenim pacis osculum Viris Ecclesiasticis in Choro non cum instrumento, sed osculo oris præbendum esse, declaravit Sacra Rituum Congregatio in Messanen. die VIII. Julii anno MDCXX. teste Barbosa in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. DLXVIII. Num. III. Porro ubi quis pacem alii præbet, non modo genas suas sinistras genis sinistris accipientis propinquare debet, sed eum etiam complecti, ita ut bina brachia sua saltem super humeros illius ponat; qui autem accipit, sua brachia sub brachiis præbentis pacem supponet, uti post alios notat Meratus in Additionibus ad Gavantum Parte II. Tit. X. Num. XLII. Verum hic illud notandum puto, quod ubi quis præbet pacem Episcopo, aliisque summa dignitate conspicuis, non brachia ad humeros apponere, sed manus potius sub brachia illorum supponere debet.

## §. III.

Ordo autem idem erit, prout in Cap. XXIII. Lib. I. §. XXVII. proxime præcedenti de thuris ministratione dictum fuit, hoc excepto, quod ipse assistens non dat osculum Diacono Euangelii, & Subdiacono Epistolæ, nec duobus Diaconis assistentibus; isti enim capiunt pacem ab eodem Celebrante statim, postquam illam dederit Presbytero assistenti, genuflectens prius, & post, ante Sanctissimum Sacramentum, non tamen osculantes Altare. Illi vero, hoc est Diaconus Euangelii, & Subdiaconus Epistolæ capiunt pacem ab eodem Episcopo celebrante, cum ab eo accipiunt communionem.

## COMMENTARIUS.

I. QUi in incensatione in superiori Capite XXIII. præscriptus est ordo, idem in danda pace ex §. hujus præscripto servandus est, *hoc excepto, quod ipse Presbyter assistens non dat osculum Diacono Euangelii, & Subdiacono Epistolæ, nec duobus Diaconis assistentibus*; quia scilicet, ut hic idem inquit §. *isti capiunt pacem ab eodem Celebrante statim, postquam illam dederit Presbyteo assistenti, genuflectentes prius, & post, ante Sanctissimum Sacramentum, non tamen osculantes Altare*. Est ritus desumtus a Pontificia Capella, in qua, teste Patricio Lib. III. Sectione II. Cap. XIV. Cardinales Diaconi duo assistentes pacem a Pontifice accipiunt. Id quod etiam tradit in Ordine XV. Romano Petrus Amelius, Cap. LXXXV. ubi ita inquit: *Papa data pace priori Episcoporum Cardinalium, qui servit in Missa, immediate Papa dat pacem Diaconis Cardinalibus*; duobus scilicet, qui ei assistunt; nam subdit, *demto illo, qui legit Euangelium*; quia scilicet, ut idem Auctor subjungit, *ille recipit statim, postquam habuit in ore Corpus Christi de manu Papæ*. Diaconum æque, ac Subdiaconum, qui Episcopo in Missa Pontificali inserviunt, ad cantandum Euangelium, atque Epistolam, ab eodem Episcopo, postquam ab ipso Eu-



Digitized by Google

charistiam sumserint, accipere osculum pacis debere, innuit etiam Crassus Lib. I. Cap. L. *Illud quoque sciant Canonici siqui ex eis parati a Cardinale Episcopo communicandi sunt illa die, ut pacem non accipiant ab aliquo per osculum, sed priusquam Eucharistiam de manu Episcopi accipiant, osculantur manum ejus, & postquam Eucharistiam sumserint, tunc faciem ejus osculantur*. Loquitur haud dubie de ipsis Ministris Diacono Euangelii, & Subdiacono Epistolæ in Missa Episcopo inservientibus, eundemque ritum, quem ipse enarrat, legere est etiam in aliis Cæremonialibus.

## §. IV.

**Sed si fuerint Sacerdotes, & jam celebraverint, aut velint hac die celebrare, tunc postquam Presbyter assistens cum Pluviali, pacem ab Episcopo celebrante acceperit, ut eam per Chorum distribuat, ab eodem celebrante pacem etiam accipiunt cum Diaconis assistentibus, Diaconus Euangelii, & Subdiaconus Epistolæ.**

## COMMENTARIUS.

I. ANtequam §. hujus Rubricæ enarrationem aggrediar, admonendus est Lector, totum hunc §. primum in hoc Cæremoniali a Benedicto XIII. probato positum esse; in aliis enim ante ipsum editis Cæremonialibus desideratur. Ergo ex hoc novo additamento addiscimus, Diaconum Euangelii, & Subdiaconum Epistolæ, si fuerint Sacerdotes, & jam celebraverint, aut velint hac die celebrare, postquam Presbyter assistens cum Pluviali pacem ab Episcopo celebrante acceperit, ut eam per Chorum distribuat, ab eodem Episcopo celebrante etiam ipsos accipere pacem debere cum Diaconis assistentibus, idest, immediate post ipsos, juxta Decretum Sacræ Rituum Congregationis in Alexandrina die XV. Martii anni MDCVIII. in responsione ad Dubium XIII. apud Barbosam in Summia Apostolicarum Decisionum Collectan. CCXLIX. Numero V. his verbis: *Diaconus, & Subdiaconus, quando sunt Presbyteri, & ministrant in Missa solemni, & voluerint celebrare, vel jam celebraverint debent accipere pacem ab Episcopo immediate post duos Diaconos assistentes*. Affert & hoc Decretum inter alios Meratus in suis ad Gavantum Additionibus, & in Indice Decretorum. Nihil itaque est in eo additamento, quod non sit consonum Decisionibus Sacræ Rituum Congregationis, quibus casus, qui sæpenumero occurrere solent, egregie explicantur. Cavendum autem iis est, quicumque pacem a Celebrante accipiunt, præter Presbyterum assistentem, ut alias dictum est, ne manus ad Altare apponant, illudque osculentur; id enim expresse prohibet litera nostri textus supra in §. III. Quod iccirco hic iterum admonendum cesuimus, quod nonnulli aliter agant, & pro arbitrio præscriptas Cæremonias servant.

## §. V.

**Observabit autem ipse Presbyter assistens, osculum deferens, ut nulli quantumvis, supremo Principi, etiamsi esset Imperator, vel Rex, ullam reverentiam faciat, antequam ei pacem det, sed post datam pacem; cui etiam, ipsi, qui acceperunt pacem ab eo, debita reverentia correspondent, cum sit ex primis Dignitatibus, vel Canonicis Ecclesiæ. Legatus tamen, aut Princeps supremus parum correspondent in reverentia.**

## COMMENTARIUS.

I. QUemadmodum ob reverentiam sancti Euangelii, ubi illud Sacerdoti, vel etiam Episcopo post ejus lectionem solemnem ad osculandum defertur, nulla fit ei reverentia, vel inclinatio capitis, ut habetur infra Cap. XXX. §. II. ita quoque Presbyter assistens, ubi osculum pacis defert, in signum reverentiæ pacis Christi, *nulli quantumvis supremo Principi, etiamsi esset Imperator, vel Rex, ullam reverentiam* facere debet, *antequam ei pacem det, sed post datam pacem*, ut hic ait §. noster; tametsi aliter olim tradiderit Crassus Lib. I. Cap. L. ubi ait, faciendam esse reverentiam ante, & post, illi ab eo, qui pacem defert: *Assistens*, inquit, *comitante Capellano Cæremoniario, vadit ad Legatum, cui reverenter cum vultus porrectione pacem offert, dicens*, Pax tecum, *cui Legatus etiam, ut supra, respondet: ipse autem assistens ante, & post osculum, facit inclinationem profundam in conspectu Legati*. Et mox: *Tum vadit ad Magistratum, & ex eis primo stanti, cum levi capitis inclinatione det osculum pacis*. Porro in eo nostræ huic Rubricæ concinit Crassus, si tamen aliquid etiam excipias, quum ait, quod *ille, cui, præter Legatum datur pax, similiter caput adversus assistentem alioquin Canonicum, sive in Dignitate constitutum inclinat*. Etenim ex nostro hoc §. Legatus quoque, aut Princeps supremus, *parum correspondent in reverentia*.

II. Idem quod hic noster §. tradit etiam Cæremoniale Ambrosianum Lib. I. Cap. *De officio Archipresbyteri assistentis in Missa Pontificali*; mandat

Digitized by Google

dat enim, ne cuiquam Canonico, neque etiam ulli Principi quantumlibet magno, dum pacem circumfert, reverentiam faciat, sed solum post datam ei pacem; eamque reverentiam solis Canonicis, & Principibus convenire ait, quando assistens, qui pacem defert, est Canonicus.

## §. VI.

**Regulare est, ut pax detur primo cujusque ordinis, videlicet, primo ex Canonicis Presbyteris, primo ex Canonicis Diaconis, & primo ex Canonicis Subdiaconis, ubi distinctæ sunt Præbendæ; vel, ubi Præbendæ non sunt distinctæ, primo ab utroque latere stanti, qui successive pacem dat alteri subsequenti, & ille dat alteri; & si aderunt Laici, ut Magistratus, & Barones, ac nobiles, detur illis pax cum instrumento, quod instrumentum osculetur prius Presbyter assistens.**

## COMMENTARIUS.

I. Regula ista, cujus hic §. meminit, ut scilicet ubi Præbendæ Canonicales sint distinctæ, pax detur primo cujusque ordinis, videlicet primo ex Canonicis Presbyteris, primo ex Canonicis Diaconis, & primo ex Canonicis Subdiaconis, desumta est ex Cæremoniali Pontificiæ Capellæ; ut enim testatur Patricius Lib. III. Sectione V. Cap. III. Cardinalis Episcopus *dat pacem primo Episcopo Cardinali existenti cum aliis Cardinalibus, primo Presbytero, & primo Diacono existenti apud scamna.* Ubi Præbendæ non sunt distinctæ, ex ejusdem nostri hujus §. præscripto datur pax *primo ab utroque latere stanti, qui successive dat pacem alteri subsequenti, & ille dat alteri*, stanti scilicet, & capite detecto ob reverentiam pacis.

II. Plura de pace danda tradit Crassus Lib. I. Cap. L. quæ nostro huic §. parum consona sunt, imo prorsus contraria; ait enim dari pacem per amplexum a Presbytero assistente etiam laico Magistratui, & aliis Viris laicis, qui Missæ Pontificali assistere solent. Sane præter præscriptum nostri hujus §. varia exstant Sacræ Rituum Congregationis Decreta, præsertim in Pacen. die XXI. Martii anni MDCIX. & in Calaguritana V. Julii MDCIV. apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum, & apud Meratum in Additionibus ad Gavantum, & novissime in Veliterna die X. Septembris anni MDCCVIII. apud Ursayam Tomo V. Disceptatione IX. in responsione ad tertium Dubium, quibus edicitur laicis, imo & Domino loci, ac Magistratui pacem non cum osculo, & amplexu, sed cum instrumento, tabellæ scilicet pacis, esse præbendam ab aliquo Ministro Cotta induto, postquam scilicet tabellam ipsam deosculatus fuerit Presbyter assistens, ut in nostro §. eoque deficiente, Diaconus exemplo Presbyteri assistentis. Diaconus autem non prius tabellam deosculabitur, quam per amplexum pacem dederit Subdiacono.

III. Verum tametsi ita & nostrum Cæremoniale, a quo etiam consuetudines in contrarium proscriptæ sunt, & repetita Sacræ Rituum Congregationis Decreta præscribant, passim tamen hodie tum alibi, tum etiam Romæ laicis alias non magni Ordinis pax in Missis Pontificalibus per amplexum, non per instrumentum dari solet, uti omnibus notum est, & testatur ipse Ursaya loco citato, Num. XXXIX. ubi ait in Ecclesia Sapientiæ Urbis, cum solemnis cantatur Missa, cui Advocati dicti Consistoriales, & Lectores ejus Archigymnasii assistunt, *tam Advocatis Consistorialibus, quam omnibus Lectoribus dari pacem per amplexum, non autem per instrumentum.* Ex memoratis autem Advocatis Consistorialibus, & Lectoribus non pauci laici sunt, imo & uxorati.

IV. Ita quoque & in Ecclesia S. Hieronymi hodieque servatur, etenim Deputatis, quorum nonnulli laici sunt, ubi Missæ Pontificali assistunt in Festis S. Hieronymi Ecclesiæ Patroni, & S. Philippi Nerii, qui ibidem triginta tribus annis Oratorii exercitationes egit, pax per amplexum datur. Omitto alia exempla, quæ in aliis Urbis Ecclesiis occurrunt, in quibus idem ritus servatur cum laicis infimæ conditionis contra expressam literam nostræ hujus Rubricæ, & uti dictum est, contra iteratas Sacræ Rituum Congregationis Decisiones. Verum dici potest, quod olim scripsit Innocentius III. Pontifex Maximus Episcopo, & Cantori Tornacensi, cujus sententia quæ exstat in Cap. *Cum jamdudum* XVIII. *De præbendis*, hæc est: *Multa per patientiam tolerantur, quæ, si deducta fuerint in judicium, exigente justitia, non debent tolerari.*

V. Ceterum si adsit aliquis supremus Princeps, vel Prorex, aut Gubernator Provinciæ, vel Magistratus, modo sit ex majoribus, non addubito, quin eis danda sit pax cum amplexu, eodem prorsus ordine, quo fuerant incensati, itaut si incensati ante Clerum fuerint, ante illum etiam pacem recipiant, uti colligitur ex nostro hoc Cæremoniali, Cap. XXIII. §. XXX. & ex §. III. hujus Capitis, itemque ex praxi Capellæ Pontificiæ cujus meminit Patricius loco citato, & ex superius laudato Cæremoniali Ambrosiano, ubi Presbyter assistens accepta ab Episcopo Celebrante pace, eam defert, *primum Gubernatori, deinde Episcopis, si adsint, tum primis, qui in Choro sunt a parte Presbyterorum &c.* De pace tandem cum instrumento laicis danda, illud plane non omittendum, deberi ejus manubrio pannum lineum appendi, ut qui eam defert, leviter ipsam toties abstergat, quoties deosculandam præbet, ne alterius deoscu-



Digitized by Google

latio alii nauseam faciat, juxta morem, qui in Oratorio S. Hieronymi servatur, ubi tabella pacis in oratione vespertina singulis, qui ad eam conveniunt, deosculanda porrigitur.

VI. Pueris quoque, ac populo vulgari necnon mulieribus in Missa Pontificali per aliquem alium Ministrum Cotta scilicet indutum dari pacem cum instrumento, tradit laudatus superius Crassus. Verum ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis in Lucerina III. Junii MDCXVII. mulieribus pax dari non debet; & aliquando an danda sit, remittitur arbitrio Episcopi, ex alio ejusdem Congregationis Decreto in Pacen. XXVIII. Januarii MDCXII. apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. DLXVIII. Numero VIII. Notandum tamen quod illi, qui accipiunt pacem per instrumentum, non debent stare, sicuti omnino stare debent illi qui per osculum pacem accipiunt, uti dictum superius fuit, & constat ex §. sequentis Rubrica, sed genuflexi manere, uti post Turrinum Parte I. Sectione III. Cap. II. §. *Si pax laicis*, notat Meratus in Additionibus ad Gavantum Parte II. Tit. X. Num. XLVI. in fine.

VII. Tradit præterea & illud Crassus, eam esse aliquorum sententiam, *ut Monachis simplicibus, idest, non Prælatis, siqui aderunt, nullatenus pax detur, sive vultu, sive instrumento, quia in hoc actu mortui censentur*. Id sane docet Durandus Lib. IV. sui Rationalis, Cap. LIII. Numero VIII. ubi postquam dixit, in Missa pro Defunctis pacem non dari, quia fideles animæ jam non sunt, nec ulterius erunt in turbatione hujus mundi, sed quiescunt jam in Domino, ita deinde subjicit: *Hinc est, quod etiam inter Monachos pax non datur, quoniam mundo mortui reputantur*. Citat in ejus confirmationem Canonem, *Pacem*, de consecratione, Distinctione II. sed quidem non recte; nihil enim in eo Canone occurrit, imo ne unum quidem verbulum de non danda Monachis pace; loquitur Canon de danda pace post consecta sacra Mysteria, reprobatque abusum, qui irrepserat, pacis dandæ ante ipsorum Mysteriorum confectionem, uti notavimus supra in Commentario ad §. I.

## §. VII.

**Postquam vero prædictus Assistens pacem Dignitatibus, & Canonicis, ac Magistratui dederit, dabit eam alicui Acolytho, vel Cæremoniario, qui cæteris de Choro distribuit. Nulli autem Ecclesiastico osculum hujusmodi dandum est, nisi stanti.**

## COMMENTARIUS.

CAutum est ex Rubrica VIII. Missalis Romani, Parte II. Tit. X. ubi agitur de Missa solemni, ut postquam Subdiaconus accepta pace a Diacono, illam per Chorum distribuit, primo scilicet cujusque Ordinis, dignioribus prius, deinde minus dignis, det pacem tandem Acolytho, qui ipsum comitaverat, ut nimirum Acolythus aliis pacem præbeat. Quod autem ex citata Rubrica Romani Missalis in solemni Missa Presbyteri facit Subdiaconus, qui jam cantavit Epistolam, id ex nostro §. præsenti in solemni Missa Pontificali assistens Presbyter præstat; etenim postquam is pacem Dignitatibus, & Canonicis, ac Magistratui dederit, *dabit eam alicui Acolytho, vel Cæremoniario, qui ceteris de Choro distribuit*; Clericis scilicet inferioris Ordinis; atque ut ait Cæremoniale Ambrosianum, etiam *Officialibus*. Quicquid fit, ubi pax cum amplexu datur, nulli profecto danda est, *nisi stanti*, ut ait hic §. noster, & docet etiam inter alios Crassus Lib. I. Cap. L. sic dicens: *In hac pacis datione per osculum vultus, observetur, ut nulli omnino detur genuflexo, sed stanti, sicut de incenso dictum est*.

## §. VIII.

**Quando Episcopus ipse non celebrat, sed Missæ per alium celebratæ præsens fuerit, idem Presbyter assistens accipiet pacem a Celebrante, acceptamque Episcopo deferet, qui eam duobus Diaconis assistentibus dat.**

## §. IX.

**Advertendum tamen est, si is, qui celebrat, sit Prælatus, ita ut habeat Capellanum assistentem cum Pluviali in Missa, tunc ipse Capellanus assistens, postquam Episcopus pacem dederit duobus Diaconis assistentibus, accedit in Choro ad locum dicti Presbyteri assistentis, qui dedit pacem Episcopo, & ab eo accipit pacem, quam ad alios de Choro ordine superius dicto defert.**

## COMMENTARIUS.

I. EPiscopo non celebranti, sed Vesperis, aut Missæ solemni per alterum cantatæ præsenti, debere Presbyterum, Canonicum scilicet digniorem assistere, una cum aliis duobus Canonicis Diaconis *in habitu Canonicali sine paramentis*, jam supra edixit nostrum Cæ-

Digitized by Google

Cæremoniale Cap. VII. §. VII. Itaque ubi Episcopus ipse non celebrat, sed Missæ per alium celebratæ præsens fuerit, ex præscripto hujus §. VIII. *idem Presbyter assistens accipiet pacem a Celebrante, acceptamque Episcopo defert, qui eam duobus Diaconis assistentibus dat*. Notandum hic tamen est, quod in §. IX. edicitur, ut nimirum, si is qui celebrat, sit Prælatus, habeatque Capellanum assistentem in Missa, tunc Capellanus ipse assistens, postquam Episcopus dederit pacem duobus Diaconis sibi assistentibus, accedat in Choro ad locum Presbyteri assistentis, qui pacem dedit Episcopo, ab eoque accipiat pacem, quam ad alios de Choro ordine supra dicto distribuat; non enim ipse Capellanus assistens celebranti Prælato, ab eo pacem accipit, sed a Presbytero assistente Episcopo Missæ præsenti.

II. Quæ in duobus hisce Paragraphis præscripta sunt, concinunt quidem ritui, qui in Capella Pontificia servatur, cum scilicet Summus Pontifex Missam ipse solemnem non celebrat, sed Missæ ab aliquo Cardinali, vel Prælato cantatæ assistit. Sic enim inquit in suo Cæremoniali Augustinus Patricius Lib. III. Sectione V. Cap. III. *Quando autem aliquis Cardinalis, sive Prælatus celebrat, Pontifice præsente, Cardinalis assistens, dicto*, Agnus Dei, *recedit de circulo, & factis reverentiis ascendit ad Altare, & genuflexus illud osculatur primum; tunc surgens capit pacem a Celebrante, & deinde ascendit ad Papam, cui dat osculum pacis, ut supra; deinde revertitur ad locum suum cum aliis Cardinalibus; & alii Diaconi assistentes, descendentes a latere Pontificis, factis reverentiis, similiter ascendunt ad Papam, & capiunt ab eo osculum pacis*. Et paulo post: *Interim vero Capellanus assistens Celebrantis cum Pluviali ductus a Cæremoniario relinquens Librum Missalem ad manus Diaconi Euangelii, cum reverentiis solitis accedit ad Cardinalem assistentem, & ab eo accipit osculum pacis, & se ei inclinat antequam capiat, & postquam acceperit pacem, dat pacem priori Episcoporum Cardinalium &c.* Hactenus ille, ex quo multa habemus, quibus Rubricæ duorum præsentium nostrorum Paragraphorum egregie dilucidantur.

III. Paucis eundem ritum explicat Crassus Lib. I. Cap. L. prope finem, ubi tamen ait, pacem tunc dari non per amplexum, sed per instrumentum: *Cardinali*, inquit, *non celebrante, sed Missam coram se cantatam audiente, unus Capellanus instrumentum pacis a Celebrante prius osculatum portat ad seniorem Canonicum assistentem, qui offert Cardinali, deinde reddit illud Capellano, & ille aliis dispensat pacem ordine supradicto*. Ubi nota, quod ait de instrumento pacis, contrarium esse & nostro, & Pontificiæ Capellæ Cæremoniali, ubi præscribitur, pacem, etiam Summo Pontifice non celebrante, sed assistente, non per instrumentum, sed per amplexum esse præbendam.

## §. X.

Quod si is, qui celebrat, non sit Prælatus, nec habeat Capellanum assistentem cum Pluviali, eodem modo Presbyter Episcopo assistens accipit pacem a Celebrante, eamque ad Episcopum defert, qui dat illam Diaconis assistentibus, ut supra: mox stans in loco suo inter Canonicos, illam dabit Subdiacono, qui cantavit Epistolam in Missa, qui ad alios defert, nisi adesset major Episcopo, quia tali casu semper illi dabitur pax ab eodem Presbytero assistente, qui pacem dat Episcopo, ut in Cap. XXIII. §. XXII. de thurificatione dictum est.

## COMMENTARIUS.

I. CUm utplurimum occurrere soleat, ut is qui præsente Episcopo solemniter celebrat, nec Prælatus sit, nec Capellanum cum Pluviali habeat assistentem, in eo casu statuit hic §. noster, ut eodem modo, quo supra, Presbyter Episcopo assistens pacem a Celebrante accipiat, eamque ad Episcopum deferat, qui deinde dat illam Diaconis sibi assistentibus. Interim vero idem Presbyter assistens accedit ad locum suum inter Canonicos, ad eumque pergit Subdiaconus, qui cantavit Epistolam in Missa, quique accepta ab eodem pace, ad alios ipsam defert, ut in nostro hoc §. edicitur, ex quo illud addiscimus, eum quidem servari ritum, *nisi adesset major Episcopo, quia tali casu semper illi dabitur pax ab eodem Presbytero assistente, qui pacem dat Episcopo*, nempe prius, quam pacem ipsam det Episcopo proprio, ut scite notat Bauldryus Parte II. sui Manualis, Cap. X. Articulo II. Num. X. ubi etiam tradit, Abbatibus, aliisque Episcopo inferioribus, si Missæ & ipsi adfuerint, dari pacem a Subdiacono; Episcopo vero extraneo, a Presbytero assistente. Ceterum si Episcopus item extraneus celebret coram proprio Episcopo, idem mox Auctor admonet, aliique Auctores docent, qui Rubricas Missalis Romani enarrant, & qui de cæremoniis Ecclesiasticis peculiares Tractatus ediderunt, Presbyterum tunc assistentem proprio Episcopo, accepta a Sacerdote celebrante pace, debere ipsam Diacono dare, qui eam dabit Subdiacono, si communionem non sunt accepturi, juxta ea quæ superius jam a nobis non uno in loco dicta fuere.

II. Neque vero omittendum est illud, quod idem Bauldryus ait Parte V. Cap. XXIV. Num. VII. nempe, ubi Episcopus assistat Missæ solemni, & tum

Digitized by Google

tum ipse, tum Celebrans non habeat Presbyterum assistentem, conveniens esse tunc quidem, ut Diaconus accipiat de more pacem a Celebrante, & postea hic eam det Subdiacono, qui eam distribuat in Choro, postquam scilicet prius illam Episcopo dederit, cum debita reverentia post datum tamen osculum tantum. Sed & de his quoque nos supra non uno in loco diximus, dicemusque etiam infra in decursu hujus Operis, ubi se nobis opportuna dabit occasio.

## §. IX.

**Absente Episcopo, ut in Ecclesiis Collegiatis, servabitur ordo, ut in Rubricis Missalis, videlicet, ut Subdiaconus, accepta pace a Diacono, illam per Chorum distribuat, sed quicumque sit, qui pacis osculum defert, sive Presbyter assistens, sive Capellanus, sive Subdiaconus, eadem observabit, quæ de Presbytero assistente supra dicta sunt, quoad reverentias, & formam dandi osculum.**

## COMMENTARIUS.

I. ORdo dandi pacem ex Rubricis Missalis, quas hic servari admonet §. noster, ubi Missæ solemni non fuerit præsens Episcopus, ita quidem describitur Parte II. Tit. x. Numero VIII. Dicto, *Agnus Dei*, a Celebrante, & Ministris, Diaconus statim genuflectit a dexteris illius, dum ipse Celebrans dicit Orationem, *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis &c.* qua dicta, *cum Celebrans osculatur Altare, ipse se erigens, simul osculatur illud extra Corporale, & a Celebrante dicente*, Pax tecum, *complexus accipit pacem, sinistris genis sibi invicem appropinquantibus, & ei respondet*, Et cum spiritu tuo. *Postea iterum Sacramento in Altari adorato*, facta scilicet genuflexione, *vertit se ad Subdiaconum retro post Celebrantem, & similiter dat ei pacem*, cum osculo scilicet, ut supra; *Subdiaconus accepta pace a Diacono, & facta Altari genuflexione, comitatus ab Acolytho*, seu Cæremoniario, *vadit ad Chorum, & dat pacem primo cujusque Ordinis, dignioribus prius, deinde minus dignis*; quos scilicet sine ulla prorsus reverentia complectitur, nisi post datam pacem, uti superius notatum fuit; inclinantibus tamen se ipsi Subdiacono præbenti pacem ante, & post, iis qui ipsam pacem ab eo accipiunt. Tandem reversus ad Altare Subdiaconus, *facta genuflexione, dat pacem Acolytho, qui ipsum comitaverat, qui & aliis Acolythis circa Altare dat pacem*.

II. Hactenus Rubrica VIII. Missalis Romani Parte II. Tit. x. in quam videri possunt Notæ Gavanti, Quarti, Merati, & aliorum Auctorum, qui Rubricas ipsas Missalis enarrant. Porro notat post Bissum laudatus Meratus, Subdiaconum, qui defert pacem in Chorum, debere illum in medio ab utraque parte salutare, quia scilicet ex Rubricis, *prohibetur salutatio determinatæ personæ, cui danda est pax, sed non salutatio Chori, quæ profecto non est omittenda*. Sed hanc sententiam non puto admittendam, videtur enim esse contra literam nostri textus, qui iterum atque iterum mandat, nulli prorsus reverentiam exhiberi, ante quam pax detur; est etiam contra mysterium, quod in eo ritu continetur, quodque jam superius explicuimus. Ceterum ubi Subdiaconus, sive alius qui pacem defert in Chorum, regulariter duobus tantum eam præbet, nempe digniori ex utraque parte Chori, nisi scilicet præbendæ sint distinctæ, & plures Ordines Clericorum; tunc enim pax dabitur a Subdiacono ab utraque parte Chori, primo, & digniori cujusque Ordinis, verbi gratia, si in Cathedralibus, aut Collegiatis Ecclesiis, sint distincti Ordines, & Præbendæ, datur primo Dignitatibus, deinde primo Canonico Presbytero, tum primo Canonico Diacono, deinde primo Canonico Subdiacono, & postea aliis per ordinem, juxta morem Ecclesiarum, quem in ordine dandæ pacis servandum omnino esse ait nostrum Cæremoniale infra in sequenti §. XII. & ultimo hujus Capitis. Qui prius autem accipit pacem, eam postea subsequenti ejusdem Ordinis dabit, uti post nostrum Cæremoniale Auctores passim docent, quorum aliquos citat laudatus Meratus in Additionibus ad Gavantum Parte II. Tit. x. Nam. XLV. ubi etiam ex Bauldryo subdit, quod si sit aliqua notabilis distantia inter Clericos ejusdem Ordinis, tunc Subdiaconus eam etiam dabit primo, qui est remotus ab aliis sui Ordinis, ne ipsi Clerici cogantur discurrere ad recipiendam, & dandam pacem.

III. Admonendi insuper sumus, in accipienda pace nullas præmittendas esse invitationes, quæ in incensatione fieri solent, ad significandum scilicet, ut thurificandus ea invitatione promtus sit ad deponendum pileolum, & ad accipiendam thurificationem facie ad thurificantem conversa; sunt enim nonnulli ita abstracti, ut sine illa invitatione, nec pileolum deponerent, nec ad thurificantem attenderent, uti multis sæpenumero accidit, tametsi a socio invitati fuerint. In accipienda autem pace non est opus ea invitatione, etenim tametsi quis esset abstractus, ab osculum pacis præbente excutietur, ut pacem ipsam reverenter accipiat. De reverentia tandem notandum est illud, qui pacem accipit, pro qualitate personæ, eum plus, vel minus, se inclinare debere, antequam pacem accipiat. Hinc si recipiens pacem sit major dignitate illam præbente, uti est Canonicus respectu Beneficiati, tunc Canonicus ipse parum inclinabitur ipsi Beneficiato pacem danti, ut scite inter alios docet Turrinus Parte I. Sectione III. Cap. II.

§. XII.

Digitized by Google

## §. XII.

In Missis planis, quæ coram Episcopo dicuntur, adhiberi solet instrumentum pacis, ut in Cap. xxx. Lib. 1. dicetur. Itaque ad ordinem distribuendæ pacis, ac ejus ministros quod attinet, servetur laudabilis locorum consuetudo.

## COMMENTARIUS.

I. IN Missis denique planis, quæ scilicet non cantantur, quæque vel *privatæ*, vel *bassæ* a Scriptoribus medii ævi appellantur, uti videre est apud eruditum Dufresne in suo Glossario, verbo *Missa*, ubi ipsæ coram Episcopo dicuntur, *adhiberi solet*, ait hic §. noster, *instrumentum pacis*; tabella scilicet argentea, aut ex pretiosa aliqua materia confecta, in qua sit Imago Crucifixi. Mentio fit in hoc §. Capitis xxx. hujus 1. Libri, ubi agitur de Missa, quæ sine cantu coram Episcopo celebratur in locis suæ jurisdictionis; ibi autem §. 11. habetur, quod post, *Agnus Dei*, a Capellano Cotta induto *defertur ei pacis instrumentum*, *quod Episcopus osculatur*, nempe quod prius Sacerdos celebrans osculatum, Capellano ipsi genuflexo prope Celebrantem ad Altare tradiderat, *dicens Pax tecum*, respondente illo, *Et cum spiritu tuo*. Tum enim idem Capellanus instrumentum pacis Episcopo defert, & ait, *Pax tecum*, cui Episcopus etiam genuflexus respondet, *Et cum spiritu tuo*. Advertere autem Capellanus debet, ut nullatenus genuflectat, nec ullum signum reverentiæ faciat Episcopo, antequam dictum instrumentum porrexerit osculandum, sed tantum post illud osculatum; quia tunc non habetur ratio Ministri, sed pacis, quæ a Sacrificio Altaris ad illum defertur; postea vero vel genuflectet, vel inclinabit se illi.

II. Denique cum varii in ordine dandæ, & accipiendæ pacis varii sint ritus Ecclesiarum, recte ait hic noster §. ad ordinem distribuendæ pacis, ac ejus Ministros quod attinet, servandam esse laudabilem locorum consuetudinem; quæ verba huic Capiti Cæremonialis a Benedicto XIII. adjuncta fuere, in anterioribus enim Cæremonialibus omnino desiderantur, Caputque hoc XXIV. iis solum verbis finitur: *In Missis planis*, *quæ coram Episcopo dicuntur*, *adhiberi solet instrumentum pacis*, *ut in Cap.* xxx. *Libri* 1. De Missa, quæ sine cantu coram Episcopo celebratur. Porro notanda sunt ea adjuncta verba: *Servetur laudabilis locorum consuetudo*, quæ scilicet probata sit longi temporis usu, nihilque habeat, quod Ecclesiæ disciplinæ adversetur, ut si scilicet pax a Clerico mulieri per amplexum detur; ridicula enim est Glossa Canonici juris, ubi in Canone, *Absit*, XI. Quæstione III. inter alia inquit, quod, *si Clericus amplectitur mulierem*, *iterpretabitur*, *quod causa benedicendi eam hoc faciat*. Scio alicubi vigere hunc usum, ut laici, & sacri homines, cum feminas visitant, eas in fronte osculentur; sed turpis hic usus est, licet non desint Auctore molles, qui docent, non peccare mortaliter, qui tangit amore honesto, & jocoso sine mala intentione pectus mulieris, & mamillas manu premit. Sed hasce opiniones passim alii doctiores Auctores rejiciunt.

## CAP. XXV.

*Quo ritu danda sit benedictio solemnis ab Episcopo. In Missis datur, finito sermone, & Confessione per Diaconum cantata, ac Indulgentia publicata. Datur ab Episcopo stante in medio Altaris. Ritus dandi Benedictionem in fine Missæ, ac Vesperarum. Indulgentia, quæ ab Archiepiscopo, & Episcopo, pro Benedictione conceditur, est quadraginta dierum, quæ a Cardinali vero, centum dierum.*

## §. I.

Duobus modis dantur Benedictiones ab Episcopis in Missis, uno nempe, quando infra Missam sermo habetur; tunc enim, finito sermone, Diaconus, qui cantavit Euangelium, stans ante infimum, vel in supremo gradu Altaris, conversus ad Episcopum, capite inclinato, cantat Confessionem in tono, qui notatur in fine hujus Cæremonialis, & dum dicit, *Tibi Pater*, *& Te Pater*, si fuerit Canonicus, se inclinat profundius, si vero non fuerit Canonicus, genuflectit. Deinde, finita confessione, Sermocinator, qui in pulpito, dum cantatur confessio manet genuflexus, surgens, publicabit Indulgentiam in forma sequenti.

*Reverendissimus in Christo Pater, & Dominus, Dominus N. Dei, & Apostolice Sedis gratia hujus Sanctæ N. Ecclesiæ Episcopus dat, & concedit omnibus hic præsentibus*

Digitized by Google

*tibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ consueta; rogate Deum pro felici statu sanctissimi Domini nostri N. Divina providentia Papæ N. Dominationis suæ Reverendissimæ, & Sanctæ Matris Ecclesiæ.*

## COMMENTARIUS.

I. DUæ sunt formæ, quibus Romana Ecclesia utitur in-in benedictionibus dandis ab Episcopo in Missa. Una est, quando intra Missam sermo habetur; altera est illa, quæ datur in fine Missæ, dicto, *Placeat tibi &c.* de qua agitur infra in §. v. Ad primam quod attinet, tradit Crassus Lib. I. Cap. XLI. quod quoties intra Missam fit sermo Latinus, toties confessio per Diaconum cantari, & per Sermocinantem Indulgentiam publicari, ac absolutio, & benedictio per Episcopum, aut Cardinalem, si adsit, dari debent. Itaque illico sermone finito, Diaconus Euangelii stans ante Celebrantem, vel Cardinalem humiliter totam confessionem dicit in tono, qui notatur in fine hujus Cæremonialis, & dum dicit, *Tibi Pater, & Te Pater*, si fuerit Canonicus, ait hic §. noster, se inclinat profundius; si vero Canonicus non fuerit, genuflectit. Notat autem memoratus Crassus, etiam nomen Mariæ debere in ipsa confessione reverenter dici. Esse vero antiquum ritum ut a Diacono Euangeli ea confessio pronuncietur, testis est Ordo Romanus XIV. Auctore Jacobo Gaetano, Cap. XLVII. & LXXII. Ceterum ex ms. Pontificali Gulielmi Durandi apud Martenium Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo XII. Ordine XIX. prædicatione finita fiebat *confessio generalis vel per Diaconum, vel per Sacerdotem Ministrum, populo devote genua flectente, & eadem tacite dicente.*

II. Finita confessione, Sermocinator, qui in pulpito, dum cantatur confessio, manet genuflexus, & detecto capite, ut ait Crassus; surgens publicabit Indulgentiam juxta formam in hoc §. præscriptam, *Reverendissimus in Christo Pater &c.* juxta ritum scilicet Romanæ Ecclesiæ, cujus memoratus Romanus XIV. Ordo meminit in citato Cap. XLVII. ubi ita inquit: *Antequam Pontifex det absolutionem, dictus Cardinalis, qui prædicaverit, annunciet Indulgentiam talibus, vel similibus verbis*: Dominus Summus Pontifex auctoritate Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, & sua, omnibus vere pœnitentibus, & confessis concedit Indulgentiam unius anni, & quadraginta dierum; *vel plus, sicut Pontifici placuerit*. Ubi tria notanda sunt. I. consuevisse olim Cardinalem in solemni Summi Pontificis Missa sermonem habere. II. ipsum Cardinalem, qui habebat sermonem, pronunciasse Indulgentiam. III. eam Indulgentiam non fuisse ad aliquod tempus limitatam, sed in arbitrio Papæ fuisse, quantum vellet Indulgentiæ largiri, ob suam scilicet plenitudinem potestatis: cum alias Episcopi de jure quadraginta nonisi dies concedant, & centum Cardinales, nisi quis ex privilegio Apostolicæ Sedis ampliorem habeat facultatem, uti inter alios est Patriarcha Ulyssiponensis, cui Clemens XI. Constitutione sua LXXXVI. quæ incipit: *In supremo*, edita anno MDCCXVI. §. XXIII. hanc etiam gratiam largitus est, ut eas Indulgentias concedere valeat, quas Sedis Apostolicæ Nuntii in Portugalliæ Regnis ejusdem Sedis auctoritate concedere solent, non tamen ultra annum, necnon in uno Festo dumtaxat a primis usque ad secundas Vesperas, & occasum solis diei Festi hujusmodi, quinque annos, & quinque quadragenas, aut infra, ita tamen, ut semel tantum pro una Ecclesia, vel Capella fiat.

III. Ea lex Episcopis, ut scilicet in concedendis Indulgentiam non excedant numerum quadraginta dierum, jam, ut alibi dictum fuit, constituta est in Synodo IV. Lateranensi anni MCCXV. Cap. XIV. quia scilicet *per indiscretas, & superfluas Indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verebantur, & claves Ecclesiæ contemnerentur, & pœnitencialis satisfactio enervaretur*. Statuit itaque Synodus, ut cum dedicatur Basilica, non extendatur Indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive a pluribus Episcopis dedicetur, ac deinde in anniversario dedicationis tempore, ac in aliis quibuslibet casibus, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat. Ante hanc restrictionem non est dubium, quin Episcopi plenariam Indulgentiam concesserint, ex eoque tempore Indulgentia ipsa plenaria fuit Summis Pontificibus reservata; tametsi & ipsi, qui alias habent plenitudinem potestatis, moderati tunc temporis essent, quo celebrata est dicta Synodus Lateranensis, & multo post etiam in Indulgentiis concedendis; ut eadem Synodus testatur citato Capite XIV. & complurium insequentium Pontificum exempla nos docent. Certe Urbanus IV. instituens Festum Sanctissimi Corporis Domini nostri Jesu Christi, ultra centum dierum Indulgentiam horis Canonicis ipsius Festi præsentibus non concessit.

IV. Seculo XI. & XII. quam moderati, & parci fuerint Romani ipsi Pontifices in elargiendis Indulgentiis, variis testimoniis ostendit Cardinalis Baronius, quippe qui ad annum MCLXXVII. relatis Indulgentiis unius anni concessis ab Alexandro Papa III. in dedicatione majoris Altaris Ecclesiæ Ferrariensis, ita subjicit: *Quibus videas usum ejus temporis concedendi per Pontifices Romanos Indulgentias, quæ unius anni terminum non excederent, præterquam in expeditione terræ sanctæ, ut constat ex aliorum etiam Pontificum diplomatibus*. Ita ille, qui etiam deinde subinfert: *Quibus redarguuntur scripta, quibus proditur, concessum ab eodem Pontifice primis Dominicis singulorum mensium Anconitanis tantum Indulgentiarum, quantum arenæ possent capere*

*ambæ*

Digitized by Google

*ambæ manus simul junctæ*. Baronio adjungimus Bellarminum, qui & ipse Lib. II. *De Indulgentiis*, Cap. XX. Num. VIII. merito inter fabulas recenset, *quod Gregorius Papa cum Lateranensem Ecclesiam iterum dedicaret, tot dierum Indulgentias dederit, quot guttæ cadunt, si per tres dies, & noctes continuæ pluat*.

V. Similia Indulgentiarum portenta non ita raro occurrunt in antiquis Diplomatibus mss. a nebulonibus confictis, quale est illud quod Romæ in Collegio Græco asservatur, perperam Callisto II. supposito, ubi inter alia edicitur, ut qui super Altari, quod ipse Mileti consecrarat, munus aliquod offerret, *tantæ munus Indulgentiæ innumerabile, quemadmodum unius palatæ arenæ sunt innumerabiles, consequatur*. Fictitiæ quoque censendæ sunt Indulgentiæ, quibus dicitur aliquot centenorum vel millium annorum pœnitentiam remitti. Ita enim post Gersonem scitissime sentiunt Bellarminus loco citato, Estius in IV. Sententiarum Distinctione XX. & inter alios Dominicus a Soto, qui & ipse in IV. Sententiarum Distinctione XXI. Articulo I. Quæstione II. citans memoratum Gersonem constanter asserit, istas portentosas Indulgentias non emanare a Papa, sed esse Quæstorum imposturas.

VI. Certum illud est, atque indubitatum, potestatem Indulgentias conferendi esse penes Summum Pontificem, ac reliquos omnes Episcopos tamquam Ecclesiarum Prælatos jurisdictionem ordinariam fori exterioris habentes, quemadmodum recte docet Theologorum omnium Magister Angelicus Doctor S. Thomas Aquinas in IV. Sententiarum Distinctione XX. Quæstione I. Articulo IV. ideoque scitissime idem Sanctus Doctor subinfert, posse Pontificem Maximum, vel Episcopum Indulgentias concedere, etiamsi nondum sit sacris Ordinibus insignitus, quicquid alii in contrarium senserint, quos jam confutavimus supra Cap. II. in fine Commentarii ad §. V. non enim a vulgata via, & a communi Doctorum sententia recedendum est, præsertim cum ducem habemus S. Thomam, cui & Sacræ Synodi, & Romani Pontifices ob suam ipsius doctrinam encomia pene innumera tribuere.

VII. Quicquid autem sit de varia Ecclesiæ disciplina a Seculo XIII. usque ad præsens circa Indulgentias, quæ a Summo Pontifice conceduntur, & quidem plenariæ passim ob suæ plenitudinem potestatis, ea est hodie praxis Ecclesiæ, ut Episcopi, & Archiepiscopi, nisi Cardinales sint, vel aliquo privilegio gaudeant, solum quadraginta dierum Indulgentiam concedant, si scilicet proprii Episcopi sint, nam alias Episcopus deputatus administrator alterius Ecclesiæ non potest in ipsa Ecclesia concedere Indulgentiam quadraginta dierum sine speciali Sedis Apostolicæ facultate, juxta Decretum Sacræ Rituum Congregationis in Sarsinaten. die XXII. Augusti, MDCCXXII. in responsione ad III. Dubium apud Ursayam Tomo V. Parte I. Disceptatione II. & apud Meratum in suo Indice Decretorum. Indulgentias quoque largiendi facultatem non habet Coadjutor Archiepiscopi, & sic illæ Archiepiscopi nomine, si quas ipse Archiepiscopus concedere voluerit, sunt publicandæ, uti ex alio Sacræ Congregationis Decreto docet Barbosa in Summa Apostolicarum Constitutionum Collectan. CDXIX. Numero V. ubi etiam varios Doctores citat.

## §. II.

Publicata Indulgentia, quæ Episcopo prædicante ab assistente Presbytero, stante ad dexteram Episcopi annuntiatur, Episcopus deposita Mitra, stans, leget ex Libro per Ministrum de illo servientem, supra caput sustentato, si non celebret solemniter, si vero solemniter celebret, per Presbyterum assistentem, in tono Orationis, conversus ad populum, quæ sequuntur.

*Precibus, & meritis Beatæ Mariæ semper Virginis, Beati Michaelis Archangeli, Beati Joannis Baptistæ, SS. Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum. Misereatur vestri Omnipotens Deus, & dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam.* ℟. *Amen.*

## COMMENTARIUS.

I. PRædicante Episcopo, publicari Indulgentiam ab assistente Presbytero stante ad dexteram, non uno in loco Cæremoniale nostrum edicit. Verum si antiquum ritum Romanæ Ecclesiæ, & Pontificiæ Capellæ spectemus, docet nos Ordo Romanus XIV. Auctore Jacobo Gaetano, Cap. LXXII. quod ubi Papa sermonem faciebat, ipse quoque Indulgentiam pronunciabat, dicens: *Auctoritate Dei Omnipotentis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, & nostra, omnibus, qui venerunt hodie, qui sunt in statu veræ pœnitentiæ, concedimus Indulgentiam unius anni, & quadraginta dierum*; vel plurium ad voluntatem suam, ut post recitatam formulam idem Ordo Romanus subjicit. Notanda hic obiter sunt ea verba, quibus dicitur, concedi Indulgentiam illis, *qui sunt in statu veræ pœnitentiæ*, idest, in gratia, & vere confessi, vel contriti, uti docent Theologi.

II. Latior, locupletiorque est Indulgentiarum materia, quam ut hic eam pertractare valeam; est enim hæc Theologorum provincia, qui plenos de Indulgentiis ipsis Tractatus ediderunt. Ut itaque, quod mei est instituti, Rubricam hujus §. exponam, publicata Indulgentia juxta formulam



Digitized by Google

mulam in §. superiori notatam Episcopus mox benedictionem solemnem populo largiturus, *deposita Mitra stans legit ex Libro per Ministrum de illo servientem supra caput sustentato, si non celebret solemniter; si vero solemniter celebret, per Presbyterum assistentem, in tono Orationis, conversus ad populum, quæ sequuntur*: Precibus & meritis &c. Est antiqua Oratio, quam olim etiam ante benedictionem Summus Pontifex dicere solitus erat, uti constat ex laudato Romano Ordine Jacobi Gaetani, citato Cap. LXXII. ubi etiam post illa verba, *Misereatur vestri Omnipotens Deus &c.* hæc alia statim adjiciebat: *Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis Omnipotens, & misericors Dominus, Amen*.

III. Meminit & horum verborum in suo Cæremoniali Crassus Lib. I. Cap. XLII. ubi tamen non recte videtur loqui, quum ait, ea verba, *Precibus &c.* pronuncianda esse ab Episcopo habente *Mitram in capite*. Quod quidem non modo nostro huic §. sed & Pontificali Gulielmi Durandi Episcopi Mimatensis annorum circiter D. adversatur, ubi loquens de Missa Pontificali, & præsertim de ritu quem agimus, sic inter alia inquit: *Confessione facta, concedit Indulgentiam, & demum Mitra sibi per Diaconum deposita, facit absolutionem, dicendo clara voce, elevatis, & super populum extensis manibus*, Precibus, & meritis &c. Indulgentiam &c. *Et si velit mox benedicit populo &c.* Ubi nota I. pronunciatam fuisse Indulgentiam ab ipso Episcopo, non vero ab alio ei assistente; quod intelligendum est, ubi Episcopus sermonem faceret juxta ritum superius notatum, Num. I. ex Ordine Romano XIV. Jacobi Gaetani, ubi ait, Papam ipsum, qui faciebat sermonem, promulgasse Indulgentiam. II. deponi consuevisse Episcopo per Diaconum Mitram, ubi absolutionem pronunciabat. III. etiam ea verba, *Indulgentiam &c.* dici tunc in absolutione consuevisse. IV. demum, *clara voce, elevatis, & super populum extensis manibus*, ab ipso Episcopo recitata fuisse verba illa, *Precibus & meritis &c.*

IV. Elevatio manuum in benedictione suam a Christo Domino ducit originem, quippe qui, ut scribit Lucas in Euangelio Cap. XXIV. & in Actibus Apostolorum Cap. I. *elevatis manibus benedixit* Discipulis suis, cum in Cælum ascenderet. Hoc quippe signum, ut elevatis scilicet manibus benedictio traderetur, apud Hebræos in usu fuisse apparet; nam & Aaron legitur Cap. IX. Levitici, extendens manum benedixisse populo. Divini vero Numinis invocationem eo actu significari solere, expressum in Exodo habetur, Cap. VIII. dum extensione manus, ea signa a Moyse, & Aaron fiebant. Sicut & apud Christianos haud aliunde, quam ex Apostolorum traditione, usu receptum est, ut benedicendo manum extendant, ac insuper Crucis signum eadem manu deducant, ut scite notat Cardinalis Baronius ad annum Christi XXXIV. Sed de his alias.

V. Notandum est autem hic illud est, nempe in novo hoc nostro Cæremoniali a Benedicto XIII. probato, majoris explicationis gratia, adjuncta huic §. quædam verba fuisse, quæ Ministrum tenentis Librum attinent, ex quo Episcopus Orationem, & absolutionem lecturus est, antequam benedictionem populo impertiat; quum enim in prioribus Cæremonialibus nulla fieret distinctio Ministri, qui tenere ipsum Librum deberet, sicuti nec Missæ solemnis, vel non solemnis, quæ ab Episcopo celebratur, merito Rubricam nostri §. declaravit, dicens, Librum quidem tunc sustentari supra caput per Ministrum de illo servientem, *si non celebret solemniter; si vero solemniter celebret, per Presbyterum assistentem*. Cantanda insuper esse ab Episcopo ea verba, *Precibus, & meritis &c.* sicut & sequentia, *Misereatur vestri &c.* atque illa etiam, *Indulgentiam, absolutionem &c.* in tono Orationis, admonet Pontificale Romanum sub Leone Papa X. editum, & deinde iterum, atque iterum sub sequentibus Pontificibus impressum. Nec omittendum vero, quod notat Crassus loco citato, nempe in solemni hac benedictione, quæ post Sermonem ab Episcopo datur, nequaquam dici debere ea verba, *Sit nomen Domini benedictum &c.* de quibus nos infra suo loco in sequenti §. dicemus.

VI. Tandem cur post prædicationem in Missa ex antiquo ritu fiat confessio, & Indulgentia concedatur, exponit in suo Rationali Durandus Lib. IV. Cap. XXVI. ut scilicet, *sic conscientiis emundatis juxta illum Propheticum*, Psalmo LXXVI. Et scopebam spiritum meum, *accedant singuli ad communionis Sacramentum, quod mox in Missa vel sacramentaliter, vel spiritualiter recepturi sunt*. Ait mox spiritualem communionem fieri per Fidem operantem per dilectionem juxta illam Augustini sententiam, *Crede, & manducasti*, relatam in Can. *Utquid*, De consecratione, Distinctione II. quem locum perperam hæretici interpretantur, quos tamen egregie refellit doctissimus S. R. E. Cardinalis Bellarminus.

## §. III.

Deinde accepta Mitra, & elevans oculos, & manus, quas ante faciem jungit, sinistra Baculum accipit, & benedicit populo, dicens: *Et benedictio Dei Omnipotentis Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti descendat super vos, & maneat semper* ℟. *Amen*. Cum autem hæc verba profert, signat versus latus suum sinistrum, videlicet in verbo, *Patris*; deinde, cum dicit, *& Filii*, directe ante faciem

Digitized by Google

faciem suam; & demum, dum dicit, *& Spiritus Sancti*, signat versus latus suum dexterum; cum autem dicit, *super vos &c.* dimisso Baculo, manus junctas ante pectus applicat.



## COMMENTARIUS.

I. HAbet & hæc Figura errores suos, nam primo Acolythus genuflexus signat se manu sinistra, cum debeat dextera se manu signare. Secundo Dignitates cum Pluvialibus locatæ sunt a sinistris, cum debuissent locari a dexteris, ubi sunt Canonici cum Planetis. Hisce autem notatis, ut ad nostrum §. deveniamus, breviter ritum in eo contentum exponit Romanus Ordo XIV. Jacobi Gaetani, ubi post alia superius a nobis notata, ait: *Subsequenter dicit*, Pontifex scilicet benedictionem largiturus, *signando populum in modum Crucis*, Et benedictio Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti descendat super vos, & maneat semper. *Amen* ibi non legitur, exstat tamen in ejus benedictionis formula, quam in suo Pontificali affert Durandus. Sed hæc res est parvi momenti, fortasseque verbum illud, *Amen*, omissum est in ipso Romano Ordine incuria Scriptoris. Ceterum Ritum hunc nostrum dandæ benedictionis egregie exponit Crassus Libro I. Cap. XLII. sic dicens: *Postquam cantaverit*, Precibus, & meritis &c. *&* Misereatur vestri &c. *ac* Indulgentiam &c. *cantat, videlicet*, Et Benedictio Dei Omnipotentis, *eodem contextu capiens Baculum sinistra, & prosequens; cum dicit*, Patris, *producit dexteram, cum qua benedicit versus latus suum sinistrum; & cum dicit*, & Filii, *extendit manum recte ante faciem suam; & cum dicit*, & Spiritus Sancti *producit ad latus suum dexterum; cum dicit*, super vos &c. *manus ad pectus applicat usque in finem*. Consentanea sunt hæc quidem nostræ Rubricæ, sed notandum quod mox subjungit: *Sed in hujusmodi brachii volutione, aut productione, non personam, sed solum vultum, & manum vertit; & cum benedicit, tota manu aperta, & non tribus digitis benedicit*.

II. Libet vero hoc loco adnotare observationem Nicolai Malaxi Protopapæ Nauplii de conformatione digitorum in benedictionibus publicis apud Græcos, quæ habetur in fine Heirmologii. Scribit enim ille, in benedictione danda exprimi debere nomen *Jesu Christi*, quia ipse est, in quo benedicuntur omnes Gentes ex sententia S. Pauli in Epistola ad Galatas Cap. III. *Ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu*; atque ideo Pontifices populo benedicentes solere digitos dexteræ ita inter se componere, ut eorum configuratione hæc duo sancta nomina exprimantur, Jesus, Christus; quod fit hoc modo. Indice recto constituto medius a summo paululum inflectitur, itaut ille rectitudine sua literam Græcam, ι, hic curvitate literam σ designet; quæ duæ literæ simul junctæ compendiosa scriptione faciunt ΙΣΥΣ, annulari autem obliquo desidente, pollex ei transversus imponitur, qua figura litera, *X*, describitur; auricularis vero, seu minimus digitus versus utrumque incurvatus, literam,

ram, ρ, delineat; quarum duarum literarum compendio, Græci nomen χριστὸς, significare solent. Sed & tradit Macryus in suo Hierolexico, verbo, *Crux*, in fine, Græcos in benedictionibus suis auricularem digitum cum pollice conjungere, quo Α, & Ω significare asserunt, quia Christus scilicet, in quo benedicimus, in Apocalypsi Joannis Cap. I. *Alpha*, *& Omega* appellatur, idest, *principium*, *& finis*. Carthusianos tribus digitis dexteræ manus unitis solere benedictionem impertiri, docent nos ipsorum Statuta Cap. XIV. ubi hæc habentur: *Quoties autem signum Crucis facimus super nos, sive alios, tribus digitis dexteræ manus, scilicet, pollice, indice, & medio, extensis, & simul junctis, reliquis duobus digitis contractis, illud facimus.*

III. Verum quicquid sit de peculiaribus Græcorum, & Carthusianorum ritibus, in Ecclesia Latina ritus ille observatur manus versus Cælum elevandi, & deinde super eos, qui benedictionem sunt suscepturi, extendendi, atque eos Crucis figura consignandi: qui ritus a Christo acceptus creditur, nam de elevatione manuum testimonium habemus S. Lucæ, ejus ascensum in Cælum describentis Cap. ultimo sui Euangelii, ubi ita ait: *Elevatis manibus suis, benedixit eis*. De extensione vero in benedicendos, ex veteri Lege exempla sunt, ut alibi notatum est. De usu autem Ecclesiæ Catholicæ diserte loquitur S. Augustinus in Epistola LIX. his verbis: *Interpellationes autem, sive, ut vestri Codices habent, postulationes, fiunt, cum populus benedicitur; tunc enim Antistites, velut Advocati, susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt potestati*. De signo denique Crucis ita in ea Isaiæ verba Cap. LXVI. *Et ponam in eis signum*, S. Hieronymus scribit: *Hoc nobis ad Patrem ascendens Dominus dereliquit, sive in nostris frontibus posuit, ut libere diceremus*: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.

IV. Notandum est & in hoc præsenti nostro §. ea verba, *& elevans oculos, & manus, quas ante faciem jungit*, apposita primum fuisse in novo Cæremoniali a Benedicto XIII. probato, sive potius accepta fuisse ex §. V. sequenti, ubi alius modus dandæ benedictionis describitur, & huic §. adjuncta. Verum tametsi ex ritu veteri elevandi sint oculi in Cælum ab Episcopo, ubi populo benedictionem largitur, intelligi tamen id debet, nisi Sanctissimum Sacramentum sit super Altari, quia tunc non oculos ad Cælum, sed ad ipsum Sanctissimum Sacramentum elevare debet, ob reverentiam realis præsentiæ Domini nostri Jesu Christi; eandemque etiam ob causam, ubi Sanctissimum Sacramentum expositum sit, in benedictione Episcopus perficere circulum non debet, nec stare in medio Altaris, sed aliquantulum ad Euangelii latus, & capite nudo; si enim ob reverentiam Crucis, quam coram se habet Archiepiscopus, ubi benedictionem largitur, Mitra non utitur, multo magis ea abstinere debet Episcopus, sive quivis alius, coram Sanctissimo Sacramento exposito. Id quod expresse monet Crassus Lib. I. Cap. XLII. in fine, dicens: *Si corpus Christi sit super Altari, ut in die Paschæ, vel in die Corporis Christi, vel Feria quinta in Cœna Domini, aut quandocumque, tunc capite discoperto debet dari benedictio*. Sane ob venerationem tanti Sacramenti Parochis ministraturis ipsum infirmis, non licere de die, neque de nocte uti parvo pileolo in delatione ejusdem per Civitatem sub prætextu alicujus infirmitatis absque speciali Sanctæ Apostolicæ Sedis licentia, decidit Sacra Rituum Congregatio die XIII. Augusti anni MDCXCV. apud Meratum in Notis ad Gavantum, & in Indice Decretorum.

## §. IV.

Si vero benedicens fuerit Archiepiscopus, vel alius, qui utitur Cruce, statim publicata Indulgentia, Capellanus portabit ante illum Crucem, quam genuflexus tenebit, deinde Archiepiscopus, vel ille, qui utitur Cruce, deposita Mitra, Cruci caput inclinabit, & dabit benedictionem, sicut dictum est supra.

## COMMENTARIUS.

I. QUamquam a quinque, & supra seculis, uti diximus Tomo I. Romani Pontificalis ad Tit. XIV. inter Archiepiscoporum insignia recenseatur Crux, ejusque sibi præferendæ dum iter agunt, facultatem habeant; non tamen ita antiquus est ritus, ut cum benedictionem in Missa sunt populo elargiturí, Cruce ipsa utantur, ab aliquo scilicet Capellano genuflexo, coram ipsis tenenda, ut in hoc §. edicitur. Non enim meminere ejus Ritus, Durandus, Codicesve antiqui Pontificales, in quibus alias, uti supra notatum est, de ritu solemnis benedictionis Pontificalis agitur. Sane Romanum Pontificale sub Leone Papa X. editum, ubi eum ritum præscribit, consentanee ad hunc nostrum §. post recitatam promulgandæ Indulgentiæ formam a Concionatore in pulpito stante, ita inquit: *Et si est Pontifex Archiepiscopus, vel alias Cruce uti possit, Capellanus, cujus est officium, portat Crucem, & spatio congruenti ante & versus Pontificem genuflexus Crucem ipsam tenet, & Pontifex deposita sibi Mitra, etiamsi Cruce non utatur, stans versus ad populum dicit in tono &c.*

II. Mitram deponi ab Archiepiscopo ob reverentiam Crucis præsentis, notavimus supra in Commentario ac §. III. Verum quod in recitato Pontificali edicitur, dandam esse a Pontifice benedictionem, *deposita sibi Mitra, etiamsi Cruce non*

Digitized by Google

*non utatur*, correctum est sane a nostro Cæremoniali in §. præcedenti, ub expresse habetur, Episcopum *accepta Mitra* benedicere populo, tenentem sinistra Baculum pastoralem; quem ritum etiam servare Archiepiscopus debet, tametsi nulla in hoc §. ubi de benedictione Archiepiscopi agitur, mentio fiat de Baculo; quia scilicet cæremoniæ in Paragraphis superioribus notatæ ad Episcopos æque, ac Archiepiscopos spectant, solumque in hoc §. præscriptum est, quod solius est Archiepiscopi, ideoque de sola Cruce fit sermo. Porro ex Romano Cæremoniali Auctore Patricio Lib. III. Sectione II. Cap. XXI. quod est de servitio Subdiaconi Apostolici, *cum Pontifex post sermonem, vel in fine Missæ est daturus solemnem benedictionem, Subdiaconus accipit Crucem Papalem, & ponit se ante Pontificem, vertitque Crucifixum versus Pontificem; & cum ille incipit*, Precibus & meritis &c. *sive*, Sit nomen Domini, *genuflectit; data benedictione surgit, & reponit Crucem in loco suo; sive, si est recedendum, incipit procedere, & expectat in loco convenienti, quoad Papa appropinquet*. Affert laudatus Auctor & hunc eumdem ritum aliis locis.

## §. V.

Alio modo datur benedictio in fine Missæ, dicto scilicet: *Placeat tibi Sancta Trinitas &c.* tunc enim Episcopus, qui non utitur Cruce, accepta Mitra, stans in medio Altaris, pollice dexteræ manus format sibi signum Crucis in pectore, cantans: *Sit nomen Domini benedictum*; interim sinistram super Altari retinens, & dum a Choro respondetur: *Ex hoc nunc, & usque in sæculum*, etiam ipsam manum dexteram super Altari tenet; deinde dicens: *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, eadem dextera manu signat se signo Crucis a fronte ad pectus, & a sinistro humero in dexterum, tangens se in unoquoque verbo, videlicet, dum dicit, *Adjutorium*, in fronte, *nostrum*, infra pectus, *in nomine*, in sinistro humero, *Domini*, in dextero, & iterum ipsam manum dexteram super Altare reponit, donec a Choro respondeatur, *Qui fecit cœlum, & terram*. Deinde dicens, *Benedicat vos Omnipotens Deus*, elevat ad Cælum simul oculos, & manus, quas ante faciem jungit, & accipiens manu sinistra Baculum, dum dicit, *Pater*, vertit se ad latus Epistolæ, & ibi signat populum, & dicens, *& Filius*, vertit se directe ad populum in medio Ecclesiæ existentem, signans iterum: dicens vero, *& Spiritus Sanctus*, vertit se totum ad latus Euangelii, & ibi tertio signat populum, perficiendo circulum.

## §. VI.

Si vero erit Archiepiscopus, vel alius Crucem ante se habens, versus ad illam sine Mitra, dabit integram benedictionem, incipiens ab iis verbis: *Sit nomine Domini benedictum*. Ubi vero populus non ante ipsius Altaris faciem, sed post illam stat, Episcopus, sive Archiepiscopus, non vertit se, sed stans ante medium, signat primo a latere Euangelii, deinde in medio, demum a latere Epistolæ.

## COMMENTARIUS.

I. PRæter solemnem benedictionem, quam una cum Indulgentiis post Sermonem dicto Euangelio solebat olim largiri Episcopus, antiquus quoque mos fuit in Gallicanis, & Hispanicis, ac in aliis quoque Ecclesiis usitatus, ut post Orationem, *Libera nos quæsumus Domine ab omnibus malis &c.* antequam Sacerdos diceret, *Pax Domini sit semper vobiscum*, interponi soleret benedictio, quam Scriptores sacrorum Rituum Episcopalem vocant, quia scilicet ad solum Episcopum pertinebat, constatque ille ritus tum ex antiquissimis Missarum Codicibus, tum ex libris Ordinis Gallicani, tum ex Concilio IV. Toletano anni DCXXXIII. Can. VIII. his verbis: *Nonnulli Sacerdotes post dictam Orationem Dominicam statim communicant, & postea benedictionem populo dant, quod deinceps interdicimus; sed post Orationem Dominicam, & conjunctionem panis, & calicis, benedictio in populum sequatur, & tunc demum Corporis, & Sanguinis Domini Sacramentum sumatur*.

II. Constabat hæc benedictio tribus Capitulis, sive precationibus, & nonnumquam etiam quatuor, ac etiam quinque, ad earumque singulas post conclusionem respondebatur, *Amen*; uti videre est in vetustis Sacramentorum Libris, & in Romano Pontificali edito sub Leone Papa X. Sed ut ejusmodi benedictionum aliqua exempla proferam, referente eruditissimo Joanne Bona Cardinali, in Missali ms. Vaticano, Codice 4743. ritus ita describitur: *Responso*, Amen, *post Orationem*, Libera, *Pontifex ponit particulam super pate-*

Digitized by Google

*patenam*. *Tum Diaconus ad populum conversus Cambucam* (ita Baculum pastoralem vocant medii ævi Scriptores apud Dufresne, *in manibus tenens, dicit alta voce*: Humiliate vos ad benedictionem; *& Chorus respondet*, Amen; *& statim cantat alta voce*: Princeps Ecclesiæ, Pastor ovilis, tu nos benedicere digneris. *Mox Diaconus rursus ait*: Cum mansuetudine, & charitate humiliate vos ad benedictionem. *Chorus* dicit: Humili voce clamantes, atque dicentes Deo gratias semper agamus. *Quibus dictis*, *Pontifex*, convertit se ad populum *ante medium Altaris*, *& legit benedictionem solemnitati congruentem*; *qua data*; *ait*: Et pax ejus sit semper vobiscum.

III. Variæ harum benedictionum formulæ pro singulis Missis non modo in antiquis Pontificalibus editis passim occurrunt, sed & apud Pamelium Tomo II. Liturgicorum post Librum Sacramentorum Grimoldi Abbatis, ac præsertim apud Martenium in celebri Opere, *De antiquis Ecclesiæ ritibus*. In Missali Gallicano a Religiosissimo, & doctissimo Cardinale Thomasio edito ad Missam in Natali S. Stephani Protomartyris post Dominicam orationem populi benedictio ita erat concepta: *Deus qui tuos Martyres ita vinxisti caritate, ut pro te etiam mori cuperent, ne perirent*. Amen. *Et beatum Stephanum in confessione ita succendisti fide, ut imbrem lapidum non timeret*. Amen. *Exaudi precem familiæ tuæ amatoris inter festa plaudentem*. Amen. *Accedat ad te vox illa intercedens pro populo, pro inimicis quæ orabat in ipso martyrio*. Amen. *Ut se obtinente, & se remunerante, perveniat illuc plebs adquisita per gratiam, ubi te cælis apertis ipse vidit in gloriam*. Amen. *Quod ipse præstare digneris*; nempe, ut in ejusmodi benedictionibus legitur, *qui in Trinitate perfecta, vivis, dominaris, & regnas in secula seculorum, Amen*; sive etiam in hunc alium modum, *Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & gloriaris Deus per omnia secula seculorum. Amen*. Tum vero sequebatur benedictio hunc in modum: *Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & pax Domini sit semper vobiscum*.

IV. Istæ sane clausulæ semper postremo loco adjunguntur, & per ultimam, ut patet, connectitur antecedenti benedictioni subsequens salutatio, *Pax Domini &c.* Sciendum tamen, variasse aliquando ultimam clausulam, etenim in præcitato Codice Vaticano, cujus meminit Joannes Bona Cardinalis Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XVI. Num. II. his verbis concipitur: *Benedictio Dei Patris Omnipotentis, & Filii, & Spiritus Sancti descendat super vos, & maneat semper. Amen*. Tum additur hæ notula: *Isto loco Indulgentia pronunciatur, & postea dicit*, Et pax ejus sit semper vobiscum, *faciendo cum Hostia, sicut est fieri consuetum, tres Cruces*. Ubi nota, etiam ad hanc benedictionem, quæ dabatur ante sacrorum Mysteriorum sumtionem, promulgatam fuisse Indulgentiam, quæ alias ex Ordinibus Romanis, & ex aliis locis jam nobis superius citatis impertiri solebat, sicut & nunc etiam fit ex nostri Cæremonialis præscripto, post Sermonem solitum fieri post solemnem Euangelii lectionem, deinde vero post Indulgentiam benedictio Episcopalis dabatur.

V. De benedictione dari solita post Dominicam Orationem jam ante Concilium IV. Toletanum mentionem fecit Synodus III. Aurelianensis anni DXXXVIII. Can. XXIX. ubi ita edixit: *De Missis nullus laicorum ante discedat, quam Dominica dicatur Oratio; & si Episcopus præsens fuerit, ejus benedictio expectetur*. Loquitur & de hac benedictione Cæsarius Arelatensis Homilia VIII. inter eas, quas edidit Baluzius, his verbis: *Quia præmissa Oratione Dominica benedictio vobis non ab homine, sed per hominem datur, grato & pio animo, humiliato corpore, & corde compuncto, rorem divinæ benedictionis accipite, ut fiat in vobis fons aquæ salientis in vitam æternam*. Idem Homilia XII. sic eandem disciplinam inculcat: *Qui vult Missas ad integrum cum lucro animæ suæ celebrare, usquequo Oratio Dominica dicatur, & benedictio populo detur, humiliato corpore, & compuncto corde debet se in Ecclesia continere*. Ubi nota, quod alias luculenter ostensum est, connecti a Cæsario benedictionem cum Oratione Dominica, de eaque sermonem haberi, quæ uti dictum fuit, post ipsam Orationem ab Episcopo dari olim consueverat.

VI. Similes benedictiones, plura capita continentes, uti observat laudatus Bona, leguntur apud Hincmarum in Coronationibus Regum Caroli Calvi, & Ludovici, in fine Tomi I. earumque tanquam communiter tunc usitatarum mentionem faciunt Acta Concilii Lemovicensis apud Baronium ad annum Christi MXXXIV. in causa Apostolatus S. Martialis, ubi ita inquiunt: *Cum ad horam fractionis Dominici Corporis ventum esset, atque ex more Archiepiscopus benedictionem funderet super populum, interseruit beati Martialis nominis mentionem, ita dicens*: Benedicat, & custodiat vos Omnipotens Deus, domumque hanc sui Numinis præsentia illustrare, atque suæ pietatis oculos super eam die ac nocte dignetur aperire. *Amen*. Concedatque propitius, ut omnes, qui ad solemnitatem anniversariam hujus Basilicæ hodierna die convenistis, intercedente B. Martiale Apostolo, & ceteris Sanctis ejus, quorum Reliquiæ hic pio venerantur amore, vobiscum hinc veniam peccatorum vestrorum reportare valeatis. *Amen*. Quatenus eorum interventione ipsi templum Sancti Spiritus, in quo Deus Trinitas jugiter habitare dignetur, effecti, post hujus vitæ labentis excursum ad gaudia æterna feliciter venire mereamini; *& cætera quæ Episcopali benedictione proferri solitum est*.

VII. Hactenus Acta Concilii Lemovicensis, ex quorum ritu in ipsis expresso tradit & illud Cardinalis Bona loco citato Num. III. quod eum ritum ignorantes quidam Scriptores nostri temporis, & priscos mores ex hodierno usu perperam æstimantes, confundunt hanc benedictionem Episcopalem cum ea, quæ in fine Missæ ab omnibus Presbyteris dari consuevit; & cum legunt in Con-

Digitized by Google

Concilio Agathensi anni DVI. Can. XLIV. *Benedictionem super plebem in Ecclesia fundere, aut pœnitentem in Ecclesia benedicere, Presbytero penitus non licebit*: vel hunc Canonem intelligendum esse ajunt de benedictione extra Missarum solemnia, qualem Episcopi per Ecclesiam incedentes largiri solent, vel mendum in eum irrepsisse. Id vero confidentius asserunt, quia alia sanctio in eodem Concilio exstat Can. XLVII. priori contraria, ut ipsi putant: *Missas*, inquit, *die Dominico secularibus totas tenere, speciali ordine præcipimus, itaut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat*. Hoc igitur Canone, ut iidem ajunt, prior destrui, vel corrigi videtur, nam hic præcipit, ut populus non discedat ante benedictionem Sacerdotis; ille autem edicit, non licere Presbytero benedicere.

VIII. At nullo modo ait memoratus Bona, duo sibi adversantia Concilium constituere, quia scilicet in priori Canone sermo est de benedictione Episcopali intra Missarum solemnia, & de solemni, ac publica pœnitentium reconciliatione, quæ duo ad solos Episcopos tunc proprie pertinebant; posterior autem Canon, vel nomine Sacerdotis Episcopum intelligit, prout usus illorum temporum ferebat; & benedictio, de qua loquitur, illa est, quam dabat Episcopus post Dominici Corporis confractionem; vel, ut indicat Micrologus, Cap. XXI. benedictionis nomine intelligitur oratio, quæ post communionem dicitur. Tradit hæc quidem doctissimus Bona, additque hoc firmius stabiliri, *quia aliunde non constat, quod eo tempore benedictio, prout hodie accipitur, in fine Missæ tradi soleret*. Id quod etiam confirmat Cap. XX. Num. IV. ubi ait recentiori ritu dari benedictionem in fine Missæ, quam olim ante communionem Episcopus largiri solebat.

IX. Sed pace tanti Viri neque recentior est ritus dandæ benedictionis in fine Missæ, neque in omnibus Ecclesiis ritus ille viguit, ut post Dominicam Orationem Episcopus benedictionem impertiret. Certe Ecclesiam Romanam omnium aliarum magistram ejusmodi benedictiones improbasse, docet Mabillonius in Commentario prævio ad Ordinem Romanum, Cap. VII. ubi affert locum Zachariæ Papæ in Epistola ad Bonifacium, quo ipsas benedictiones sugillari autumat. Sic enim Pontifex scribit: *De benedictionibus autem, quas faciunt Galli, ut nosti Frater, multis vitiis variantur. Nam non ex Apostolica traditione hoc faciunt, sed per vanam gloriam, adhibentes sibi damnationem*. Et mox: *Regulam itaque Catholicæ traditionis, quam a Sancta Romana Ecclesia, cui, Deo auctore deservio, omnibus prædica*. Si de his benedictionibus, ut opinatur Mabillonius, agit Zacharias, duriora quidem sunt ejus verba, quam causa, quæ alias laudabilis censeri potest, mereatur.

X. Quod si demus, recitatum locum de benedictionibus post Orationem Dominicam dari solitis minime esse intelligendum, asserere adhuc non dubitamus, ejusmodi benedictionibus Ecclesiam Romanam nequaquam olim usam fuisse; quia scilicet in antiquis Ordinibus Romanis, in quibus alias minutiora quæque notantur, nulla de iis fit mentio. Ait quidem Bona Cardinalis Libro II. Cap. I. Num. I. meminisse earum Ordinem Romanum in prima Missæ descriptione his verbis: *Post solutas, ut in his partibus mos est, Pontificales benedictiones, cum dixerit*, Pax Domini sit semper vobiscum, *mittit in Calicem de sancta Oblata*. Verum intrusa hæc verba sunt in secundum Romanum Ordinem, ut observat Mabillonius loco citato, & in Nota ad ipsum Ordinem secundum, ubi ita ait: *Post hæc additur in editis*: Post solutas, ut in his partibus mos est, Pontificales benedictiones, cum dixerit &c. *quod additamentum esse non dubito Gallicani, vel Germanici Scriptoris, cum apud Romanos in usu non essent ejusmodi benedictiones, ut superius notavimus*; in Commentario scilicet prævio ad Ordinem Romanum, ubi inter alia notat, satis intelligi, ea verba, *ut in his partibus mos est*, dicta esse consideratione loci, ubi descriptus est Ordo iste Romanus. Ceterum, quod in Sacramentario S. Gregorii Papæ benedictiones Episcopales variæ legantur, eæ non sunt quidem Romanæ institutionis, sed a Grimoldo Abate adjectæ, ut idem Mabillonius testatur in fine laudati prævii ad Romanum Ordinem Commentarii.

XI. Rursus intrusa fuisse ea verba, *Post solutas &c.* in memoratum Ordinem II. Romanum, satis Amalarius Abbas nos docet, quippe qui Numero XXIX. Eclogæ suæ, qua ipsum Ordinem per partes exponit, non sine mystica significatione ait, datam benedictionem non ante, sed post communionem, ad finem scilicet Missæ. Hæc ejus verba: *Postcommunionem namque dicit, qui postquam populus communicat, hæc sequitur: super populum vero, quia tunc benedicitur populus, at nostro sancto conveniant Euangelio. Post orationem, & communicationem benedictio sequitur; quoniam Christus in Cruce oravit, & coram discipulis manducavit, & reliquias eis dedit, & elevatis manibus suis benedixit eos*: Et factum est cum benediceret eos, recessit ab illis, & ferebatur in Cælum. *Nostra quippe benedictio, postulatio est apud Deum, ut benedicere dignetur. Episcopus namque data benedictione, revertitur ad propria*. Itaque juxta Romanæ Ecclesiæ ritum Christi Domini exemplo consentaneum dabatur ab Episcopo benedictio in fine Missæ, & quidem etiam in aliis Ecclesiis, cum ejus ritus, benedictionis scilicet, tunc dari solitæ mentionem inter alios faciant antiqui Scriptores, Joannes Belethus in Explicatione divinorum Officiorum, Cap. XLIX. & Gulielmus Durandus in suo divinorum Officiorum Rationali, Cap. LI. ubi ait, Ecclesiam Romanam in fine Missæ benedicere, easque benedictiones, quæ post Orationem Dominicam dantur, nec invenisse, nec illis uti. Vide eundem Auctorem, Cap. LIX. ubi etiam mystice ritum ipsum enarrat benedictionis, quæ datur in fine Missæ.

XII. Haud tamen inficior, quin varia fuerit ea de re Ecclesiarum disciplina; in aliis enim post Orationem Dominicam, in aliis vero ad finem

Missæ

Digitized by Google

Missæ benedictio Episcopalis dabatur, cautumque erat, ne post benedictionem solemnem, quæ alicubi ante *Agnus Dei* fiebat, alia iterum in fine Missæ daretur, teste Durando loco citato Num. VII. additque Num. VIII. post datam benedictionem, dicendam esse brevem illam Orationem, *Placeat tibi sancta Trinitas &c.* & ita osculato Altari Missam absolvi. Ceterum ex recitata superius Amalarii Ecloga, Episcopus quidem data benedictione revertebatur ad propria, annunciabatque postea Diaconus, *Ite Missa est*, cui respondebat populus, *Deo gratias*. Etenim S. Pius V. Pontifex Maximus primus præcepit, ut Missa cum initio Euangelii Sancti Joannis absolveretur, uti notavimus in Opere, *De Codice Sancti Euangelii atque servatis in ejus lectione, & usu vario Ritibus*, Lib. I. Cap. XI. Sed hæc obiter.

XIII. Constat ergo illud ex dictis, dari benedictionem Episcopalem in fine Missæ, ritum esse antiquum Ecclesiæ Romanæ, ideoque benedictiones, pluribus constantes capitulis, precationibusve, quæ ante communionem dari in multis Ecclesiis solitæ erant, ex recentioribus Pontificalibus expunctæ sunt, tametsi earum usum in quibusdam adhuc vigere testetur Menardus in Notis ad Librum Sacramentorum S.Gregorii Papæ. Sed quicquid sit de eo peculiari usu, mandat hic noster §. præter benedictionem datam post Sermonem juxta ritum superius explicatum in Commentario ad §. III. dandam esse aliam benedictionem Episcopalem in fine Missæ, dicto scilicet, *Placeat tibi sancta Trinitas &c.* Tunc enim Episcopus, qui non utitur Cruce, osculato prius Altari, & deinde accepta Mitra, stans in medio Altaris, pollice dexteræ manus signat se in pectore cantans, *Sit nomen Domini benedictum*, interim sinistram super Altare retinens. Atque hæc benedictio solemnis per ea verba, *Sit nomen Domini &c.* proprium Episcopi jus est, quod accipit ipse in consecratione virtute Chrismatis, quodque nullo modo potest aliis concedere, sicut nec usum Mitræ, & Baculi, quia scilicet insignia Episcopatus hæc sunt, ut docet Ugolinus, *De officio, & potestate Episcopi*, Parte II. Cap. XXXII. §. II. Hinc est quod nec Abbatibus licet benedictionem super plebem fundere, nisi in Ecclesiis ad eos pleno jure spectantibus, idque non aliter, quam ex speciali privilegio Sedis Apostolicæ, ut constat ex Cap. *Abbates*, *De privilegiis*, in VI.

XIV. Primum, qui ex Abbatibus id privilegii ab Apostolica Sede obtinuerit, fuisse Petrum Cavensem apud Salernum celeberrimi Benedictini Monasterii Præfectum, cui Urbanus II. privilegium dedit impertiendæ benedictionis Episcopalis, ex ejusdem Pontificis Diplomate addiscere licet, quod recenset Baronius ad annum Christi MXCII. Est & a Luca Dacherio vulgatum Dionysiani prope Parisios Monasterii breve Chronicon, in quo ad annum MCCXXVIII. ita legitur: *Concessus est Ecclesiæ Beati Dionysii usus Tunicæ, & Dalmaticæ, & benedictionis super populum a Domino Papa Gregorio, vivente Petro Abbate*. Quæ facultas tandem adeo invaluit, ut facta sit commune jus omnium Abbatum; quisquis enim Abbas ornamentorum Pontificalium pleno usu gaudet, gaudet etiam jure Episcopalis benedictionis, uti post Ascanium Tamburrinum Tomo I. *De jure Abbatum*, Disputatione XXI. tradit Lupus Tomo VI. in Romanum Concilium VII. S. Gregorii Papæ VII.

XV. Sciendum autem quid de hisce benedictionibus Sacra Rituum Congregatio die XXVII. Septembris anni MDCLIX. coram Sanctissimo Domino Papa Alexandro VII. habita in Decreto generali circa usum Pontificalium Prælatis Episcopo inferioribus concessorum statuerit. Et quidem ut alia omittam, §. XIII. hæc habet: *Pontificales benedictiones cum trina Crucis productione in Missis tantum Pontificalibus, necnon Vesperis, & Matutinis Pontificaliter itidem celebratis licere sibi tantum meminerint. Privatim vero populis quamvis pleno jure subjectis, nisi expresse ipsis permissum fuerit, etiam Pontificalibus induti per Ecclesiam incedentes, benedicere non præsumant*. Deinde §. XIV. ita subjicit: *Præsente Episcopo sine speciali Sedis Apostolicæ permissu etiam Pontificaliter celebrantes a benedictionibus cessent*.

XVI. Longe antequam Abbatibus benedictionis Episcopalis privilegium a Sede Apostolica concederetur, jam Abbatissæ ejusmodi benedictionem usurparant, uti constat ex Capitulari Aquisgranensi Cap. LXXI. *Auditum est, aliquas Abbatissas contra morem sanctæ Dei Ecclesiæ, benedictiones cum manus impositione, & signaculo sanctæ Crucis super capita virorum dare. Quod omnino interdicendum esse scitote*. Loquitur ad Episcopos, aitque, *super capita virorum*, etenim ut Abbatissæ, vel Monialium Præfectæ, maternam ac privatam sine manuum impositione, Monialibus suis dent, non est interdicendum, ut scite notat memoratus Lupus loco citato. Inter alia flagitia de quibus redarguit Innocentius III. Abbatissas Burgensis, & Palentinæ Diœceos, unum fuisse, quod Monialibus, non privatim, sed solemniter benedicerent, constat ex ejusdem Pontificis Literis ad Burgensem, & Palentinum Episcopos, & ad Abbatem Morimundi datis, quarum meminimus Lib. II. *De Codice Sancti Euangelii &c.* Cap. V.

XVII. Ad ritum quod attinet ab Episcopo servandum in danda benedictione hac solemni in fine Missæ, jam olim egregie illum exposuit Crassus Lib. I. Cap. XLII. dicens: *Si vero in fine Missæ danda sit benedictio, tunc accepta Mitra, stans apud Altare, versa facie ad illud, signando se pollice dextero in pectore, cantat ex Libro, si placet, super Altari posito, videlicet*: Sit nomen Domini benedictum. *Et dum a Choro respondetur, ipse manum illam tenet super Altari extensam; & cum dicit*, Adjutorium nostrum in nomine Domini, *signat se a fronte ad pectus, & pro unoquoque verbo tangit se, videlicet*, Adjutorium, *in fronte*; Nostrum, *in pectore*; In nomine, *in sinistro humero*; Domini, *in dextero*. *Cum dicit*, Benedicat vos Omnipotens Deus, *elevat simul oculos, & manus, quas jungit ante faciem. Tum accipiens* Ba-

Digitized by Google

*Baculum sinistra, & nunquam prius, ac dicens*, Pater, *vertit se ad latus Epistolæ, & ibi signat populum; & dicens*, Et Filius, *directe vertit se ad populum in medio Ecclesiæ stantem, & signat eundem; & dicens*, Et Spiritus Sanctus, *vertit se totum ad latus Euangelii, & ibi signat; deinde perficit circulum*. Hæc Crassus, cujus locum totidem pene verbis §. hic noster descripsit, sive, ut rectius loquar, ritum expressit Crassus, qui suo tempore ex veteri instituto in benedictione ad finem Missæ impertienda servabatur. Ceterum & hic notandum, quod superius jam admonuimus, elevationem oculorum in Cælum fieri quidem, nisi expositum sit Sanctissimum Sacramentum, quo casu nec circulum perficiet Episcopus, nec stabit cum Mitra in medio Altaris, sed aliquantulum ad Euangelii latus, & nudo capite ob ipsius Sanctissimi Sacramenti reverentiam.

XVIII. Sed nec omittendum illud, enarratum scilicet ritum alio modo fieri oportere, ubi Altare est sub Tribuna, & populus non ante Altaris ipsius faciem, sed post manet, tunc enim Episcopus in danda benedictione non vertet se, sed stans ante medium, signat primo a latere Euangelii, tum in medio, & demum a latere Epistolæ, uti in §. VI. edicitur, & scite advertit Bauldryus in suo Manuali, Parte V. Cap. XXV. Numero III. & ante ipsum laudatus Crassus sic inquiens: *Bene nota, quia si Celebrans apud Altare existens, vertat faciem ad Corpus Ecclesiæ, ut est in Ecclesia S. Petronii Bononiæ, tunc alio, & quidem diverso modo fit. Nam ipse versa facie ad corpus Ecclesiæ stans incipit benedictionem suam, in qua dicens*, Pater, *vertit se ad cornu Euangelii; & dicens*, Et Filius, *vertit se non ad Chorum, sed ad ipsum corpus Ecclesiæ, idest, revertitur cum facie, prout erat, dum cantavit Missam; & dicens*, Et Spiritus Sanctus, *vertit se ad cornu Epistolæ, & non perficiet circulum, sicut quando Altare positum est versus parietem; sunt enim modi, & casus diversi*. Oportuit sane hæc adnotare, quod in multis Ecclesiis insignioribus juxta veterem disciplinam Altaria majora sub Tribuna exstant, in quibus Sacerdotes cum celebrant, faciem ad populum vertunt.

XIX. Hisce notatis, explicemus nunc, unde profecta est ratio benedictionis Episcopalis. A veteri testamento ajunt Auctores; nam Cap. VI. Numerorum ita per Moysen loquutus est Deus Aaron, & filiis ejus: *Sic benedicetis filiis Israel, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te; ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui; convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem, invocabuntque nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis*. Quem locum sic interpretatur S. Petrus Damiani Lib. VIII. Epistola XI. ad Cives Florentinos: *Dominus in Libro Numeri de Sacerdotibus ait*: Invocabunt nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis. *Sacerdos quippe Dominum super hominem verbis invocat, sed ipse super eum Dominus benedictionem efficaciter format. Effectus itaque benedictionis non in merito Sacerdotis constat, sed hanc invocatio divini Nominis administrat; ut quod ex ore sonat hominis, intus impleat Creator, & per indigni sæpe hominis ministerium, divina virtus suum veraciter efficiat Sacramentum*. Quod quidem consentaneum est doctrinæ Augustini, qui eundem locum Scripturæ exponens in Libro Quæstionum veteris Testamenti, Cap. XI. *Per quod ostenditur*, inquit, *Spiritum gratiarum non personam sequi, aut digni, aut indigni, sed ordinationem traditionis, ut quamvis aliquis boni meriti sit, non tamen possit benedicere, nisi fuerit ordinatus, ut officium ministerii exhibeat: Dei autem est effectum tribuere benedictionis*.

XX. Deo itaque operante in ministerio Sacerdotali, benedictio Ecclesiastica habet effectum non quidem ex opere operato ad instar Sacramentorum, sed ex vi invocationis Divini Nominis, & precum Ecclesiæ, quæ cum sit sponsa Christi dilecta, non potest non exaudiri ab eo pro merito, & dignitate sua, quando aliquid pro filiis petit; parumque iccirco refert, si Minister, qui benedictionem impertit, indignus sit, cum tota ipsius benedictionis vis non quidem in sanctitate Ministri ipsam largientis, sed in oratione, & invocatione Ecclesiæ, quæ fit per ejus Ministros, nitatur; posuit enim Deus Sacerdotes dispensatores benedictionum suarum, quas scilicet ipsi populo largiantur; nam ut ait S. Joannes Chrysostomus Homilia XXXVIII. ad populum Antiochenum; *Laici a Sacerdote benedictionem accipiunt*; eratque mos, ut cum Sacerdos populo benediceret, responderet tum ille, *Amen, confirmans benedictionem sibi, quam plebi Sacerdos a Domino deprecabatur*, ut ait S. Ambrosius in Psalmum XL.

XXI. Effectus tandem benedictionis Episcopalis ex communi tum Theologorum, tum Canonici Juris Interpretum, est venialium peccatorum remissio. Ita sane docet S. Thomas II. II. Quæstione LXXXVII. Articulo III. & alii, quos citat Alzedus, *De Episcopis*, Parte II. Cap. III. ubi etiam quosdam sui temporis, ac nostri quoque nonnullos refellit, existimantes per benedictionem Episcopi, quæ tam ab ipso iter agente datur, quam per ea verba, *Sit nomen Domini benedictum*, concedi Indulgentias; non enim in Jure id expressum est, neque ab aliquo Auctore dictum, ideoque male illi opinantur, qui præter peccatorum venialium remissionem, Episcopali benedictioni Indulgentiam quoque tribuunt, erratque passim in eo vulgus, dum ideo genuflectit, quando ab Episcopo iter agente benedicitur, quasi tunc Indulgentiam consequatur; genuflectendum tunc quidem, sed aliam ob causam jam explicatam, & quia is est ritus antiquus, quem etiam Synodi inculcant, quas alio loco attulimus. Meminit ejus genuflexionis Durandus Lib. IV. Cap. LI. Num. XXIII. sic inquiens: *Dum autem Episcopus se ad populum benedicendum convertit, populus reverenter genuflectit, quasi ipso facto dicat*, Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ. *Nam ipse est Dominus, qui ad illius invocationem benedicit*.



Digitized by Google

*dicit*. *Unde in Psalmo* CXLVII. Benedixit filiis tuis in te. Idipsum alii quoque Auctores notant.

XXII. Ad §. tandem VI. quod attinet, qui est circa ritum servandum ab Archiepiscopo, sive ab alio, qui privilegio præferendæ sibi Crucis gaudet, quum scilicet benedicunt, in præcedentibus Commentariis explicatum habes. Quod vero edicitur de Altari, quod est sub Tribuna, & populus non ante ipsius faciem, sed post illam stat, & quomodo tunc danda sit benedictio, id quoque supra in eodem hoc Commentario explicuimus. Unum itaque hic addiderim, quod alias notat laudatus Durandus loco citato, Num. XXIV. in Missa pro Defunctis non dari benedictionem, neque solemnem a Pontifice, *tum quia in ea omnes solemnitates cessant, tum quia hæc solemnis benedictio fit non solum pro venialium deletione, verum etiam pro populi excitatione, ut in Domini adjutorio confidat, & benedictum in secula confiteatur, at defuncti velut absentes excitari nequeunt, licet possint nostris suffragiis adjuvari; tum quia gaudium non debet luctui admisceri*. Teste Macryo verbo, *Benedictio*, ex præscripto antiqui Missalis impressi anno MDXXXIII. quod asservatur in Bibliotheca Cathedralis Ecclesiæ Viterbiensis, dabatur quidem in Missis pro Defunctis benedictio sub hac forma: *Deus vita vivorum, & resurrectio mortuorum benedicat vos in secula seculorum.*

## §. VII.

Simili modo in fine Vesperarum, ac Matutini, seu Laudum, Episcopus, sive Archiepiscopus, benedicit, cum ipse solemniter facit Officium. Hanc eamdem benedictionis formulam servabit Episcopus, quando danda erit in fine alicujus Processionis; quæ etiam in usu est in primo ingressu Episcopi, vel Archiepiscopi ad Civitates, & Oppida suæ Dioecesis, vel Provinciæ, postquam ad Ecclesias pervenit, ut diximus in Cap. II. §. V. & VIII. hujus Lib. I. Quod si Episcopus assistat cum Cappa, dabit benedictionem, tecto capite cum caputio Cappæ, vel cuculli, vel etiam cum bireto.

## COMMENTARIUS.

I. QUo ritu in fine Missæ, eodem plane *in fine Vesperarum, ac Matutini, seu Laudum*, debet Episcopus, sive Archiepiscopus populo benedicere, *cum ipse solemniter facit officium*. Quam assidui fuerint olim Episcopi nocturnis, ac diurnis Officiis in Ecclesia decantandis, passim nos docent Scriptores Ecclesiastici, iique præsertim, qui ipsorum Vitas scripsere. Testatur Ennodius, S. Epiphanium Ticinensem Episcopum divinis Officiis solitum semper adesse, prævenire Lectores, etiam in Vigiliis stantem semper in eodem loco, nec exire, antequam omnia essent peracta. De Sancto Germano Parisiensi Episcopo, quem iter agentem nec hyemes, nec imbres, nec nives remorabantur, quin Officium Divinum nudo capite recitaret, refert inter alia ejus Vitæ Auctor apud Surium die XXVIII. Maji, quod summo mane ingressus Ecclesiam, non discedebat inde, ante exhaustum, ac decantatum totum Divini Officii decursum: *Tertia noctis hora ingrediens, non est egressus ulterius Psallentium ab ordine, donec clarescente jam die decantatus solemniter cursus universus consummaretur ex Canone*.

II. Ab exemplis ad Synodos venio, in quibus ea disciplina inculcatur. Synodus Parisiensis anni MCCXII. Can. II. vetuit, ne Prælati in lectis jacentes matutinas Psalmodias audirent, quandiu per valetudinem surgere possent, & una cum Choro adstare, & psallere: *Statuimus, ne dum fuerint sani, & incolumes, in lectis jacentes audiant Matutinas, & ne dum coram eis Officia celebrantur, secularibus negotiis, vel confabulationibus occupentur*. Synodus IV. Oecumenica Lateranensis anni MCCXV. Can. XVII. profanam eorum damnat, seu Prælatorum, seu Clericorum quorumcumque incuriam, & alienationem a religioso Dei cultu, qui nocte, aut somno, aut vanissimis voluptatibus impensa, ut nostra hac tempestate fit, vix ad avicularum cantum surgunt, nocturnasque, & matutinas laudes conglomerant: *Circa comessationes, & confabulationes illicitas fere medietatem noctis expendunt, & somno residuum relinquentes, vix ad diurnum concentum avium excitantur, transcurrendo undique continuata syncopa Matutinum*. Edicit mox eadem Synodus, ut nocturna, diurnaque suo quæque tempore decantentur Officia, ea qua decet gravitate: *Ut divinum Officium diurnum pariter, & nocturnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent, & devote*.

III. Itaque, ut scitissime observat Thomassinus Parte I. *Disciplinæ*, Libro II. Cap. LXXXV. Num. I. ubi Canonem ipsum Synodi IV. Lateranensis descripsit, manifestissime, I. eodem hoc Canone supponitur antissiquissima & inexorabilis lex, & disciplina Canonici Officii persolvendi, & quidem in Ecclesia. II. Non ambigi videtur, quin initio Seculi XIII. toto adhuc orbe officia noctis noctu celebrarentur. III. Culpæ datur illa præposterа ratio recitandi nocturnas Psalmodias exoriente mane luce. IV. Culpæ etiam datur, quod uno, & eodem tempore conjunctim nocturna Officia, & Matutinæ Laudes, forsan & Hora Prima concinerentur. V. Jubetur denique, ut nocturna Officia noctu, Diurna interdiu solemnibus Horis recitentur. Addi autem & VI. potest, ea Lege adstrictos fuisse non modo Clericos qui Choro alligati

Digitized by Google

ligati erant, sed præsertim Episcopos, qui magis ac alii, frequentare debent Ecclesiam, in eaque pro temporum ratione divina Officia solemniter celebrare; nam alias in Concilio Constantiensi Sessione XI. inter flagitia pene innumera, quæ ingesta sunt Joanni Papæ XXIII. & illud occurrit, quod nec Mysteria sacra Pontificalia, nec Officia Canonica persolvisset: *Missis, & Vesperis Papalibus interesse non curavit. Horas Canonicas dicere sprevit.*

IV. Placuit hæc adnotare, non quod mea sententia sit, teneri hodie Episcopum noctu diuque divina Officia in Ecclesia celebrare, sed ne ignoretur disciplina, quæ viguit vel longe post annum Christi millesimum. Certe ex nostro §. id unum cautum est, ut cum Episcopus *solemniter facit Officium*, simili modo, quo in fine Missæ, *in fine Vesperarum, ac Matutini, seu Laudum*, populo benedicat. Decere autem quammaxime, ut in præcipuis Festivitatibus, quæ occurrunt per annum, Episcopus ipse tum Missam, tum Vesperas solemniter celebret, ex nostro hoc Cæremoniali addiscimus Lib. II. Cap. XXXIV. ubi etiam Festa ipsa notantur. Scio, non paucos secularibus rebus a deo vacare, ut solo contenti Episcopi nomine, & proventibus Episcopatus, numquam fere Episcopalia munia per se ipsos obeant, sed per conductios Suffraganeos, ut alios omittam, qui imaginario morbo laborantes, aliove prætextu futili Pontificales functiones negligunt, populosque Episcopali benedictione fraudant.

V. Quanto zelo exarserit S. Carolus, ut socordes ejusmodi Episcopos excitaret, sat ostendit in Concilio Provinciali I. Mediolanensi, ubi ita statuit: *Episcopi quam sæpissime possunt solemni Missæ, ac divinis Officiis intersint; diebus vero Dominicis Adventus, & Quadragesimæ, nisi legitima causa intercesserit, omnino non desint.* Benedictionem tum in Missæ, tum in Vesperarum fine, ab Episcopo solemniter faciendam, edixit in Provinciali IV. Concilio, his verbis: *Peracto Missæ conventualis Sacrificio, Vesperarum Officiis in Ecclesia absolutis, in quibus Episcopus præsens aderit, diebus Dominicis, ac Festis, & aliis item, quibus ex Cæremoniarum Romanarum usu, rituque moris est, solemniter ipse benedicat.* Solemnem hanc benedictionem dandam esse ab Episcopo etiam in fine Processionum, aliisque similibus functionibus mandat eodem loco sic dicens: *Quod sane etiam præstet peractis solemnibus Processionibus, aliisque id generis officiis.* Id ipsum & in aliis Conciliis suis alii zelantissimi Præsules statuere, non novam inducentes disciplinam, sed antiquo Ecclesiæ ritu proabatam renovantes.

VI. Sed quoniam mentio S. Caroli incidit, describendus hic plane est ritus, quo ipsa Episcopalis benedictio, ex illius Concilii Provincialis IV. præscripto post Missam, ac Vesperas impertienda est: *Quod religiosi*, inquit, *instituti, piæque consuetudinis fuit, & in compluribus adhuc hujus Provinciæ Ecclesiis aliqua ex parte retinetur, Pontificalique Libro antiquo traditur, de Diaconi, alteriusve Ministri, & Chori Officio in Episcopali benedictione, id ad usum ubique revocari, Pastoralis curæ est, cum præsertim ad inflammandam fidelium pietatem, præparandamque in ea Episcopali benedictione attentionem attineat. Itaque diebus Dominicis, Festisque, cum Episcopus benedictionem de more impartiet, Diaconus, vel alius Minister, ad quem de more pertineat, cuive Episcopus jusserit, ad populum conversus, his cantu solemni pronunciandis præeat:* Humiliate vos ad benedictionem. *Tum a Choro respondeatur:* Deo gratias.

VII. Addit mox idem S. Præsul, in majoribus solemnitatibus aliquanto id solemnius esse præstandum, ritu scilicet, qui in antiquo Libro Pontificali ita præscriptus est, ut nimirum Chorus primo dicat: *Princeps Ecclesiæ, Pastor ovilis, tu nos benedicere digneris*; tum Diaconus respondet: *Humiliate vos ad benedictionem*; post, Chorus humili voce concinat: *Deo gratias semper agamus*; demum vero Episcopus dicat præscriptas pro temporum ratione Orationes in Libro antiquo Pontificali descriptas. Sed hæc jam nos superius adnotavimus, advertimusque, ipsas Orationes ex recentioribus Pontificalibus fuisse expunctas, tametsi earum usus adhuc vigeat in quibusdam Ecclesiis, ut testatur Menardus in Notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ, Pag. 30. Quicquid sit de hoc Ecclesiarum peculiarium usu, est certe antiquus ritus, qui in hoc nostro §. præscribitur, ut nimirum *in fine Vesperarum, ac Matutini seu Laudum*, Episcopus populo benedicat, sive ipse solemniter facit officium, sive ei præsens aderit, ut laudata S. Caroli Synodus testatur.

VIII. Sed ut videas, vere eum ritum esse antiquissimum, testis est Barchinonensis Synodus anni DXL. Can. II. ubi ita inquit: *Ut benedictio in Matutinis, fidelibus, sicut in Vespara, tribuatur.* Longe insignior est Canon XXX. Agathensis Synodi anni DVI. cujus hæc sunt verba: *Et quia convenit ordinem Ecclesiæ ab omnibus æqualiter custodiri, studendum est, ut, sicut ubique fit, & post Antiphonas collectiones per ordinem ab Episcopis, vel Presbyteris dicantur, & Hymni, Matutini, vel Vespertini diebus omnibus decantentur, & in conclusione Matutinarum, vel Vespertinarum Missarum post Hymnos Capitella de Psalmis dicantur, & plebs collecta oratione ad Vesperam ab Episcopo cum benedictione dimittatur.* Hactenus Canon.

IX. Multa vero in hoc Canone sunt, quibus antiqua divinorum Officiorum forma explicatur. Adnotandum itaque est I. jam initio VI. seculi præstitutam in pluribus Ecclesiis Officiorum formam fuisse, quæ fere tota erat in Antiphonis, seu Psalmis, & Canticis, antiphonatim, seu alternatim cum aliquo ordine concinendis. II. Iis interpolatas fuisse collectiones, seu breves orationes, quibus gratiæ summatim a Deo poscerentur. III. Additos Matutino, & Vespertino Officiis Hymnos cum hoc discrimine, quod Matutinis Horis initio, Vespertinis autem sub finem canerentur. IV. Capitella, quæ erant pars, aut sum-



Digitized by Google

ſumma ex Prophetis, aut ex Apoſtolo, fuiſſe per Horas diſtributa. V. Totum Officium per collectas, ſeu orationes finem accepiſſe. VI. Miſſas hic uſurpari pro Horis Canonicis, uti ex contextu liquet; notumque eſt eruditis Viris, Miſſam apud antiquos Scriptores pro quovis Eccleſiaſtico officio interdum ſumi; uti videre eſt apud Dufreſne in ſuo mediæ & infimæ latinitatis Gloſſario, verbo, *Miſſa*.

X. Quod ſi quis minime hanc ſententiam probet, velitque Miſſas in recitato Canone pro celebratione Sacrificii accipi, & ideo Veſpertinas dici autemet, quod in diebus jejuniorum ad Veſperam celebrarentur, non puto recte Canonis ſenſum ea interpretatione explicari; cum, uti dixi, ex contextu pateat, loqui Canonem de Horis Canonicis, Matutinis ſcilicet, & Veſpertinis, in quarum concluſione etiam vult, ut benedictio Epiſcopalis populo impertiatur. Cui quidem ritui §. is noſter concinit, quum ait, *in fine Veſperarum, ac Matutini, ſeu Laudum*, dandam eſſe ab Epiſcopo ſolemnem populo benedictionem.

XI. Mandat denique §. noſter, Epiſcopo memoratis ſolemnibus functionibus aſſiſtente cum Cappa, dandam etiam eſſe ab ipſo benedictionem, *tecto capite cum Caputio Cappæ, vel Cuculli, vel etiam cum bireto*. Ubi tamen nota, dari debere tunc benedictionem ab ipſo Epiſcopo, non in Altari, ſed in Sede ſua ſtante, uti poſt alios notat Caſtaldus Lib. II. Sectione XII. Cap. IX. Num. X. & uti fit Romæ a Cardinalibus, qui in Eccleſiis ſuis Titularibus aſſiſtentes Miſſarum ſolemniis cum Cappa ſtantes ad ſuam Sedem Baldachino ornatam, capite Caputio Cappæ tecto, ſolemnem populo benedictionem impertiunt.

## §. VIII.

Reliquum eſt, ut de publicatione Indulgentiarum pauca ſubjiciantur. Conſuevit enim, cum datur benedictio ſolemnis per Epiſcopum, plerumque, non tamen in Veſperis, concedi etiam Indulgentias pro concedentis facultate. Si enim eſt Epiſcopus, vel Archiepiſcopus, dierum quadraginta, de Jure communi; ſi vero Epiſcopus eſſet S. R. E. Cardinalis, centum: quæ quidem Indulgentia, cum datur benedictio infra Miſſam, poſt Sermonem, & confeſſionem, ab ipſo Sermocinante publicatur, ſtatim finita confeſſione, antequam detur benedictio; quo caſu non publicatur amplius poſt benedictionem in fine Miſſæ. Cum vero non habetur Sermo, in fine Miſſæ Pontificalis, ſtatim poſt ſolemnem benedictienem publicatur per Presbyterum aſſiſtentem, ſi Epiſcopus celebret, vel eo non celebrante, per ipſummet Prælatum, vel Canonicum celebrantem, præſente Epiſcopo.

## COMMENTARIUS.

I. Quod Indulgentias attinet, jam multa notavimus ſupra in Commentario ad §. I. Probatur in præſenti §. uſus, ut cum datur ſolemnis benedictio per Epiſcopum, plerunque, non tamen in Veſperis, concedatur etiam Indulgentia pro concedentis facultate; ut videlicet, ſi eſt Epiſcopus, aut Archiepiſcopus, dierum quadraginta, de Jure communi, ex Cap. *Cum ex eo* XIV. *De pœnitentiis, & remiſſionibus*; ſi vero eſſet Epiſcopus Cardinalis, centum; centum, quia ſcilicet inter alia & eo privilegio a Romanis Pontificibus ſibi conceſſo Cardinales gaudent, ad quod alludens Craſſus Lib. I. Cap. XLI. ait: *Singuli Cardinales non ſolum in ſuis Eccleſiis, ſed ubicunque Miſſæ præſentes fuerint, centum dies dant, niſi plures dies, vel annos haberent a Papa ex particulari facultate, quia tunc concederent juxta facultatem*. Patriarcham Ulyſſiponenſem ex peculiari privilegio Clementis Papæ XI. poſſe *centum, aut plures dies, necnon in uno Feſto dumtaxat a primis uſque ad ſecundas Veſperas, quinque annos, aut quinque quadragenas, aut infra, ita tamen, ut ſemel tantum pro una Eccleſia, vel Capella fiat*, jam a nobis notatum ſuperius fuit.

II. Ad Cardinales quod attinet, poſſe ipſos centum dies Indulgentiæ concedere teſtantur etiam Navarrus in Tractatu, *De Jubilæo*, Notabili XXXI. Num. XVII. & Cardinalis Ballarminus Lib. I. *De Indulgentiis*, Cap. XI. Num. III. ubi docet, id magis conſuetudine niti, quam lege. Certe ipſum dierum numerum excedere nequeunt, niſi majoris concedendæ Indulgentiæ a Summo Pontifice obtinuerint facultatem. Hinc enim Pileum S. R. E. Titulo S. Praxedis Cardinalem Urbani Papæ VI. in Anglia Legatum, quod biennales, ac triennales daret Indulgentias, omnibus fuiſſe ſtupori, & de attentato ſuſpectum ſcribit ad annum MCCCXXXI. Thomas Walſingamus.

III. Circa publicationem ipſarum Indulgentiarum in Miſſa, tenenda eſt regula noſtri hujus §. Ait enim, quod cum datur benedictio intra Miſſam, publicanda eſt quidem poſt Sermonem, & confeſſionem ab ipſo Sermocinante, ſtatim finita confeſſione, antequam detur benedictio, eoque caſu non debet amplius poſt aliam benedictionem in fine Miſſæ publicari, quia ſcilicet, ut ajunt Doctores, non habent eam facultatem Epiſcopi, ut bis in die Indulgentiam concedant. Hinc, ut advertit Craſſus, *in nocte Nativitatis Domini non datur in prima, nec ſecunda, ſed in tertia Miſſa datur; & ſi in prima fuit data Indulgentia, non dabitur in*

Digitized by Google

*in secunda, nec in tertia majori, quod nota.* Cum vero non habetur sermo post Euangelium, tunc ex præscripto ejusdem hujus nostri §. in fine Missæ Pontificalis statim post solemnem benedictionem publicabitur ipsa Indulgentia per Presbyterum assistentem, si Episcopus celebret, vel eo non celebrante, per ipsummet Prælatum, vel Canonicum celebrantem, Episcopo præsente.

IV. Porro tenenda omnino hæc regula est, quam hic §. noster præscribit, tametsi aliter doceat Crassus loco citato, ubi ait, quod ubi nullus fuit sermo intra Missam, & consequenter in fine Missæ publicatur Indulgentia post datam benedictionem, *debet omnino publicari ordinaria Indulgentia primo sermone Latino per Diaconum Euangelii stantem in cornu Euangelii; & deinde, si videbitur, per Subdiaconum stantem in cornu Epistolæ, vulgari, versis faciebus ad populum, & non per alios.* Et mox: *Nam ad istos tantum omnino pertinet hujusmodi publicatio.* Sed hæc correcta sunt per hunc nostrum §. cui tamen & in eo memoratus Crassus concinit, cum ait, Indulgentiam nunquam dari *in Matutinis, nec in Vesperis quantuncumque solemnibus, nec in Missis pro Defunctis.* Atque hinc, facile capitur, quod initio nostri §. edicitur, *plerumque*, dari ab Episcopo Indulgentiam, & non semper, quia scilicet in Missis Defunctorum non datur.

## §. IX.

In primo vero ingressu Episcopi, vel Archiepiscopi ad Civitates, vel Oppida suæ Diœcesis, aut Provinciæ, publicatur per unum ex illorum Ministris, sive Beneficiatis Ecclesiæ, alta voce, dicendo, *Reverendissimus in Christo Pater, & Dominus N. &c.* ut supra §. 1. Si vero Episcopus esset Cardinalis, dicitur in hunc modum: *Eminentissimus, & Reverendissimus in Christo Pater, & Dominus, Dominus N. Tituli Sancti N. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis N. & Episcopus N. dat, & concedit omnibus hic præsentibus centum dies de vera Indulgentia, in forma Ecclesiæ consueta &c.*

## §. X.

Ad quem autem spectet has benedictiones dare, cum adest simul cum Episcopo Legatus de Latere, aut etiam Cardinalis non Legatus, aut Metropolitanus, aut Nuntius Apostolicus, vel alii Prælati, officio, & auctoritate præstantes, jam supra in Cap. IV. §. IV. Lib. I. expositum fuit.

## COMMENTARIUS.

I. UTi, & quanta est Indulgentia a novo Episcopo Cardinali, vel non Cardinali in suo primo ingressu ad Ecclesiam suam Cathedralem, jam supra exposuimus Cap. II. in fine Commentarii ad §. V. Ad quem autem spectat benedictiones dare, ubi divina celebrantur Officia, cum adest simul cum Episcopo Cardinalis, Legatus a Latere, Metropolitanus, Nuntius Apostolicus, aliive Prælati officio, & auctoritate præstantes, id etiam suo loco enarravimus, nempe Cap. IV. in Commentario ad §. IV.

II. Lubet hoc loco quæstionem illam attingere seculo jam elapso labente exortam, an facultas in propria Titulari Ecclesia Cardinali Diacono competat impartiendi solemnem ac Pontificalem benedictionem sub Trono elato Pontificali more. Egregiam ea de re disceptationem Romæ edidit doctissimus S. R. E. Cardinalis Albitius anno MDCLXVIII. quam Tomo suo X. Consultationum Canonicarum inseruit Jacobus Pignatellus, estque consultatio CXVII. Affimativam in ea quæstione prodiisse Resolutionem, testantur Macryus in suo Hierolexico verbo, *Diaconus*, ubi affert Decretum Sacræ Congregat. XV. Septembris MDCLXVIII. & Cardinalis de Luca in Relatione Romanæ Curiæ Forensis Discursu V. Num. XXX. ubi etiam laudat Cardinalis Brancatii elegantem atque eruditam Dissertationem I. & VII. Teste laudato Macryo ipsum Sacræ Congregationis Decretum *exequutum prima vice fuit ab Eminentissimo Decio Cardinale Azolino in ejus Diaconia S. Eustachii in Festivitate Sancti prædicti ejusdem anni.*

III. Certa autem illa sententia est, quam memoratus Cardinalis Albitius propugnat, Cardinales Diaconos habere potestatem solemniter benedicendi populo in suis Diaconiis, non quidem Jure proprio, sed ex Apostolico privilegio, cum enim Cardinales Diaconi in suis Diaconiis habeant jam Episcopalia, vel quasi, ut idem Author late superius ostendit, non est dubitandum, quin stante hujusmodi privilegio possint solemniter benedicere, ut præter alios Auctores tenet Fagnanus in Cap. *Ne pro dilatione*, Num. XLII. *De pœnitentiis & remissionibus*, ubi nulla facta distinctione inter Presbyteros, & Diaconos, ait, quod cum Cardinales in Ecclesiis suorum Titulorum habeant facultatem corrigendi, censuras Ecclesiasticas fulminandi, & cetera faciendi, quæ sunt jurisdictionis Episcopalis, conferunt minores Ordines, utuntur Episcopalibus insigniis, & benedicunt solemniter, licet non habeant consecrationem aliquam, sed nudos Ordines sacros. Sed ut alios omittam, docet Jacobatius, *De Concilio*, Lib. X. Num. CIV. Versu, *Item aliud privilegium*, quod Cardinalis etiamsi non sit Episcopus, potest facere solemnem benedictionem.



Digitized by Google

## CAP. XXVI.

*Si Dignitates, & Canonici pro gradu, quem obtinent in Ecclesiis, legitime impediti fuerint, alii proximiores de Capitulo in divinis Officiis vices subeant. Qui sine justa causa deficiunt, arbitrio Episcopi, seu secundum Ecclesiæ consuetudinem, mulctentur. Presbyter Canonicus proximior Presbyteri assistentis locum suppleat. Si unus, aut duo ex Diaconis assistentibus absint, subsequentes Diaconi, & Subdiaconi suppleant, & ex necessitate ultimus Presbyter, Dalmatica Diaconali indutus, ad sinistram Episcopi. Si aliquis ex Dignitatibus Diaconi assistentis vices gerat, induat quidem Dalmaticam, sed maneat ad dexteram Episcopi. Ubi non sunt ordines distincti Canonicorum, duo Canonici sint loco assistentium Diaconorum. Eadem regula, quoad supplendas vices, servetur inter inferiores de Capitulo.*

### §. I.

Plerumque evenit, ut ex his, qui in aliquo peculiari ministerio, dum Officia divina peraguntur, servire solent, sive illi Dignitates, sive Canonici, seu etiam inferioris ordinis, sint legitimo impedimento detenti; ut quia absentes, vel infirmi, vel senio languentes, seu aliis justis de causis occupati, munus eis competens obire nequeant. Quo casu, ne debitum ministerium deseratur, dum alter alterius onus, aut curam subire negligit, vel recusat, deficientium vices ab aliis suppleri debent: & nihilominus, si qui sine justa causa deficiunt, arbitrio Episcopi, vel juxta consuetudinem Ecclesiæ, in divisione distributionum mulctandi erunt, & quidem regulariter majores minorum vices non supplent, nisi ex necessitate; sed contra, inferiores superiorum vices subeunt, præterquam in iis, quæ sunt ordinis peculiaria, velut, si in aliqua Ecclesia gradus, & ordines distincti sint; nempe Dignitates, Canonici Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, tum Beneficiati, & Clerici.

## COMMENTARIUS.

I. QUum, uti non semel notatum est, ita Canonici fere sint respectu Episcopi, ac S. R. E. Cardinales respectu Papæ præsertim in assistentia circa Officia divina, ideo sicut in Cæremoniali Romano, Auctore Patricio Lib. III. Sectione II. Cap. XVII. de supplendis vicibus Cardinalium in assistentia Papæ deficentium agitur, ita & in hoc præsenti Capite tractatur de supplendis vicibus Canonicorum, aliorumque Ministrorum deficientium; quia scilicet, *plerumque evenit, ut ex his, qui in aliquo peculiari ministerio, dum Officia divina peraguntur, servire solent, sive illi Dignitates, sive Canonici, seu etiam inferioris ordinis, sint legitimo impedimento detenti, ut quia absentes, vel infirmi, vel senio languentes, seu aliis justis de causis occupati, munus eis competens obire nequeant.* His ergo casibus statuit I. hic noster §. ne debitum ministerium deseratur, dum alter alterius onus, aut curam subire negligit, aut recusat, ut deficientium vices ab aliis suppleantur. II. ut siqui sine justa causa deficiunt, arbitrio Episcopi, vel juxta consuetudinem Ecclesiæ in divisione distributionum mulctentur.

II. Posse præterea Episcopum Dignitates, & Canonicos ad sibi assistendum, & inserviendum censuris, aliisque Juris remediis compellere, docent inter alios Barbosa, *De Canonicis*, Capite XXXIII. & Pignatellus Tomo V. Consultatione LXXXIII. Num. XXIV. Etenim cum Episcopus jus habeat ad exigenda hujusmodi obsequia, sitque Caput totius Capituli, debet etiam habere vim coactivam, per quam cogere possit ad sibi debita obsequia exhibenda. Unde his ipsis pœnis compellere potest etiam primam Dignitatem, si recuset in assistendo debitum Episcopo obsequium præbere, ut censuit Sacra Rituum Congregatio in Calaguritana die XII. Decembris anni MDCXX. apud laudatum Barbosam. Censuræ enim Ecclesiasticæ sunt congrua remedia, quibus apud Ecclesiasticos exercetur vis compulsiva, & reluctantes ad officia sua reducuntur.

III. Rursus per seipsos, nisi legitime impediti fuerint, debere Dignitates, & Canonicos Episcopo Pontificalia celebranti assistere, decidit Concilium Tridentinum Sessione XXIV. *De reformatione*, Cap. XII. ubi ita inquit: *Omnes vero divina per se, & non per substitutos compellantur obire officia, & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistere, & inservire.* Est enim hæc assistentia quoddam officium, quod impendere tenentur Canonici Episcopo ratione Dignitatis, aut Canonicatus, & ita declaravit Sacra Rituum Congregatio XVIII. Maji MDCII. *Obtinentes*, inquit, *Dignitates, Canonicatus, vel portiones in Ecclesiis præsertim Cathedralibus cu-*

Digitized by Google

*cujuscumque qualitatis sint, teneri Episcopo solemniter celebranti, aut Pontificalia exercenti assistere, ac vestibus sacris indutos eidem inservire, necnon munera eisdem Dignitatibus, Canonicatibus, & portionibus in decantatione Missæ, Euangelii, Epistolæ, & similium functione, præstatione, incumbentia, & annexa, per se ipsos subire, & exercere juxta sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini dispositionem, ac cujusque Ecclesiæ particularem ordinationem debere.*

IV. Neque vero hic omittenda, quæ in ipso Decreto eadem Sacra Rituum Congregatio mox subjicit: *Quod si quando aliquis legitimo impedimento detentus ea per se ipsum implere non poterit, tunc alios ejusdem tamen ordinis, & gradus, non autem inferioris Dignitatis, nempe Dignitates alias Dignitates, Canonici, & Portionarii respective alios Canonicos, & Portionarios in sua quisque hebdomada, ne graduum, & ordinum prærogativæ confundantur, deputare debebit, quibus per Episcopum oppertunis remediis etiam hujus Decreti vigore providendum fore.* Affert hoc Decretum Pignatellus loco citato Num. xv. subditque Num. xvi. id esse limitandum, si superveniret impotentia naturalis, ratione cujus impedirentur hujusmodi functiones exercere. Nam sicuti percipiunt distributiones, & excusantur a servitio, quando infirmitate impediuntur, Cap. unico, §. *Qui vero, De Clerico non residente*, in vi. & Cap. i. *De Clerico ægrotanti*: ita etiam ratione impotentiæ sopervenientis ex aliqua infirmitate excusabuntur a præstandis functionibus; quod enim quis invitus patitur, nocumentum illi afferre non debet, Can. *Ad ejus*, & ibi Glossa verbo, *invita*, Distinctione v. & in Can. *Presbyteros*, Distinctione L. habeturque in Lege, *Cum a matribus*, Cod. *Qui per tutores &c.* & in Lege, *Præses Provinciæ*, Cod. *De appellationibus*.

V. Cessante legitimo impedimento debent omnino per se ipsos Dignitates, & Canonici Episcopo suo assistere, tum maxime quia ratione hujus assistentiæ ipsi quoque splendorem recipiunt, ac venerationem, communicant enim in peragenda Pontificali functione, & cum eodem Episcopo conjunguntur; & ideo licet minus digni, præferuntur ceteris omnibus, ut censuit Sacra Rituum Congregatio in Caputaquensi die xviii. Maji anni MCCII. & ipsius assistentiæ ratione thurificantur, & recipiunt pacem ante Dignitates, ut declaravit eadem Sacra Congregatio in Cremonensi die xxviii. Septembris anni MCCXII. in Nolana xxiii. Maji MDCIII. & in Bracharensi xix. Junii MDCXVIII. Qui honor eisdem impendi debet etiam ante Magistratum, licet sit de majoribus, sicut eadem Sacra Congregatio decrevit in Patavina die ii. Martii anni MDCII. Nam in illa functione tanquam cooperatores incorporantur eidem Episcopo, & sicut peragunt unum, ac idem ministerium divinum, ita etiam sunt veluti partiales Ministri constituentes unum integrum principium ejusdem ministerii, & ideo non debent separari ab Episcopo in honore, & consequenter minime assistentiam negligere, quæ tot eximias prærogativas præsefert.

## §. II.

Deficiente ergo prima Dignitate, seu primo Presbytero Canonico, in officio Presbyteri assistentis, supplebit alter ei proximus, sive sit Dignitas, sive Presbyter Canonicus; quo etiam deficiente, subintrant alii Presbyteri proximiores; sic etiam ex duobus Canonicis Diaconis assistentibus, si alter, vel ambo deficiant, alii subsequentes Diaconi supplebunt: quod si unus tantum Diaconus, vel Subdiaconus adesset, tunc ex necessitate ultimus Presbyter, licet major, supplet loco Diaconi; vel Subdiaconi deficientis; & si Canonici essent sacris vestibus parati, ut quia Episcopus celebraret, ipse ultimus Presbyter induere deberet Dalmaticam more Diaconi, cujus loco servit, sed eo casu Diaconus, qui aderit, sedebit a dexteris Episcopi, cui imponet, & deponet Mitram; nempe cum proprium suum ministerium exerceat; Presbyter autem Canonicus a sinistris loco secundi Diaconi assistentis adjuvabit.

## §. III.

Quod si omnes prorsus Diaconi, & Subdiaconi deficerent, duo ultimi Presbyteri eorum locum implerent, Diaconi autem nullatenus loco Dignitatum Presbyteralium, aut Presbyterorum Canonicorum supplent.

## COMMENTARIUS.

I. EPiscopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistere, & inservire teneri Canonicos, & quidem per semetipsos, ubi minime ex aliqua legitima causa impediti fuerint, abunde in Commentario præcedenti probatum est, tum ex Concilii Tridentini Decreto, tum ex variis Sacræ Rituum Congregationis decisionibus, ex quibus etiam & illud constat, quod alias

Digitized by Google

alias non uno in loco nostrum hoc Cæremoniale edixit, Sacrum ipsi Missæ solemniter peragenti debere primam Dignitatem in officio Presbyteri assistentis, duasque alias Dignitates in Diaconorum assistentium officio, præter Diaconum, & Subdiaconum, Euangelium, & Epistolam cantaturos, assistere, & inservire; quia scilicet ea munia digniores, & honoratiores præbere debent Episcopo, uti decidit Sacra Rituum Congregatio in Calaguritana die I. Julii anni MDCI. & sic a prima Dignitate, vel a primo Canonico in ordine Presbyterali facienda est cum Pluviali assistentia, ut in Vercellen. VII. Augusti MDCX. & in Reatina X. Januari MDCIX. ubi etiam quod recusans cogendus est pœnis, & censuris Ecclesiasticis, etiamsi ipsa prima Dignitas sit unica, quæ quidem ad ipsam assistentiam sub eisdem pœnis, & censuris cogi poterit, ut in alia Calaguritana XII. Decembris MDCXX.

II. Ubi autem prima Dignitas, sive primus Presbyter Canonicus in officio assistentis Presbyteri deficiat, ex præscripto nostri II. §. supplere debet *alter ei proximus, sive sit Dignitas, sive Presbyter Canonicus; quo etiam deficiente, subintrant alii Presbyteri proximiores*, sive Dignitates, si adsint. Idipsum cautum est ex Cæremoniali Ambrosiano Lib. I. Cap. *De supplendis vicibus Ordinariorum &c.* his plane verbis: *Deficiente prima Dignitate, videlicet, Archipresbytero*, is enim est prima Dignitas in Ecclesia Mediolanensi, *cujus munus est fungi assistentis Archiepiscopi celebrantis, & ipso Archiepiscopo absente, in solemnitatibus Officia divina celebrare, supplebit alter & quidem proximior ex Ordinariis Sacerdotibus: quo etiam deficiente suscipit onus alius subsequens Presbyter itidem Ordinarius*. Ordinarii vocantur Canonici Ecclesiæ Mediolanenses, quod *ipsis una cum Archiepiscopo administrationis Ecclesiæ pondus semper fuerit subeundum*, uti idem Cæremoniale Ambrosiauum docet citato Libro I. Cap. *De Capitulo Metropolitanæ*, ubi alia ad eam rem notat.

III. Quicquid de eo nomine Ordinariorum sit, ritus tum nostri, tum Ambrosiani Cæremonialis desumtus plane est ex Cæremoniali Capellæ Pontificiæ, Lib. III. Sectione II. Cap. XVII. ubi agit de supplendis vicibus Cardinalium in assistentia Papæ deficientium. Ita enim inquit: *Si celebrante Pontifice, prior Episcoporum Cardinalium abest, qui illi assistere debet in officio Capellani, ejus vices suppleat senior Episcopus Cardinalis; & si nullus adest Episcopus, senior Presbyter Cardinalis. Item si Prior Presbyterorum in sua assistentia deest, senior ex aliis Presbyteris supplet &c.* Ceterum ad confirmationem ejus quod in hoc nostro §. præscriptum est, notanda est Sacræ Rituum Congregationis decisio die VII. Octobris MDCXLV. apud Meratum in Indice Decretorum, ubi edicitur, functiones, quæ debent fieri per primam Dignitatem, ea impedita, esse obeundas per Dignitatem sequentem. Multa id generis afferri possent ejusdem Sacræ Congregationis Decreta, quæ tamen videri possunt apud Barbosam in Tractatu, *De Canonicis*, & in Summa Apostolicarum Decisionum, Pignatellum, Ursayam, Scarfantonium, & alios.

IV. Ad assistentiam duorum Diaconorum quod attinet, cautum est ex eodem §. II. ut si ex illis alter, vel ambo deficiant, alii subsequentes Diaconi ipsorum suppleant locum; & si unus tantum Diaconus, vel Subdiaconus adesset, tunc ex necessitate ultimus Presbyter licet major ordine, loco Diaconi, vel Subdiaconi deficientis supplere debet, & induere Dalmaticam more Diaconi, cujus loco servit; eoque casu Diaconus quidem, qui aderit, sedebit a dexteris Episcopi, cui imponet, & deponet Mitram, quia scilicet proprium suum munus exercet. Presbyter autem Canonicus, qui alterius Diaconi assistentis vicem supplet, a sinistris loco illius stabit, adjuvabitque. Idipsum loco citato tradit Cæremoniale Ambrosianum, consentanee ad ritum Pontificiæ Capellæ, de qua ita inquit Patricius: *Si vero adest unus Diaconus tantum in assistentia, junior ex Presbyteris Cardinalibus supplet locum secundi Diaconi; sed Diaconus, qui aderit tanquam Archidiaconus, & in proprio officio, sedebit a dexteris, & Mitram semper ponet, & deponet, Presbytero Cardinali*, qui locum scilicet alterius Diaconi assistentis supplet, *a sinistris adjuvante*. Porro notandum, quod Ambrosianum Cæremoniale subjicit, nempe, ubi assisterent Episcopo Diaconorum loco assistentium, *unus Presbyter, & unus Subdiaconus*, tunc debere Presbyterum præcedere, ob eam forte rationem, quod tunc Subdiaconus non exercet officium suum.

V. Tandem ex nostri III. §. præscripto si omnes prorsus Diaconi, & Subdiaconi deficerent, tunc duo ultimi Presbyteri eorum locum implerent. Diaconi autem nullatenus loco Dignitatum Presbyteralium, aut Presbyterorum Canonicorum supplent; sive, ut ait Cæremoniale Ambrosianum, *Diaconi loca, vicesque Dignitatum Presbyteralium, aut Canonicorum Presbyterorum possunt supplere in Divinis*. His concinit Cæremoniale Pontificiæ Capellæ, ita inquiens: *Si nullus adesset Diaconus, duo juniores Presbyteri, sive Episcopi, illis etiam deficientibus, assistunt; & si Pontifex celebraret principaliter in Vesperis, sive in Missa, essent in habitu Diaconorum cum Dalmaticis, & non in proprio*. Ait mox, notandum illud, quod scilicet Pontifex non potest interesse Divinis cum solemnitate, nisi ad minus cum tribus Cardinalibus, quorum duo assistant loco Diaconorum, & tertius ut Capellanus assistens. In Missa autem, quando Papa celebrat solemniter, quatuor ad minus sunt necessarii, duo Diaconi assistentes, Diaconus Euangelii, & Episcopus, sive Presbyter Cardinalis, Capellanus assistens. Loquitur de Cardinalibus assistentibus Papæ, nam alias eidem assistere debet Subdiaconus in Missa, quem iccirco omisit, quod officium illud non exercetur a Cardinale, sed ab alio, qui dicitur Subdiaconus Apostolicus, de quo legi potest ipsum Pontificiæ Capellæ Cæremoniale Lib. III. Sectione II. Cap. XXI. apud toties laudatum Scriptorem Augustinum Patricium.

§. IV.

Digitized by Google

## §. IV.

Si nullus Presbyter Canonicus adesset, præter Dignitates, tunc aliquis ex ipsis Dignitatibus, Dalmatica similiter more Diaconi indutus, suppleret locum Diaconi deficientis; sed tali casu ipse Dignitatem obtinens maneret ad dexteram Episcopi, Diaconus vero ad sinistram; sed ipse Diaconus a sinistris manens, serviret in ministerio imponendi, & deponendi Mitram Episcopo.

## COMMENTARIUS.

I. Consentanea sunt & huic nostro §. quæ in memorato toties Pontificiæ Capellæ Cæremoniali leguntur Libro III. Sectione II. Cap. XVII. ubi agitur de supplendis vicibus Cardinalium in assistentia Papæ deficientium. In eo autem inter alia edicitur, ut, si nullus adesset Presbyter Cardinalis junior, Episcopus Cardinalis supplere debeat locum Diaconi Cardinalis assistentis, qui tamen eo casu erit a dexteris, ob supremam scilicet dignitatem Episcopalem; manente diacono a sinistris, qui *semper tamen ponet, & deponet Mitram*, quamvis non esset a sinistris; uti ibidem notatur. Ad imitationem itaque Pontificiæ Capellæ, præscribit hic §. noster, ut si nullus Presbyter adesset Canonicus præter Dignitates, tunc aliquis ex Dignitatibus suppleat locum Diaconi deficientis, eoque pariter casu is manere debet ad dexteram Episcopi, & Diaconus ad sinistram, qui etiam in ministerio imponendi, & deponendi Mitram Episcopo inserviet. Id quod totidem pene verbis edicit quoque Cæremoniale Ambrosianum. Ex dictis autem illud addiscere licet, Dignitates in Ecclesiis Cathedralibus respectu Episcopi, & quarundam præeminentiarum esse veluti Cardinales Episcopos respectu Papæ, quippe qui ceteris Cardinalibus eminent, & nulli locum cedunt.

## §. V.

Hæc autem, quæ diximus, procedunt, ubi ordines, & Præbendæ sunt distinctæ; ubi vero ordines non sunt distincti, duo Canonici, immediate sedentes post Canonicum, qui servit in Officio Presbyteri assistentis, erunt apud Episcopum loco Diaconorum assistentium.

## COMMENTARIUS.

I. Eadem, quæ in hoc §. præscripta etiam sunt in Cæremoniali Ambrosiano his plane verbis: *Hæc autem servantur, ubi ordines, & Præbendæ sunt distinctæ, ut in Metropolitana*, Ecclesia scilicet Mediolanensi. *Ubi vero non adest hujusmodi ordinum, & personarum distinctio, deficiente prima Dignitate, ad quam spectat solemniter officia peragere, & Archiepiscopo assistere; quod facile contingeret, si Archiepiscopus in aliquibus Ecclesiis interesset, ubi non adessent DD. Ordinarii, tunc vices suppleret primus Canonicus, assisterentque duo proximiores alii Canonici, aut eorum loco duo Sacerdotes ex dignioribus*. Plura de supplendis vicibus tum Canonicorum, cum aliorum Mediolanensis Ecclesiæ ministrorum deficientium videri possunt apud memoratum Cæremoniale Ambrosianum.

II. Cæterum de ea re describendum hic censeo, quod consentanee ad nostrum Cæremoniale statuit Synodus Provincialis XIII. Beneventana sub Joanne Baptista Foppa Archiepiscopo celebrata anno MDCLVI. Tit. XXVI. Num. XXXVIII. *Archidiaconus*, inquit, *Archipresbyter, Primicerius, cæterique Canonici, qui Prælato solemniter celebraturo in Choro assistere debent, sacris induantur, & ministrent in ordine suo juxta dispositionem Cæremonialis Episcoporum nuper impressi, ita tamen, ut in Ecclesiis, ubi Præbendæ non sunt distinctæ inter Presbyterales, & Diaconales, prout in nostra Metropolitana Ecclesia, sive Episcopus celebret, sive divinis Officiis præsens sit cum Cappa, munus Presbyteri assistentis semper per primam Dignitatem, quocumque nomine appelletur, adimpleatur: Officium vero duorum Diaconorum assistentium Episcopo per duas sequentes Dignitates post primam, & ipsis deficientibus per digniores, seu antiquiores Canonicos*. Additque mox: *Si autem Præbendæ sint distinctæ, quando Episcopus non celebrat, & solum præsens sit cum Cappa, tunc loco primæ Dignitatis Decanus Canonicorum, & duo primi Diaconi assistere ei debent, prout infrascriptis Decretis Sacra Rituum Congregatio pronuntiavit*.

III. Ergo supplicante Archiepiscopo Beneventano, & proposito Dubio, An Archidiaconus prima Dignitas Archiepiscopo tam solemniter celebranti, quam Divinis tantum interessenti cum Cappa assistere teneatur, cum præbendæ non sint distinctæ? Sacra Rituum Congregatio die V. Septembris MDCXLVIII. respondit, assistentiam prædictam præstandam esse per Archidiaconum juxta formam Cæremonialis, eumque posse cogi sub censuris, etiam in subsidium. Rursus cum in Ecclesia ipsa Metropolitana Beneventana non fuerint distinctæ præbendæ Presbyteralis, & Diaconalis, quæsivit Archiepiscopus, an ipsi solemniter



Digitized by Google

niter celebranti, vel si divinis Officiis cum Cappa intersit, Archidiaconus, qui est prima Dignitas assistere teneatur? Eadem Sacra Congregatio die ac anno superius memoratis affirmative respondit. Cum autem dubitatum inde fuerit, quinam loco duorum Diaconorum assistere deberent, declaravit Sacra ipsa Rituum Congregatio die XXI. Novembris MDCXLVIII. *Dignitates proxime sequentes post Archidiaconum assistere debere, & recusantes etiam sub censuris cogendos esse*. Sed de his jam alibi fusius diximus, Decisionesque etiam Sacræ ejusdem Rituum Congregationis attulimus.

## §. VI.

Eadem ratione, & regula, etiam alii inferiores de Capitulo, ut Beneficiati, & Clerici, alterius sibi immediate præcedentis vices, cum opus erit, supplebunt.

## COMMENTARIUS.

I. TRadit hæc eadem, & longe plura Cæremoniale Ambrosianum, aitque in fine Capitis, quod est de supplendis vicibus Ordinariorum, vel Officialium deficentium in assistentia Archiepiscopi, divinorumque Officiorum, ut scilicet cum aliquis supplet loco alterius, canendo Responsorium, vel Lectionem, & hujusmodi, tunc ea suppleat eo loco, & modo, quo ille faceret, si præsens adesset; ut si Responsorium sit canendum ad legile, vel in medio Chori, vel alibi, ipse quoque pariter hæc omnia faciat, quæ ille erat facturus, si adesset; si cum paramentis idem iste qui supplet, præstabit cum paramentis ordini tamen suo congruentibus.

## CAP. XXVII.

*Duo sunt Orationum, seu Collectarum toni, solemnis, & simplex. Solemni utendum in Festis duplicibus, & semiduplicibus. Simplici in ferialibus, ac Festis simplicibus, pro Defunctis, ac etiam in diebus solemnibus extra Matutinum, Missas, & Vesperas. Regulæ canendi ex Libris Choralibus sumendæ.*

## §. I.

Sciendum est, duos esse Orationum tonos, alterum solemnem, alterum simplicem; seu alterum festivum, alterum ferialem: & tono quidem solemni utimur in Festis duplicibus, & semiduplicibus in Matutinis, Missis, & Vesperis; altero vero simplici in ferialibus, & Festis simplicibus, ac pro Defunctis, & in aliis, quæ occurrunt extra Matutinum, Missas, & Vesperas, etiamsi diebus solemnibus recitentur, ut in cæteris horis Canonicis, in Benedictionibus Candelarum, Palmarum, & similibus. Differentia autem inter solemnem, & simplicem tonum est juxta antiquum ritum, & observantiam Capellæ Papalis, quia solemnis duas tantum habet variationes, & regulariter prima variatio fit per duas notas descendendo, & redeundo ad eundem tonum, videlicet, ut hic demonstratur.



*Fa mi re fa.*

& in prima clausula Orationis, quæ habet verbum videlicet in fine dictæ clausulæ, quæ gemino puncto a sequenti clausula solet designari secundum rectam orthographiam; quemadmodum apparet ex propositæ Orationis modulatione.



*De us, qui inter cætera potenti æ tu æ miracula, eti am in sexu fragili victo-*



*ri am marty ri i contu listi.*

Se-

Digitized by Google

Secunda vero variatio, fit per unam notam descendendo, videlicet.



*Fa mi.*

in fine secundæ clausulæ sequentis, quæ pariter, vel gemino puncto, vel puncto, & virgula constat.



*Con ce de pro piti us.*

ac deinceps sequente clausula finali, uniformi tono sine declinatione vocis completur, videlicet.



*Ut qui be atæ Catharinæ Virginis, & Martyris tu æ nataliti a colimus, per*



*ejus ad te e xempla gra di amur.*

Conclusiones etiam earundem Orationum in tono solemni diversimode variantur, prout ipsæ Conclusiones diverso modo sunt conceptæ. Aut enim dicitur, *Per Dominum nostrum &c.* aut, *Qui vivis, & regnas &c.* Primo casu fit variatio per unicam notam in fine primæ clausulæ sine verbo, videlicet.



*Per Do minum Nostrum Jesum Christum Fili um tu um.*

In secunda vero clausula per duas notas, scilicet.



*Qui te cum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti De us.*

In tertia vero, & ultima, nulla fit variatio, prout de Oratione dictum est; nimirum.



*Per omni a secula seculo rum.*

Secundo casu, cum dicitur, *Qui vivis, & regnas &c.* in qua sunt duæ tantum clausulæ, prima variatur per duas notas, videlicet.



*Qui vivis, & regnas cum De o Patre in unitate Spiritus Sancti De us.*

Secunda, & finalis non variatur. Tonus vero simplex, & ferialis nullam habet variationem, sed cum eo utimur, uniformi tono, & voce proferimus Orationes a principio usque ad finem, & pari modo in earum conclusionibus, ut patet in sequenti modulationis exemplo.



Digitized by Google



*Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulum tuum Pontificali fecisti dignitate*



*vigere, præsta quæsumus, ut e orum quoque perpetu o aggregentur consorti o.*

Excipiuntur etiam ab hac regula Orationes, & Versiculi, qui cantantur pro Defunctis extra Missas, ut in Vesperis, & Matutinis, & aliis Officiis, in quibus in fine Orationum, & versiculorum deprimitur vox per tertiam, hoc est, *a Fa ad Re*, in ultimis syllabis, ut pariter ex proximo alio exemplo constat.



*Pater noster. Et ne nos inducas in tentati onem. A porta inferi.*



*Dominus vo biscum. Oremus.*

Regulare autem est, ut in utroque tono, voce gravi, & competenti, interposita aliqua mora, in fine cujuslibet clausulæ, & præsertim in clausula finali, cum decore, & gravitate recitentur Orationes. De tonis vero Euangeliorum, & Epistolarum, Capitulorum, Antiphonarum, & aliorum multorum, quæ frequenter in Ecclesiis recitantur, nulla in hoc Libro fit mentio, cum Libri impressi reperiantur, qui de his abunde loquuntur, ut in Pontificali Romano, Sacerdotali Romano. Directoriis Chori, & similibus, ex quibus singuli instrui possunt. Nam hic ea tantum apposuimus, quæ ad personam Celebrantis in proferendis Orationibus spectant, ob varium usum illas recitandi.

## COMMENTARIUS.

I. EAdem quoque, & longe plura iis, quæ in hoc Capite de Orationibus, seu Collectis, & diversis earundem tonis præscripta sunt, enarrat in suo Cæremoniali Crassus, Lib. II. Cap. L. ubi ipsarum Orationum, & aliorum omnium tenores explicat, quæ in publicis Officiis per totum annum eveniunt, quomodo scilicet eas secundum laudabilem usum cantari oporteat. Sane de tonis ipsis, sive tenoribus Orationum æque, ac aliorum multorum, quæ frequenter in Ecclesia canuntur, legi possunt varii Libri impressi, ac inter alios ille qui dicitur, *Directorium Chori*. Non omittendum vero, quod initio memorati Capitis docet Crassus principio nostri hujus Capitis concinens, ubi ita inquit: *In ipsarum Orationum decantatione duos tonos, seu tenores habemus, videlicet, unum solemnem, & festivum, quo utimur in Missis, & Vesperis festivis solum, tam omnium solemnitatum totius anni, quam omnium Dominicarum de Adventu, & de Quadragesima, & Sabbati in Albis, & in Matutinis Natalitiis. Alium vero simplicem, & positivum habemus, quo utimur in Ferialibus, & pro Defunctis, & in benedictionibus, quæ etiam veniunt in diebus, & pro actibus solemnibus, ut in Candelis, Cineribus, Palmis, & aliis benedicendis.*

II. Itaque, ut idem Auctor docet, in diebus solemnibus, & festivis, primo cantaturi, *Dominus vobiscum*, vel, *Pax vobis*, ut Missæ competit, vocem formabit pariter, & firmabit sonoram, & hilarem magis, quam pressam, & mœstam ratione solemnitatis, & quantum graviter poterit, juxta organum, & bombum vocis suæ, ac etiam secure, & fortiter, cum perseverantia in illo tono, quem capiet. Capiet autem sub nota musicorum, quam appellant *fa*, in qua nota, sive in quo tono, sicut a principio semel acceperit cantum, sic numquam declinabit vocem per modulos, quos falsettos, neque per articulos, quos contrapunctos, neque per circumflexiones, quas semitonos vocant, nec denique per aliquas vocis alterationes, sed omnino in solido, & presso vocis tenore perseverabit, dicens, *Dominus vobiscum*, producendo vocem super prima syllaba utriusque dictionis tantum, quantum super duabus aliis faceret. Similiter etiam dicendo, *Pax vobis*, super qua syllaba dictionis *vobis* pausabit, ut supra, & idem facit in tono vocis super dictione, *Oremus*; in qua super prima syllaba, & non in media, semper pausabit.

III. Hæc

Digitized by Google

III. Hæc Crassus, qui, uti superius notatum fuit, fuse ac dilucide in suo Cæremoniali Lib. II. Cap. L. de tonis, sive tenoribus Orationum, & aliorum omnium, quæ intra totum annum solemniter cantanda sunt, disserit. Ceterum tum Episcopi, tum Canonici, & in id impendere studium suum debent, ut bene, & secundum regulas tum Orationes, tum alia, quæ occurrunt, canant; tametsi nostra hac tempestate non desint homines divinis Officiis peragendis addicti, qui nulli parcentes labori ac sumtui, ut cantum quem figuratum vocant, addiscant, & de eo sibimetipsis blandiantur: de cantu Gregoriano, quem dicimus firmum, nihil plane soliciti sunt, ut alios omittam, qui bene cantare in Ecclesia erubescunt. Sed de obligatione Cantus Gregoriani alibi dictum est.

## C A P. XXVIII.

*Organa in Ecclesia adhibentur in omnibus Dominicis, & Festis per annum. Pulsari non debent in Adventu, & a Quadragesima ad Pascha, exceptis Dominica tertia Adventus, & quarta Quadragesimæ, ac Festis quibusdam per ea tempora occurrentibus. Pulsantur in ingressu Episcopi ad Ecclesiam, quoties ille solemniter celebrat. Item in ingressu Legati Apostolici, Cardinalis, Archiepiscopi, & alterius Episcopi, ubi primum ad Ecclesiam accedunt, donec orant. Quando, & quomodo tangenda sint in Matutinis solemnibus, in Vesperis, & in Versibus Hymnorum, & in Missa. Num adhibenda sint in Horis Canonicis. Sonus Organi, & cantus modulatio, ne levitatem, aut lasciviam præferant. Nec Musica, nec Organum in Officiis, & Missis Defunctorum adhibeatur.*

### §. I.

In omnibus Dominicis, & omnibus Festis per annum occurrentibus, in quibus populi a servilibus operibus abstinere solent, decet in Ecclesia Organum, & musicorum cantus adhiberi.

### COMMENTARIUS.

I. ORganum, quod vario calamorum ordine constat, follibusque inflatur, non omnino nuperum esse inventum, satis declarat S. Augustinus in Psalmum LVI. ubi ita inquit: *Organa dicuntur omnia instrumenta musicorum. Non solum illud Organum dicitur, quod grande est, & inflatur follibus, sed quidquid aptatur ad cantilenam, & corporeum est, quo instrumento utitur, qui cantat, Organum dicitur.* Augustino adjungimus S. Isidorum Episcopum Hispalensem, qui Lib. III. Originum Cap. XX. de Organo hæc habet: *Organum vocabulum est generale vasorum omnium musicorum. Hoc autem, cui folles adhibentur, alio Græci nomine appellant, ut autem Organum dicatur, magis ea vulgaris est consuetudo Græcorum.* Eadem habet Amalarius Lib. III. *De Ecclesiasticis officiis*, Cap. III.

II. Musicorum Organorum varia sunt genera, nam quædam nervis intenduntur, quæ *cruomena* vocantur, vel *enchorda*, sive ἔντονα, & *prosoda*, quædam spiritu inflantur, quæ *pneumatica*: quæ vero aqua propellit, *hydraulica* sunt, & complura alia, de quibus agit Cælius Rhodiginus, Lib. IX. *Lectionum antiquarum*, Cap. VI. Porro quod scriptum in Psalmo XL. *Laudate eum in chordis, & organo*, non intelligi de Organis, quæ follibus inflantur, annotavit jam memoratus Amalarius loco citato, & post eum eruditissimus Stephanus Durantus Lib. I. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. XIII. Num. II. De Organis hydraulicis, vide quæ paulo inferius nos adnotabimus.

III. Quis primum Organa, quibus hodie utimur in Ecclesiis, invenerit, in dubium a Scriptoribus revocatur. Glicas, & Manasses Imperatori Theophilo, qui floruit Seculo IX. Organorum inventum tribunt. Quidam apud Cresolium in Mystagogo, Cap. XXVII. Organa ipsa audiri cœpisse in Ecclesia inquiunt permittente Damaso Papa. Sed verior, & communior sententia est, quam tradunt Martinus Polonus, Platina, Joannettus, & alii, qui ajunt, eorum usum tempore Vitaliani Papæ, qui floruit post medium Seculum VII. incœpisse in Ecclesia, ejusque sententiæ est inter alios Joannes Bona Cardinalis in sua divina Psalmodia Cap. XVII. §. II. Pagius in Vita Vitaliani Num. XVI. & laudatus Durantus loco citato.

IV. In Galliam invecta esse Organa anno DCLVII. Eginhardus inprimis memoriæ prodidit dicens, Pipino Francorum Regi Compendii agenti misisse Constantinum Imperatorem Organa cum aliis muneribus: *Constantinus Imperator Pipino Regi multa misit munera, inter quæ & Organa, quæ ad eum in Compendio Villa pervenerunt.* Idem etiam prodidit Monachus Sangallensis Lib. I. Vitæ Caroli Magni, Cap. X. *Adduxerunt etiam iidem Missi*, Constantini scilicet Imperatoris, ut notat Mabillonius, sive Michaelis cognomento Rhangabis, *omne genus Organorum, sed & variarum rerum secum: quæ cuncta ab opificibus sagacissimi Caroli, quasi dissimulanter adspecta, accuratissime sunt in opus conversa; & præcipue illud Musicorum Organum præstantissimum, quod doliis ex ære conflatis, follibusque taurinis per fistulas æreas miro perflantibus, rugitu quidem tonitrui*

Digitized by Google

*nitrui boatum, garrulitatem verò liræ, vel cymbali dulcedine coæquabat. Quod ubi positum fuerit, quandiuque duraverit, & quomodo inter alia Reipublicæ damna perierit, non est hujus loci, vel temporis enarrare.* Nempe id periit in direptione Aquisgranensis Basilicæ per Nortmannos, ut putat Mabillonius in Præfatione ad Seculum III. Benedictinum Num. CV.

V. Organa habuisse Veronensem Ecclesiam Carolo Magno imperante, docent aliquot chartæ descriptæ ab Ughello Tomo V. Italiæ sacræ Pagina 604. & 610. Ad Ludovicum Pium deinde adductus est *Presbyter quidam de Venetia nomine Georgius, qui se Organum posse facere asserebat: quem Imperator Aquisgrani cum Thancolfo Sacellario misit, ut ei omnia ad id instrumentum necessaria præberentur, imperavit*, ut est apud Eginhardum in Annalibus anno DCCCXXVI. qui etiam de translatione SS. Martyrum Marcellini, & Petri, Cap. XVI. de eodem Georgio mentionem facit his verbis: *Hic est Georgius Veneticus, qui de Patria sua ad Imperatorem venit, & in Aquensi Palatio Organum, quod Græce hydraulica vocatur, mirifica arte composuit.* Quod quidem Organum Aquisgranense illud idemque esse autumat eruditus Dufresne in suo Latinitatis Glossario, verbo, *Organum*, quod describitur a Walafrido, qui primum ejus inventum Græcis attribuit, & ab ipso Ludovico confectum innuit. Sic enim ipse canit in versibus Aquisgrani editis anno XVI. Ludovici Imperatori de Templi Aquisgranensis apparatu.

*Ast alia de parte nitens fulgore coruſco*
*Auratus discurrit eques, comitante pedestri*
*Agmine: tintinnũ quidam, quidã organa pulsant.*
*Dulce melos tantum vanas deludere mentes*
*Cœpit, ut una suis decendens sensibus, ipsam*
*Femina perdiderit vocum dulcedine vitam.*
*Cedant magna tui superest figmenta Colossi*
*Roma: velit Cæsar magnus, migrabit ad arces*
*Francorum, quodcumque miser conflaverit orbis;*
*Et queis præcipue jactabat Græcia se se,*
*Organa Rex magnus non inter maxima ponit.*

VI. Jam non solum in Italia, & Gallia, sed & in Anglia fuisse in usu Organa Seculo X. docet nos Wolstanus Monachus Ventanus in Prologo ad Vitam metricam Sancti Swtbuni, ubi laudat Elfegum Ventanum Episcopum ob Organa in Ventano Monasterio constructa his versibus.

*Talia & auxistis hic Organa, qualia nusquam*
*Cernuntur, gemino constabilita sono.*
*Bisseni supra sociantur in ordine folles,*
*Inferiusque jacent quatuor, atque decem.*
*Flatibus alternis spiracula maxima reddunt,*
*Quos agitant validi septuaginta viri.*
*Brachia versantes, multo & sudore madentes,*
*Certatimque suos quisque monet socios.*
*Viribus ut totis impellant flamina sursum,*
*Et rugiat plena Kapsa referta sinu.*
*Sola quadringentas quæ sustinet ordine musas,*
*Quas manus organici temperat ingenii.*

VII. Penes Monachos fuisse jam olim Organorum usum, testis est Baldricus Dolensis Archiepiscopus in Epistola ad Fiscamnenses: *Illa in Ecclesia*, inquit, *unum erat, quod mihi non mediocriter complacuit, quod ad Deum laudandum, & excitandum David canticis suis inseruit*: Laudate, *inquit*, Dominum in chordis, & organo. *Ibi siquidem instrumentum vidi musicum fistulis æreis compactum, quod follibus excitum fabrilibus suavem reddebat melodiam..... Organa illud vocant, certisque temporibus excitabant.* Quibus verbis satis quidem innuit Baldricus, rariora id genus instrumenta fuisse, & maxime in Monasteriis, additque, non omnibus probari: *Non tamen ignoro, quia sunt multi, qui tale quid in suis non habentes Ecclesiis, eos qui habent, murmurando dilapidant, quos nos obloquentes, & detrahentes audemus nuncupare, qui quod organa nobis innuant, nesciunt exponere.* Sic multa ille in hunc modum; quamquam non desunt etiam nostro hoc ævo, ut idem Mabillonius notat, qui Organorum usum in Ecclesiis maxime vero Cœnobiticis improbant.

VIII. Quidquid autem nonnulli jactitent infirmiorum Christianorum instrumentum Organum appellantes, est tamen antiqui instituti Organum in Ecclesia, & complurium jam etiam Conciliorum auctoritate firmatum, præsertim Oecumenici Tridentini Sessione XXII. de observandis & vitandis in celebratione Missæ. Licet itaque sint usque ad hanc diem insignes in Gallia Ecclesiæ, quæ Organorum, & Musices usum ignorant, quemadmodum etiam Capella Pontificia, in qua Organa ipsa non exstant, ut testantur Cajetanus ad S. Thomam, & Sotus, *De justitia & jure*, Lib. X. Quæstione, Articulo II. non est tamen usus ille improbandus, quem una cum Tridentina aliæ passim Synodi admittunt Seculo XVI. habitæ: & ante ipsas S. Thomas II. II. Quæstione XCI. Nam & tibiis, tympanis, & aliis musicis instrumentis Deum laudandum innumeris Scripturæ locis expressum est. Plane Demochares de observanda Missarum celebratione Cap. XIV. & alii Scriptores Organorum usum commendant, erratque Navarrus, uti ex superius dictis liquet, cum in Libro, *De Oratione, & Horis Canonicis*, Cap. XVI. semel & iterum scripsit, superstite S. Thoma Aquinate usum Organorum nondum receptum fuisse.

IX. Cum ergo antiqua sint in Ecclesiis Organa, & Conciliorum auctoritate, ac testimoniis Theologorum probata, quod mentes fidelium ad laudandum Deum excitare solent, decere iccirco ait hic §. I. ut in omnibus Dominicis, & omnibus Festis per annum occurrentibus, in quibus populi a servilibus operibus abstinent, in Ecclesia Organum, & Musicorum cantus adhibeantur.

## §. II.

**Inter eas non connumerantur Dominicæ Adventus, & Quadragesimæ, excepta Dominica tertia Adventus, quæ dicitur, *Gaudete in Domino*, & quarta Quadragesimæ,**

Digitized by Google

mæ, quæ dicitur, *Lætare Hierusalem*, sed in Missa tantum; item exceptis Festis, & feriis infra Adventum, aut Quadragesimam occurrentibus, quæ cum solemnitate ab Ecclesia celebrantur: ut die Sanctorum Mathiæ, Thomæ Aquinatis, Gregorii Magni, Josephi, Joachim, Annunciationis, & similibus infra Adventum, & Quadragesimam occurrentibus. Item feria quinta in Cœna Domini ad Missam tantum, & Sabbato Sancto ad Missam, & ad Vesperas; & quandocumque occurreret celebrare solemniter, & cum lætitia, pro aliqua re gravi.

## COMMENTARIUS.

I. Quamquam, uti in Commentario ad §. I. dictum est, deceat in omnibus Dominicis Organum, & Musicorum cantus adhiberi, excipiuntur hic tamen Dominicæ Adventus, & Quadragesimæ, quia scilicet utrumque tempus, nempe Adventus & Quadragesimæ pœnitentiæ destinatum omne lætitiæ signum excludit; eamque ob causam solebant olim sacræ Imagines velari, uti inter alios testantur Grancolas in Commentario Historico ad Breviarium Romanum, Martenius, *De antiqua Ecclesiæ disciplina*, & in Opere, *De antiquis Monacorum ritibus* Lib. IV. Cap. I. ubi ait, ex antiquo ms. Ordinario Canonicorum Regularium in Dominica prima Adventus cautum fuisse, *ut ante Primam cooperiantur tabulæ*, idest, Imagines, *& capsa, & sic usque ad Nativitatem permaneant*. Macryus in suo Hierolexico, verbo, *Icona*, ait, in Hispania cooperiri ipsas Imagines in Ecclesiis *tempore Adventus, Vigiliarum, quatuor temporum, & a Dominica Septuagesimæ usque ad Sabbatum sanctum*.

II. Ad Organum & Musicos concentus quod attinet, prohiberi ipsos diebus Adventus, & Quadragesimæ, *Festis dumtaxat exceptis*, itemque *Dominica Adventus tertia, dicta*, Gaudete, *& Quadragesimæ quarta, nuncupata*, Lætare, in quibus pulsari Organa permittuntur ad Missam tantummodo Conventualem, novissime edixit in sua celebri Romana Synodo anni MDCCXXV. Benedictus XIII. Pontifex Maximus Tit. XV. Cap. VI. Ex Cæremoniali Ambrosiano Lib. I. Cap. *De Organistis*, pulsari vetantur Organa toto tempore Quadragesimæ, & in processionibus Litaniarum, vel aliis, quæ pro aliquibus calamitatibus, vel de pœnitentia peraguntur; itemque dum fit officium pro Defunctis, ceterum in reliquis actionibus adhiberi possunt. Verum notanda omnino est Castaldi distinctio, qui consentanee ad hunc nostrum §. & ad Cæremoniales antiquiores Codices, in quibus erat apprime versatus Lib. I. suæ praxis Cæremoniarum Cap. II. Num. II. hæc habet: *In omnibus diebus Dominicis, & Festis per annum occurrentibus, in quibus a servilibus operibus abstinendum est, decet in Collegiatis, ac præcipue in Cathedralibus Ecclesiis Organum, & Musicorum cantus adhibeatur: exceptis tamen Dominicis Adventus, & Quadragesimæ, cum his temporibus, nonnisi Dominica tertia Adventus, & quarta Quadragesimæ, quæ sunt dies lætitiæ, Organa adhiberi debeant*.

III. Et quidem quod tertiam Adventus Dominicam spectat, quæ appellatur, *Gaudete*, quod Missæ Introitus incipit a verbis illis Apostoli in Epistola ad Philippenses Cap. III. *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete &c.* maxime solemnis Romæ erat, ideoque ex Ordine Romano XV. Auctore Petro Amelio, Cap. III. in hac ipsa die Celebrans utebatur *Mitra cum perlis, & paramentis preciosis violaceis*; Papa vero Pluviali *de sindone, seu samito cum aurifrigiis de perlis, & Mitra aurifrigiata cum perlis*. Etiam in aliis Ecclesiis celebrari solemniter Dominicam ipsam consuevisse, tradit Grancolas loco citato, Cap. VIII. & ante ipsum innuit Durandus in suo divinorum Officiorum Rationali Lib. VI. Cap. V.

IV. Quantum ad Dominicam quartam Quadragesimæ, quæ appellatur, *Lætare Hierusalem*, quia ab hisce verbis incipit Introitus Missæ, celebris admodum illa tum alibi, tum Romæ præsertim erat, externisque lætitiæ signis celebrabatur; tunc enim fiebat Imperatorum coronatio, & solemnitas Rosæ aureæ, quam Pontifex magna cum cæremonia benedicebat. Sunt qui ejusmodi ritus Auctorem faciunt Urbanum Papam II. cum ceteroqui constet eo esse vetustiorem; scribit siquidem Theophylus Raynaudus in Opusculo, quod *de Rosa mediana Romani Pontificis benedictione consecrata* edidit, quodque extat Tomo X. ejus Operum, apud Cencium Camerarium in Libro, *De censibus*, mentionem fieri S. Leonis IX. qui insigne Monasterium Bambergæ ædificavit, multisque privilegiis donavit anno ML. imposita ejusdem Monasterii Monialibus a se sub speciali S. Petri protectione constitutis, obligatione pendendi quotannis Romanæ Ecclesiæ, aut Rosam auream a Pontifice benedicendam Dominica quarta Quadragesimæ, aut quantum auri in ipsius Rosæ confectionem esset insumendum.

V. Tradit præterea inter alios Gracolas in Commentario historico ad Breviarium Romanum, Cap. LI. consuevisse Romanos Pontifices Dominica ipsa quarta Quadragesimæ una cum Cardinalibus roseo colore indutis agmine instructo progredi ad Ecclesiam S. Crucis, ubi dicebatur Missa, & fiebat Rosæ aureæ benedictio; prædicabatur tum post Euangelium, & Rosæ istius significatio allegorica explicabatur. Exstat unus ex his sermonibus ab Innocentio III. habitis; de eademque aurea Rosa mentio fit in Historia Fulconis Comitis Andegavensis apud Pagium in Vita Urbani Papæ II. ubi inter alia dicitur, quod Urbanus

Papa

Digitized by Google

Papa Turonum venit, ibique Dominica quarta in media Quadragesima coronatus, florem aureum, quem gestabat manu, memorato Comiti donavit. Hinc Eugenius III. in Epistola ad Alphonsum Hispaniarum Regem ait, se mittere Rosam auream, quam Romanus Pontifex singulis annis benedicere solet in Dominica, *Lætare*. Idipsum scribit Alexander III. ad Ludovicum VII. Gallorum Regem, eique mysticas Rosæ aureæ significationes exponit. Errat itaque Auctor vitæ Innocentii IV. ubi de ipso tradit, quod primus Rosam auream benedixerit, Canonicisque S. Justi Lugdunensibus miserit. Quicquid sit, celebrabatur vel olim Romæ externis lætitiæ signis Dominica quarta Quadragesimæ, hodieque etiam Cardinales juxta antiquum ritum deposito violaceo ipsa die roseum colorem induunt.

VI. Præter Dominicas ipsas, tertiam scilicet Adventus, & quartam Quadragesimæ, quibus pulsari Organum non vetatur, *in Missa*, scilicet, *tantum*, idipsum ex nostro hoc §. fieri permittitur *Festis, & Feriis infra Adventum, aut Quadragesimam occurrentibus, quæ cum solemnitate ab Ecclesia celebrantur*; ex recentiori scilicet disciplina, nam alias pervetustus est ritus, ut nulla prorsus Festa in Quadragesima celebrentur, uti constat ex Canone LI. Concilii Laodiceni, cujus verba juxta versionem Dionysii Exigui hæc sunt: *Quod non oporteat in Quadragesima Martyrum natalitia celebrari, sed eorum sancta commemoratio in diebus Sabbatorum, & Dominicarum fieri conveniat*. Jejunii mœstitia non videbatur conjungi posse cum solemnitate Festorum, ideoque sola Sanctorum commemoratio fieri permittitur Sabbatis, & Dominicis, quia scilicet iis diebus jejunium cessabat, non solum scilicet die Dominico, sed apud Græcos etiam Sabbato; quibus etiam solis diebus Sacrificium apud ipsos celebratur, in aliis enim omnibus diebus Quadragesimæ, excepto Festo Annunciationis Deiparæ, fit Sacrum Præsanctificatorum, uti jam fuse diximus Tomo II. Conciliorum in Commentario ad Canonem LII. Concilii Trullani.

VII. Quamquam vero Græci ex Canone ipso Trullano Festum solummodo Annunciationis Beatæ Virginis in Quadragesima celebrarent, apud Latinos tamen diutius servata est ea disciplina, ut nullum penitus Festum celebraretur, uti liquet præsertim ex Concilio Toletano X. anni DCLVI. Can. I. ubi memoratum Festum octavo ante Nativitatem Servatoris nostri die statutum fuit, ne scilicet vel per Quadragesimam, vel per Paschale tempus impediretur, quo tempore antiqui Canones nulla alia Festa celebrari permittunt: *Quoniam die*, inquit Canon I. laudati Concilii Toletani, *qua invenitur Angelus Virgini Verbi conceptum & nuntiasse verbis, & indidisse miraculis, eadem festivitas non potest celebrari condigne, cum interdum Quadragesimæ dies, vel Paschale festum videtur incumbere, in quibus nihil de solemnitatibus, sicut ex antiquitate regulari cautum est, convenit celebrari*. Vide quæ in hunc Canonem notavimus nos in ipso Commentario ad memoratum Canonem LII. Trullanum, II. Tomo Conciliorum.

VIII. Testatur præterea Radulphus de Rivo Decanus Tungrensis, *De Canonum observantia*, Propositione X. de Ritu Romano loquens, quod nullum fieri soleret olim Festum in Quadragesima, quod Annuntiatio Virginis celebrabatur ante Natale Domini, Festum S. Gregorii Papæ die III. Septembris, quo ordinatus fuit, Festum S. Benedicti die translationis ejus mense Julio; sed postquam Romæ translata est Annuntiatio in mensem Martium, reliqua festa eidem mensi restituta sunt, præter S. Ambrosium, qui Mediolani, & Romæ remansit VII. die Decembris, licet obierit die IV. Aprilis. Radulphi verba hæc sunt: *Sancti Patres in Toletano Concilio statuerunt, ut Annunciatio S. Mariæ de Quadragesima in XV. Kalendas Januarii transferretur, ubi annuatim solemniter, & convenienter ante Natale Domini posset celebrari. Utpote cum omnia illius temporis officia de eadem resonent Annunciatione, ut in Ambrosiana servatur Ecclesia, in qua eadem Annuntiatio solemnissime agitur in Dominica ante Nativitatem Domini. Et præterea in Ambrosiano Officio nullum Festum in Quadragesima servatur, prout dicta Concilia statuerunt* (loquitur de Conciliis Laodiceno, & Toletano X.) *Et propterea antiquitus Festa Gregorii, & Ambrosii ad dies ordinationis eorum transferebantur, Gregorius scilicet ad diem tertium Novembris, & Ambrosius ad Octavam Andreæ, & Benedictus ad diem translationis suæ in Julio: sed postea Annuntiatione in Romana Ecclesia ad locum suum redeunte, similiter alii apud nos redierunt; & exinde retenta est translatio Benedicti. Ambrosius tamen apud Romanos, & Mediolanenses remanet in octava*. Hactenus ille.

IX. Maxima itaque fuit auctoritas laudati Canonis LI. Laodiceni, & veteris instituti etiam in Ecclesia Latina, quia pugnare cum solemniis Sanctorum jejunia credebantur. Hinc apud Joannem Abrincensem, qui floruit Seculo XI. legitur, quod suo ævo nullum fiebat Festum per totam Quadragesimam, sed tantum in Dominica fiebat eorum commemoratio Sanctorum, qui in hebdomadam inciderant; quod quidem consentaneum erat Canoni Synodi Laodicenæ, cujus verba superius jam attulimus. Sed & Joannes Belethus, qui XII. vel XIII. vivebat seculo in sua divinorum Officiorum explicatione Cap. LXXXIV. affirmat, quod sua ætate Lugduni, sicut & Mediolani nullum celebrabatur Festum tempore Passionis, & si quando occurrebat, fiebat tantum commemoratio: quod quidem intelligendum est de toto tempore Quadragesimæ, ut testatur Radulphus, qui usum memorat Ecclesiæ Mediolanensis, qui adhuc servatur: *In Officio Ambrosiano nullum Festum in Quadragesima*.

X. Monachos in Occidente mutasse hunc Ritum, & multa Festa invexisse etiam in Quadragesimam, tum jejunii, tum laboris levandi causa, observat Grancolas in Commentario Historico ad Romanum Breviarium, Cap. XLI. Certe Lanfranchus in suis Statutis Cap. I. Sectione XXIII. asserit, quod si die Cinerum occurrat Festum duodecim

Digitized by Google

cim lectionum, in diem crastinum transferatur: *Si in capite jejunii festivitas duodecim lectionum evenerit, non celebratur ipsa die, sed differtur in crastinum*; præcipitque, ut in Festo duodecim lectionum, in Quadragesima duæ dicantur Missæ, una de Festo, altera de Feria: *Utraque Missa ad majus Altare celebratur*. In Consuetudinibus Cistercienſium signata est prima Missa de Feria, secunda de Festo. Radulphus Tungrensis Propositione XXIII. ait, quod suo ævo, idest, labente Seculo XIV. Missa de Festo dicebatur post Tertiam, & Missa de jejunio post Nonam, & quod hic erat usus Romæ, & Coloniæ: *Ut diebus jejuniorum Missa de Festo ad Tertiam dicatur, & de jejunio ad Nonam*. Per istas duas Missas in die Festo, cum commemoratione Feriæ in Officio, servari creditum est, ait Grancolas, & quidquid Festo, & quidquid jejunio deberetur.

XI. Jejunium incompatibile fuisse olim cum Festo, ex Scriptoribus antiquis, & veteribus monumentis docemur. Capitulum generale Abbatum Galliæ anno DCCCXVII. Cap. XLVI. absolverat jam a jejunio, quocumque die occurrerent Festa Patronorum: *Plenum*, inquit, *Officium agatur, & bis reficiatur*. Jejunabatur tamen extra Monasteria diebus Festis in Quadragesimam incidentibus, etiam die Annuntiationis Deiparæ, uti docet Cardinalis Humbertus Silvæ Candidæ adversus Nicetam Pectoratum: *Nec jejunia resolvimus in celebratione Missæ, aut in aliquo Natalitio Martyrum, sed nec in Annuntiatione B. Mariæ*. Narrat autem Glaber Lib. III. Cap. III. quod circa annum M. Episcopi Galliæ, & Italiæ congregarunt plura Concilia, quibus statutum fuit, transferri Festum Annuntiationis a die XXV. Martii, quæ sæpius incidit in Quadragesimam, ad diem XVIII. Decembris, ut fiebat in Hispania, eo scilicet fine, ne impediretur jejuniorum dies; vel ne Festa celebrarentur in Quadragesima: *Ferebatur enim a quibusdam, Annuntiationem Dominicam more Hispanorum XV. Kalendarum Januariarum die irreprehensibiliter posse celebrari*.

XII. Ubi Festa in Adventu, & Quadragesima celebrabantur, ea videtur disciplina servata fuisse, ut iis diebus, in quos illa inciderent, minime jejunaretur; id enim aperte innuit S. Petrus Damiani, quippe qui in Regula sua præscribens suis Monachis magnum jejunium in Adventu, & Quadragesima, eos absolvit ab ea lege in tribus solemnibus Festis, nempe S. Andreæ Apostoli, S. Benedicti, & Annuntiationis Deiparæ. Vixit autem ille Seculo XI. Ceterum apud Cluniacenses, ut ait Grancolas, in novo Breviario restitutus est antiquus usus nullum Festum in Quadragesima celebrandi, sed præveniendi, & anticipandi Festa occurrentia in mense Februario, & transferendi post Pascha occurrentia in mense Martio, aut Aprili, excepto Festo Annuntiationis. S. Benedictus in ipso Breviario transfertur in mensem Julium: S. Gregorius in Septembrem: Dedicationis Festum, si occurrat in Quadragesima, transfertur post Pascha.

XIII. Dicet autem fortasse quispiam, cur nulla apud memoratos huccusque Scriptores de aliis Festis mentio, quæ in Quadragesimam incidere solent, quales sunt festi dies Cathedræ S. Petri die XXII. Februarii, & S. Mathiæ Apostoli die XXIV. ejusdem mensis, itemque S. Josephi, & Joachimi, qui die XIX. & XX. Martii celebrantur? promta est sane responsio, quia scilicet nondum in Ecclesiam saltem ex generali lege celebritates eorum invectæ fuerant. Et quidem quantum ad Cathedræ Festum S. Petri, licet pervetusta sit ejus celebritas in Ecclesia, agebatur tamen mense Januario, ut occurri aliqua ratione posset reliquiis idololatriæ, ipsos Christianæ Religionis Cultores in discrimen adducentibus; etenim Ethnici solebant Kalendis ejus mensis convivia instruere super Majorum tumulos, quasi hi nihil antiquius haberent, quam vesci ejusmodi epulis.

XIV. Audiamus Patres Concilii Turonensis II. anni DLXVII. Can. XXII. qui est, *De Kalendis Januarii, & Cathedra S. Petri*, ubi ita inquiunt: *Quoniam cognovimus, nonnullos inveniri sequipedas erroris antiqui, qui Kalendas Januarii colunt, cum Janus homo gentilis fuerit; Rex quidem, sed Deus esse non potuit*. Et paulo post: *Sunt etiam qui in festivitate Cathedræ Domini Petri Apostoli, cibos mortuis offerunt, & post Missas redeuntes ad domos proprias, ad Gentilium revertuntur errores, & post Corpus Domini, sacratas dæmoni escas accipiunt*. Celebratum S. Petri Cathedræ Festum mense Januario, constanter asserit eruditissimus Mabillonius in Notis ad Lectionarium Luxoviense, quarum meminit in aliis Notis, quas concinnavit ad Sacramentarium Gallicanum, in eo Cap. quod inscribitur, *Lectiones in Cathedra S. Petri*, ubi ita inquit: *Illud observatione dignum, quod Cathedra S. Petri hoc loco præcedit Festum Assumtionis Beatissimæ Virginis, quod die XVIII. Januarii olim celebrari mos erat. Ergo etiam Cathedra in Januario, ut validis argumentis probatum in Notis ad Lectionarium Luxoviense; quod ex solo hoc loco conficitur*. Ipsum Sacramentarium Gallicanum inventum a se fuisse in Bibliotheca percelebris, & perantiqui Monasterii Bobiensis, exaratumque ante annos mille, & quidem literis majusculis, idem Mabillonius in Præfatione ad prædictum Sacramentarium testatur.

XV. Sed neque occurrebat, fieri a laudatis superius Scriptoribus mentionem Festi S. Mathiæ Apostoli; non enim olim, uti postea factum est, statis diebus singulorum Apostolorum Festa celebrabantur, excepto Festo sanctorum Petri & Pauli. Testatur id quidem Belethus in sua divinorum Officiorum explicatione Cap. CXXIV. ubi diserte ait, nulla quondam extitisse solemnia singulorum Apostolorum, sed omnium celebritatem institutam fuisse Kalendis Maji, quibus SS. Philippus, & Jacobus recoluntur: *Quum in primitiva Ecclesia*, inquit, *Apostoli non haberent particulares solemnitates, statutum fuit, ut ipsis Kalendis Maji celebraretur solemnitas omnium Apostolorum. Hoc etiam die Festum est Philippi, & Jacobi, idque ideo, quia forsan illo die passi sunt*. Idem censet Durandus in Rationali divinorum Officiorum Li-



Digitized by Google

bro VII. Cap.x. omnium videlicet Apostolorum celebritatem institutam tandem esse Kalendis Maji, ne alii ab aliis avellerentur, quando eadem amplissima dignitas omnibus communis erat; a Græcis tamen omnes simul Apostolos coli Festo die sanctorum Petri, & Pauli. Hæc ejus verba: *Statutum fuit, ut in Kalendis Maji celebrarentur solemnitates omnium Apostolorum, ut dies varii non viderentur dividere quos una Dignitas, & Apostolatus in cælesti gloria fecit esse sublimes. Quod Festum Græci celebrare dicuntur in Festo Apostolorum Petri, & Pauli.* Floruit Durandus labente Seculo XIII.

XVI. Nequaquam vero inficior, si non universim, aliquibus saltem in Ecclesiis, peractas statis diebus fuisse vel olim singulorum Apostolorum, aliquorum saltem celebritates, uti ostendit luculentissime Thomassinus in Opusculo, *De dierum Festorum celebratione*, Lib. II. Cap. XXIII. ubi inter alia affert sanctionem Manuelis Comneni Imperatoris, qua constituit, celebrandas esse Apostolorum singulorum celebritates statis diebus, dieque IX. Augusti recenset Festum S. Mathiæ. Quidquid sit pluribus ab hinc seculis relatum est ejus Festum ad diem XXIV. Februarii, & quod mirum videri potest, ante Belethum, & Durandum, uti constat ex Cap. *Quæsivit* XIV. *De verborum significationibus*, ubi Alexander Papa III. qui floruit labente Seculo XII. inter alia ait, in anno bissextili servari debere locorum consuetudinem circa ipsum diem S. Mathiæ, dum tamen vigilia continuetur Festo. Porro Gavantus in Rubricas Breviarii Romani Sectione VII. Cap. IV. laudat Dianam, qui Parte III. Tractatu VI. Miscellaneorum, Resolutione LXVI. scribit, si Vigilia sancti Mathiæ incidat in ultimum diem Bacchanalium, posse Episcopum transferre jejunium in Sabbatum præcedens, ne violetur jejunium. Sed hæc sententia est contra memoratum Alexandri III. Decretum, ideoque jure merito Sacra Rituum Congregatio die XXIII. Januarii MDCXCIV. decidit, occurrente Vigilia S. Mathiæ Apostoli in Feria tertia post Dominicam Quinquagesimæ, observandum esse jejunium, nec posse illud anticipari ratione carnis privii, uti videre est in Indice Decretorum Merati.

XVII. Festa, & Officia sanctorum Josephi, & Joachimi, celebranda die XIX. & XX. Martii, recentis sunt instituti, uti fatentur Thomassinus Libro II. memorati Opusculi, Cap. XXII. Num. XI. & Gavantus loco citato Cap. V. Novissime Clemens XII. quod Carolus VI. Romanorum Imperator enixe peteret, ut die S. Joachimi Fideles abstinere ab opere servili juberentur, ne festos dies augeret, summa prudentia mandavit, Sancti ipsius memoriam celebrandam esse in Dominica infra octavam Assumtionis Deiparæ. Denique S. Thomam Aquinatem, cujus & in hoc nostro §. fit mentio Sanctorum catalogo adscripsit, & ejus Festum VII. die Martii solemniter celebrari jussit Joannes XXII. Pontifex Maximus, uti constat ex ejus Constitutione XI. quæ incipit, *Redemtionem*, edita XV. Kal. Augusti anno MCCCXXIII. Hunc Sanctum postea sanctus Pius V. qui ejusdem incliti Ordinis Prædicatorum, ac ille, fuit, anno MDLXVII. tertio Idus Aprilis, quintum Ecclesiæ Doctorem dixit, ac Festum ejus eodem ritu, cultuque, ac aliorum quatuor Doctorum celebrari jussit, Constitutione sua XXVI. quæ incipit, *Mirabilis*; ipsumque denique ad reliquos Patronos Civitatis Neapolitanæ adjunxit Clemens VIII. uti ex ejusdem Pontificis constitutione edita die XXII. Novembris MDCIII. liquet.

XVIII. Placuit de Festis hisce nonnihil disserere, quod eorum noster hic §. meminerit, mandans, ea, tametsi in Quadragesima occurrant, cum Organo tamen debere celebrari, quod quidem intelligitur, non solum de Missa, sed etiam de Vesperis. In editis ante hoc nostrum Cæremonialibus, fit solum expressa mentio de festo *die Annuntiationis Deiparæ, itemque de Feria quinta in Cœna Domini, Sabbato sancto, & similibus, & quandocumque occurreret celebrare solemniter, & cum lætitia pro aliqua re gravi*. Ita sane antiquiora Cæremonialia, recte autem nostrum majoris explicationis gratia, de Organo Feria quinta in Cœna Domini pulsando addidit, *ad Missam tantum*; & Sabbato sancto, *ad Missam, & ad Vesperas*. Antequam nonnulla de celebritate Feriæ V. in Cœna Domini, & Sabbati sancti, quæ vel olim solemniter celebrari solebant, notemus, sciendum est, multas hodie præter superius memorata Festa in Quadragesima occurrere aliorum Sanctorum celebritates, ut vix diem invenias, in quo solemne alicujus Sancti Officium non celebretur cum Organo, & concentu Musico etiam in Hebdomada, quæ dicitur de Passione, quæque tota est plena mœstitiæ, unde in Ecclesiis velantur Imagines, & in quibusdam etiam ornamenta nigri coloris adhibentur.

XIX. At vero quod spectat Missam Feriæ V. in Cœna Domini, merito cum Organo celebratur, fuit enim ipsa perquam solemnis, etiam antequam Urbanus IV. institueret Festum Sanctissimi Sacramenti. Usque ad istius Pontificis tempora Feria hæc quinta destinata erat ad præcipuum sacratissimi hujus Mysterii cultum, ideoque appellata fuit, *Natalis Calicis*, cujus nomenclaturæ hanc affert rationem Homilia X. S. Eligius Noviomensis Episcopus: *Vocatur*, inquit, *hæc dies, Cœna Domini: vocatur & Natalis Calicis; & merito talibus præfulget miraculis, quia hac eadem die mysticum Pascha Dominus cum Discipulis celebrans, Sacramenta Corporis, & Sanguinis sui illis, atque per illos nobis tradidit, & ipse celebrationis initium fecit*: Exstant Homiliæ *in Natalem Calicis* ab Avito Viennensi Episcopo conscriptæ fragmenta inter illius opera, meminitque inter alios ejus nomenclaturæ Ratramnus Monachus Corbejensis Lib. IV. contra Græcos Cap. III. ex Vita S. Silvestri Papæ, his verbis: *Natalem Calicis similiter, ut diem Dominicum, habere debemus, in quo Sacrificium Dominici Corporis, & divini Sanguinis ab ipso Domino celebrationis sumsit initium*. Testatur Durandus in suo Rationali Lib. VI. Cap. LXXV. hujus diei Festum reliqua omnia

Digitized by Google

nia antecellere, & magni Sacramenti institutionem esse illius objectum: *Hoc Festum omnia alia excellit*; Et paulo post: *Propter institutionem vero Sacramenti Sacramentorum est gaudium &c.*

XX. Si præcipuum hujusce diei Mysterium, nempe Eucharistiæ institutio a Christo facta consideretur, dicendum est, quod notat Grancolas in Breviarium Romanum Cap. LIX. incœpisse Festum hoc cum Ecclesia, atque etiam institutione ejus posteriora esse Passionis, & Resurrectionis Festa, quoniam Christus Eucharistiam instituens, præcepit Apostolis, ut eam renovarent, & facerent in memoriam illius. Hoc itaque Festum inter præcipua Ecclesiæ semper habitum fuit, & nonnullis inerat jejunandi scrupulus, qui propterea post Eucharisticam Cœnam magnum apparabant convivium, quod deinde a Concilio Laodiceno anni CCCXIV. Can. L. vetitum est: *Quod non oporteat in Quadragesima, in ultimæ septimanæ quinta Feria jejunium solvere, totamque Quadragesimam sine veneratione transire; magisque conveniat omnem Quadragesimam districto venerari jejunio*. Ita Canon ex versione Dionysii Exigui, quem nos fuse explicuimus Tomo II. Conciliorum in Commentario ad Canonem XXIX. Trullanum.

XXI. Missam, & Vesperas Sabbati sancti peragi & ipsas solemniter consuevisse, ex illius diei officio addiscere licet, tametsi illud olim nocte perageretur, & deinde ad Sabbatum anticipatum fuerit. Certe Missa, quæ hodie celebratur, ad Festum Paschatis pertinebat, ac propterea omissis violaceis, alba sumuntur ornamenta. Ex eo, quod dicitur, *Alleluja*, & illico Tractus, S. Petrus Damiani eorum opinionem refutat, qui solvere se posse jejunium credebant, postquam dictum erat, *Alleluja*; affirmans Lib. VI. Epistola XXXV. per subsequentem Tractum Missam pœnitentiæ designari: *Missa*, inquit, *simul Quadragesimalis esse videtur, atque Paschalis, dum postquam*, Alleluja, *canitur, mox Tractus, qui Quadragesimæ proprius est, adhibetur*. Verum observatio ista non habet locum, nisi postquam hora, & ordo hujus Missæ inversus est, uti post Martenium notat Grancolas loco citato Cap. LXXI. ubi etiam inquit, Vesperas diei potius dicendas esse gratiarum actionem, quam officium Vesperarum. Dicitur ad Missam, *Gloria in excelsis Deo*, & tunc incipit pulsari Organum; & ex ritu antiquo pulsantur Campanæ, quæ a Feria V. Cœnæ Domini siluerant, aliaque exhibentur lætitiæ signa, quæ in antiquis Romanis Ordinibus, & Ritualibus Libris legi possunt.

XXII. Tandem tametsi in Adventu, & Quadragesima, exceptis certis diebus, & Festis Sanctorum, quæ in eis occurrunt, pulsari Organum, & concentus Musicos adhiberi vetetur, excipit etiam noster hic §. casum, nempe, *quandocumque occurret celebrare solemniter, & cum lætitia, pro aliqua re gravi*. Quæ autem dicatur res gravis, judicabit Episcopus.

## §. III.

**Quotiescumque Episcopus solemniter celebraturus, aut Missæ solemni per alium celebrandæ in Festis solemnioribus interfuturus, Ecclesiam ingreditur, aut, re divina peracta, discedit, convenit pulsari Organum.**

## §. IV.

**Idem fit in ingressu Legati Apostolici, Cardinalis, Archiepiscopi, aut alterius Episcopi, quem Episcopus Dioecesanus honorare voluerit, donec prædicti oraverint, & res divina sit inchoanda.**

## COMMENTARIUS.

I. IDem, quod in Paragraphis hisce, præscriptum legitur in variis Cæremonialibus, ac Synodis tum Provincialibus, tum Dioecesanis. Paris de Crassis Lib. I. Cap. XVII. ubi agit de Organista, & servandis per ipsum, ita quidem initio inquit: *Organista admoneatur, ut in diebus Festivis semper Cardinali advenienti rem divinam sive pro Missa, sive pro Vesperis facturo, seu audituro, cum sonitu Organorum festiviter, & modulanter, remota tamen lascivia, applaudat, ipsum recipiens, & numquam a sonitu cessans, donec Episcopus Cardinalis orationem genuflexus perfecerit, sederitque, ac res divina inchoanda fuerit: quod etiam faciet, ipso Cardinali de Choro post rei divinæ finem recedente; nisi tamen publica temporis, sive Ecclesiæ Mysteria prohiberent; non autem privata, vel domestica Cardinalis mœstitia obstat, quin Ecclesia suis solemnitatibus utatur*.

II. Notanda sunt ea laudati Scriptoris verba, *nisi tamen publica temporis, sive Ecclesiæ mysteria prohiberent*, non enim in Adventu, & Quadragesima, uti superius notatum est, & præsertim iis diebus, quibus Ecclesia circa mysteria Dominicæ Passionis occupata est, pulsari Organum licet. Unde Synodus Salernitana Marci Antonii Marsilii Columnæ habita anno MDLXXIX. Parte I. Tit. XIII. Cap. XLIII. scitissime edixit, pulsandum quidem Organum, quotiescumque Prælatus Ecclesiam ad divina Officia ingreditur, *semper temporum ratione servata*. Idipsum statuit Concilium Provinciale Beneventanum XIII. anni



Digitized by Google

anni MDCLVI. sub Joanne Baptista Foppa Archiepiscopo Tit. XXVI. Num. XLIV. *Organista*, inquit, *quotiescumque Prælatus Ecclesiam ad divina Officia ingreditur, semper temporum ratione servata, Organum pulset, idque faciat in discessu ab Ecclesia*.

III. Ante has Synodos eundem ritum servari quidem præcepit S. Carolus in sua Provinciali V. Synodo Mediolanensi, Cap. *Quæ ad divina Officia pertinent*, ita inquiens: *Organista Dominicis, Festisque diebus Episcopum ad divina Officia adventantem, ubi primum pro Basilicæ foribus est, decora, gravique Organi modulatione excipiat; neque sonare desistat, quousque ad Altare genibus flexis oraverit, locove suo sederit*. Et mox: *Idem præstet, cum peractis de more Officiis inde discesserit*. Tum etiam ita subjungit: *Item dum ille Missæ Sacrificium, aut Vesperarum Officium solemniter celebraturus, aliove Pontificali munere perfunctuus, vestes sacras induit, nec quidquam canendum a Choro est*. Multa sane docet S. Carolus, quibus & nostri hi Paragraphi clarius explicantur, & aliqua etiam, quæ in iis desunt, supplentur. Eadem plane præscribit Cæremoniale Ambrosianum Lib. I. Cap. *De Organistis*.

IV. Pulsandum etiam Organum, habita scilicet temporum ratione, ut supra, adveniente in Ecclesiam Legato Apostolico, Cardinali, Archiepiscopo, aut etiam Episcopo extraneo, quem Episcopus honorare voluerit, ubi primum ingressi fuerint Ecclesiam, & donec oraverint, ex nostro §. IV. cautum est. Servandum autem esse eundem ritum in ingressu alicujus Principis, & præsertim proprii, imo & Magistratus, est laudabilis complurium Ecclesiarum consuetudo, modo Organum pulsari tempus permittat; decet enim ut ii cum honore in Ecclesia excipiantur. In Adventu etiam Principis pulsandum esse Organum, Cæremoniale Ambrosianum præscribit. Estque jam hic usus omnium fere Ecclesiarum.

## §. V.

In Matutinis, quæ solemniter celebrantur in Festis majoribus, possunt pulsari Organa, prout & in Vesperis, a principio ipsorum.

## §. VI.

Regulare est, sive in Vesperis, sive in Matutinis, sive in Missa, ut primus Versus Canticorum, & Hymnorum, & pariter Versus Hymnorum, in quibus genuflectendum est, qualis est Versiculus, *Te ergo quæsumus &c.* & Versiculus *Tantum ergo Sacramentum &c.* quando ipsum Sacramentum est super Altari, & similes, cantentur a Choro in tono intelligibili, non autem ab Organo: sic etiam Versiculus *Gloria Patri &c.* etiamsi Versiculus immediate præcedens fuerit a Choro pariter decantatus: idem servatur in ultimis Versibus Hymnorum.

## COMMENTARIUS.

I. VAria est Ecclesiarum praxis circa ea quæ in his duobus Paragraphis præscripta sunt. In quibusdam Ecclesiis pulsantur Organa ad Invitatorium Matutini solemnis, non vero ad Psalmum, *Venite exultemus*, ut testatur Bauldryus in suo Manuali, Parte I. Capite VIII. Num. V. Ex nostro §. V. *in Matutinis quæ solemniter celebrantur in Festis majoribus*, ut exempli gratia Nativitatis Domini, Epiphaniæ, *&c. possunt pulsari Organa, prout & in Vesperis a principio ipsorum*. In antiquioribus Cæremonialibus ante hoc nostrum a Benedicto XIII. probatum editis, edicitur quidem pulsari posse Organa in ipsis Matutinis, quæ solemniter in majoribus Festis celebrantur, ab Hymno, *Te Deum laudamus &c.* prout in Vesperis, *& in Matutinis noctis Nativitatis Domini etiam a principio ipsorum*. Quibus verbis non obscure innuunt antiqua ipsa Cæremonialia, in Matutinis solum Natalis Domini a principio ipsorum pulsanda esse Organa, cum alias ex nostro § V. pulsari similiter a principio Organa possint in omnibus Matutinis, quæ solemniter celebrantur in Festis majoribus; id quod in plerisque Regularium Ecclesiis qui Organo utuntur præsertim servatur.

II. Regulare autem illud est, & a Synodis æque, atque a Scriptoribus rei Ritualis probatum, quod in nostro §. VI. traditur, ut nimirum, sive in Vesperis, sive in Matutinis, sive in Missa primus versus Canticorum, & Hymnorum, itemque versus Hymnorum, in quibus genuflectendum est, cantentur a Choro in tono intelligibili, non autem ab Organo, sicut etiam Versiculus, *Gloria Patri &c.* in fine Psalmi, vel Cantici, & ultimus versus Hymnorum. Tradit hanc quidem Regulam Crassus Lib. I. Cap. XVIII. ubi ita inter alia inquit: *Organista observet, ut nullo tempore incipiat sonare primum versum Cantici, idest*, Magnificat, *sed relinquat Choro cantandum. Idem faciat de Hymnis omnibus, præsertim his, in quorum principio Cardinalis, & populus genuflectere consuevit, ut*, Ave Maris stella, *&*, Veni Creator Spiritus, *Item*, O Crux ave spes unica, *& de aliis, ut infra. Idem faciat de versibus privilegia-*

Digitized by Google

*legiatis, pro quibus genuflectimus, videlicet in Symbolo pro versu*, Et incarnatus est de Spiritu Sancto; *& etiam in Hymno*, Te Deum laudamus, *in Versu*, Te ergo quæsumus &c.

III. Pro majori nostri §. intelligentia notandum plane est, quod ait Ceccoperius Parte I. Libro II. Lucubrationum Canonicalium Tit. VII. nempe, ubi Chorus concinerit Versiculum Hymni, quem immediate sequitur alius Versiculus, in quo genuflectendum est, non esse intercalandum sonum Organi inter duos ipsos versiculos, sed cantato antecedenti, nulla facta mora, neque Organi interpositione, continuandum esse a Choro subsequentem versiculum, in quo ex antiquo ritu genuflecti solet, idemque esse observandum ubi sequitur ultimus Versiculus, vel, *Gloria Patri &c.* ob reverentiam scilicet Sanctissimæ Trinitatis, cujus laudes ore potius cantari debent, quam Organo, & ut populus audiens cantum continuari, excitetur ad devotius attentiusque audienda illa Hymni verba, & Versiculi ipsius, *Gloria Patri &c.* eximiis mysteriis plena; non enim tanti Organi sonus faciendus est ad veram Dei glorificationem, quanti cantus sacrorum Ministrorum, uti observant Navarrus in Libro, *De Oratione*, Cap. XVI. Num. XLVI. Molanus, *De Canonicis*, Lib. II. Cap. XL. & alii, inter quos doctissimus Suarez Lib. IV. *De Religione*, Cap. VIII. Num. VII. notat, ideo Organum in Capella Papæ non adhiberi. Ceterum non puto reprehendendum quarumdam Ecclesiarum morem, in quibus etiam in Versiculis ipsis privilegiatis Organum interponi solet, cantante tamen eosdem Choro, tono intelligibili, quo populus ad devotionem excitetur.

## §. VII.

In aliis autem Horis Canonicis, quæ in Choro recitantur, non est consuetum interponere Organum. Sed si in aliquibus locis consuetum esset Organa pulsari etiam inter Horas Canonicas, aut aliquas earum, ut est Hora Tertia; præsertim quando cantatur, dum Episcopus solemniter celebraturus, capit sacra paramenta, poterit talis consuetudo servari; sed advertendum erit, ut quandocumque per Organum figuratur aliquid cantari, seu responderi alternatim versiculis Hymnorum, aut Canticorum, ab aliquo de Choro intelligibili voce pronuntietur id, quod ab Organo respondendum est. Et laudabile esset, ut aliquis Cantor conjunctim cum Organo voce clara idem cantaret.

## COMMENTARIUS.

I. QUamquam ad reliquas Horas, quæ recitantur in Choro, non sit consuetum interponere Organum, ait nihilominus noster §. ubi in aliquibus locis pulsari Organum solet etiam inter ipsas Horas Canonicas, aut aliquas earum, ut est Hora Tertia, præsertim quando cantatur, dum Episcopus solemniter celebraturus, capit sacra paramenta, servari eam consuetudinem posse. Curare autem Organista tunc debet, ut, quemadmodum docet Crassus Lib. I. Cap. XVII. Episcopo se interea ad Missam celebrandam sacris vestibus parante, dum Psalmodia Horæ Tertiæ cantatur cum responsione Organorum, ipse sic abbreviet, vel producat sonum, ut neque Episcopus solito citius accelerare, neque lentius tardare cogatur, uti non semel accidere solet in Divinis Officiis.

II. Agit & de eadem re fusius memoratus Auctor, Libro II. Cap. II. cujus testimonium lubet hoc loco describere. Sic autem inquit: *Et quia dum Psalmi ipsius Tertiæ cantantur, Cardinalis debet interim de toto parari, & legere Psalmos, Versiculos, & Orationes, quæ multæ sunt, & multo tempore opus est, ideo admoneantur Cantores, & Organista, ut lente cantent suos versus, etiam modulando Psalmodiam, & ille similiter sonando alternatim pro suo versu respondeat solemniter, ut fit, dum cantatur in Vesperis solemnibus Canticum*, Magnificat; *pro quibus Psalmis decantandis ita utrinque observetur, ut tantam proportionati temporis dispensetur, quoad Cardinalis possit commode de toto esse paratus, antequam inchoetur Capitulum*, Horæ scilicet Tertiæ juxta ritum alio loco explicatum.

III. Illud vero ex præscripto nostri hujus §. potissimum est advertendum, *ut, quandocumque per Organum figuratur aliquid cantari, seu responderi alternatim Versiculus Hymnorum, aut Canticorum, ab aliquo de Choro intelligibili voce pronuncietur id, quod ab Organo respondendum est.* Similia præscribit in suo I. Provinciali Concilio Mediolanensi S. Carolus, Capite, *De Musica, & Cantoribus*, inscripto, ubi ita inquit: *Si in Hymnis, Psalmis, & Canticis, suis vicibus Organo canatur; omnes tamen eorum Versiculi in Choro distincte pronuncientur.* Ratio est, quia pars illa a Choro non percipitur, quæ ad Organum psallitur, & ita Horæ non canuntur integræ, nisi aliquis saltem deputetur, qui in Choro distincte, & alte pronunciet, quæ ab Organo cantari figurantur, nisi illa quivis de Choro voce suppressa dicat, ut advertunt Bonacina, *De Horis Canonicis*, Disputatione I. Quæstione I. Puncto III. Num. IV. Trullench in Decalogum Lib. I. Cap. VII. Disputatione XVI. Num. XXXI. Bonartius, *De Horis Canonicis*, Lib. II. Cap. XXVIII Num. XII. ubi citat Navarrum, & Suarez, quorum ille non supplentes Versiculos, qui ab Organo ficte cantantur, non excludit a peccato; hic vero partem, quam Organum modulatur, censet non solum articulata

Digitized by Google

lata voce, sed etiam in cantum flexa resarciendum.

IV. Puto equidem sequendam esse in hoc Chori cujusque bene constituti religiosam, ac laudabilem consuetudinem, illam autem præsertim, quam hic noster hic §. maxime commendat, nempe, *ut aliquis Cantor conjunctim cum Organo voce clara idem cantaret*, quod scilicet Organum ficte cantat; nisi forte cum Organo Musici cantent, ut in plerisque Basilicis Urbis, quo casu satis est attente audire, uti post alios docet Ceccoperius Libro II. *Lucubrationum Canonicalium*, Titulo VII. Num. XVIII.

## §. VIII.

**In Vesperis solemnibus Organum pulsari solet in fine cujuslibet Psalmi, & alternatim in Versiculis Hymni, & Cantici, *Magnificat &c.* servatis tamen regulis supradictis.**

## COMMENTARIUS.

I. AD Vesperas utrasque solemnes pulsari Organum, debet statim ac Celebrans exit e Sacrario paratus, nec prius silere, donec in loco suo sedeat, illasque incipiat, juxta antiquum, ac laudabilem Ecclesiarum morem, in quibus etiam *Organum pulsari solet in fine cujuslibet Psalmi*, post Versiculum scilicet, *Sicut erat in principio &c.* loco Antiphonæ, quæ repeti deberet, ut scite notat Bauldryus in suo Manuali Parte I. Cap. VIII. Num. IV. itemque *alternatim in Versiculis Hymnorum, & Cantici*, Magnificat, *servatis tamen regulis supradictis*, ut scilicet primi Hymnorum, & ipsius Cantici versus cantentur a Choro, non autem ab Organo, quemadmodum & versus illi Hymnorum, ad quos genuflectendum est, videlicet ad Versiculum, *Te ergo quæsumus tuis famulis subveni &c.* & ad illum, *Tantum ergo Sacramentum &c.* cum tota stropha, quando scilicet *ipsum Sacramentum est super Altari*, ut supra in §. VI. non vero alias, ut idem Bauldryus notat. Similiter in Versu, *O salutaris Hostia*, & in Versu, *O Crux ave spes unica*, etiamsi versus immediate præcedens fuerit decantatus a Choro. Idem etiam servatur in ultimis Hymnorum Versibus, & in Versiculo, *Gloria Patri*, qui quidem, etiamsi præcedentes immediate versus a Choro decantati fuerint, ab eodem etiam decantari debent.

II. Hæ plane sunt Regulæ, quæ in §. VI. præscriptæ sunt. Sciendum tamen, quod tametsi in hoc præsenti §. VIII. commendetur usus pulsandi Organum in Versiculis Hymni, & Cantici, *Magnificat &c.* laudabilis est complurium Ecclesiarum mos, in quibus etiam ad Vesperas pulsari solet Organum alternatim in Versiculis ultimi Psalmi.

## §. IX.

**In Missa solemni pulsatur alternatim, cum dicitur, *Kyrie eleison*, & *Gloria in excelsis &c.* in principio Missæ; item finita Epistola; item ad Offertorium, item ad *Sanctus &c.* alternatim; item dum elevatur Sanctissimum Sacramentum, graviori, & dulciori sono; ad *Agnus Dei &c.* alternatim; & in Versiculo ante Orationem post communionem, ac in fine Missæ.**

## §. X.

**Sed cum dicitur Symbolum in Missa, non est intermiscendum Organum, sed illud per Chorum cantu intelligibili proferatur.**

## COMMENTARIUS.

I. REgula circa Organi pulsationem servanda in Missa solemni, ex præscripto §. IX. hæc est: *Pulsatur*, inquit, *alternatim*, *cum dicitur*, Kyrie eleison, *&* Gloria in excelsis &c. *in principio Missæ*, nempe statim ac Celebrans e Sacrario exit paratus, nec silet, donec ad Altare perveniat, & incipiatur a Choro Introitus Missæ; quo dicto, alternatim pulsatur tunc quidem Organum, cum dicitur, *Kyrie eleison*, &, *Gloria in excelsis Deo*. Pulsatur *item finita Epistola*; sed Graduale, vel saltem aliquis illius Versiculus cantari debet a Choro juxta usum omnium fere Ecclesiarum, in quibus etiamsi occurrat Sequentia, alternatim ipsa a Choro, & ab Organo cantatur. Præterea pulsatur Organum *ad Offertorium*, & quidem ad Præfationem exclusive. *Item ad* Sanctus &c. *alternatim*. *Item dum elevatur Sanctissimum Sacramentum*, *graviori*, *& dulciori sono*, prosequente tamen Choro post factam elevationem Versiculum, *Benedictus*, *qui venit &c.* voce intelligibili. *Item ad* Agnus Dei &c. *alternatim*; *& in Versiculo ante Orationem post communionem*; scilicet usque ad prædictam Orationem; *& in fine Missæ*. Quæ scilicet, sicut & alia divina

Digitized by Google

divina Officia, si ab Episcopo celebrentur, vel eis præsens fuerit, pulsandum est Organum decora, gravisque modulatione, quousque *peractis de more Officiis inde discesserit*; uti cautum est ex Provinciali v. Synodo Mediolanensi sancti Caroli, Cap. *Quæ ad divina Officia pertinent*.

II. De Symbolo in Missa, ex præscripto nostri §. x. dum illud canitur, *non est intermiscendum Organum, sed illud per Chorum cantu intelligibili proferendam est*. Idipsum præscribit in sua Provinciali III. Mediolanensi Synodo S. Carolus, Cap. *De iis, quæ pertinent ad Missæ Sacrificium*, ubi ita etiam ait: *Symbolum vero Fidei totum a Choro, non alternatim Organo canatur*. Laudat Martenius Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, Cap. IV. Articulo v. Num. x. in fine consuetudinem Ecclesiæ Senonensis, *in qua Symbolum non alternis Choris, ut in aliis Ecclesiis, sed ab ambobus simul integrum decantatur; idque, ut ajunt, in signum unitatis Fidei*. Servatum hunc Ritum jam olim fuisse in Ecclesia Romana, non obscure innuit Romanus Ordo VI. Num. VII. his plane verbis: *Sin autem Episcopus prædicare noluerit, alta voce incipiat canere*, Credo in unum Deum; *& ita omnis Chorus incipiens*, Patrem Omnipotentem, *ad finem usque perducat*. Ratio, cur in eo cantando intermisci Organum vetatur, ea profecto est, ut præcipua Fidei capita, quæ in eo continentur, clare audiri a Fidelibus queant. Hinc Synodus I. Provincialis Cameracensis Tit. *De cultu, & cæremoniis*, Cap. III. sic inter alia inquit: *In Symbolo canendo placet, nec Organa, nec Musicam adhiberi, nisi sit simplex, ac talis, ut singula verba sine repetitione possint intelligi*. Solum in Symbolo cantum admittit, non Organum, & quidem cantum, qui simplex sit, & qui non verba centies, ut ita dicam, repetat, quæ minime a Fidelibus exaudiuntur, &, quod gravius est, Fidei articulos, atque eorum sensum confundunt. Sed hæc disciplina, sicut & alii multi sanctissimi Ecclesiæ Ritus minime servantur, ex quo figuratus Eunuchorum cantus una cum instrumentis Musicis in Ecclesiam introductus est. Sed de his mox in Commentario ad sequentem §.

## §. XI.

Cavendum autem est, ne sonus Organi sit lascivus, aut impurus, & ne cum eo proferantur cantus, qui ad Officium, quod agitur, non spectent, nedum profani, aut ludrici, nec alia instrumenta Musicalia, præter ipsum Organum, addantur.

## COMMENTARIUS.

I. PErspicua est nostri hujus §. sententia, quæ inter alia edicit, ne in Ecclesia, & divinis Officiis celebrandis, canendisque *alia instrumenta Musicalia præter ipsum Organum addantur*. Hanc disciplinam sequutus sanctus Carolus sacrorum Rituum peritissimus in sua I. Provinciali Mediolanensi Synodo, Cap. *De Musica, & Cantoribus*, inter alia statuit, ut *Organo tantum in Ecclesia locus sit, tibiæ, cornua, & reliqua Musica instrumenta excludantur*. Idipsum totidem plane verbis præscribit etiam Cæremoniale Ambrosianum Lib. I. Cap. *De Organistis*, prope finem, & Synodi passim, inter quas Oecumenica Tridentina, Sessione XXII. in Decreto, *De observandis, & evitandis in celebratione Missæ*, solius Organi mentionem facit, mandans Episcopis, ut *ab Ecclesiis Musicas eas, ubi sive Organo, sive cantu lascivum, aut impurum aliquid miscetur..... arceant, ut domus Dei vere domus orationis esse videatur, ac dici possit*.

II. Instrumenta Musica vel in conviviis Christianorum improbare videtur S. Clemens Alexandrinus Lib. II. *Pædagogi Christiani*, Cap. IV. ubi quæ in Psalmis habentur de Deo Musicis instrumentis celebrando, ad sensum spiritualem deflectit, nec sinit, ea quibus Gentiles utebantur, ad Christianorum Sacra transferri, præsertim ubi in iis impura, & obscæna miscentur, quia scilicet omne turpe spectaculum, omnem turpem auditionem, turpem omnem sensum intemperantiæ maxime oportet nos excindere, quæ in oculis, & in auribus titillat, & effeminat, voluptatem cavent: *Fractorum enim cantuum*, inquit, *& flebilium Caricæ Musæ modorum varia veneficia, intemperanti, & pravo Musicæ artificio mores corrumpunt*. Tum verba Psalmi CL. quæ vulgo objici solent ad comprobandam Musicalium instrumentum multitudinem, ad spiritualem sensum ita deflectit: *Divinum autem ministerium separans psallit spiritus*: Laudate eum in sono tubæ; *in sono enim tubæ suscitabit mortuos*: Laudate eum in psalterio; *quoniam lingua est psalterium Domini*: Et in cithara laudate eum: *per citharam os intelligatur, quod spiritu tanquam plectro pulsatur*: In tympano, & choro laudate eum; *dicit Ecclesiam, quæ meditata est carnis resurrectionem in pelle resonante*: In chordis, & Organo laudate eum; *Organum dicit corpus nostrum, & chordas ejus nervos, per quos numerose, & concinne intenditur, & spiritu pulsatum voces edit humanas*: Laudate eum in cymbalis jubilationis; *oris cymbalum dicit linguam, quæ pulsatis labris resonat, & ideo humanæ naturæ acclamavit*: Omnis spiritus laudet Dominum; *quoniam omnis spiritus, quem fecit, curam gessit. Vere enim pacificum instrumentum homo est*.

III. Addit & mox Sanctus Pater, & pervetustus Ecclesiæ Scriptor, quod siquis alia curiosus inquirat, inveniet instrumenta bellica ad cupiditates inflammantia, vel amores incendentia, vel animum, iramque irritantia. In bellis itaque suis tuba, usos ait Ethruscos, Fistula Arcades, Siculos

Digitized by Google

culos instrumentis, quæ appellabant πηκτίδας, Cretenses lyra, Lacedæmonios tibia, cornu Thraces, & Arabes cymbalo. Uno subdit instrumento, verbo scilicet solo pacifico uti Christianos quo Deum honorent, *non amplius veteri psalterio, & tuba, & tympano, & tibia, quibus mos erat iis, qui in bello se exercebant, Deique metum contemserunt, & simul congregatis concionibus in Choris uti, ut per hujusmodi modos solutus, ac dejectus excitaretur animus*. Ceterum tametsi instrumenta Musicalia improbet Clemens, liberaliter nihilominus ea Christianis concedit, modo pie, moderate, graviterque ab ipsis usurpentur in domesticis scilicet recreationibus, non autem in divinis Officiis, quæ in Ecclesia celebrantur: *Admittendæ sunt*, inquit, *modestæ, & pudicæ harmoniæ a forti, & nervosa nostra cogitatione, vere molles, & enervatas harmonias amandando quam longissime, quæ improbo flexuum vocis artificio utentes, ad delicatam, & ignavam vitæ agendæ rationem deducunt. Graves autem, & quæ ad temperantiam pertinent modulationes, ebrietati proterviæ valedicunt*. Tum vero ita demum concludit: *Chromaticæ igitur harmoniæ, impudenti in vino proterviæ, floribusque redimitæ, & meretriciæ Musicæ sunt relinquendæ*.

IV. Quid de instrumentis Musicis in divinorum Officiorum celebratione medii ævi Scriptores senserint, ex celebri S. Aelredi Abbatis testimonio, qui teste Trithemio, in sanctis Scripturis, & jugi studio exercitatus, Seculo Christi XII. floruit, addiscere licet. Is enim Lib. II. *Speculi charitatis*, Cap. XXIII. postquam in eos invectus est, qui sub specie Religionis, negotium voluptatis, & qui ea, quæ antiqui Patres in typis, & figuris futurorum salubriter exercebant, in usum suæ vanitatis usurpant, hanc deinde in modum contra sui nostrique temporis abusum invehitur: *Unde, quæso, cessantibus jam typis, & figuris, unde Ecclesia tot Organa, tot Cymbala? Ad quid rogo terribilis ille follium flatus, tonitrui potius fragorem, quam vocis exprimens suavitatem*. Sed audi, ut mox Musicorum canentium modum, ac gestum describit; est enim res digna, ut hic describatur, & a lectore notetur: *Ad quid*, inquit, *illa vocis contractio, & infractio? Hic succinit, ille discinit, alter supercinit, alter medias quasdam notas dividit, & incidit. Nunc vox stringitur, nunc frangitur, nunc impingitur, nunc diffusiori sonitu dilatatur. Aliquando, quod pudet dicere, in equinos hinnitus cogitur; aliquando virili vigore deposito, in femineæ vocis gracilitate accitur; nonnumquam artificiosa quadam circumlocutione torquetur, & retorquetur. Videas aliquando hominem aperto ore, quasi intercluso halitu, expirare, non cantare; ac ridiculosa quadam vocis interceptione quasi minitari silentium, nunc agones morientium, vel exstasim patientium imitari. Interim histrionicis quibusdam gestibus totum corpus agitatur, torquentur labia, rotant oculi, & ad singulas quasque notas digitorum flexus respondet; & hæc ridiculosa dissolutio vocatur Religio, & & ubi hæc frequentius agitantur, ibi Deo honorabilius serviri clamatur*. Non potuit plane luculentius nostri temporis abusus exponi.

V. Sed non omittenda, quæ mox laudatus Scriptor subjungit, quæ nos quotidie in nostris fieri Templis cernimus, abusum improbantibus piis non modo viris, sed & hominibus seculi ipsis, qui eo delectantur: *Stans*, inquit, *interea vulgus sonitum follium, crepitum Cymbalorum, harmoniam fistularum tremens, attonitusque miratur, sed lascivas cantantium gesticulationes, meretricias vocum altercationes, & infractiones non sine cachinno, risuque intuetur, ut eos non ad Oratorium, sed ad Theatrum, non ad orandum, sed ad spectandum æstimes convenisse; nec timetur illa tremenda Majestas, cui adsistitur; nec defertur mystico illo præsepio, cui ministratur, ubi Christus mystice pannis involvitur, ubi sacratissimus ejus Sanguis calice libatur, ubi aperiuntur Cæli, assistunt Angeli, ubi terrena cælestibus junguntur, ac Angelis homines sociantur*. Longum est aliorum veterum Scriptorum querelas referre; scite enim advertit Joannes Bona Cardinalis in Tractatu, *De divina Psalmodia*, Cap. XVII. §. III. Musicam quidem sæpius fuisse mutatam, ac illud ab antiquis observatum esse, numquam ab aliqua gente mutatam fuisse Musicam, quin & ipsa in deterius mutata sit. Tum multorum Auctorum relatis sententiis testantium, veterem Musicam fuisse virilem, recentiorem vero effractam, & effeminatam, tandem verbis hisce concludit: *Has Veterum sententias eo libentius transcripsi, quo magis hodiernæ Musicæ deplorabilis status innotescat: fastidit ætas nostra concentum gravem, & stabilem, amatque modulos quosdam, quibus in frusta concisus cantus dissiliat, & enervetur*.

VI. Cum autem pii cordatique prisci Scriptores sine ullo prorsus fructu in Musicæ abusum inveherentur, semper enim, uti dictum est in deterius mutabatur, conatus est Pontificia auctoritate abusui occurrere Joannes XXII. celebri edita Constitutione, quæ incipit, *Docta Sactorum Patrum &c.* quæ legitur inter Extravagantes communes Lib. III. *De vita & honestate Clericorum*, Cap. unico, ubi præmissa Musicæ Artis laude, lascivam deinde melodiam reprobat, qua sacri homines in divinis Officiis utebantur: *Docta Sanctorum Patrum*, inquit, *decrevit auctoritas, ut in divinæ laudis Officiis, quæ debitæ servitutis obsequio exhibentur, cunctorum mens vigilet, & modesta psallentium gravitas placita modulatione decantet*: Nam in ore eorum dulcis resonabat sonus. *Dulcis quippe omnino sonus in ore psallentium resonat, cum Deum corde suscipiunt, dum loquuntur verbis: in ipsum quoque cantibus devotionem accendunt; inde etenim in Ecclesiis Dei Psalmodia cantanda præcipitur, ut Fidelium devotio excitetur in hoc nocturnum, diurnumque Officium, & Missarum celebritates assidue Clero, ac Populo sub maturo tenore, distinctaque gradatione cantantur, ut eadem distinctione collibeant, & maturitate delectent*. His perspicue docet, qualis sit cantus Ecclesiastici finis, & uti ille debeat in Ecclesiis adhiberi.

VII. Au-

Digitized by Google

VII. Audiamus tamen, quæ fuerit sui ævi prava Clericorum in decantandis divinis Officiis consuetudo: *Sed nonnullæ scholæ discipuli*, inquit, *dum temporibus mensurandis invigilant, novis notis intendunt fingere suas, quam antiquas cantare malunt, in semibreves, & minimas Ecclesiastica cantantur; notulis percutiuntur; nam melodias hoquetis intersecant, discantibus lubricant, triplis, & motetis vulgaribus nonnunquam inculcant, adeout interdum Antiphonarii, & Gradualis fundamenta despiciant; ignorent super quo ædificant, tonos nesciant, quos non discernunt, imo confundunt; cum ex earum multitudine notarum ascensiones pudice, descensionesque temperate plani cantus, quibus toni ipsi secernuntur, adinvicem obfuscentur; currunt enim, & non quiescunt; auribus inebriant, & non medentur; gestibus simulant, quod depromunt, quibus devotio quærenda contemnitur, vitanda lascivia propalatur. Non enim inquit frustra ipse Boetius*: Lascivus animus, vel lascivioribus delectatur modis, vel eosdem sæpe audiens emollitur, & frangitur.

VIII. Hoc jamdudum subjicit correctione indigere intelligens, districte præcepit de consilio etiam S. R. E. Cardinalium, *ut nullus deinceps talia, vel his similia in dictis officiis, præsertim Horis Canonicis, vel cum Missarum solemnia celebrantur, attentare præsumat*. Et mox: *Siquis vel contrafecerit, per Ordinarios locorum, ubi ista commissa fuerint, vel deputandos ab eis in non exemtis: in exemtis vero per Præpositos, seu Prælatos suos, ad quos alias correctio, & punitio culparum, & excessorum hujusmodi, vel similium pervenire dignoscitur, vel deputandos ab eisdem, per suspensionem ab Officio per octo dies auctoritate hujus Canonis puniatur*. Testatur autem tandem, se per hoc non intendere prohibere, *quin interdum diebus Festis præcipue, sive solemnibus in Missis, & præfatis divinis Officiis aliquæ consonantiæ, quæ melodiam sapiunt, puta, octavæ, quintæ, quartæ, & hujusmodi supra cantum Ecclesiasticum simplicem proferantur, sic tamen, ut ipsius cantus integritas illibata permaneat, & nihil ex hoc de bene memorata Musica immutetur; maxime cum hujusmodi consonantiæ auditum demulceant, devotionem provocent, & psallentium Deo animos torpere non sinant*.

IX. Hactenus celebris Joannis XXII. Constitutio, quam ubique fere locorum neglectam pii cordatique Viri, atque Ecclesiarum Antistites zelantissimi, qui Seculo XVI. florebant, instaurari, ac diligentissime servari exoptabant vehementer, præ omnibus vero nominatissimus Gandensium Antistes Willelmus Lindanus, qui in Panoplia Euangelica Lib. IV. Cap. LXXVIII. Musicæ, & Musicorum sui temporis parum gravem, & ad pietatem haud conducentem sonum fuse deplorat, quia scilicet suo ævo, sicut & nostro, Lectorum vices, sicut & Psalmistarum explebant Musici non tantum, ut de Choro ejiciantur dignissimi, cum propter vitæ improbitatem, qua passim nimium sunt nobiles, tum propter impudicos amorum, aut indignos bellorum modulos sacris Dei laudibus insparsos; sed etiam propter theatricam magis sonorum confusionem, quam religiosam pietatis, ac devotionis moderationem, quam piorum animis passim gignere noscuntur: *Non enim nunc suo cantu Musici*, loquitur de sui ævi abusu, *auditorum animos tam ad pietatis cultum, cælestiaque excitant desideria, quam avocant, avertunt, alienant. Scio enim, aliquando divinis me interfuisse laudibus, cum vel attentissimus auscultarem, & quid forte psalleretur, ne unum quidem potuisse intelligere verbum: ita erant omnia syllabarum repetitionibus commista, vocibus confusa, clamoribus potius horridulis, & incondito boatu, quam cantu, obscurata*,

X. Pergit zelantissimus Præsul, & postquam dixit, optare se, ut pro isto Musices genere, quod nunc passim Ecclesias occupat, aliud introducatur, & gravius, & rebus ipsis convenientius, &, si non, ut oportet, pronunciationi, quam cantui vicinius, saltem rebus, quæ canuntur, aptius, atque accommodatius, ita mox subdit: *Quo in genere Gregorianum, quem dicunt, equidem excellere arbitror: quod & nobiles quosdam Musicos isto Gallico garritu non depravatos judicasse tantum liquet, sed & sua, quæ dicunt moteta illis modulis, seu fundamento ludentem, lambentemque hederam circumfuderunt, quo canticum varia modulorum symphonia blandum rerum verbis significatarum affectui quoque responderet*. Notanda plane quæ statim subjicit ita inquiens: *Nunc cum hujus rei, quæ principem in Musica habet locum, ignorantia laborent plerique omnes, quos suo vocant nomine Componistas, quis hujus ætatis Musicam cum illa prisca componat? Nunc enim audire est lætissimos divinæ laudis hymnos tristissimis contaminari Musicorum modulis; contra, lugubres Ecclesiæ threnos lætissimo effusos modulamine. Quid quod divinos hymnos non modo theatricis, adeoque bellicis, & si dicere fas est, Galiardicis contaminant modis, sed venereis quoque conspurcant, & amatoriis?*

XI. Laudat deinde, admiraturque Scriptor Religiosissimus magis constantiam Ecclesiarum, quæ istum prævidentes divini cultus abusum semel Musicam illam Choro maluerunt excludere, uti Ecclesia Trajectensis, & Lugdunensis, quam illarum magnificam, quam ipsi putant, & jactant adeo majestatem, *qua Dei Chorum omni phonascorum syntagmate, vocum omnis generis discrimine, imo & tubarum clangore, cornettorum, quæ vocant, stridore, alioque strepitu vario, nequid prætermittere videantur, quod Cantici verba semel obscurat, sensumque sepeliat, & adobruat, sibi præclare gloriantur implesse. De quo plus hodie Cathedrales laborant passim Ecclesiæ*, (quod sane non leviter cordatis omnibus est deflendum) *quam ut habeant, aut Cantores Psalmorum intelligentes, aut Deum vita simul; & voce moderata potius quam incondito garritu laudantes*. Concludit tandem, ad istam, non Musicam, sed inconditam nebulonum lasciviam Templis exturbandam, nihil posse statui præclarius, quam quod a Joanne



Digitized by Google

Papa XXII. fuit constitutum in celebri illa Constitutione, quæ incipit, *Docta Sanctorum Patrum &c.* Id quod etiam inter alios Scriptores testatur eruditus Durantus Lib. III. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. XXI. in fine.

XII. Hæc vota exaudire visus est Alexander VII. qui prophanæ Musicæ exterminare cupiens ab Ecclesiis Urbis abusum, Constitutionem edidit anno MDCLVII. estque trigesima octava, in qua sub pœnis spiritualibus, & temporalibus prohibitæ fuere illæ modulationes, & sonorum inflexiones, quæ choreas, & prophanam potius, quam Ecclesiasticam melodiam imitantur; & insuper inter alia mandatum fuit, ut cum divina celebrantur Officia, vel sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum publicæ Fidelium venerationi manet expositum, nihil cantari debeat, præter ea, quæ in Breviario, vel Missali Romano in Officiis de proprio, vel de communi, pro currenti cujusque diei Festo, vel Sancti solemnitate præscribuntur, vel quæ a Sacra Scriptura, vel sanctis Patribus desumta fuerint, prævia tamen approbatione Sacræ Rituum Congregationis. Meminit hujus Constitutionis inter alios Scarfantonius in animadversionibus ad Ceccoperium Lib. II. Tit. VII. aitque eam concinere memoratæ Joannis XXII. Constitutioni, in qua inter cetera cautum fuit, ne in Missa intermiscerentur moteti vulgares. Addit tum etiam, fuisse super observantia ejusdem Constitutionis Alexandri VII. promulgatum Edictum a Sacra Congregatione Apostolicæ Visitationis, quam nos infra subjicimus, (*a*) cum in eo diligentissime provisum fuerit abusibus, qui contra sacros Ecclesiæ ritus in Musicam irrepsere

XIII. Constitutionem tandem nominatissimam Joannis XXII. Edictumque ipsum a Congregatione Visitationis Apostolicæ latum nostro hoc Seculo innovavit sanctæ mem. Benedictus XIII. in sua Lateranensi Synodo anni MDCCXXV. Tit. XV. Cap. VI. *Pro eo autem*, inquit, *quod Musicam in Ecclesiis spectat, præter Extravagantem*, Docta, De vita & honestate Clericorum, *Edictum pariter felicis recordationis Alexandri VII. innovandum esse statuimus*. Et infra: *Sub pœnis interea in præcitata Extravagante, & Edicto inflictis cohibeant Episcopi Musicæ Magistros, Organistas, & Cantores, aliosque quoscumque a quibusvis in Ecclesia indecori cantus modulationibus, ne fidelium magis videantur auribus prurire, quam pios in Deum affectus excitare*. Munus esse Episcoporum, ut ab Ecclesiis arceant Musicas illas, ubi sive Organo, sive cantu lascivum, aut impurum aliquid miscetur, edixit Synodus Tridentina in laudato superius Decreto, *De observandis, & evi-*

(*a*) La Sacra Visita Apostolica, accioche la Costitutione della Santità di nostro Signore sopra le Musiche abbia totalmente la dovuta esecuzione con l'Oracolo della viva voce della Santità Sua, ordina, e comanda, che nelle Musiche concertate con Organo, che per l'avvenire si faranno nelle Chiese, & Oratorj di Roma, mentre si celebrano li divini Offizj, o sta esposto il Santissimo Sacramento, si osservino puntualmente le cose seguenti.

I. Che lo stile delle Musiche da osservarsi nelle Messe, Salmi, Antiphone, Motetti, Inni, Cantici &c. come anche delle Sinfonie, sia Ecclesiastico, grave, e devoto.

II. Che nelle Messe non si cantino, se non le parole prescritte dal Messale Romano negli Offizj correnti nella Festa di ciascun giorno, e nelle Solennità del Santo, e specialmente, che dopo l'Epistola, non si canti, se non il Graduale, o Tratto, e dopo il *Credo*, non si cantino altre parole, che dell'Offertorio, e dopo il *Sanctus*, si canterà il *Benedictus*, overo un Motetto, ma con le sole parole, che pone la Chiesa nel Breviario, o Messale in onore del Santo.

III. Che ne' Vespri, oltre a' Salmi, e l'Inno, non si cantino, se non l'Antifone correnti secondo il prescritto del Breviario, ed il medesimo si faccia nelle Compiete.

IV. Che quando sta esposto il Santissimo, non sia lecito di cantare altre parole, che quelle, che sono poste nel Breviario, o Messale Romano in onore del Santissimo Sacramento, e volendosi cantare le parole della Scrittura, o di qualche Santo Padre, debba prima prendersi l'approvazione speciale della Sacra Congregazione de' Riti al prescritto della Costituzione, dichiarando, che in questo caso sia necessaria la detta approvazione, ma non quando le parole sono prescritte dal Breviario, o Messale, e che le parole de' Santi Padri debbano essere di un solo, e non di molti Santi Padri uniti insieme.

V. Che non si canti a voce sola tanto grave, quanto acuta, tutto, o parte notabile d'un Salmo, Inno, o Motetto, ma non cantandosi a pieno Coro, si canti alternativamente, variando sempre il canto, ora con voci pari, ora con gravi, & ora con acute.

VI. Che le parole, così del Breviario, e Messale, come della Sacra Scrittura, e de' Santi Padri si mettano in Musica, *ut jacent*, in maniera che non non s'invertano, nè vi si frappongano parole diverse, nè si faccia alterazione alcuna.

VII. Che in tempo di Passione si canti senz'Organo, conforme la Rubrica, e la Chiesa prescrive.

VIII. Che fra il termine di venti giorni dalla pubblicazione del presente Editto, da' Superiori, & altri, a' quali s'appartiene, si mettano ne' Cori, tanto stabili, quanto amovibili, le gelosie, o grate strette, e di tal altezza, che non si vodano i Cantori, sotto pena della privazione dell'Offizio, & altre ad arbitrio della Sacra Visita.

IX. Che ciaschedun Majestro di Cappella, ed ogn'altra persona, che regolerà la Musica, o farà battuta, contravenendo alle cose dette di sopra, o ad alcune di esse, incorra nella pena della privazione dell'Offizio, e resti in perpetuo inabile ad esercitarlo, ed a far Musiche per l'avvenire, e nondimeno sia punito in cento scudi, da applicarsi per la quarta parte al Denunziante, che sarà tenuto secreto, e per l'altre tre, a' Luoghi Pii, ad arbitrio della Sacra Visita, con altre pene anche corporali ad arbitrio della medesima.

X. Che niun Maestro di Cappella, o altra persona particolare, per l'avvenire possa far Musica nelle Chiese, & Oratorj, come sopra, se prima non averà giurato in mano del Signor Cardinale Vicario di Roma, o suo Vice Gerente, di osservare tutte le cose contenute nel presente Editto, altramente incorra nelle pene dette di sopra (che dovrà darsi una sol volta con tenerne il registro) se contraverrà in alcuna cosa delle prescritte, sia anche punito come spergiuro in conformità della Constituzione di Sua Santità. Dato in Roma a' 30. Luglio 1665. *Prospero Fagnani Segretario della Sacra Visita Apostolica*.

Digitized by Google

*& evitandis in celebratione Missæ*, quod legitur in Sessione XXII. ejusdem Synodi.

XIV. In quo statu sit hodie Musica, supervacaneum est dicere: præter Organum, contra nostri hujus §. præscriptum, tibiæ, cornua, tympana, aliaque instrumenta, quæ venationi, & bello usui sunt, jam diu invecta sunt in Ecclesiam, & vigent, & quidem majori numero, ac luxu, & abusu, quam prius. Locari enim hodie solet magna Orchestra cum omni genere Musicorum supra majorem Ecclesiæ portam contra Aram principem, in qua solet Tabernaculum exstare cum Sanctissimo Sacramento, cui ingenti irreverentia populus humeros vertit, ut cantantes Musicos aspiciat, eorumque gesticulationibus delectetur, neque enim crates in recitato Edicto a Sacra Congregatione Apostolicæ Visitationis descriptæ ita altæ, & strictæ sunt, ut facies, manus, pectusque Musici, videri non possit. Nihil plane ajo, quod notum non sit iis præsertim, qui Musicam in Ecclesiis frequentant. Ea autem est hodie in ipsis Ecclesiis, ubi cum variorum instrumentorum strepitu fit Musica, virorum æque ac mulierum frequentia, ut, cum olim in threnis Propheta Jeremias quereretur, lugere vias Sion, eo quod non essent, qui irent ad solemnitatem, nunc contra uberrimis lacrimis lugendum esset, quod nimii sunt, qui ad Ecclesiarum solemnitates, ubi scilicet strepit Musica, pergant, & quidem adeout præ multitudine alter alterum tangat, ac pene opprimat.

XV. Priscæ, ac probatæ Ecclesiæ disciplinæ peritus, ac tenax Religiosissimus, atque doctissimus, Venerabilis S. R. E. Cardinalis Thomasius, teste ejus Vitæ Scriptore Dominico Bernino, Cap. XIX. cantu nonnisi Gregoriano, cui pene ab incunabulis deditus fuerat, in Ecclesia sui Tituli S. Martini ad Montes divina Officia celebrari voluit, abhorrens semper, Cantica, Psalmos, Hymnosque, ac Dei verba in domo Dei theatralibus modis cani. Itaque citatæ a nobis toties Extravaganti Constitutioni inhærens Joannis XXII. quam sæpius memorabat, ubi sermo incidebat de cantu in Ecclesiis servando, in Festo S. Martini, Organum solum adhiberi jussit, cantumque Gregorianum, non figuratum, non alia musica instrumenta, tametsi Musici Urbis peritiores solita mercede conducti Missam canerent. Ceterum Franciscus Antonius Finy S. R. E. Cardinalis, tametsi in sustentationem pauperum, ornatumque Ecclesiarum magnam suorum redituum partem impenderet, induci vix poterat, ut aliquid pecuniæ erogaret pro Musica, quæ fieri solita erat in sui Tituli Ecclesia, non quod Cantum Ecclesiasticum improbaret, quem apprime callebat, sed quod æquo animo ferre non posset, divina Officia modis theatralibus contaminari, reditusque Ecclesiæ, qui pauperum sunt, in hujusmodi homines, qui Musicam profitentur, multisque iccirco abundant divitiis, impendi, ut ipsemet mihi non semel contestatus est.

## §. XII.

**Idem quoque Cantores, & Musici observent, ne vocum harmonia, quæ ad pietatem augendam ordinata est, aliquid levitatis, aut lasciviæ præseferat, ac potius audientium animos a rei divinæ contemplatione avocet; sed sit devota, distincta, intelligibilis.**

## COMMENTARIUS.

I. Siquid duriuscule in superiori Commentario dictum est, non quidem contra Cantum Ecclesiasticum antiquitus in Ecclesiis receptum, & laudabiliter institutum, sed contra hodiernæ Musicæ abusum, & Musicorum nostri temporis dictum est; quos, uti vidimus, & pii Scriptores, & sacræ Synodi, & Summi Pontifices repetitis Constitutionibus, atque Edictis sugillant, quia scilicet primitivæ Ecclesiæ Musicam, ad augendam pietatem ordinatam, & a Patribus probatam novis adinventis modulis fœdarunt, animosque audientium a rei divinæ contemplatione avocant. Qualis fuerit Musica primitivæ Ecclesiæ, docet nos inter alios S. Isidorus Episcopus Hispalensis Lib. V. *De Ecclesiasticis Officiis*, Cap. V. ubi ita inquit: *Primitiva Ecclesia ita psallebat, ut modico flexu vocis faceret psallentem resonare, itaut pronuncianti vicinior esset, quam canenti.*

II. Apostolos sequuti sunt primi illi Ægypti Patres, eosque, teste Cassiano Lib. II. *De institutione Cœnobitarum*, Cap. V. dum de psallendi modo, Psalmorumque numero ambigerent, & varias ipsi super hac re sententias proferrent, *ab Angelo edoctos fama est, ut duodecim Psalmos parili pronunciatione, & simplicis vocis tenore deinceps, ut ipse cecinerat, canerent.* Qui mos, ut scite observat doctissimus Caracciolus ad Constitutiones sui Ordinis Clericorum Regularium, quos Theatinos vocant, Parte I. Cap. I. Num. X. non in Monasteriis modo, sed etiam in Cathedralibus Ægypti Basilicis diu viguit. Nam de Alexandrino Patriarcha S. Athanasio ita scribit S. Augustinus Lib. X. Confessionum Cap. XXXIII. *Tutius mihi videtur, quod de Alexandrino Episcopo Athanasio sæpe mihi dictum commemini; qui tam modico flexu vocis faciebat sonare Lectorem, ut pronuntianti similior esset quam canenti.*

III. Eundem servasse canendi ritum Ecclesias Africanas Catholicas, Donatistas autem contra cum multo melodiæ apparatu cecinisse Psalmos, testatur idem Augustinus in Epistola CXIX. ad Januarium sic scribens: *In hac re tam utili ad movendum pie animum, & accendendum divinæ dilectionis affectum varia consuetudo est. Pleraque in Afri-*



Digitized by Google

*Africa Ecclesiæ membra pigriora sunt; itaut Donatistæ nos reprehendant, quod sobrie psallimus in Ecclesia divina Carmina Prophetarum.* Hanc pervetustam Ecclesiæ disciplinam servant hodie Clerici Regulares, quos vocant Theatinos, nulla enim Musica, vel Cantus modulatione, nec in Missis quantumvis solemnibus celebrandis, nec in quibusvis Horis Canonicis recitandis in Ecclesiis suis utuntur.

IV. Sed ut antiqui Cantus progressum persequamur, tametsi primis tribus seculis cum adhuc in venis fidelium, ut loquitur Martenius, *De Monachorum ritibus* Lib. I. Cap. II. Num. L. pro nobis effusus Christi sanguis ferveret; Psalmi ita modico vocis flexu decantarentur, ut pronuncianti vicinior esset psallens, quam canenti; refrigescente tamen postmodum charitate, ad excitandam Christianorum Fidem, & devotionem cum suavi vocis modulatione divina celebrari cœperunt officia, timuit enim Ecclesia, ne teneræ aliquot Fidelium mentes hæreticarum cantillationum mulcedine inescatæ, a recta Fide descisserent. Rem ita narrat Nicephorus Libro IX. *Historiæ*, Cap. IX. *Cum jam per tria a Christo nato secula simplex cantus, sive potius recitatio nullo modulationis fuco permista, Christi populos nutrivisset; ecce tibi Harmonius quidam Bardesani hæresiarchæ hæreticus filius, mali corvi malum ovum cum sua prava dogmata Musicis numeris includeret, & multi ex Syris propter verborum venustatem, & sonorum suavitatem demulsi paulatim hæresim imbiberent; B. Ephræm ea re cognita, carmina Catholicam Fidem resonantia veneficis Harmonii versibus opposuit, clavo scilicet clavum trudens. Ea itaque suavi vocum, sonorumque flexu accommodata Syris audienda præbuit, & canenda; ab eoque posteriores Ecclesiæ Cantores modulorum formulas mutuati, magis, atque magis eas auxerunt, & propagarunt.* Hæc Nicephorus.

V. Non ita multo post Flavianus Antiochiæ, Chrysostomus Constantinopoli, Ambrosius Mediolani musicos canendi modulos admittere sunt coacti adversus virulentas hæreticorum cantilenas, uti ex Cassiodoro Lib. V. Cap. XXXII. Georgio in Vita Chrysostomi, & Augustino Lib. IX. Cap. VII. observat superius laudatus Caracciolus, notans præterea, etiam veteri Hebræorum Synagogæ fuisse permissa instrumenta musica, ut Judæi ab Idolorum sanis avocarentur, quemadmodum Theodoretus Cyri Episcopus in Psalmum L. abunde testatur. Permissa est itaque musica modulatio, non quidem injuncta, aut præcepta, quippe lacti similior, quam solido cibo, ac proinde necessitati serviens, sed honestæ voluptati, ut Augustinus ipse fatetur alioqui sacræ Musicæ addictissimus, ubi Lib. X. Confessionum, Cap. XXXIII. scribit, se iccirco probare suavem, & harmonicum Ecclesiæ concentum, *ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis exurgat.*

VI. Idipsum jam ante S. Augustinum docuit S. Basilius Homilia I. in Psalmum I. sic inquiens: *Quando Spiritus Sanctus nos vidit ægre persuaderi ad complexum virtutis, ac proinde ad ineundam vitæ rectitudinem propter hoc lentescere, quod toti ad consectandam voluptatem propenderemus, quid fecit? nimirum Scripturæ suæ dogmatibus mixtim insperſit concinnam istam numerorum modulationem, ut auribus permulctis, ac delinitis medio vocum concentu, clam velut aliud agentes sineremus in animos nostros irrepere eloquiorum utilitatem.* Pleraque in hanc sententiam habent Chrysostomus in Præfatione ad Psalmum XLI. Severinus Boethius, *De Musica*, Amalarius Fortunatus Lib. III. *De Officiis*, Cap. XI. aliique complures. Quicquid sit, dici vix potest, quanta hujusmodi cautui vis insit ad emolliendum, atque excitandum ad pietatem, atque compunctionem. Id plane expertus fuerat memoratus S. Doctor Augustinus, cum Lib. IX. Confessionum, Cap. VI. ita scripsit: *Quantum flevi in hymnis, & canticis tuis, suave sonantibus Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquebatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat affectus pietatis, ac currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.*

VII. Mirabilem effectum cantus hujus melodici, qui alias gravis erat, & Ecclesiasticus, exponit idem Augustinus Libro X. Confessionum, Cap. XXXIII. ubi hæc habet: *Verumtamen cum reminiscor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ, in primordiis recuperatæ fidei meæ, & nunc ipsum, cum moveor non cantu, sed rebus, quæ cantantur cum liquida voce, & convenientissima modulatione cantantur, magnum instituti hujus utilitatem rursus agnosco. Ita fluctuo inter periculum voluptatis, & experimentum salubritatis, magisque adducor, non quidem irretractabilem sententiam proferens, canendi consuetudinem approbare in Ecclesia, ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat.* Hæc ille recens Christo natus, & lactis indigus, qui etiam mox subjicit, delectari in Officiis divinis cantu magis, quam verbis, esse peccatum: *Tamen cum mihi accidit, ut nos amplius cantus, quam res, quæ canitur, moveat, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem.*

VIII. Constat itaque ex recitato Augustini loco, peccatum, & quidem grave ab iis incurri, qui Musicam præsertim hodiernam frequentant, ut Musici voce, ac gesticulatione, sonoque instrumentorum plus delectentur, quam verbis divinis, quæ cantantur, quæque vix percipi possunt; nisi dicamus, populum rudem delectari cantu, eoque tanquam vehiculo rapi ad Deum laudandum, gratiasque agendum pro beneficio, quod eo die recolitur, ideoque non peccare, quod non distinguit, an plus cantu, ac symphonia, quam divini beneficii memoria capiatur: non enim eo penetrat, quo acies S. Augustini, aut solertis Theologi. Quod siquis circa res spirituales exercitatos habens sensus, advertat se magis affici cantu, quam rebus, quæ canuntur, si potest, ordinem illum invertat; & si a natura est motus ille, & non humani arbitrii, studeat illo uti ad sui demissionem, cum eodem ipso Augustino, ita eodem

Digitized by Google

dem recitato superius loco clamante: *Tu autem Domine Deus meus, respice, exaudi, & vide, & miserere, & sana me, in cujus oculis mihi quæstio factus sum, & ipse est languor meus.* Quicquid sit, peccatum illud Augustini, vel cujuscumque alterius magis sono, quam rebus decantatis permoti non est, quam veniale, sicut illius, qui vehementiorem dolorem concipit de morte parentis, quam de Dei inimicitia; inordinatio enim illius delectationis posita est, ut loquuntur Scholastici, non in majori *appretiatione*, sed *intensione*; vel, uti explicat doctissimus Suarez, peccatum illud Augustini erat pœnale, idest pœna peccati, & indeliberatus concupiscentiæ motus, quam peccatum Apostolus vocat.

IX. Sed tametsi ita explicari possit duriuscula Augustini sententia ajentis pœnaliter eum peccare, qui plus cantu, quam re, quæ cantatur, movetur, non puto a gravi peccato excusari tum Musicos, qui indecori cantus modulationibus, modulisque theatralibus fidelium magis prurire auribus student, quam pios in Deum affectus excitare; tum ipsos fideles, qui turmatim ad Musicam illam accedunt, ubi cantus fracti, molles, effeminati, ac scenici theatralium more in Ecclesiis canuntur, in quibus etiam plerosque videas humeris Altari versis, nec ulla prius facta reverentia Sanctissimo Sacramento, vel Sancto, cujus Festum celebratur, nunc puellas salutare, & cum eis loqui, ac sedere, nunc Musicum contemplari, ejusque voce, & gesticulationibus rapi. Quin hæc peccata gravia sint, nemo profecto unquam negaverit; nec puto domum Dei, quæ domus orationis in Euangelio vocatur, turpiori prophanatione fœdari, quam hujusmodi Musica. Dici enim potest, quod aliquando vicem sui ævi dolens ajebat S. Chrysostomus: *Nonnulli securius, quam in foro mulieres illic*, in Ecclesia scilicet, & præsertim ubi scenici cantus resonant, *libidinis causa prosequuntur, obscenisque, & inhonestis verbis, & signis utuntur. Siquis corrumpere matronam conatur, locum hunc maxime idoneum putat.*

X. Ad Cantores, & Musicos, quod attinet, cautum est quidem ex hoc nostro §. ut illud observent, *ne vocum harmonia, quæ ad pietatem augendam ordinata est, aliquid levitatis, aut lasciviæ præseferat, ac potius audientium animos a rei divinæ contemplatione avocet.* Corde magis debere Cantorem, quam ore canere, ut per aures in mente trajiciatur veræ pietatis, & compunctionis sensus, edicit S. Isidorus Lib. II. *De officiis*, Cap. XII. *Vox ejus Christianam simplicitatem demonstret in ipsa modulatione, quæ non musica, vel theatrali arte redoleat, sed quæ compunctionem magis audientibus faciat.* Synodus Aquisgranensis tales eligi in Ecclesia mandat Cantores, ac Musicos, qui non superbe, sed humiliter, & sapienter debitas Domino laudes persolvant, & suavitate lectionis, ac melodiæ, & doctos demulceant, & minus doctos erudiant, potiusque exoptent in lectione, vel cantu populi ædificationem, quam popularem vanissimam adulationem. Concilium Mediolanense I. a sancto Carolo anno MDLXV. celebratum, Cap. *De Musica, & Cantoribus*, districte mandat, ut *cantus, & soni graves sint, pii, ac distincti, & domui Dei, ac divinis laudibus accommodati, ut simul, & verba intelligantur, & ad pietatem auditores excitentur.* Id plane est, quod Rubricas nostri hujus §. inculcat, ubi ait, ut Musica *sit devota, distincta, & intelligibilis.*

XI. Queritur nihilominus Stephanus Durantus Scriptor doctus æque ac pius, Lib. III. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. XXI. Num. XI. quod *in Ecclesiis Musici, qui Cantorum vice funguntur, hominum omnium dissolutissimi sunt, adeout adagium populo dederint*, Musice vivere, *hoc est, dissolute, & effeminate.* Hos e Choro dejici optabat Lindanus, cujus locum in Commentario superiori attulimus; optabat item, in Ecclesiis Cathedralibus eligi Cantores Psalmorum intelligentes, & Deum vita simul, & voce moderata potius quam incondito garritu laudantes; monebatque præterea religiosissimus Cornelius Musus eximius Theologus, & Concionator sui temporis, in Sermone, *De Psalmodia*, Cantores, seu Musicos, quoties Museum ascendunt, orationem præmittere ad Dominum, ut det illis vocem in sua ipsorum ora bene sonantem, præcipue vero, ut sursum habeant cor ad Dominum, & illud placeat cordi, quod cantant ore, ne Deus indignatus dicat illis: *Quare cantatis justitias meas, & assumitis verba mea per ora vestra?*

XII. Si veterem Romanæ Ecclesiæ disciplinam inspiciamus, explicari satis nequit, quanta diligentia in Cantorum institutione adhiberetur. S. Gregorius Magnus, quo Romanos etiam inter Pontifices nemo tam alte se in Theologicorum Dogmatum penetralia, æternorumque contemplationem demersit, haud evilescere arbitratus est summæ in terris, sanctissimæque dignitatis majestatem, Regnumque ipsum Sacerdotii, si pueris cantum Ecclesiasticum edocendis ipsemet incumberet: *Propter musicæ compunctionem dulcedinis, Antiphonarium centonem Cantorum studiosissimus nimis utiliter compilavit. Scholam quoque Cantorum, quæ hactenus ejusdem institutionibus in Sancta Romana Ecclesia modulatur, constituit, eique cum nonnullis prædiis duo habitacula, scilicet, alterum sub gradibus B. Petri Apostoli, alterum vero sub Lateranensis Ecclesiæ Patriarchii domibus fabricavit. Usque hodie lectus ejus, in quo recubans modulabatur, & flagellum ipsius, quo pueris minabatur, veneratione congrua, cum authentico Antiphonario reservatur.*

XIII. Hæc Joannes Diaconus in Vita S. Gregorii Lib. II. Cap. VI. quam scripsit labente Seculo IX. ubi etiam Cap. VII. mox subdit, Francos, Germanosque Romani cantus æmulatos fuisse suavitatem, sed attingere ad ejus perfectionem haud potuisse, tum propter additamenta quædam sua, tum etiam quod nativam quandam vocis suæ asperitatem mollire non ita potuerint, ut desiderabatur: *Hujus modulationis dulcedinem inter alias Europæ Gentes Germani, seu Galli discere, crebroque rediscere insigniter potuerunt; incor-*

Digitized by Google

*incorruptam vero, tam levitate animi, quia nonnulla de proprio Gregorianis cantibus miscuerunt, quam feritate quoque naturali servare minime potuerunt*. Lepidum est, quod in hunc locum notat doctissimus alias Gallus Thomassinus Parte I. *Disciplinæ*, Lib. II. Cap. XXXI. Num. IX. nempe non posse hoc quod ait Joannes Diaconus, nisi ad ævum suum, aut aliquanto superius pertinere, de postera autem ætate nihil ipsum rescire potuisse.

XIV. Quemadmodum, uti sexcenties ostensum est, reliquos ritus pene omnes, ita & cantum ceteræ Ecclesiæ a Romana omnium matre accepere. Docet Beda in Historia Gentis Anglorum Lib. II. Cap. ultimo, Eboracensem Ecclesiam absente Episcopo, diu administratam fuisse a Jacobo Diacono, qui doctrina, pietate, zelo, & prædicatione, dum sæviret adversus eam Gentem persecutio, ad Christi fidem convertit, sacroque fonte abluit; tum vero pace Ecclesiis reddita, cum Ecclesiastici Romani cantus peritissimus esset, cantu ipso Romano cœpit fideles mulcere, & ad æternorum amorem accendere: *Reliquerat Paulinus in Ecclesia sua Eboraci Jacobum Diaconum Virum utique Ecclesiasticum, & sanctum, qui multo ex hinc tempore in Ecclesia manens magnus antiquo hosti prædas docendo, & baptizando eripuit; qui quoniam cantandi in Ecclesia erat peritissimus, recuperata postmodum pace, in Provincia crescente numero fidelium, etiam Magister Ecclesiasticæ cantionis, juxta morem Romanorum, seu Cantuariorum, multis cœpit existere*.

XV. Theodorus quoque fama ille notissimus, Vita, & Scriptis celebris, Archiepiscopus Cantuariensis, Auctore eodem Beda Lib. IV. Cap. II. Angliam omnem, & doctrina, & Psalmodia Romana locupletavit: *Et quicumque lectionibus sacris cuperent erudiri, haberent in promtu Magistros, qui docerent, & sonos cantandi in Ecclesia, quos eatenus in Cantia tantum noverant, ab hoc tempore per omnes Anglorum Ecclesias*. Ante ceteros autem omnes ille ipse Visfridus Episcopus, Fidei, & Catholicæ disciplinæ zelo de Ecclesia Anglicana optime meritus, Romano, & Cantuariensi cantui, rituique strenue etiam operam dedit, ut per Angliam omnem propagaretur: *Qui primus inter Episcopos, qui de Anglorum Gente essent, Catholicum vivendi morem Ecclesiis Anglorum tradere didicit*. Testatur præterea memoratæ Anglicanæ Historiæ Scriptor Lib. V. Cap. XX. Wilfridum Monachum adhuc florente juventa Romam profectum esse, ut ibi perdisceret puriores leges pietatis, fidei, & cantus; *In Monasterio cum aliquot annos Deo serviret, animadvertit adolescens animi sagacis, minime perfectam esse virtutis viam, quæ tradebatur a Scotis, proposuitque animo venire Romam, & qui ad Sedem Apostolicam Ritus Ecclesiastici, sive Monasteriales servarentur, videre*.

XVI. Romam cum ipso Wilfrido petiit quoque & Acca adhuc & ipse adolescens, multaque illic, quæ in Patria nequiverat, Ecclesiæ sanctæ institutioni utilia didicit, uti idem Beda narrat Cap. XXI. ubi etiam ait, eundem Accam, Ecclesiastici Romani Cantus peritissimum, qui Wilfrido in Episcopatu successit, non dedecorari Episcopatum existimasse, cum factus Episcopus Cantoris officio fungeretur, cantumque Clericos edoceret. Multa afferri ea in re possent exempla, sed audiamus iterum Bedam Synodum nobis narrantem Lib. IV. Cap. XVIII. quam Theodorus Cantiæ Archiepiscopus habuit, in qua deinde plura quæ ad rem pertinent, observabimus: *Intererat huic Synodo*, inquit, *pariterque Catholicæ Fidei Decreta firmabat Vir Venerabilis Joannes Archicantor Ecclesiæ S. Petri, & Abbas Monasterii B. Martini, qui nuper venerat a Roma, duce reverendissimo Abbate Episcopo, quatenus in Monasterio suo cursum canendi annuum, sicut ad sanctum Petrum Romæ agebatur, edoceret. Egitque Abbas Joannes, ut jussionem acceperat Pontificis, & ordinem videlicet, ritumque canendi, & legendi, viva voce præfati Monasterii Cantores edocendo, & ea, quæ totius anni circulus in celebratione dierum Festorum poscebat, etiam literis mandando, quæ hactenus in eodem Monasterio servata, & a multis jam sunt circumquaque transcripta. Non solum autem idem Joannes ipsius Monasterii Fratres docebat, verum de omnibus pene ejusdem Provinciæ Monasteriis ad audiendum eum, qui cantandi erant periti, confluebant*.

XVII. In recitato hactenus Bedæ loco, ut scitissime observat Thomassinus, versatur primo ob oculos Archicantor Ecclesiæ sancti Petri Romæ, eodemque tempore Abbas Monasterii sancti Martini ejusdem Urbis. Ex quo intelligimus, quanto in honore esset ea dignitas, cum vel maxime eidem Archicantori ea provincia mandata sit, ut statum, & fidem Ecclesiæ Anglicanæ exploraret, & de ea ad Papam referret. Id enim testatur Beda, ubi eodem loco ait, quod Joannes ipse Archicantor *in mandatis acceperat ab Apostolico Papa, ut cujus esset fidei Anglorum Ecclesia, diligenter edisceret, Romamque rediens referret*. Ea de causa habitum est in Anglia Concilium, cui affuit ipse, ejusque Acta Romam secum detulit. Secundo, quod & observatu dignum est, Abbatem Monasterii eundem, Archicantorem fuisse Basilicæ sancti Petri in Urbe. Appellabatur etiam Archicantor, *Scholæ Cantorum Parisiensis*, qui posterioribus etiam seculis appellari cœpit *Magister Capellæ*, & eligi extra ordinem de Viris Ecclesiasticis primæ notæ, præsertim Episcopis, & Abbatibus insignium Cœnobiorum, uti recte observat doctissimus Petrus Morettus in aurea Lucubratione, *De Presbyterio*, Parte I. Sectione VI. §. I. in Nota, probatque ex testamento Philippi Cardinalis de Alenconio, ubi *Abbas S. M. de Rivaldis* dicitur Pontificiæ *Capellæ Magister*. Floruit Alenconius labente Seculo XIV. ejusque testamentum ex ms. Codice S. Mariæ Transtyberim edidit laudatus Morettus in Appendice III. ad ipsum Opus, *De Presbyterio*, Documento IV.

XVIII. Ex hactenus dictis illud colligimus, Abbates, Episcopos, Summosque ipsos Pontifices laudi sibi, & honori duxisse, si ipsi canerent, aliosque docerent canere, & in disciplinis Ecclesia-

Digitized by Google

clesiasticis erudirent, ne scilicet, ut postea factum est, voce Cantores abuterentur sua, cantumque ad pietatem augendam ordinatum, vanissimis additamentis, modulisque theatralibus fœdarent, atque confunderent. Certe Seculo XVI. vel ipsius Pontificiæ Capellæ adeo Musica fœdata erat, atque confusa, ut parum abfuerit, quin Marcellus II. Pontifex Maximus ipsam omnino a functionibus Ecclesiasticis tolleret, nisi Joannes Petrus Aloysius Prænestinus ipsam Musicam reformasset, ut testatur Andreas Adami ejusdem Pontificiæ Capellæ Magister, in Præfatione historica Operis, quod Italico Idiomate scripsit de bene regendo Choro Capellæ Pontificiæ, Pag. 11. & infra in Catalogo Cantorum ejusdem Capellæ Pag. 171. Optandum itaque, ut ad imitationem ipsius Musica in aliis Ecclesiis reformetur, solique cantus, ac soni in divinis Officiis audiantur, qui graves sint, pii, ac distincti, & domui Dei, ac divinis laudibus accommodati, ut simul & verba intelligantur, & ad pietatem Auditores excitentur; eo enim fine introducta est in Ecclesiam Musica, uti ex Sanctis Patribus, & Conciliis ostendimus. Idipsum jubent Romani Pontifices, & Rubrica nostri hujus §. ex cujus præscripto debet Musica esse *devota*, *distincta*, *& intelligibilis*.

## §. XIII.

**In Missis, & Officiis Defunctorum, nec Organo, nec Musica, quam figuratam vocant, utimur, sed cantu firmo, quem etiam tempore Adventus, & Quadragesimæ, in ferialibus diebus convenit adhiberi.**

## COMMENTARIUS.

I. QUoniam, ut ait Ecclesiasticus, Cap. XXII. *Musica in luctu importuna narratio*, merito Ecclesia in Missis, & Officiis Defunctorum nec Organo, nec Musica, quam figuratam vocant, utitur, sed cantu firmo, quem etiam tempore Adventus, & Quadragesimæ in ferialibus diebus convenit adhiberi, ut §. hic noster edicit, cui etiam concinit Crassus Lib. I. Cap. XVII. in fine; quia scilicet Adventus, & Quadragesima sunt tempus luctus, & pœnitentiæ, ideoque Organum, & Musica figurata, adhiberi minime debent. Sed hæc disciplina præsertim de non adhibendis Organo, & Musica in exequiis Defunctorum vix hodie servatur vel ab ipsis infimæ plebis hominibus, qui tametsi ære alieno gravati, & non habeant, quid manducent, volunt nihilominus Defunctorum suorum exequias cum pompa celebrari, & Missam cum Organo, & Musica, & cum aliis etiam alicubi instrumentis cani.

## CAP. XXIX.

*Episcopus Missam privatam celebraturus, ex ipso Altari sumit paramenta. Quæ, & ubi præparanda a Capellanis pro ipsius Missæ celebratione. Utatur paramentis coloris tempori congruentis, Munia Capellanorum in eadem Missa. Pacis osculum cum instrumento, per primum ex Capellanis deferatur Cardinali, Prælato, aut Principi, hujusmodi Missam audienti. Liber Euangelii, quo Episcopus in celebratione Missæ utitur, nemini osculandus deferatur, sed alius Euangelii liber. Quoties Episcopus in hac Missa lavet manus. Paramenta deponenda ante Altare.*

## §. I.

**Cum Episcopus celebrabit Missam, convenit, ut paramenta Missæ non de Sacristia, sed ex ipso Altari, in quo celebrabit, ordine disposita accipiat, postquam, aliquo ejus familiari ministrante, laverit manus.**

## COMMENTARIUS.

I. SI genuina sunt S. Andreæ Apostoli Acta, testatam ipsa nobis faciunt fidem, Apostolum ipsum Andream quotidie in Altari Sacrificium incruentum celebrasse: *Ego*, inquit, *Omnipotenti Deo, qui unus, & verus est, immolo quotidie non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum, & cujus carnem, postea quam omnis populus credentium manducaverit, agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat, & vivus*. Contendit nihilominus Martenius Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. III. Articulo III. Num. I. ob frequentes tyrannorum persecutiones, quibus Christianis in unum conveniendi, uti necesse erat, facultas

Digitized by Google

cultas denegabatur, non omni die peractam fuisse Liturgiam, sed die solum Dominico, probatque ex Apostolo I. ad Corinthios, Cap. XVI. ubi præcipit, ut per unam Sabbati, idest, primam Sabbati, seu Dominico die, Collectæ fiant, & ex S. Justino Martyre, qui in Apologia II. agens de Christianis conventibus solius meminit Dominicæ.

II. Quidquid autem sentiat Martenius, certum illud est, etiam sæviente tyrannorum persecutione in Christianos, consuevisse olim ab Episcopis zelosioribus indesinenter, & quotidie Sacrificium celebrari. Id enim de se, & aliis sui ævi Episcopis non uno in loco testatur S. Cyprianus Carthaginensis Episcopus, cujus quidem præclarissimus locus est ille, qui legitur in Epistola LIV. ad Cornelium, ubi ita inquit: *Episcopatus nostri honor grandis, & gloria est, pacem dedisse Martyribus, ut Sacerdotes, qui sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo, & victimas præparemus*. Celebris quoque est locus, qui exstat in Epistola LXIX. ejusdem sanctissimi Præsulis, ac Martyris ad Florentium Pupianum, ubi hæc habet: *Deo, & Christo ejus, quibus servio, & quibus puro, atque immaculato ore Sacrificia, & in persecutione pariter, & in pace indesinenter offero &c.* Omitto alia loca, quæ afferri possent.

III. Urgente paganorum persecutione tametsi nec in Ecclesiis, nec in privatis ædibus ulla superesset celebrantibus securitas, peragebant nihilominus Episcopi in cryptis subterraneis, sanctorumque Martyrum sepulcris sacros conventus, uti vetera monumenta nos docent, & Acta præsertim S. Stephani Papæ & Martyris apud Surium die II. Augusti, quæ testantur, eum non solum *in cryptis Martyrum assidue Missas, & Concilia celebrasse, sed etiam ibi dum Missarum solemnia perficeret*, ei in Sede sua caput abscissum fuisse. Id quod confirmat Martyrologium Romanum dicta die II. Augusti his verbis: *Romæ in Cœmeterio Callisti, S. Stephani Papæ, & Martyris, qui in persecutione Valeriani dum Missæ sacrificium perageret, supervenientibus militibus ante Altare intrepidus, & immobilis cœpta mysteria perficiens, in Sede sua decollatus est*.

IV. Data per Constantinum Imperatorem universæ Ecclesiæ pace, addubitari nequit, quin Episcopi præsertim quotidie Missam celebrarent una cum Presbyteris, & reliquis de Clero Ecclesiæ suæ, uti jam fuse non uno in loco Operum nostrorum ostendimus, & supra etiam in Commentariis ad Cap. XI. Sed ut omittam hic varia ejus disciplinæ exempla jam alias enarrata, vetera quædam monumenta afferam, quibus docemur sanctos Præsules consuevisse olim Missam quotidie dicere, imo cantare. Certe Licinium Andecavorum Episcopum *quotidie Missam cum ingenti cordis compunctione cantasse*, ex ejusdem Actis affirmat Mabillonius in Præfatione ad II. Seculum Benedictinum Num. XXXVI. Idem observavit S. Gregorius Magnus in Libro Dialogorum, Cap. LVI. de Cassio Narniensi Episcopo, *qui quotidianum offerre consueverat Deo Sacrificium*. Teste Ignatio Monacho apud Surium die XXV. Februarii Num XLVI. Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus etsi ultimo eo conflictaretur morbo, quo mortalis vitæ clausit curriculum, quotidie tamen sacra celebrabat Mysteria æstu quodam charitatis abreptus, ut tum corporis ægritudinem aut vinceret, aut non sentiret.

V. Neque vero unam solam, sed etiam plures consuevere olim Episcopi Missas celebrare, & quidem etiam cum cantu. Id sane testatur Auctor Vitæ S. Udalrici Augustani Episcopi, ubi de ipso sic inter alia inquit: *Missas autem tres, vel duas, aut unam, secundum spatium temporis cantare, quotidie non desiit, si infirmitas corporis, aut aliquid studium bonum ei non subtraxit*. Refert Walafridus Strabo in Libro, *De rebus Ecclesiasticis*, Cap. XXI. idque fidelium relatione virorum se accepisse tradit, *Leonem Papam, sicut ipse fatebatur, una die* VII. *vel* IX. *Missarum solemnia celebrasse; Bonifacium vero Archiepiscopum, & Martyrem semel tantum per diem Missas fecisse*. Narrat mox idem, diversitatem ea in re inter Sacerdotes etiam quos vocant simplices non minimam obtinuisse: *Quia talis est*, inquit, *qui semel tantum in die celebrare velit..... Alius vero bis, ter, vel quoties libet eadem Mysteria in die iterare congruum putat, credentes tanto amplius Deum ad misericordiam flecti, quanto crebrius Passio Christi commemoratur*. Sed huic Sacerdotum devotioni, sive avaritiæ, non pauci enim pluries in die ob quæstum Missas dicebant, limitem tandem fixit Alexander Papa II. ubi decrevit, ne plusquam una in die Missa ab uno Sacerdote celebraretur, edito hoc Canone, quem refert Gratianus, *De consecratione*, Distinctione I. *Sufficit Sacerdoti unam Missam in die una celebrare, quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit. Non modica res est unam Missam facere, & valde felix est, qui unam Missam dignam celebrare potest*.

VI. Recte notat Martenius Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. III. Articulo III. Num. IV. prope finem, istius Canonis, seu Decreti Alexandrum Papam II. non tam auctorem, quam restauratorem dicendum esse, utpote quod ipsissimis illius verbis expressum reperiatur in Excerptis Egberti, Cap. LIV. qui illud confirmat non modo Christi exemplo, qui semel tantum pro peccatis nostris mortuus est, sed etiam veteris Testamenti auctoritate; nam *in Levitico quoque*, inquit, *scriptum est, non debere Aaron ingredi assidue interius in Sancta*. Porro ad ipsum Decretum alludere videtur Auctor vitæ S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, Cap. XI. ubi ita ait: *Scripta Canonica sicut nec jubent, nec inhibent, nec dissuadent, aut suadent, ut Sacerdos quotidie offerat, sed hoc testantur, quod una die semel offerre sufficiat, quemadmodum & semel oblatus est Christus. Illum vero valde felicem prædicant, qui in die una digne celebret. Illos autem in præsentiarum nec memoratu dignos, non Christi, sed mammonæ Sacerdotes prætereo, qui propter oblationum quæstum unam Christi, & semel oblatam Hostiam quotidie non semel, sed libentius iterum*

non

Digitized by Google

*non tam consecrant, quam dilaniant, Filium Dei quæstui habentes, & ostentui.*

VII. Quidquid sit de reliquis Sacerdotibus, quorum aliqui quæstus nonnisi gratia quotidie celebrant Missam, & alii vix quater, vel quinquies in singulos annos, quia scilicet pinguibus Beneficiis, pensionibusve Ecclesiasticis abundant; certe debent Episcopi tum ex veteri Ecclesiæ disciplina, tum ex sacris Canonibus, ac Summorum Pontificum Decretis Missam quotidie celebrare, vel saltem audire; uti constat ex Cap. *Quoniam* XII. *De privilegiis*, in VI. ubi etiam eam ob causam Bonifacius Papa VIII. illis concedit Altare viaticum, seu portatile, in quo privatis in locis, & dum iter agunt, celebrare possint, vel sibi facere celebrari. Quod quidem Episcoporum privilegium nequaquam per Concilium Tridentinum sublatum est, nam Sacra Concilii Congregatio die IX. Junii anni MDLXXXVI. declaravit, posse Episcopos sicut antea uti Altari portatili tam in itinere, quam in infirmitate, teste Alzedo, *De Episcopis*, Parte I. Cap. XIII. Num. IV. ubi alios Auctores citat.

VIII. Licet autem Clemens Papa XI. die XV. Decembris anni MDCCIII. contra usum Altaris portatilis, & Missarum celebrationem in Oratoriis domesticis Decretum ediderit, quo inter alia statuit, Episcopis etiam, & his majoribus Prælatis, etiam Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub prætextu privilegii clausi in corpore juris, neque alio quoque titulo, nullo modo licere extra Domum propriæ habitationis, in domibus laicis etiam in propria Diœcesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi Diœcesani consensus adhiberetur, erigere Altare, ibique sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, sive celebrari facere; extat tamen Constitutio Innocentii Papæ XIII. super Ecclesiastica disciplina pro Regnis Hispaniæ anno MDCCXXIII. edita, & a Benedicto XIII. anno MDCCXXIV. alia sua Constitutione, quæ incipit, *In supremo*, confirmata, in qua declarat, prohibitionem Clementis Papæ XI. non esse intelligendam de Domibus etiam laicis, in quibus ipsi Episcopi forte occasione Visitationis, vel itineris hospitio excipiantur, ut nec etiam quando Episcopi in casibus a jure permissis, vel de speciali Sedis Apostolicæ licentia absentes a Domo propriæ ordinariæ habitationis moram iccirco faciant in aliena Domo per modum similis habitationis: his enim casibus ait in sua Constitutione Innocentius ipse XIII. licitam iis esse erectionem Altaris ad effectum prædictæ celebrationis non secus, ac in Domo propriæ ordinariæ habitationis. Hanc declarationem retulit deinde confirmavitque Benedictus XIII. in sua Lateranensi Synodo MDCCXXV. Tit. XV. Cap. III.

IX. Ex his licet conjicere, concessum etiam fuisse Episcopis privilegium Altaris portatilis ob eam causam, ut scilicet quotidie celebrare possint Sacrificium Missæ, tametsi in itinere, & in aliena Domo versentur, vel etiam in propria, si tamen aliquo impedimento detineantur, quo minus ad Ecclesiam pergere non valerent. Recte enim Episcopos monuit in sua Provinciali Mediolanensi IV. Synodo S. Carolus, Parte III. Cap. I. ut *Missæ Sacrificium frequentius celebrare studeant*. Tum vero postquam dixit, ut Dominicis, festisque diebus præstare id minime omittant, ita statim subjicit: *Hoc vero ipsum facere curent crebrius in Ecclesiis, quam in privatis Oratoriis*; ut nimirum inde populi edificentur videntes Pastorem suum preces & sacrificia ad Deum pro ipsis offerre. Egregium hoc exemplum dedit non semel Benedictus XIII. hodieque regnans Pontifex BENEDICTUS XIV. qui veteris & ipse disciplinæ Ecclesiæ custos, & vestigia premens religiosiorum Pontificum frequenter Ecclesias visitat, in iisque Missæ Sacrificium celebrat.

X. Sive autem Episcopus in Ecclesia, sive in Oratorio domestico Missam celebret, privatam scilicet, *convenit*, ait hic §. noster, *ut paramenta Missæ non de Sacristia, sed ex ipso Altari, in quo celebrabit, ordine retrogrado disposita accipiat*; nisi scilicet ibi sit Sanctissimum Sacramentum expositum, tum enim paramenta in Sacristia sumet, uti notat Bauldryus Arte V. sui Manualis Cap. XXIX. Num. I. & alii, quos supra laudavimus. Accipiet autem ipsa paramenta, *postquam aliquo ejus familiari ministrante laverit manus*. Præmissa enim semper fuit Sacrificio manuum lotio vel ab ipsis Ethnicis ex quodam naturæ instinctu, uti de Græcis, & Ægyptiis testatur Herodotus in Euterpe, & de Romanis Tibullus Libro II. Elegia I.

*Casta placent superis, pura cum veste venite,*
*Et manibus puris sumite fontis aquam.*

Euclio item apud Plautum in Alularia Actu IV. Scena II. *Nunc lavabo*, inquit, *ut rem divinam faciam*.

XI. Eadem Religio Hebræis fuit, legimus enim Cap. XXX. Exodi, positum in Templo labrum æneum cum aqua, ut quando Sacerdotes ingressuri erant Tabernaculum Testimonii, & accessuri ad Altare, manus antea lavarent. Simile vas ad eundem finem, sed multo capacius in ingressu Templi posuit Salomon, quod mare æneum nuncupavit. Hinc morem ad Cristianos fluxisse ait Eruditissimus Joannes Bona Cardinalis Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. I. Num. V. & ante eum doctissimus Stephanus Durantus Lib. II. *De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. XXVIII. ut Canthari aqua pleni, vel etiam fontes ante fores Templorum collocarentur, quatenus Sacrificia, vel preces oblaturi, puras ad Deum manus levarent, sicut Apostolus scripsit in Epistola I. ad Timotheum, Cap. III. & externa lotione internæ puritatis admonerentur: *Quæ ratio est*, ait Tertullianus in Libro de Oratione, Cap. X. *manibus quidem ablutis, spiritu vero sordente, orationem obire?* Eodem spiritu Anastasius Synaita in Oratione de sacra Synaxi adversus eos declamat, qui lotis quidem manibus, sed polluta conscientia Corpus Domini suscipiunt.

XII. Itaque ante manuum lotionem debet Episcopus, sicut & quilibet Sacerdos celebraturus Missam, mundare conscientiam a peccatis, si qui-



Digitized by Google

bus se gravatum senserit. Huc enim spectat, quod ait Tridentina Synodus Sessione XIII. Cap. VII. ubi agit de præparatione ad Eucharistiam: *Si non decet ad sacras alias functiones quempiam accedere, nisi sancte, certe, quo magis sanctitas, & divinitas cælestis hujus Sacramenti Viro Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia, & sanctitate ad id percipiendum accedat, præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus*: Qui manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini. *Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum*: Probet seipsum homo. *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod a Christianis omnibus etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessoris. Quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.*

XII. Postrema recitati hactenus Decreti verba, quibus dicitur, etiam a Sacerdotibus celebraturis præmittendam esse Confessionem sacramentalem, si se peccatorum conscios esse cognoverint, satis innunt, qualis complurium Sacerdotum ignorantia fuerit ante Synodum Tridentinum; putabant enim non esse obligatos confiteri, ut de Mediolanensibus refert Giussanus in Vita S. Caroli. Quod autem Synodus ait, licere Sacerdoti debite contrito, cum urget necessitas celebrandi, & deest copia Confessoris, cum conscientia peccati mortalis Sacris dare operam, ea scilicet lege, ut postea *quamprimum confiteatur*, cum quidam Casuistæ ab ea lege Presbyteros, de quibus agitur, eximere tentarint, ab Alexandro Papa VII. proscripti sunt, quippe qui hanc propositionem damnavit, quæ est trigesima octava: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum*. Sed cum quidam alii recentiores in Concilii Tridentini verbis præceptum agnoscerent, vim illius fictis explicationibus elidere conati sunt, ajentes illud *quamprimum*, non debere intelligi de quærenda statim Confessoris copia, nec de ea, quæ paulo post se se ultro offerat, sed dum Sacerdos suo tempore confitebitur. Verum & hoc commentum vanissimum explosit idem Alexander VII. dum hanc Numero XXXIX. damnavit propositionem: *Illa particula*, quamprimum, *intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur*.

XIV. Tandem quantopere sit Sacerdoti celebranti, ac præsertim Episcopo castitas, passim sancti Patres docent, & alii docti Scriptores, qui de sacrorum hominum continentia integros tractatus edidere. An nocturna illusio sine culpa eveniens sequentis diei celebrationem impediat, quæstio anceps est, in ejusque solutione dissident ab antiquis recentiores, sed nec illi quidem inter se conveniunt, uti scite notat inter alios eruditissimus Bona S. R. E. Cardinalis, Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. I. Num. IV. ubi regulam illam servandam probat, quam præscripsit S. Gregorius Magnus Lib. XII. Epistola XXXI. in responsione ad XI. interrogationem Augustini Episcopi Anglorum, quamque Gratianus Decreto suo inseruit Distinctione VI. Cap. I. ut nimirum quisque consideret, ex qua radice inquinatio illa processerit. Longior illa est, quam ut debeat hic tota transcribi, & utilius legi potest apud ipsum S. Gregorium. Porro de manuum lotione Sacrificio præmittenda a Celebrante, illud exciderat, Ecclesiam scilicet non conservasse manuum ablutionem ante Sacrificium tanquam cæremoniale veteris Legis præceptum, sed quasi ab Ecclesia institutum, sicut quiddam secundum se conveniens, uti docet S. Thomas III. Parte, Quæstione LXXXIII. Articulo V. ad I.

XV. Ubi Missam celebraturus Episcopus in sua Diœcesi Rocchetto cum Mozzetta indutus, & Mantelletto extra Diœcesim ante Altare aliquantum oraverit, Scutiferis, & Capellanis ministrantibus, deposita prius Mozzetta, seu Mantelletto manus abluet, mantile porrigente aliquo ex ipsius familiaribus. Paramentis omnibus induitur a prædictis Capellanis assistentibus, excepto Manipulo, qui ei imponitur ad brachium sinistrum in Confessione, quando dicit, *Indulgentiam, absolutionem &c.* & dum induitur, biretum in capite habebit, quod ei Capellanus aufert, cum accipit Amictum, Albam, & alia hujusmodi; putarem tamen, decere illud quammaxime, ut paramenta nudo capite acciperet, quia ad singula ipsorum orationes dicit ex veteri Ecclesiæ instituto. Mozzetta Episcopo celebrante in propria Ecclesia ex recepto usu, cujus meminit Castaldus in sua Praxi Lib. II. Sectione VIII. Cap. IX. reponitur expansa supra genuflexorium, itaut caputium sit versus Altare, ora vero circumcirca defluent; & cum inchoat Missam, eodem loco reponitur ipsius biretum. Extra Diœcesim Mantellettum reponent Familiares Episcopi complicatum supra aliquam mensam, vel alio loco congruo. Ad Rocchettum quod attinet, nequaquam illud ab Episcopo celebrante deponitur; etenim ex Rubrica Missalis Parte II. Tit. I. Num. II. Prælatus secularis, supra Rocchettum, Regularis vero ex ordine Monachorum, vel Fratrum Mendicantium supra Superpelliceum, Albam induit; qui tamen ritus a simplicibus Sacerdotibus passim negligitur.

## §. II.

Calix igitur, Missale, & alia necessaria, prout in Rubricis Missalis Romani, & Canone Pontificali, prius per aliquem ejus Capellanum, partim super ipso Altari, partim

Digitized by Google

tim ſuper aliqua menſula præparabuntur. Ideo valde conveniens eſſet, ut duos ſaltem Capellanos, Cottis mundis indutos, apud ſe miniſtrantes haberet, qui ea omnia diſponere ſciant, & poſſint.

## COMMENTARIUS.

I. CElebraturo Miſſam privatam Epiſcopo uti ex recepta Eccleſiæ praxi docent Sacrarum Cæremoniarum Scriptores, Calix, Miſſale, & Manipulus ſuper aliqua menſula, quam credentiam vocant, & alia, quæ ibi locari ſolent, ponentur, alia vero neceſſaria, veluti ſacra indumenta ſuper Altare per Sacriſtam, vel aliquem ex ipſius Epiſcopi Capellanis. Valde autem conveniens eſſet, *ut duos ſaltem Capellanos Cottis mundis indutos apud ſe miniſtrantes haberet, qui ea omnia diſponere ſciant, & poſſint*; & eum induere cum debitis reverentiis, & oſculis rerum, quas miniſtraturi ſunt, itaut ille, qui induit Epiſcopum, & accipit paramenta, partem anteriorem eorum habeat verſus ſe, & poſteriorem ad extra, ſed ſi ille, qui accipit ea immediate de Altari, illa miniſtraturus eſt alicui alteri Capellano, ſeu Miniſtro, partes poſteriores tenebit verſus ſe, & anteriores ad extra, uti inter alios docet Bauldryus Parte v. ſui Manualis, Cap. XXIX. Num. II. Eſſe hoc Epiſcopi privilegium, ut Miſſam celebraturus ſacras veſtes de Altari accipiat, jam alibi diximus.

II. Nomine Capellanorum, quorum hic §. noſter meminit, proculdubio non alii intelliguntur, niſi Presbyteri, verum ſi ii deeſſent, ex ſententia Craſſi Lib. II. Cap. XX. *ſupplebunt Clerici adulti habitu, tonſura, & qualitate irreprehenſibiles, qui modeſte, & reverenter abſque ſtrepitu Altaris, & rei divinæ miniſteria ſubibunt*. Certe ſi antiquos Canones conſulamus, volunt ipſi etiam ſimplici Sacerdoti celebranti non alium debere ad Altare inſervire, quam Clericum, imo duos, uti docet antiquus Decreti Gratiani Gloſſographus, qui in Commentario Canonis LXI. Diſtinctione I. De conſecratione, ubi dicitur, ut *nullus Presbyterorum Miſſarum ſolemnia celebrare præſumat, niſi duobus præſentibus, ſibique reſpondentibus*, quærens, utrum neceſſarium ſit, ut ſint duo Clerici, vel duo Laici, aut unus Clericus, & alter laicus, aut alter maſculus, & alter femina ſufficerent, reſpondet: *Satis videtur, quod debent eſſe duo Clerici*.

III. Idipſum probatæ Eccleſiæ diſciplinæ inhærens declaravit S. Carolus in ſua Diœceſana Mediolanenſi Synodo IV. Decreto XXVIII. *In Miſſæ etiam Sacro non laicus, ſed Clericus, qui Altari miniſtret, ſemper adhibeatur*. Deinde ſubjungit: *In omni igitur Parochiali Eccleſia illum talem Parochus habeat, ut eſt Provincialibus noſtris Conciliis præſcriptum*. Nec tantum in Eccleſiis Parochialibus, ſed etiam Capellis, & Oratoriis, Clericum, qui Sacerdoti miniſtret, conſtitutum eſſe vult; & niſi ſimilis Clericus fuerit, vetat, in iis ab ullo Sacerdote celebrari, niſi nominatim ſcripto facultatem expreſſam impetravit. Decretum S. Caroli ſequuta eſt Synodus Provincialis Aquenſis anni MDLXXXIII. Tit. *De celebratione Miſſæ*, ubi ita ſtatuit: *In celebratione Miſſæ Sacerdos ne ſe conferat ad Altare, niſi Clericum in decenti habitu, & cum Superpelliceo cum manicis ſibi inſervientem habuerit*. Et mox: *Quibus vero in locis propter inopiam Clericus ita commode haberi non poterit, caveat, ne celebret abſque hujuſmodi Clerico, niſi facultatem ab Epiſcopo ſcriptis impetraverit*.

IV. At vero cum inter Clericos nonnunquam inveniantur, qui huic ſacræ functioni obeundæ aut digni, aut convenientes non ſunt, decrevit idem S. Carolus in laudata Synodo, *Clericus ne Sacerdoti in Altari ante miniſtret, quam in illius miniſterii functione rite inſtructus ſit, & ab eo*, ſcilicet Magiſtro Cæremoniarum, *probatus*; & paucis interjectis: *Nec vero Eccleſiaſticus homo Cantoris, Sacriſtæ, Cuſtodis, Clerici in Miſſæ Sacro miniſtrantis munus, aliamve Eccleſiaſticam functionem in quavis Eccleſia ſuſcipiat, niſi illius uniuſcujuſque muneris in ea Eccleſia gerendi a nobis facultatem ſcriptam quotannis renovandam, vita etiam, ac moribus a nobis probatus impetrarit*. Ceterum neque id ſatis S. Carolo fuit, ut Miniſter eſſet Clericus, atque circa ſuum miniſterium vita, moribuſque probatus, ſed inſuper voluit, ut veſtitu exteriori ſe tanti miniſterii dignum exhiberet. Unde in Concilio Mediolanenſi IV. Provinciali Parte II. Cap. X. voluit, ut *Clericus Sacerdoti miniſtrans ſemper indutus ſit Superpelliceo puro, & mundo, eoque non lacero, neque ulla alia ratione indecenti. Si contrafecerit, tum ipſe, tum Sacriſta, tum Eccleſiæ Præfectus, tum Sacerdos etiam, qui ſibi miniſtrare permiſerit, plectatur arbitratu Epiſcopi*.

V. Hæc quidem miniſtrum ſpectant Miſſæ ſimplicis Sacerdotis, ex eiſque argumentum duci poteſt ad illos, qui inſervire debent Epiſcopo celebranti. Decet quammaxime, ut vita, & moribus probati ſint, mundis Cottis induti, & Sacerdotes, propius enim, quam alii ſimplicium Sacerdotum Miniſtri, Epiſcopo Sacris operanti ad Altare aſſiſtunt, Calicem præparant, & peracta communione tergunt, & ab Altari ad credentiam deferunt. Calicem autem contrectare, & præſertim cum purificatorio abſtergere, non alii licet, quam Sacerdoti; tametſi hodie in nonnullis Eccleſiis laici adoleſcentes, qui filii opificum, ac ſutorum immorigeri, ac petulantes, qui mercede conducti Clericos agunt, eam provinciam non ſine abuſu aſſumant, conniventibus Sacerdotibus, & Eccleſiarum Præfectis deformitatem ipſam permittentibus, contra expreſſas Miſſalis Rubricas, ex quibus Sacerdos ipſe qui celebrat, Calicem debet inſtruere.



Digitized by Google

## §. III.

**Paramentis in Missa utetur coloris congruentis tempori, & Festis, illis tantum, quæ in Rubricis Missalis, pro Prælatis expressa sunt, & non aliis indumentis Pontificalibus, præter Crucem pectoralem, & Annulum.**

## COMMENTARIUS.

I. PAramenta Celebrantis, & Altaris debere esse coloris convenientis Officio, & Missæ diei secundum usum Romanæ Ecclesiæ, quæ quinque coloribus uti consuevit, albo, rubeo, viridi, violaceo, & nigro, mandant Rubricæ Missalis, Parte I. Tit. XVIII. Totidem enumerat colores Innocentius III. Libro I. *De Mysteriis Missæ*, Cap LXV. quamvis nigrum confundere videatur cum violaceo, quatuor principales colores faciens, quatuor coloribus antiquarum vestium legalium respondentes, bissi, purpuræ, hyacinthi, & cocci, uti constat ex Libro Exodi, Cap. XXVIII. Gulielmus Durandus Lib. III. sui Rationalis, Cap. XVIII. ubi agit de coloribus quibus Ecclesia utitur in Ecclesiasticis indumentis, quatuor ait principales esse colores, *quibus secundum proprietates dierum sacras vestes Ecclesia distinguit*, album, rubeum, nigrum, & viridem; ubi vides, nigrum colorem confundi a Durando, sicut & ab Innocentio Papa III. cum violaceo, tametsi Durandus ipse loco citato, & in ms. Codice Pontificali violacei etiam coloris meminerit, quem ait ab Ecclesia Romana adhiberi, & etiam ab aliis *a Dominica prima Adventus usque ad Missam vigiliæ Natalis Domini inclusive &c.*

II. Cum autem tum Innocentius III. tum Durandus, tum alii Sacrorum Rituum Scriptores in hujusmodi coloribus, quibus pro diversitate solemnitatum Ecclesia utitur, mysteria quædam non contemnenda observent, puto equidem non esse consentaneum Rubricis Missalis, & menti Ecclesiæ, quod quædam Ecclesiæ vestes sacras multiplicis coloris adhibeant, in quibus scilicet est albus, rubeus, viridis, & violaceus, seu niger, nisi unus ex ipsis ceteris prævaleat; alias enim alba Planeta dici non potest, si æque etiam sit rubea, violacea, & viridis. Jam non desunt, qui ajunt, aureas vestes omni colori convenire, quod tamen falsum est, ut cuique oculos habenti patet; invaluit nihilominus ea in multis Ecclesiis praxis, ut aurea Planeta, ceteræque sacræ vestes aureæ, præsertim diebus solemnioribus pro colore albo, ac rubeo adhibeantur.

III. Indumenta Episcopi Celebrantis Missam privatam, si Crucem pectoralem, & Annulum excipias, eadem sunt ac reliquorum Sacerdotum, uti constat ex Rubricis Missalis, Parte II. Tit. I. uti etiam §. IV. habetur, quod *Celebrans Episcopus non ducit Stolam ante pectus, sed sinit hinc inde utrasque extremitates pendere, & antequam accipiat Stolam, accipit parvam Crucem pectoralem, quam osculatur, & collo impositam sinit ante pectus chordulis pendere*. Atque hæc est ratio, cur Episcopus celebrans non ducit Stolam ante pectas in modum Crucis, quia scilicet ante pectus Crucem pectoralem gestat, quam ante Stolam accipit. Multa de Cruce pectorali Episcoporum diximus nostro I. Tomo Romani Pontificalis in Prolegomenis, & alibi. Olim quidem ipsa Crux Reliquiis Sanctorum referta a Romanis Pontificibus deferebatur semper ad collum, eorumque exemplo adnumerata est tandem circa Seculum XIV. inter Episcoporum ornamenta, uti docet eruditus Georgius Lib. I. *De Liturgia Romani Pontificis*, Cap. XIX. Num. VIII.

IV. Constat tamen ex Pontificali Gulielmi Durandi, qui floruit Seculo XIII. in arbitrio fuisse Episcopi pectorali Cruce uti; in ipso enim Pontificali, quod dudum edidit Martenius, inter ornamenta Episcoporum recensetur *Crux pectoralis, siquis ea velit uti*. Idem Durandus in suo Rationali Lib. III. Cap. IX. loquens de Cruce pectorali statuit illam ante pectus Celebrantis Pontificis, *ad designandum, quod ait Apostolus*, in Epistola I. ad Corinthios, Cap. VI. *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro*. Subditque mox, Pontificem imponendo, & deponendo sibi Crucem, illam deosculari, *ad denotandum, quod Christi passionem, quæ per illam significatur, credit, & confitetur, ad quam repræsentandam in officio Missæ se parat*. Ex Missali Codice Bibliothecæ Imperialis, cujus meminit idem Georgius loco citato, in præparatione ad Missam, ubi Episcopus celebrans sibi Crucem imponit ad collum, hanc dicit precationem: *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum*. Alia est precatio ad sumendam Crucem posita in ms. Codice Missali Vaticano Num. 4743. annorum circiter CD. *Tuam Crucem adoramus, Domine, tuamque gloriosam recolimus passionem, & tu miserere nobis, qui passus es clementer pro nobis, Amen*. In editis tandem præparationibus pro Missa Pontificali hanc dicunt Orationem Episcopi, ubi Crucem accipiunt: *Munire digneris me &c.*

V. Quidquid sit de antiquitate ornamenti hujus, illud plane ex dictis liquet, a Seculo XIV. Crucem pectoralem inter reliqua sacra Episcoporum insignia connumerari, eaque ipsos uti in functionibus Ecclesiasticis Pontificalibus tanquam uno ex Pontificalibus ornamentis. Hinc siquis Episcoporum alicui Ecclesiæ omnia sua sacra ornamenta Episcopalia legaverit, censetur etiam legasse Crucem pectoralem, licet sit pretiosissima, & præsertim si illa in sacris functionibus usus fuerit,

Digitized by Google

rit, quicquid in contrarium senserit, scripseritque aliquando quidam Romanæ Curiæ Advocatus, qui putabat Crucem ipsam pectoralem civile esse Episcopi insigne, non sacrum. Sed parcendum est hujusmodi hominibus, qui forensium Auctorum Libris intenti, ac praxi alicujus Scriptoris moderni, cetera pene contemnunt, quæ de sacris Ritibus, ac Cæremoniis Ecclesiasticis, ornamentisque probati Auctores asserunt auctoritate sacrorum Canonum, vetustiorum Liturgiarum, & Patrum Ecclesiæ.

VI. Id, quod de Cruce pectorali dictum est, a fortiori puto esse intelligendum de annulo Pontificali; quippe qui a vetustissimis usque temporibus inter Episcopalia ornamenta recensetur. Certe S. Isidorus Episcopus Hispalensis Lib. II. *De officiis Ecclesiasticis*, Cap. v. diserte affirmat, Episcopo, dum consecratur, dari annulum *propter signum Pontificalis honoris, vel signaculum secretorum*. Exstat in Pontificali Romano Oratio ad annulum benedicendum, antequam in digitum annularem novi Episcopi immittatur, estque is antiquus Ecclesiæ ritus, uti ostendimus Tomo I. Romani Pontificalis in Commentariis ad Titulum XIII. Annulum impositum fuisse Episcopo in celebratione Missarum, docent antiquæ Missæ Illyrici, & Ratoldi, in quarum prima brevis hæc precum formula ad annulum ponitur: *Circumda digitos meos virtute, & decora sacrificatione*; in Missa vero Ratoldi afferuntur hi duo versus:

*Pignore me fidei signatum pacis, & arra*
*Custodi dextra Rex benedicte tua.*

VII. Cur annulus manui Episcopi dexteræ imponatur, ratio redditur in ms. Pontificali Monasterii Lyrensis annorum DC. ubi discrimen affertur inter annulum Episcopalem, & annulum pronubum, quem sponsa in manu sinistra gestare debet: *Ad differentiam*, inquit, *gradus Episcopalis, ubi anulus in signaculum integræ, & plenæ castitatis in dextera manu publice est portandus*. Sed de annulo, sicut & de reliquis Episcopalibus ornamentis abunde jam disseruimus laudato nostro I. Tomo Romani Pontificalis in Prolegomenis, & in Commentariis ad Titulum XIII.

## §. IV.

**Altare quoque, in quo celebraturus est, sit mundis tobaleis, & pallio condecenti ornatum, pro qualitate temporum, & Festorum. Nam in Festis solemnibus decet, in eo apponi quatuor candelabra cum candelis accensis, & in eorum medio erit Crux argentea, vel ex alia materia: in aliis Festis non ita solemnioribus, & Feriis, sufficiunt duo candelabra.**

## COMMENTARIUS.

I. DE instructione Altaris in solemni celebratione Episcopi, satis superius loquuti fuimus; ad Missam vero ejus privatam quod attinet, distinguenda sunt tempora; etenim ex præscripto nostri hujus §. *in festis solemnibus decet, in eo apponi quatuor candelabra cum candelis accensis, & in eorum medio erit Crux argentea, vel ex alia materia; in aliis festis non ita solemnioribus, & feriis sufficiunt duo candelabra*. Ita sane præscribit hic §. noster; verum vix Ecclesias invenies, etiam non subjectas Episcopo, in quibus eo celebrante duæ solæ candelæ in Altari accendantur, si Episcopos quosdam Græcos excipias, qui Romæ honorarium, sive eleemosynam Missæ accipiunt; Romæ enim in Altaribus, in quibus ipsi celebrant, non plures quam duæ accenduntur candelæ; cum alias non semel in nonnullis Urbis Ecclesiis viderim, celebrantibus Canonicis Basilicarum Patriarchalium, sex accendi in Altari cereos; sed hæc est aliquorum Sacristarum assentatio, non enim is est Ecclesiæ ritus, ut Canonicis celebrantibus Missam privatam plures quam duæ candelæ accendantur, præsertim cum celebrante Episcopo duo cum candelis accensis sufficiant candelabra, ut ait §. noster, & quidem etiam in festis, quæ tamen solemniores non sint. Non puto autem ex hoc §. prohiberi, quin etiam in feriis accendi possint quatuor candelæ celebrante Episcopo etiam extra propriam Diœcesim, ad distinctionem dignitatis Episcopalis; cujus causa præter candelas in Altari accensas adhiberi etiam ab uno ex Capellanis, qui ejus Missæ inserviunt, *Bugiam* cum candela accensa, quam etiam palmatoriam appellant, uti alibi jam explicuimus.

## §. V.

**Præfati duo Cpellani servient ei in Missa, in respondendo, in transferendo Librum ab uno latere Altaris ad aliud, cooperiendo, & discooperiendo Calicem, cum opus fuerit, in porrigendo mantili, cum lavat manus, in ministrando ampullas, & in cæteris omnibus faciendis usque ad finem Missæ necessariis.**

## COMMENTARIUS.

I. DUo Capellani, qui Episcopo Missam privatam dicenti inserviunt, hinc inde ei debent assistere, alter ad dexteram, alter vero ad sinistram; qui etiam eidem respondere debent ad Missam, & ministrare, cooperiendo, & discooperiendo Calicem, cum opus

Digitized by Google

opus est, itemque in porrigendo mantili cum lavat manus; non enim Scutiferi illud præbere debent, ut a quibusdam fieri solet, & quidem directe contra §. hujus nostri Rubricam, & contra præscriptum §. x. qui eam provinciam expresse uni ex Capellanis Episcopo ad Missam inservientibus mandat. Debet item alter ex Capellanis cum bugia, in qua sit candelula accensa, a latere ad Librum assistere, etiam cum legit ille, *Gloria*, vel *Credo*, & similiter ad Canonem; itemque Capellanus alter ministrabit Calicem deferendo ipsum post Offertorium de credentia ad Altare, nisi forte jam antea super illud positum esset, quod tamen non decet, cum ex probata insignium Ecclesiarum consuetudine, sola paramenta, quibus celebraturus est Episcopus, extendenda sint ante Missam in medio Altaris. Debet præterea alter ex Capellanis amovere a Calice pallam, eique illam imponere, cum opus fuerit, eodem plane modo, quo fieri solet a Diacono in Missa solemni, ut scite notat Castaldus in Praxi Lib. II. Sectione VIII. Cap. IX. Num. VII.

## §. VI.

Si erunt tres Capellani, poterunt duo ex his, dum elevatur SS. Sacramentum, post Episcopum celebrantem, genuflexi a lateribus, sustinere duos cereos majores accensos, tertius vero Episcopo assistere: & cum opus erit, tintinnabulum tangere, videlicet, ter, dum elevatur Hostia; & toties, dum elevatur Sanguis, & non ultra.

## §. VII.

Si vero non adsint tres Cappellani, poterunt ad cereos supplere duo Scutiferi, aut alii familiares, arbitrio Episcopi, decenter vestiti; sed, & si copia non esset eorum, qui sustinerent dictos cereos, poterunt iidem positi super duobus candelabris magnis accendi, dum elevatur Corpus, & Sanguis Domini, & post Communionem extingui.

## COMMENTARIUS.

I. UBi tres Capellani celebranti Episcopo assistunt, ex præscripto §. VI. *poterunt duo ex his*, juniores scilicet, & minus digni, *dum elevatur Sanctissimum Sacramentum*, *genuflexi a lateribus sustinere duos cereos majores accensos*, *tertius vero* dignior, *Episcopo* ad Librum *assistere*; *& cum opus est*, *tintinnabulum tangere*; nempe, ter, ubi post præfationem dicit Episcopus, *Sanctus &c.* tametsi nihil de hoc ritu edicat noster hic §. Tanget & ipse deinde Capellanus ipsum tintinnabulum *ter*, *dum elevatur Hostia*; *& toties*, *dum elevatur Sanguis*, *& non ultra*; ut bene in hoc §. notatur, & in Rubricis Missalis, licet Ritus ipse minime ab iis servetur, qui Presbyteris ad Missam inserviunt, quia scilicet ad ministrandum Missæ contra Synodorum complurium Decreta pueri passim admittuntur, & opifices etiam vilissimi nescientes penitus Missæ inservire. Quicquid sit de eo abusu, quem iterum, atque iterum sugillavimus, cum Episcopus elevat Hostiam, & Calicem, debet ipse Capellanus manu quidem dextera tintinnabulum pulsare, sinistra vero elevare aliquantulum fimbriam posteriorem Planetæ juxta ritum in Rubricis Missalis præscriptum. Item cum Episcopus ad elevationem surgit a genuflexione, convenit plane, ut Capellanus, qui assistit Episcopo, & alter illius socius, si adsit, adjuvent eum sustentantes brachia ipsius; & initio Missæ cum ascendit ad Altare, convenit etiam, ut unus, vel ambo aliquantulum elevent anteriores partes indumentorum ejus.

II. At vero cum tres Capellani non adsint, tunc, ut ait §. VII. *poterunt ad cereos supplere duo Scutiferi*, aut alii familiares, *arbitrio Episcopi*, *decenter vestiti*, qui modeste, & reverenter, & absque strepitu, eo fungantur officio. Quod si copia non esset eorum, qui sustinerent dictos cereos, *poterunt iidem positi super duobus candelabris magnis accendi*, *dum elevatur Corpus*, *& Sanguis Domini*, *& post communionem extingui*. Sed & hic ritus jam etiam non semel negligitur.

## §. VIII.

Si forte intersit aliquis Prælatus, Cardinalis, aut Princeps, hujusmodi Missæ, primus ex dictis Capellanis, postquam Episcopus celebrans dixerit, *Agnus Dei &c.* accepto instrumento pacis argenteo, cum velo appenso, genuflexus a dextero latere Episcopi, illud ipsi Episcopo offeret osculandum, cui Episcopus dicit, *Pax tecum* & ille respondet, *Et cum spiritu tuo*, deinde idem instrumentum cum pace portat osculandum Prælato uni, vel pluribus, aut Principibus præsentibus, dicens unicui-

que:

Digitized by Google

que: *Pax tecum*; qui respondet, *Et cum spiritu tuo*. Sed advertat, ut nullatenus genuflectat, nec se inclinet, nec ullum reverentiæ signum faciat alicui ex dictis Prælatis, aut Principibus, antequam dictam imaginem eis porrexerit osculandam, sed tantum post illam osculatam; quia ante non habetur consideratio ipsius ministri deferentis, sed pacis, quæ a Sacrificio Altaris ad illum defertur; post vero datam pacem, convenit, ministrum, pro qualitate Prælati, aut Principis, reverentiam facere genuflexum, vel inclinatum.

## COMMENTARIUS.

I. RItum ac ordinem dandi pacem in Missa Solemni Pontificali jam supra explicuimus in Commentariis ad Caput XXIV. Quod Missam privatam Episcopi spectat, ex præscripto hujus §. si forte intersit aliquis Prælatus, Cardinalis, aut Princeps hujusmodi Missæ, cum instrumento pax defertur ad ipsos: postquam enim Episcopus celebrans dixerit, *Agnus Dei &c.* Capellanus dignior, qui illi inservit ad Missam, accepto instrumento velum coloris paramentorum in manubrio appensum habente, ascendit ad Altare, ibique ad dexteram Celebrantis genuflectet, dextera elevatum tenens instrumentum supra Altare, donec dicatur secrete Oratio, *Domine Jesu Christe &c.* qua completa, & Altari per Celebrantem osculato, adhuc genuflexus porrigit ei instrumentum osculandum; & illo dicente, *Pax tecum*, respondebit, *Et cum spiritu tuo*; mox surgens, iterumque genuflectens Sacramento, descendit ad Prælatum, seu Cardinalem, vel Principem, cui nulla facta genuflexione, nec inclinatione, imo nec ullo reverentiæ signo exhibito, stans ante eum, prius sinistra velo a manubrio pendente leviter abstergit instrumentum in loco, in quo osculari debet, illudque osculandum porrigens dicit, *Pax tecum*; quo osculato, reverentiam Prælato facit, vel Cardinali, seu Principi; & si plures sunt, eodem ordine aliis etiam offert, nullam prorsus reverentiam faciens antequam instrumentum ipsum pacis porrexerit osculandum, sed tantum post illud osculatum, pro qualitate Prælati, aut Principis, illi genuflectens, vel se inclinans. Rationem ejus Ritus non oportet ab aliis discere, cum satis illam jam explicuerit Rubrica hujus §. ubi ait, ideo nullam fieri debere reverentiam Cardinali, vel Principi quantumvis Magno, antequam pax deosculanda ei præbeatur; *quia ante non habetur consideratio ipsius ministri deferentis, sed pacis, quæ a Sacrificio Altaris ad illum defertur*.

## §. IX.

Liber Euangelii, celebrante Episcopo, nulli etiam magno Principi, aut Prælato, Missæ præsenti, datur osculandus post lectum Euangelium; sed si adesset aliquis maximus Princeps, vel S. R. E. Cardinalis, cui Liber Euangelii osculandus, porrigendus esset, non utique Liber Euangelii, quo utitur Episcopus, sed alius Liber consimilis illi porrigatur.

## COMMENTARIUS.

I. ESt plane antiquissimus Ritus, ut expleta lectione Euangelii in Missa solemni, nedum Episcopus, sed & Presbyteri, ac Clerici omnes eundem Euangelii Codicem oscularentur in signum venerationis, & communionis cum Domino nostro Jesu Christo, & doctrina ejus, uti ex antiqua Ecclesiæ consuetudine docet Jonas Aurilianensis Episcopus in Præfatione Libri II. de cultu Imaginum adversus Claudium Taurinensem, ubi ita inquit: *Sacræ Religionis usus in sancta Ecclesia adhuc servatur, si tamen apud te, ut perlecta sancti Euangelii lectione ab Episcopo, vel Presbytero, ceterisque sacri Ordinis Religiosis, Codex, in quo Euangelii lectio recitata est, multiplicibus osculis veneretur*.

II. Juxta quarumdam Ecclesiarum veterem morem præbebatur ipse Euangelii Codex deosculandus Episcopis quidem apertus, aliis vero clausus, ut tradit Hildebertus Archiepiscopus Turonensis in Epistola XV. ad Honorium Papam, quæ legitur Tomo IV. Spicilegii Dacheriani: *Ex ea quoque*, inquit, *traxit hanc Ecclesia consuetudinem; ut textus quidem Pontifici apertus, ceteris autem clausus ad osculandum offeratur*. Hunc ritum etiamnunc religiose observari a Turonensi, aliisque passim Gallicanis Ecclesiis, testatur Martenius Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, Cap. IV. Articulo V. Num. VI. ubi etiam ait, in Martiniana ejusdem Urbis Turonensi Ecclesia, uti & in Viennensi, omnibus offerri ipsum sacrum Codicem osculandum, dicente eo, qui illum præbet, *Hæc est lex divina*.

III. Aliter in aliis Ecclesiis servatus est ritus; scribit enim Rupertus Abbas Tuitiensis Libro II. *De officiis*, Cap. I. Euangelii Librum, quem Subdiaconus clausum ad introitum portaverat, ab eodem apertum circumferri omnibus religioso osculo salutandum, & quidem non sine mysterio: *quia*, inquit, *post prædicationem Christi cœpit lex credentibus, quam antea gestabat clausam, apertam ostendere Fidem Euangelicam*. Sed & Honorius Augustodunensis, *De antiquo Ritu Missarum*,

Digitized by Google

*rum*, Cap. XIX. apud Hitorpium tradit, Euangelium cum incenso per Chorum delatum, & singulis ad osculandum porrectum ob hanc rationem, quia Apostoli Christum odorem vitæ per mundum prædicaverunt, & cunctis Gentibus per verbum ejus, pacem æternam præbuerunt. Rem scitu dignam ex Consuetudinibus Cluniacensium Monachorum narrat Martenius Libro II. *De Monachorum Ritibus*, Cap. IV. nempe nocturnam illusionem passis Euangelium osculari non licuisse; quod sane peculiaris erga Christum Dominum reverentiæ, & venerationis argumentum est.

IV. Quantum ad Laicos, etiam ipsos ad Euangelium osculandum fuisse admissos, testatur Ordo II. Romanus Num. VIII. *Perlecto Euangelio, iterum se signo sanctæ Crucis populus munire festinat, & descendente Diacono de Ambone, Subdiaconus, qui in filo stat, recipit Euangelium, quod tenens ante pectus suum super planetam, porrigit osculandum primum Episcopo*, (in vulgato Ordine apud Hitorpium, *aut Presbytero*) *deinde omnibus per ordinem graduum, qui steterint, & universo Clero, necnon & populo*. Sed quamvis etiam populus olim ad Euangelii osculum admitteretur, Honorius tamen III. Pontifex Maximus literis ad Mathæum Patriarcham Constantinopolitanum Libro V. Epistola CCCXCII. missis sub pœna excommunicationis unicuique seculari Principi Euangelii osculum præberi vetuit, nisi essent personæ Oleo sacro inunctæ. Hinc cum quidem Episcopi Polonorum Reginam, quod nondum sacro ritu corona regia esset redimita, ad Euangelii osculum admittere recusarent, scribit Raynaldus ad annum MDXLIX. Num. XXVI. Paulum III. Pontificem Maximum precibus Regis permotum indulsisse Reginæ ejus conjugi, ut inter divina Mysteria Euangelium, & Patena illi deosculanda porrigerentur, tametsi ritu sacro nondum esset regio insignita diademate.

V. Ex variis Sacræ Rituum Congregationis Decretis, ac præsertim in Beneventana die IV. Septembris anni MDXCII. in Lucerina XX. Decembris MDCI. Consentina XVII. Julii MDCIV. Stragolen. IV. Martii MDCVI. Trapien. III. Junii MDCXVII. non debet deferri osculandus Euangelii Codex Gubernatoribus Provinciarum nec in publicis, nec in privatis Missis. Exstat in Appendice ad Concilium XIV. Beneventanum generale Decretum, & Epistola ejusdem Sacræ Rituum Congregationis, quæ inhærens Decretis alias compluries editis, & signanter in Lucerina die XXII. Novembris anni MDCLXIV. & XXVIII. Septembris MDCLXXV. declaravit die XIII. Martii MDCLXXXVIII. nullo modo dandum esse Euangelii Codicem ad osculandum secularibus personis, etiam Præsidi in celebratione Missarum. Id quod etiam exhiberi vetatur Domino loci, aut Commendatario, vel ejus Procuratori juxta aliud prædictæ Sacræ Congregationis Decretum in una nullius Marrubii XVII. Septembris MDCXI.

VI. Celebrante Episcopo, præcipit Rubrica nostri hujus §. ut nulli etiam magno Principi, aut Prælato Missæ præsenti Liber Euangelii deosculandus detur: *sed si adesset aliquis maximus Princeps, vel S. R. E. Cardinalis, cui Liber Euangelii osculandus, porrigendus esset, non utique Liber Euangelii, quo utitur Episcopus, sed alius Liber consimilis illi porrigatur*. Ex quo jam satis constat quanta sit quorumdam sacrarum Cæremoniarum Magistrorum hallucinatio, seu potius fœda assentatio, qui Episcopo vel celebrante Missarum solemnia, Librum sancti Euangelii post ejus solemnem lectionem a Diacono habitam non ipsi Episcopo, sed Cardinali præsenti deosculandum porrigi contra expressam hujus §. literam mandant. Quem abusum jampridem notavimus in Opere nostro, *De Codice sancti Euangelii atque servatis &c.* Libro II. Cap. XXVII.

VII. Tenenda itaque ea regula est, quam tradit hic noster §. ut cum celebrat Episcopus, si adsit Cardinalis, vel aliquis maximus Princeps, porrigatur quidem ipsis deosculandus sacer Euangelii Codex, non tamen ille, quem osculatur Celebrans, *sed alius Liber consimilis illi*. Verba Cæremonialis clarissima sunt, & ideo abusus, qui in illius dispositionem irrepsit fœda assentatione Cæremoniariorum, est omnino eliminandus.

## §. X.

**Episcopus manus bis lavat in hujusmodi Missa, videlicet, post Offertorium, & post Communionem; & semper in lotione, Familiaris aliquis ministrat aquam, & pelvim, Capellani vero mantile.**

## COMMENTARIUS.

I. ABunde, nec uno in loco de lotione manuum Episcopi in Missa jam disseruimus; hic illud monendum, quod alias alibi jam admonuimus, ubi manus lavat Episcopus, mantile ad eas abstergendas non a Scutifero, alioque familiari, sed a Capellano porrigi debere, ut hic §. noster edicit: *Semper in lotione familiaris aliquis ministrat aquam, & pelvim, Capellani vero mantile*. Scio, contrarium a nonnullis Episcopis servari, & male, abusumque inde exortum puto, quod a quibusdam Ecclesiasticæ disciplinæ ignaris munia Capellanorum ceteris aulicis officiis viliora existimantur, tametsi ii Sacerdotali charactere insigniti sint, cujus causa omnibus laicis præcedere deberent quantumvis magnis, & supremæ potestatis. Celebre enim est exemplum S. Martini Episcopi Turonensis, qui cum rogatus aliquando a Maximo Imperatore, ut semel

Digitized by Google

semel ejus mensæ assideret, jussissetque ille prius Martino poculum offerri, quasi ab eo illud deinde recepturus, non sine ingenti stupore vidit sibi prælatum Presbyterum Martini comitem, Capellanumque, cui Martinus poculum prælibatum in manum prius dedit. Hunc Imperii sui præ sacerdotio contemtum Martini pluris fecit Maximus ferocis ceteroqui ingenii vir, quam inanissimas aliorum Præsulum adulationes. Rem narrat in ejus Vita Severus Sulpitius hisce plane verbis: *Nec integrum sibi fore existimavit Martinus, si autem Regem ipsum, aut eos, qui a Rege erant proximi, Presbytero prætulisset. Quod factum Imperator, omnesque, qui tunc aderant, ita admirati sunt, ut hoc ipsum eis, in quo contemti fuerant, placeret.*

II. Ait prætera Sulpitius congratulatos tunc fuisse Martino Proceres omnes, quod in Imperatoris ipsius convivio Episcopalis animi magnitudinis, & dignitatis Sacerdotalis illustrius specimen dedisset, quam ceteri vulgo Episcopi in inferiorum Magistratuum mensis: *Celeberrimumque per omne Palatium fuit, fecisse Martinum in Regis prandio, quod in infimorum judicum conviviis nemo Episcoporum fecisset.* Hocce Martini exemplum, si, ut par est, imitarentur Episcopi, & Capellanos suos pluris facerent, quam reliquos familiares, Sacerdotalis dignitas non haberetur tanto contemtui a Baronibus, in quorum aula Capellani infimum locum tenent, ceterisque laicis etiam infimi ordinis, non sine characteris, & dignitatis Sacerdotalis dispendio postponi solent; adeo ut modica mercede conducti plurium in Aula subire officia, & quidem sordida cogantur.

## §. XI.

In fine Missæ Episcopus celebrans dabit benedictionem more Episcopali dicens. *Sit nomen Domini benedictum &c.* sed non utitur in ea Baculo, nec Mitra, nec Cruce, si sit Archiepiscopus. Cetera omnia Episcopus celebrans servat, prout alii Sacerdotes observare consueverunt, nempe juxta Rubricas Missalis.

## COMMENTARIUS.

I. IN fine Missæ, nisi pro defunctis celebretur, dabit Episcopus benedictionem more Episcopali, dicens, *Sit nomen Domini benedictum &c.* non utens Baculo, nec Mitra, nec Cruce, si sit Archiepiscopus, servabitque in ea danda ritus, ac cæremonias, quas enarravimus in Commentariis ad Caput XXV. Alia autem omnia Episcopus celebrans servat, *prout alii Sacerdotes observare consueverunt, nempe juxta Rubricas Missalis*, idest, Parte II. Tit. XII. Num. I. ex cujus præscripto data benedictione, modo Missa non sit pro defunctis, accedit Celebrans ad cornu Euangelii, ubi dicto, *Dominus vobiscum*, & responso per Ministrum, *Et cum Spiritu tuo*, pollice dextero signans primum signo Crucis Altare, seu Librum in principio Euangelii, deinde frontem, os, & pectus, dicit, *Initium sancti Euangelii secundum Joannem*, vel, *Sequentia sancti Euangelii &c.* juxta generales ejusdem Missalis Rubricas: cui responso per Ministrum, *Gloria tibi Domine*, junctis manibus legit Euangelium, *In principio*, vel aliud, ut convenit. Cum vero dicit, *Et Verbum caro factum est*, genuflectit versus cornu Euangelii, & surgens prosequitur ut prius; quo finito, Minister stans a parte Epistolæ respondet, *Deo gratias*.

II. Hactenus Rubrica Missalis circa Ritum a Celebrante in fine Missæ servandum, in quem plura notant Gavantus, Castaldus, Quartus, & inter alios Meratus. Ceterum Episcopus Missam privatam celebrans, ubi complevit Missam, descendens ab Altari, adjuvantibus Capellanis, deponit sacras vestes ante infimum gradum Altaris, caput interim bireto tegendo, ac demum reposita sibi Mozzetta, si in sua Diœcesi celebret, vel Mantelletto, si in aliena, genuflexus supra pulvinum, detecto capite ibidem orans gratias de more agit.

III. Sed audiamus iterum Rubricam Missalis, quæ quidem Parte, & Titulo citatis, Num. VII. ait ut si Celebrans *dimissurus sit paramenta apud Altare, ubi celebravit*, ut jam Episcopus solet, *finito Euangelio prædicto ibidem illis se exuit, & dicit Antiphonam*, Trium puerorum *cum Cantico, & aliis orationibus, ut suo loco ponuntur*. Esse antiquum ritum, ut Canticum ipsum, seu Hymnus, *Trium puerorum &c.* qui hodie dicitur finita Missa, in cunctis Missarum solemnitatibus decantaretur, constat ex Toletana IV. Synodo anni DCXXXIII. Can. XIV. ubi ita statuit: *Hymnum quoque*, Trium puerorum, *in quo universa Cæli, terræque creatura Dominum collaudat, & quem Ecclesia Catholica per totum Orbem diffusa celebrat, quidam Sacerdotes in Missa Dominicorum dierum, & in solemnitatibus Martyrum canere negligunt: proinde hoc sanctum Concilium instituit, ut per omnes Ecclesias Hispaniæ, vel Galliæ in omnium Missarum solemnitate idem in pulpito decantetur: communionem amissuris, qui & antiquam hujus Hymni consuetudinem, nostramque definitionem excesserint.*

IV. Putat sane Auctor Delectus Canonum Ecclesiæ universæ in Nota ad ipsum Canonem, per vocem illam, *in Missa*, intelligi Officium diurnum, quod Missa quandoque appellatur. Verum incerta est hæc conjectura. Quicquid sit, ex antiquo Ritu, cujus & prisci Scriptores, & Libri Missales meminere, dicitur Canticum ipsum post



Digitized by Google

Missam, una cum Psalmo, *Laudate Dominum in Sanctis ejus*, & Oratione, *Deus qui tribus pueris &c.* quæ quidem exstat in Missa Illyrici, legiturque in hunc modum: *Deus qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius per intercessionem eorum, & merita omnium Sanctorum tuorum, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum, atque tormentorum. Per Dominum &c.* Porro, ut alios omittam, Missa Codicis Tiliani apud Menardum, *Expletis omnibus*, inquit, *Episcopus rediens ad Sacrarium cum Diaconibus, & cæteris cantet Hymnum, Trium puerorum.* Teste Cardinale Bona pro Cantico ipso quædam Ecclesiæ recitant Hymnum, *Te Deum laudamus.*

## C A P. XXX.

*Quo ritu Episcopus in locis suæ jurisdictionis Missam audiat. Liber Euangeliorum, finito Euangelio, ei osculandus defertur. Si adsint cum eo Prælati exteri, aliique eo majores, Liber primo osculandus defertur majori, vel digniori eorum. Si plures æquales fuerint, nulli deferatur. Qui ordo servandus in pace danda. Extra propriæ jurisdictionis loca Rubricæ Missalis Ritus tantum adhibendus.*

### §. I.

Episcopus præsens Missæ per alium celebratæ juxta ea, quæ præscribuntur in Rubricis Missalis de Missa, quæ coram Episcopo celebratur, genuflectit super genuflexorio sibi parato ante medium Altaris, vel e regione in cornu Epistolæ, nisi aliud situs loci suadeat, & sic genuflexus audit totam Missam, nec surgit, nisi cum dicitur Euangelium, & defertur Liber Euangeliorum deosculandus per Capellanum Cotta indutum, qui Missæ assistit.



## COMMENTARIUS.

1. MIssam quotidie ab Episcopo dicendam, audiendamve, si legitime impeditus non sit, notavimus Cap. XXIX. in Commentario ad §. 1. Si itaque celebrare nequeat, & Sacrificio interesse voluerit, genuflectet in genuflexorio parato e regione in cornu Epistolæ, nisi aliter situatio loci suadeat, *& sic genuflexus audit totam Missam, nec surgit, nisi cum dicitur Euangelium.* Genua flectendi usus antiquissimus est in Ecclesia, ipsumque Christum Dominum in terram procidentem orasse legimus in Euangelio Lucæ, Cap. XXIII. Ejus exemplo S. Jacobum Apostolum cognomento justum pro populo flexis genibus assidue deprecari consuevisse, adeo ut in camelo-

Digitized by Google

melorum duritiem transiisse ejus genua crederentur, affirmat S. Hieronymus in Libro de Viris illustribus, de ipso Jacobo agens. Geniculationis non uno in loco meminit Tertullianus, præsertim in Libro ad Scapulam; morisque Ecclesiastici esse *Christo genuflectere, quod Judæi mentis superbiam demonstrantes omnino non faciunt*, testatur idem S. Hieronymus in Cap. IV. Isaiæ.

II. Varia, ac luculenta ejus antiqui ritus testimonia suppeditant nobis passim Sancti Ecclesiæ Patres, & sacræ Synodi, inter quas Turonensis anni DCCCXIII. Can. XXVII. hæc habet: *Sciendum est, quod exceptis diebus Dominicis, & illis solemnitatibus, quibus & universalis Ecclesia ob recordationem Dominicæ Resurrectionis solet stando orare, fixis in terra genibus, suppliciter Dei clementiam nobis profuturam, nostrorumque criminum indulgentiam deposcendum est; cujus rei in Euangelio ipse Dominus nobis dedit exemplum. Sed & Stephanum Martyrem, & Apostolum Paulum eadem fecisse, Liber Actuum Apostolorum testis est. Ex quibus intelligi datur, oportere Christianum humiliter ad terram prosterni, ne forte illi dicatur*: Quid superbis terra & cinis?

III. Probatur itaque antiquus usus Ecclesiæ, ut Christiani scilicet genua ad orationem flectant, exceptis diebus Dominicis, & a Paschate usque ad Pentecosten, uti fuse ostendimus in Commentario ad Canonem XX. Concilii I. Nicæni; tunc enim stare debemus, tametsi etiam extra illud tempus solerent olim in Ecclesia Christiani utplurimum stare ad orationem, ideoque passim a Sanctis Patribus, præsertim vero a S. Cypriano *Stantes* appellati. Quicquid autem de ea voce *Stantium* sit, quæ apud ipsum Cyprianum frequentissime occurrit, sciendum est, sedisse olim Fideles, qui Sacrificio intererant, dum is qui præerat, intra Liturgiam concionaretur, finitaque concione assurrexisse, ut Hymnos Deo persolverent, & Sacrificium offerrent; id enim testatur S. Justinus Martyr in sua Apologia II. ubi veterem Ritum in celebrandis sacris Synaxibus ita enarrat: *Commentaria Apostolorum, aut Scripta Prophetarum quoad tempus fert, leguntur. Deinde Lectore quiescente, Præsidens orationem, qua populum instruit, habet. Sub hac consurgimus communiter omnes, & precationes profundimus; & sicuti retulimus, precibus peractis, Panis offertur & Vinum & Aqua.*

IV. Verum advertere oportet, loqui citato loco Justinum de Sacrificio, quod die Dominico offerebatur, *Solis qui diciter die &c.* Nam feriis, quæ non essent a Paschate ad Pentecosten, si veteres convenirent, precari Christiani solebent genibus flexis. Hinc in eam disciplinam, ubi apud eundem Justinum in Libro Quæstionum, & Responsionum ad Orthodoxos, Quæstione CXV. quidam vetustus Auctor inquirit, si genuum inclinatio in precationibus magis peccatores Deo commendat, quam si stantes orent, magisque ea res divinam permovet commiserationem? itemque cur diebus Dominicis, & a Paschæ feriis ad Pentecosten usque peccantes genua non flectunt? & unde talis etiam in Ecclesias pervenit consuetudo? propositas Quæstiones ita S. Justinus, vel alius ejus nomine mox solvit: *Quia utriusque non oportuit jugem obtinere memoriam, & ipsius per peccata lapsus nostri, & Gratiæ Christi nostri, per quam a lapsu resurreximus; eapropter genuum per sex dies inclinatio symbolum, & nota est lapsus per peccata nostri. Quod vero die Dominico genua non flectimus, signum est, & designatio resurrectionis.* Et paulo post: *A temporibus autem Apostolorum consuetudo talis accepit initium, prout ait Beatus Irenæus Martyr, & Episcopus Lugdunensis in Libro*, De Paschate, *ubi quoque mentionem fecit Pentecostes, in qua genua non inflectimus, quoniam pari est cum die Dominico potestate, juxta eam, quæ de illa est dicta, causam.*

V. Apud veteres non ita frequentia testimonia occurrunt, quibus edeceamur, consuevisse Fideles genibus flexis Missæ interesse; id enim inculcant Synodi, ac Pontifices Maximi, ac præsertim Honorius III. in Cap. *Sane* X. *De celebratione Missarum*, ut scilicet Sacerdos frequenter doceat plebem suam, *ut, cum in celebratione Missarum elevatur Hostia salutaris, se reverenter inclinet.* Concilium quod anno MCDLXXXVIII. celebratum est, Tit. *De Eucharistia*, Num. XX. hæc habet, quibus probari possit, Fideles stando olim Sacrificio interfuisse: *Quoniam autem apud omnes fere Catholicos usus modo obtinuit, ut procumbentes adorent divinam Eucharistiam, sancta Synodus hortatur, ut siqua Ecclesia altero modo adhuc utatur, & stando Christi Corpus in hoc Sacrificio adoret, procumbat deinceps, dum sancta Mysteria proponuntur adoranda.* Synodi tandem post Tridentinam habitæ, ac præsertim III. Mediolanensis S. Caroli, illud passim mandant, Missæ ita Fideles debere interesse, *ut in omni ejus parte genibus flexis sint, nisi cum Euangelium pronnnciatur; quo tempore stent omnes, ac ne mulieribus etiam sedere liceat.*

VI. Hunc plane Ritum servandum esse ab Episcopo, ubi Missam privatam audit, noster hic §. edicit; *Genuflectit super genuflexorio ..... & sic genuflexus audit totam Missam, nec surgit, nisi cum dicitur Euangelium.* Audiri nonnisi a stantibus Euangelium debere in Missa, ritus est Ecclesiæ antiquissimus, cujus & Patres, & Synodi, & Liturgiæ ipsæ meminere, uti ostendimus in Opere, *De Codice sancti Euangelii &c.* Libro II. Cap. XXI. & XXII. ubi etiam varias ejusdem veteris disciplinæ rationes explicuimus, devotosque complures notavimus, qui disciplinam ipsam ignorantes, devotius se Missæ assistere arbitrantur, si genuflexi semper manentes, nec ad Euangelii lectionem assurgant; cum alias ipsa assurrectio a Patribus, ac Synodis præcepta, egregiis Mysteriis fœta sit, quæ summatim ex sacris Scriptoribus loco citato recensuimus, quæque ad eruditionem eorum, qui ritum ipsum ignorant, lubet hoc loco repetere.

VII. Stamus itaque, dum legitur Euangelium, I. Quia Deum in illo loquentem audimus, servi nimirum Dominum, creatura Creatorem.



Digitized by Google

II. Ut discipuli audientes, docente atque præsente Magistro, cujus typum Euangelium exhibet. III. Ad Christianæ doctrinæ venerationem patefaciendam, & reverentiam. Tanto enim nobilior, atque præstantior est doctrina, quanto Magister est excellentior. Nihil autem Dei Filio nobilius, nihil tanto Doctore præstantius. IV. Ad ostendendum, quod re ipsa promti, & expediti sumus ad illius obsequium, sequelam, & observantiam. V. Ut eo indicio palam faciamus, nos animos habere erectos ad divina, atque cælestia documenta, quæ nobis per Euangelium promulgantur. VI. Quod parati sumus pro Euangelica doctrina defendenda, tuendaque usque ad sanguinis effusionem certare. VII. Postremo ad notandum, quod viribus totis contendimus ad ea, quæ per Euangelium promittuntur, bona æterna, atque perpetua.

III. Assurgendum autem est non modo ad Euangelium, quod post Epistolam in Missa ex antiquo Ecclesiæ instituto dici solet, uti ex iis liquet, quæ in citato Opere diximus Lib. II. Cap. I. verum etiam ad ultimum Missæ Euangelium sancti Joannis, quod jussu Pii Papæ V. in universa Ecclesia ad finem Missæ legitur. Sed hisce omissis, quod Episcopum privatam Missam audientem spectat in sua scilicet Dioecesi, finito primo Euangelio, ad quod assurrexit, ait hic Rubrica §. quod *defertur ei Liber Euangeliorum deosculandus per Capellanum, Cotta indutum, qui Missæ assistit*; nulla scilicet Episcopo, vel alii quantavis potestate prædito facta prius reverentia, ob reverentiam sancti Euangelii, quod, uti dictum est, Christum significat, ideoque eundem ritum, qui in delatione Pacis, & in Euangelii delatione servandum esse, expresse nostrum Cæremoniale edicit in §. sequenti.

## §. II.

Et pariter post, *Agnus Dei &c.* ab eodem offertur ei Pacis Instrumentum, quod Episcopus osculatur; semper tamen Capellanus, sive Euangelium, sive Pacem deferens observet, ne ullam prius reverentiam faciat Episcopum versus, aut alios, quam Librum, aut instrumentum Pacis osculandum præbuerit.

## COMMENTARIUS.

I. QUo ritu danda sit Pax alicui Prælato, vel pluribus, aut etiam Principibus Missæ præsentibus, a nostro Cæremoniali præscriptum est supra tum Cap. XXIV. tum Cap. XXIX. §. VIII. in quo etiam illud repetitur, quod alias non uno in loco dictum est, advertendum esse illi, qui Pacem defert osculandam, *ut nullatenus genuflectat, nec se inclinet, nec ullum reverentiæ signum faciat alicui ex dictis Prælatis, aut Principibus, antequam dictam Imaginem eis porrexerit osculandam, sed tantum post illam osculatam*. Ratio est, quæ mox ibidem subjicitur his verbis: *Quia ante non habetur consideratio ipsius ministri deferentis, sed Pacis, quæ a Sacrificio Altaris ad illum defertur.* Addit mox, post datam Pacem, convenire quidem, Ministrum pro qualitate Prælati, aut Principis, reverentiam facere genuflexum, vel inclinatum. Atque is plane est ritus, qui & in delatione Libri sancti Euangelii servari debet, ut nullam reverentiam faciat Capellanus, qui ipsum deosculandum porrigit Episcopo genuflexo, antequam Librum exhibeat osculandum, sed tantum post illum osculatum; quia scilicet ante non habetur consideratio ipsius ministri deferentis Codicem, sed Euangelii, quod Christum repræsentat.

## §. III.

Et si forte simul cum Episcopo adessent alii Prælati exteri, seu etiam ipso majores, ut Archiepiscopus, aut Cardinalis, vel alii, de quibus in Cap. XXIII. §. XXVIII. & XXIX. dictum fuit, Liber Euangelii dabitur osculandus semper majori, seu digniori omnium; &, si essent plures æquales, nulli ipsorum; nec ipse Celebrans deosculatur. Pax vero primo digniori, deinde aliis, juxta ordinem, & regulam in præcedenti Cap. XXIV. Lib. I. §. III. traditam. Ad Offertorium Episcopus non benedicet aquam, nec in fine dabit benedictionem, sed Celebrans, qui antequam in fine Missæ benedicat, faciet Episcopo profundam reverentiam.

## §. IV.

Et hæc intelligantur, existente Episcopo in sua Dioecesi, vel Archiepiscopo, aut Legato in sua Provincia, alias servabitur ordo Rubricarum Missalis.

## COMMENTARIUS.

I. RItum fuisse antiquum in ipsa etiam Romana Ecclesia servatum, ut sacer Euangelii Codex post ejus lectionem in Missa non modo Celebranti, & Clero, verum etiam & populo deosculandus porrigeretur, ex veteribus certisque monumentis probavimus supra

Digitized by Google

pra Cap. XXIX. in Commentario ad §. IX. Sed hic ritus jam a nostro Cæremoniali correctus est, mandat enim in hoc §. III. ut si forte simul cum Episcopo adessent alii Prælati exteri, seu etiam ipso majores, aut Archiepiscopus, aut Cardinalis, vel alii, Liber Euangelii dabitur osculandus semper majori, seu digniori omnium. Id quod etiam non semel declaravit Sacra Rituum Congregatio, præsertim in Cæsaraugustana die secunda Augusti MDCVIII. & in una Nullius Provinciæ Baren. XXIV. Augusti MDCIX. apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. CDXXXIV. Numero II.

II. Ratio, cur uni tantum, & digniori omnium, si plures inæquales Missæ intersint, deosculandum præberi debeat Euangelium, illa plane est, quam docet Gavantus in Rubricas Missalis, Parte II. Tit. VI. Num. II. quia scilicet *Christus unus est, quem repræsentat ille, qui osculatur Librum.* Et mox: *Aut unus igitur, & dignior osculatur, aut nullus; non duo, ne dividatur Christus.* Verum notandum hic illud est, quod cum varia sint hominum ingenia, & varii nationum, ac temporum mores, ita quibusdam seculis, & in aliquibus Ecclesiis nonnulli introducti sunt Ritus, qui aliis temporibus, aliisque in Ecclesiis non sunt admissi, neque approbati. Quod tamen mirum videri non debet, nam, ut ait in Libro, *De velandis Virginibus*, Tertullianus: *Regula Fidei una omnino est, sola immobilis, & irreformabilis; cetera jam disciplinæ, & conversationis admittunt novitatem.* Idipsum passim & alii sancti Patres docent, unde scitissime ait S. Bernardus in Epistola LXXVII. ad Hugonem Victorinum: *Ibi unusquisque in suo sensu securus abundat, ubi aut certæ rationi, aut non contemnendæ auctoritati, quod sentitur, non obviat.*

III. Mirum tamen illud videri possit, quod, cum ex præscripto nostri Cæremonialis expresse cautum sit, ut ubi inæquales præsentes sint Missæ, Euangelii Liber osculandus uni, & digniori præbeatur, contrarium plane præscribat Rubrica Missalis Parte II. Tit. VI. Num. II. ubi ait, quod *siquis celebret coram Summo Pontifice, Cardinali, & Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo in eorum residentiis, defertur cuilibet prædictorum osculandus Liber, & Celebrans tunc non osculatur Librum &c.* Verum ne inter se invicem pugnent Missalis, ac Cæremonialis Rubricæ, puto equidem Rubricam Missalis intelligi, ubi aliquis ex prædictis solus Missæ intersit, quem vult Celebranti præferri in deosculatione Euangelii.

IV. Ubi plures æqualis dignitatis Missæ intersint, cautum illud est ex eodem hoc nostro §. III. ut nulli ipsorum deferatur osculandus sacer Euangelii Codex, & neque ipse Celebrans ipsum deosculetur. Quæ tamen regula minime servata est, quum ineundi fœderis gratia seculo elapso Ludovicus XIV. Galliæ Rex, & Philippus IV. Rex Hispaniarum ad proprii Regni fines accesserunt, ubi Altari in collimitanea linea erecto simul divino Sacrificio adstiterunt, osculumque Euangelii, & Pacis in Icone sacra duo Capellani seorsim, & eodem tempore, utrique præbuerunt. Ad Pacem quod attinet, ubi multi una cum Episcopo Missæ assisterent, edicit idem §. III. ut primo digniori, deinde aliis juxta Ordinem, & Regulam in §. III. Capitis XXIV. traditam deosculanda porrigatur. Item in hac Missa privata, quam audit Episcopus, nec aquam benedicit ad Offertorium, nec in fine dabit benedictionem, sed Celebrans, qui tamen antequam in fine Missæ benedicat, faciet Episcopo profundam reverentiam, quasi licentiam benedicendi ab ipso Episcopo sit petiturus.

V. Notandum autem, quod in §. IV. edicitur, nempe hæc intelligi, ubi Episcopus in sua Diœcesi, vel Archiepiscopus, aut Legatus in sua Provincia, audit Missam, nam alias servari debet ordo Rubricarum Missalis. Verum cum de ipsis Rubricis hic mentio fiat, describendam censeo hoc loco Rubricam II. quæ extat Parte II. Tit. III. *Si Celebrans*, inquit, *sit coram summo Pontifice, sistit se ante infimum gradum Altaris a cornu Euangelii ante ipsum Pontificem, ubi genuflexus expectat. Accepta benedictione, erigit se, & stans aliquando versus ad Altare incipit Missam. Si autem sit coram Cardinale, Legato Sedis Apostolicæ, aut Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo, in eorum residentiis, vel loco jurisdictionis, stans ante infimum gradum in cornu Euangelii, ut supra expectat; dato signo, facit profundam reverentiam Prælato, & versus ad Altare incipit Missam.* Hactenus ritus ex Rubrica Missalis a Sacerdote initio Missæ servandus, quæ ab ipso celebratur coram proprio Episcopo, Archiepiscopo, Patriarcha, Legato Sedis Apostolicæ, Cardinali, vel Summo Pontifice.

VI. Ergo ubi quis coram Papa celebrat Missam, sistit se ante infimum gradum Altaris a latere in cornu Euangelii, Minister autem erit in plano Capellæ a latere in cornu Epistolæ; antequam vero ille incipiat Missam, genuflectit in plano, in eodem scilicet loco, & genuflexus benedictionem expectat; qua accepta, erigit se, & aliquantulum versus Altare se vertens incipit Missam. Quod si coram Cardinali, aliisque summo Pontifice inferioribus quis Missam celebret, non genuflectit, sed stat ante infimum gradum a cornu Euangelii, nutumque expectat, non vero Benedictionem, datoque signo, facit profundam reverentiam, profunde scilicet tantum caput inclinat Cardinali, vel alii Prælato in loco suæ jurisdictionis; quia scilicet vestibus paratus est Sacerdotalibus; genuflectit autem ideo soli Pontifici, quia summus Sacerdos est, uti post Gavantum ad ipsam Rubricam Missalis, notant Meratus, & alii; sive potius quia summus Pontifex vices Christi in terris gerit, nam alias etiam Episcopi ab antiquis Synodis, & sanctis Patribus, priscisque Scriptoribus summi Sacerdotes appellati sunt, ut alibi notavimus.

VII. Celebrans autem Missam coram S.R.E. Cardinale, non solum in loco sui Tituli, ut ait Burchardus, sed vere ubique terrarum, profunde ei

Digitized by Google

ei caput inclinat, & signum ab eodem expectat inchoandi Missam. Id quod etiam faciet Celebrans coram Legato in tota sua legatione, coram Patriarcha in toto Patriarchatu, coram Archiepiscopo in tota sua Provincia, coram Episcopo in tota sua Diœcesi, & etiam in Ecclesiis Regularium quomodolibet exemtis, sed existentibus intra fines talis jurisdictionis, in quibus habent usum Rocchetti nudi, seu discooperti, & Mozzettæ, quæ sunt plenariæ jurisdictionis signa; debet enim tunc Sacerdos, non quidem genuflexus petere ab ipsis utpote Papa inferioribus benedictionem, sed illis tantum profunde inclinare caput, uti superius dictum est, postquam accepit signum ab illis respective celebrandi Missam. Quod quidem consentaneum est veteri Ecclesiæ disciplinæ, quæ non sinebat Presbyteros præsente Episcopo absque ejus licentia Sacrum facere, aliaque Ordinis sui munia exercere, uti fuse ostendimus Tomo I. Romani Pontificalis ad Titulum XI. *De ordinatione Presbyteri*.

VIII. Quid vero si contingat, Sacerdotem celebrare coram Prælatis extraneis, sive coram proprio Prælato, sed in aliena Diœcesi? Clara est dispositio nostri §. IV. servandum tunc esse ordinem Rubricarum Missalis; sive, uti explicant Bauldryus in suo Manuali Parte III. Tit. XIII. Cap. IX. Num. XII. Tonellius Lib. II. Tit. XIV. & alii, debet tunc Celebrans ita se gerere, ac si illi minime adessent. Verum, ut idem Tonellius notat, itemque Moncius, *De Missa coram Prælato*, §. II. quos etiam alii sequuntur, si contingat, Sacerdotem celebrare coram Prælato proprio in privato ejus Oratorio, & præsente sola ejusdem familia, eundem ritum servabit, ac si celebraret in loco suæ jurisdictionis. Ceterum cum aliis Principibus ita se habebit Celebrans, ut eos quidem honoret, sed parcius, quam in superius recitata Missalis Rubrica notatos; nempe, uti ibidem tradit Gavantus, antequam accedat ad gradus Altaris Calicem tenens manibus, se se illis inclinabit profunde quidem, sed capite tecto, profundiusque etiam pro qualitate personarum. Sed de hoc Ritu vide eruditum Meratum in suis ad ipsum Gavanti locum Additionibus.

IX. Rursus ex Rubricis Missalis Num. VIII. & IX. in dicta Parte II. Tit. III. Celebrans ad Confessionem, *si est coram Pontifice, Cardinali, Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo, in eorum Provincia, Civitate, vel Diœcesi constitutis, ubi dicit*, Vobis Fratres, *dicat*, Tibi Pater; *similiter in fine, ubi dicit*, Vos Fratres, *dicat*, Te Pater; *quod dicens, summo Pontifici genuflectit, aliis Prælatis profunde se inclinat*. Et mox: *Cum Minister, & qui intersunt, etiamsi ibi fuerit summus Pontifex, respondent*, Confiteor, *dicunt*, Tibi Pater, *&* Te Pater, *aliquantum conversi ad Celebrantem*. Ubi nota quod alias observavit Gavantus, dignitatem Sacerdotis, cui etiam coram Papa dicitur a Ministro, qui Missæ inservit, & a Circumstantibus, *Tibi Pater*, & *Te Pater*. Porro si plures adessent Cardinales, seu Prælati æquales, sicuti nemini eorum osculandum porrigitur Euangelium, ita non videtur iis dicendum, *Vobis Patres*, & *Vos Patres*; notat nihilominus laudatus Gavantus, jam usum obtinuisse, ut in numero plurali hæc dicantur.

X. Finita Confessione, & dicto, *Oremus*, si coram Pontifice, aut aliis Prælatis, celebret, ex Missalis Rubrica Parte II. Tit. III. Num. XI. *facta summo Pontifici genuflexione, aliis Prælatis profunda reverentia, accedit ad medium Altaris ante infimum gradum, & ibi incipit secreto*, Aufer a nobis, *ut in ordine Missæ*. Ubi Altare ascendit, soli Deo vacat, eumque adorat oblatione Sacrificii usque ad dimissionem populi, nam daturus benedictionem caput versus Prælatum inclinare debet, ut mox dicemus; interim vero finito Euangelio, non osculatur Librum, nec dicit, *Per Euangelica dicta &c.* defertur enim osculandus Euangelii Liber Prælato Missæ præsenti, uti superius notatum fuit, qui etiam, ubi osculabitur Librum, ea verba proferet. Dicta vero prima Oratione post, *Agnus Dei*, osculatur Altare, & ambabus manibus tenens Pacis instrumentum, ut ait Bauldryus loco citato, Num. VII. quod ei porrigitur a Ministro, illud osculatur, quod deinde per Capellanum ad Prælatum defertur deosculandum juxta ea quæ jam supra adnotavimus.

XI. Ex Rubrica tandem Missalis Parte II. Tit. XII. ad finem Missæ, siquis *celebravit coram summo Pontifice, Cardinale, & Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo, in Provincia, Civitate Diœcesi sua existente, Celebrans dicto*, Paceat tibi sancta Trinitas &c. *dicit*, Benedicat vos omnipotens Deus; *& conversus se ad summum Pontificem genuflexus; ad Cardinalem vero, & Legatum, vel alium ex supradictis Prælatis, capite inclinato, quasi licentiam benedicendi petens, prosequitur*, Pater, & Filius, & ✠ Spiritus Sanctus; *benedicens adstantes a parte, ubi non adest Pontifex, Cardinalis, Legatus, aut Prælatus prædicti*. Ubi nota, intelligi Rubricam, cum aliquis eorum intersit Missæ, nam alias inclinationem faciet Sacerdos digniori, quasi licentiam ab eo benedicendi petens; quod enim in Rubrica legatur, *& Legato*, ly *&* positum est pro *vel*, ut scite advertit Gavantus. Ceterum ex præscripto ejusdem Rubricæ, siquis celebravit coram Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo extra eorum Provinciam, Civitatem, vel Diœcesim constitutis, *eis absque alio respectu, ut ceteris, qui intersunt, more consueto benedicit*; sine ulla scilicet inclinatione capitis, nempe, veluti si præsentes non essent. Puto autem, non esse inconveniens, si Missa finita aliquam Episcopo præsertim suo Missæ in Oratorio privato præsenti etiam extra Diœcesim post factam Altari reverentiam, aliquantum se inclinet. Porro extat libellus Italica Lingua exaratus, ac Beneventi editus anno MDCCXXV. cujus Titulus Latinitate donatus est hujusmodi: *Capellani Episcopi instructi ad bene eidem inserviendum, dum Missam privatam celebrat*. Utinam ab ipsis Capellanis legeretur Liber.

CAP. XXXI.

Digitized by Google

## C A P. XXXI.

*Qui ritus, & cæremeniæ adhibeantur pro celebratione Synodi Provincialis, vel Diœcesanæ. Dies futuræ Synodi denuntiandus intra Missarum solemnia in festo Epiphaniæ. Per duos, vel saltem unum mensem ante inchoationem, schedula indictionis affigatur valvis Ecclesiæ Metropolitanæ, & Cathedralis. Dies Synodi denuncietur etiam per tres proximiores Dominicas in ipsa Metropolitana a Concionatore, & in singulis Parochiis a Parochis, qui populum ad orationes jejuniia, perceptionem Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, aliaque pia opera hortentur. Modus vivendi eorum, qui Concilio interfuturi sunt. Ecclesia ornanda solemni, & festivo ritu. Sedilia in Concilio provinciali, quomodo disponenda. Sedes Metropolitani, ubi collocanda. Quando item assideant, qui Synodo Diœcesanæ intersunt. Campanæ omnes civitatis ante diem Synodi, & ipsa die sequenti, quando, & quomodo pulsandæ. Quæ paramenta sumenda ab iis, qui interesse debent, tam Concilio Provinciali, quam Diœcesano. Cujus coloris esse debeant. Quo ritu ad Synodum procedatur. Missa ab Archiepiscopo, & Episcopo cantanda. Ordo sedendi, & proferendi vota. Laudabile est, ut singulis quintis feriis, tempore Synodi, Missa de Spiritu Sancto cantetur. Qui Ministri in Conciliis deputandi. Quo ritu Concilium absolvatur.*

### §. I.

In Synodo Provinciali, quæ a Patriarcha, Primate, vel Metropolitano, ac etiam in Synodo Diœcesana, quæ a proprio cujusque Diœcesis Episcopo congregatur, nonnulli Ritus, & Cæremoniæ sunt observandæ, ultra illas, quæ in Pontificali Romano sub Rubrica de ordine ad Concilium Provinciale, seu Synodum celebrandam, explicantur, quas juxta Sanctorum Patrum traditiones, diversorumque Conciliorum Decreta, retineri maxime decet.

## COMMENTARIUS.

I. COgendi Synodos Ritus antiquissimus est in Ecclesia, ducitque originem ab ipsis Apostolis, qui celebre illud Concilium Hierosolymis celebrarunt, quod descriptum est Cap. xv. Actorum. Cum enim Antiochiæ orta controversia inter Fideles circa Legis Mosaicæ observantiam, quam aliqui existimabant necessariam ad salutem, aliis asserentibus jugum illius Legis Gentibus ad Christum conversis imponendum non esse, Paulus, & Barnabas delegati sunt Hierosolymam, ut de hujusmodi controversia cum Apostolis, & senioribus conferrent. Itaque coacto ibi Concilio, Petrus, qui illi præerat, suam tulit sententiam, dicens, Deum tentandum non esse, neque imponendum jugum super cervices Discipulorum, quod nec ipsi, nec Patres eorum portare potuerant; tum S. Jacobus Episcopus Hierosolymitanus suum tulit suffragium, eumque sequuti sunt reliqui Apostoli, & Seniores, a quibus editum est hoc Synodale Decretum: *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, a quibus custodientes vos bene agetis.*

II. Alias ab Apostolis celebratas fuisse Synodos, docent Franciscus Turrianus, Ludovicus Bail, Ambrosius Gardebosc, & alii docti Auctores, sed placuit Hierosolymitanam Apostolorum Synodum recensere, quod in dubium revocari nequeat, cum descripta sit in ipsis Apostolorum Actis, ejusque meminerit S. Paulus in Epistola ad Galatas. Exemplo Apostolorum incitati Episcopi, qui in illorum successere locum, celebrare consuevere & ipsi Synodos suas etiam quo tempore Christi Ecclesia crudelissimis tyrannorum persequutionibus vexabatur, & summa inopia laborabat; non enim tunc adeo delicati erant Episcopi, ut a periculo, vel ab inopia deterrerentur, quo minus pro Ecclesiarum suarum utilitate simul convenirent, vitamque exponerent. Acta autem primis seculis fuisse Concilia, quibus Episcopi complures intererant testatur Tertullianus Libro adversus Psychicos Cap. XIII. *Aguntur*, inquit, *præcepta per Græcias illas certis in locis Concilia ex universis Ecclesiis, per quæ, & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur.*

III. Sed hæc spectant Concilia complurium Episcoporum, cujus generis multa recenset Eusebius Lib. v. *Historiæ*, Cap. XXII. & XXIII. tum Romæ, tum alibi celebrata Seculo Christi II. de controversia diei Paschatis, & ante Eusebium S. Cyprianus, qui in Epistolis suis Conciliorum plurium meminit, quæ ab ipso, & aliis Episcopis per-

Digitized by Google

persecutionum tempore de variis rebus Ecclesiasticam disciplinam spectantibus acta fuere. Ceterum frequentissimos fuisse Episcoporum cum Clero, quasi cum suo Senatu, quem Presbyterium vocare solebant, conventus, quos hodie Synodos Diœcesanas dicimus, non uno in loco nos idem Cyprianus docet; quandocumque ardua quæque negotia occurrebant, Episcopus Senatum, seu Presbyterium suum convocabat, ut simul super ipsis negotiis deliberarent, & causas deciderent; erantque tunc Synodi Diœcesanæ eque ac Provinciales, quasi quædam Tribunalia justitiæ, in quibus sine strepitu judicii, aliisque fori formalitatibus, Clericorum, & Laicorum quæstiones summarie deciderentur, casusque conscientiæ resolverentur.

IV. Ergo Synodorum intermissioni magna ex parte tribui debet quorumdam licentia, qui casus ipsos conscientiæ, qui olim in Synodis auctoritate Patrum resolvebantur, & juxta primævam Ecclesiæ disciplinam, suo ipsi arbitrio, levibusque ratiunculis decidere non vereantur, adeo ut coacti fuerint Romani Pontifices variis temporibus varias portentosas ipsorum opiniones damnare. Ea autem est hac nostra tempestate quorundam audacia, ut post tantam Pontificum Maximorum vigilantiam, ac præsertim Regnantis Papæ BENEDICTI XIV. sanctioris disciplinæ, ac solidioris Theologiæ cultoris, consuentes adhuc pulvillos sub omni cubito, docere non erubescant, quod alias multi alii Auctores variorum temporum, ac nationum inter alia scripserunt, nempe peragere cum feminis, imo etiam cum Moniali, vel attentare cum eisdem actus, quos vocant subimpudicos, verbi gratia genas vellicare, mamillas tangere, esse culpas de se veniales, & solum ex pravo affectu, vel ex prava intentione mortales. Sed licet hujusmodi opiniones ab ipsis Scriptoribus intelligantur, secluso scandalo, atque periculo, deceret tamen, ut minime in vulgus spargerentur.

## §. II.

Omissis igitur his, quæ potius ad legem jurisdictionis Diœcesanæ pertinent, quam ad cæremonias, videlicet, quando, & quoties, tam Provinciales, quam Diœcesanæ Synodi indici debeant; quæ personæ convocandæ sint; quo anni tempore; qui in eis consultivum, vel decisivum votum habeant; quæ in his tractanda sint, & similia, quæ cum ex aliis, tum ex Sacro Tridentino Concilio, diversisque Sacrorum Canonum Interpretibus intelligi possunt.

## COMMENTARIUS.

I. TAmetsi nostrum Cæremoniale omittat explicare hoc Capite multa scitu digna quæ ad Synodos, tum Provinciales, tum Diœcesanas attinent, operæ nihilominus pretium censeo vel ea etiam hic enarrare, quæ legem spectant jurisdictionis Diœcesanæ. Quoties, & quando celebrarentur antiquitus Syuodi, ex vetusta Ecclesiæ regula edicit Synodus Oecumenica I. Nicæna Can. V. *Concilia*, inquit, *celebrentur, unum quidem ante Quadragesimam Paschæ, ut omni dissentione sublata, munus offeratur Deo purissimum; secundum vero circa tempus Autumni*. Hunc Canonem renovantes Patres Concilii Antiocheni, quod habitum fuit anno CCCXLI. Can. XX. statuerunt, ut *propter usus Ecclesiasticos, & pro componendis controversiis, Synodi Episcoporum in unaquaque Provincia fiant bis in anno.* Sed cum Patres Chalcedonensis Concilii intelligerent, quod in Provinciis constituta a priscis Patribus Episcoporum Concilia negligerentur, statuere & ipsi Can. XIX. *secundum Regulas Patrum bis in anno in unum convenire Episcopos, ubi singula, quæ emerserint, corrigantur*. Hunc aliosque plures pristinos Patrum Canones, binas per annum Synodos præscribentes, adduximus jam tum alibi, tum vero præsertim ad ipsum Chalcedonensem Canonem Commentario.

II. Quemadmodum Provinciales, ita quoque Diœcesanæ bis in annos singulos habebantur Synodi; verum cum deinde paulatim invaluisset, ut Synodi Provinciales singulis annis semel dumtaxat haberi deberent, una quoque invaluit, ut Diœcesanæ Synodi semel annuatim haberentur. Et quidem Lateranensis IV. Synodus Oecumenica anni MCCXV. ab Innocentio Papa III. habita, Cap. VI. hanc consuetudinem supposuit, quam etiam tacite approbasse videtur; nam jubens singulis annis celebrari Synodum Provincialem, illud quoque præcipit, ut ea, *quæ statuerint, faciant observari, publicantes ea in Episcopalibus Synodis annuatim per singulas Diœceses celebrandis*. Verum cum negligentia in convocandis Provincialibus Synodis magis magisque crescceret, Patres Concilii Basileensis attendentes ab una parte necessitatem, atque utilitatem Conciliorum, & ab altera, quam difficile annua ipsorum celebratio haberi posset, Decretum edidere, ut *ad minus semel de triennio ad triennium Concilium Provinciale celebretur*; eamque moderationem admisere tandem tum Synodus V. Lateranensis sub Leone Papa X. tum etiam Tridentina, ubi Sessione XXIV. *De reformatione*, Cap. II. statuit, ut *Metropolitani per se ipsos, seu illis legitime impeditis, antiquior intra annum ad minus a fine præsentis Concilii, & deinde quolibet saltem triennio post Octavam Paschæ Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, seu alio commodiori tempore pro more provinciæ non prætermittat Synodum in Provincia sua cogere*.

III. Ex hactenus recitato Decreto jam satis liquet,

Digitized by Google

liquet, Synodum ipsam Tridentinam non quidem pristinos Ecclesiæ Canones frequentiorem Synodorum celebrationem inculcantes abrogasse, sed dumtaxat jussisse, ut saltem singulis trienniis Synodus Provincialis cogeretur; ut consequenter voto Patrum memoratæ Synodi Tridentinæ obsequerentur quidem Episcopi, qui frequentius, quam singulis trienniis Concilia agerent. Ad Synodos autem Diœcesanas quod attinet, eadem Tridentina Synodus tametsi frequentiorem celebrationem pro reformatione morum desideraret, amplexa est nihilominus moderationem laudati Concilii IV. Lateranensis, quum in citata Sessione XXIV. *De reformatione*, Cap. II. annuam tantum Synodorum Diœcesanarum injunxit: *Synodi quoque Diœcesanæ quotannis celebrentur*. Verum neque hæc moderata Tridentini Concilii Decreta hodie observantur, cum nec annuatim Diœcesanas Synodos, nec Provinciales de triennio in triennium celebrari videamus; atque hæc est ratio, cur ita collapsa sit hodie Ecclesiæ disciplina, ut vix ejus vestigium supersit.

IV. Concilia Provincialia ex præscripto Synodi Tridentinæ celebrare per se ipsos debent Metropolitani, vel illis impeditis Coepiscopus antiquior post octavam Resurrectionis Dominicæ, seu alio commodiore tempore pro more Provinciæ Synodum ipsam in provincia coget. Ad Archiepiscopum autem spectat electio loci celebrandæ Synodi Provincialis, tametsi Sacra Congregatio Concilii edixerit, Metropolitanam Ecclesiam non esse relinquendam, modo nullum ibi adsit impedimentum. Convenire ad eam Synodum omnino tenentur Episcopi omnes, & alii, qui de jure, vel consuetudine interesse debent, exceptis iis, quibus cum imminenti periculo transfretandum esset. Episcopi itidem, qui nulli Archiepiscopo subjiciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum semel debent eligere, in cujus Synodo Provinciali cum aliis intersit, & quæ ibi ordinata fuerint, observent, ac faciant observari.

V. Quicumque præter Episcopos, sive de jure, sive de consuetudine Synodo provinciali intersunt, communiter receptum est, ut votum dumtaxat consultivum habeant; refertque Fagnanus ad Cap. *Etsi membra* X. *De his quæ fiunt a majori parte &c.* Num. LIII. Abbates Commendatarios, & Capitulorum deputatos vocem dumtaxat consultivam in Concilio Provinciali habere; Episcoporum vero Procuratores posse etiam habere vocem decisivam, si Concilio ipsi Provinciali placuerit. Ita quoque responsum fuisse a Summo Pontifice, audita prius relatione Sacræ Congregationis Concilii, occasione difficultatum, quas ad Sedem Apostolicam remiserant Patres Concilii Rothomagensis anno MDLXXXI. tradit Vanespen Parte I. Juris Ecclesiastici Tit. XX. Cap. I. Numero XVI. ubi etiam notat, Responsa ipsa haberi una cum difficultatibus propositis Tomo XV. Conciliorum.

VI. Soli itaque Episcopi Comprovinciales cum Metropolitano vocem decisivam obtinent, unaque cum ipso judicant; unde si Metropolitanus unius esset sententiæ, Suffraganei vero alterius, testatur Fagnanus in Cap. *Sicut olim* XXV. *De accusationibus*, Num. CIV. decisum fuisse a Summo Pontifice, *sententiam prævalere Suffraganeorum, & hoc, quia habent votum decisivum, & sunt Conjudices*. Eodem fundamento, ut idem celeberrimus Canonici Juris Consultus inquit loco citato: *Archiepiscopus non potest dissolvere Synodum, nisi de consilio, & assensu Episcoporum; nec nisi de eorumdem consilio, & assensu cuiquam silentium indicere, vel jubere aliquod scriptum, aut libellum legi*. Porro ex Concilio Tarraconensi Can. VI. *Siquis Episcoporum commonitus a Metropolitano ad Synodum nulla gravi intercedente necessitate, corporaliter venire contemserit, sicut Patrum statuta sanxerunt, usque ad futurum Concilium cunctorum Episcoporum charitatis communione privetur*. Præter Episcopos, qui Synodo interesse debeant, a consuetudine pendet, ut innuit Concilium Tridentinum, dum monet Metropolitanum Synodum in sua Provincia cogere, *quo Episcopi omnes, & alii, qui de jure, vel de consuetudine interesse debent, convenire omnino teneantur*.

VII. Diœcesanis Synodis qui interesse debeant, ex eodem Concilio Tridentino manifestum est: *Ad quas*, inquit, *exemti etiam omnes, qui alias cessante exemtione interesse deberent, nec Capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur; ratione tamen Parochialium, aut aliarum sæcularium Ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse*. Ex quibus constat, esse ex mente Concilii Tridentini, ut Synodo Diœcesanæ hi præ ceteris intersint cum Episcopo, qui una cum ipso curam animarum, & regimen spirituale Ecclesiæ sustinent. Vi quoque recitati hujus Decreti Regulares omnes, sive sint exemti, sive non, qui vel Capitulis generalibus non subduntur, vel curam animarum exercent, tenentur, & cogi possunt ad Synodum accedere sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, aliisque pœnis arbitrio Episcoporum, etiam excommunicationis; adeo ut jus declarandi, & pœnas imponendi ad Episcopos, exemtione non obstante, pertineat, juxta Decretum Sacræ Congregationis apud Fagnanum in Cap. *Quod super*, Num. VIII. *De majoritate, & obedientia*.

VIII. Cum autem, ut notat Cardinalis de Luca Discursu XXX. ad Concilium Tridentinum, super convocatione, sive interventu in Synodo controversiæ oriri soleant cum Capitulis, & Cleris Oppidorum, aliorumque locorum Diœcesis, an scilicet omnes Presbyteri, & Clerici ad Synodum convocari possint, ub ab aliquibus Episcopis, & utinam non ad industriam, & occasione mulctarum, & pœnarum, sive extorsionum, & contributionum, fieri consuevit; ideo provisum est, inquit idem Cardinalis de Luca, ut sufficiat interventus Deputatorum Cleri cujuslibet loci, & Parochorum, seu Vicariorum, aut illorum, quibus alias exercitium curæ animarum, & administrationis Sacramentorum incumberet; licet enim



Digitized by Google

Capituli Cathedralis interventus requiratur; attamen id incommodum non præbet, ex quo in eadem Cathedrali Synodus celebranda est. Ceterum Collegiatarum Ecclesiarum Canonicos non teneri omnes Synodum Diœcesanam adire, sed tantum ex his quatuor, decidit Sacra Rituum Congregatio in Vincentina XXIV. Martii anni MDCXXXIX. apud Ceccoperium, Parte I. *Lucubrationum Canonicalium*, Lib. II. Tit. X. in fine; inconveniens enim profecto esset, universos Canonicos propriam Ecclesiam inofficiatam relinquere, ut inquit Piaseccus in Praxi, Parte II. Cap. II.

IX. Majores quidem, ac frequentiores solent esse controversiæ cum exemtis, ac præsertim cum Regularibus, an scilicet ipsi, eorumque Prælati intervenire in Synodo debeant; receptamque esse eam distinctionem tradit memoratus de Luca, ut illi intervenire debeant, atque etiam cogi valeant, qui curam Animarum habent, & administrationem Sacramentorum exercent, quia scilicet in hac parte subditi sunt, atque a primo Pastore, qualis est Episcopus, instruendi, quomodo in sibi commissarum ovium cura, & regimine se gerere debeant. Quod etiam procedit in aliis sæcularibus exemtis, suum inferiorem Prælatum habentibus cum ordinaria quasi Episcopali jurisdictione, potissime vero ubi de illis agatur, qui hanc jurisdictionem habent in locis intra Diœcesis fines existentibus juxta notata laudati Auctoris ad Titulum, *De jurisdictione*, Discursu XXXVII. & XXXVIII. & *De Regularibus*, Discursu I.

X. Haberi & controversiæ solent cum Capitulo Cathedralis, an ejus consensus in convocatione Synodi requiratur, seu quale votum habeat, sed & de his videri etiam potest laudatus Cardinalis de Luca in Tractatu, *De jurisdictione*, Discursu XXXVII.

## §. III.

Primo erit advertendum, præsertim in Concilio Provinciali habendo, ut dies inchoationis hujusmodi Concilii per publica documenta, omnibus, qui de jure, vel consuetudine interesse debent, denuntietur, & ut plenius divulgetur, in die Epiphaniæ, dum frequenti populo intra Missarum solemnia festivitates ejus anni solemniores denuntiantur, poterit loco suo inter ipsos dies festos pronunciari, & promulgari, tam in Ecclesia Metropolitana, quam in quibuscumque aliis Cathedralibus ei subjectis, & per duos, aut saltem unum mensem, ante dictam diem, schedula manu Notarii, seu Cancellarii subscripta, Ecclesiæ Cathedralis valvis affigi sub hujusmodi, aut simili tenore: *Concilium Provinciale*, seu *Synodus Diœcesana. N. per Reverendiss. Dominum D. N. Archiepiscopum*, vel *Episcopum N. indictum*, vel *indicta hoc anno &c. mense &c. die &c. Deo adjuvante in Metropolitana*, seu *Cathedrali Ecclesia inchoabitur*.

## COMMENTARIUS.

I. EGimus jam & de hoc ritu Tomo III. Commentariorum in Romanum Pontificale Titulo I. in Commentario ad §. I. Num. XIV. Sed audiamus hic S. Carolum, qui de habendæ Synodi certo die constituendo, denunciando, & anniversario Calendario inscribendo, ad antiquum alludens ritum ita statuit in suo IV. Provinciali Concilio Mediolanensi: *Hic dies*, celebrandæ scilicet Synodi, *in singulos etiam annos, Cathedrali in Ecclesia de suggestu die Epiphaniorum, vel Kalendis Januarii, ut alios solemnes dies denunciari consuetudinis est, indictus Calendario etiam adscribatur, quod in singulos annos confici solet*. Est plane illud expressius, quod de eadem re statuit in sua IV. Diœcesana Synodo, Decreto XLV his verbis: *Certam illam Synodi ineundæ, atque habendæ constitutam diem, in Calendarium anniversarium loco suo referri, Synodalemque diem notari decernimus; eandemque diem in Epiphaniæ Domini ab Archidiacono in Metropolitana Ecclesia cum in Missæ sacro solemni populus frequens est, post Euangelii recitationem de suggestu, ut moris est, una cum Paschæ Resurrectionis denunciatione indici, significari, & denunciari jubemus.*

II. Licet autem spectat hoc Decretum Diœcesanæ indicendæ Synodi ritum, idipsum tamen servandum mandat de Synodo Provinciali habenda, ubi idem sanctissimus Præsul ita statuit in Concilio IV. Provinciali: *Ut vero omnibus, & singulis aliis, qui vel invitati, vel alio jure interesse possunt, vel debent, quorumve interest, notior plane sit, atque vulgatior ejusmodi Synodi Provincialis indictio; certam illam Concilii inchoandi constitutam diem, ac locum in Calendarium, quod eo tertio anno editur, loco suo referri, conciliaremque diem notari, tum in Octava Natalis dici Domini, qui dies est Calendis Januarii, aut in Epiphania, prout in Ecclesia sua moris est, ejusmodi solemnes promulgationes fieri intra Missarum solemnia populo frequenti, una cum Paschæ Resurrectionis Domini, aliarumque solemnitatum denunciatione, de more indici, significari, & denunciari unusquisque Episcopus mandet*. Similia ex aliis Conciliis Decreta afferri possent plurima, sed satis pro omnibus sunt, quæ attulimus ex S. Caroli Synodis; qui etiam in ipsa IV. Pro-

Digitized by Google

IV. Provinciali consentanee ad ritum nostri hujus §. ita subjicit: *Jubeat etiam Ecclesiæ suæ Cathedralis valvis, aliisque locis, quæ videbuntur, schedulam grandiusculis literis exaratam duobus mensibus ante constitutam diem, adstante frequenti populo affigi, his verbis*: Concilium Provinciale &c. Addit mox quoque & illud, quod alias in eodem nostro §. edicitur, subscribendam schedulam ipsam *manu Cancellarii, Notariive Episcopalis posito etiam sigillo consueto Episcopali*.

## §. IV.

Rursus tribus proximis diebus Dominicis, ante dictam diem, conveniens erit, si tam in ipsa Ecclesia Metropolitana per Concionatorem, quam in singulis Parochialibus per Parochos iterum, atque iterum denuntietur, populique fideles ad devotionem, orationes, jejunia, Sacramentum Pœnitentiæ, Sanctissimæ Eucharistiæ sumptionem, aliaque pia opera adhortentur; ut actio hujusmodi, Deo opitulante, dignum sortiatur exordium, felicemque, & fructuosum progressum, & exitum habeat.

## COMMENTARIUS.

I. PRæstat hic iterum audire, quod de ritu nostri hujus §. statuit inter alias memorata superius IV. Provincialis Synodus Mediolanensis: *Conciliarem præterea hanc actionem singulis tribus proximis ante diem constitutam Dominicis diebus per Parochos, & Concionatores Fidelibus denunciari, eosdemque non modo excitari ad frequentius orationis studium, verum etiam ad id inflammari, unusquisque Episcopus curet, ut die Dominico statam Concilii diem proxime antecedente, vere pœnitentes, & confessi sacram communionem sumant, hoc præcipue precantes, ut quæ ad suam, & ad aliorum, quorum curæ commissi sunt, salutem pertinent, Dei auxiliante misericordia, in Concilio sancta sollicitudine agantur*. Plura sane, quibus, & hic præsens, ac alii Paragraphi hujus Capitis illustrari possunt, jam nos fuse explicuimus III. Parte Romani Pontificalis in Commentario ad Titulum V. qui inscribitur, *Ordo ad Synodum*, & nostro I. Tomo Conciliorum in Prolegomenis, ubi inter alia extat Caput XVI. quod inscriptum est, *Varia pietatis Opera ad Conciliorum celebrationem indicta &c.* Multa autem ibi ad rem curiosus Lector inveniet.

## §. V.

Illis vero, qui in ipso Concilio interfuturi sunt, moneantur, ut ea sedulo curent observari, quæ persancte præfatum Concilium Tridentinum in Sessione secunda salubri Decreto statuit, nempe de modo vivendi, & aliis in Concilio servandis.

## COMMENTARIUS.

I. PRæter Concilium Tridentinum, cujus hic noster §. meminit, de modo vivendi, & aliis in Concilio servandis, agunt non uno in loco Synodi Mediolanenses S. Caroli, aliæque complures a Religiosissimis Episcopis præsertim post Tridentinam Synodum habitæ, inter quas videri potest Beneventana X. Provincialis Synodus anni MDLXVII. sub Jacobo III. Cardinali Sabello Beneventi Archiepiscopo Sessione I. Tit. unico, ita inscripto, *De modo vivendi, & aliis in Synodo servandis*. Ceterum & illa videri possent, quæ jam notavimus nos laudato I. Tomo Conciliorum in Prolegomenis, Cap. XX. quod est, *De modo vivendi in Conciliis, ac de iis, quæ in ipsis vitari debent*. Neque enim putamus hic actum repetere; satisque illud profecto censemus, si Decretum ipsum sacrosancti Concilii Tridentini servetur.

## §. VI.

Cum autem prædicta Concilii dies appropinquaverit, ornabitur Ecclesia, ubi Synodus habenda est, festivo, & solemni ritu, modo, & forma in Cap. XII. Lib. I. de ornatu Ecclesiæ contenta.

## §. VII.

Sedilia in ea disponentur; in Provincialibus quidem capacia pro numero Episcoporum, Abbatum, aliorumque Ecclesiastica dignitate fulgentium; item pro Canonicis, ac etiam pro laicis, si qui interfuturi sunt.



Digitized by Google

## §. VIII.

Sedes Metropolitani collocabitur apud Altare, ut in indicato Pontificali habetur; & ante faciem ipsius, sedilia Episcoporum per gyrum; deinde conduplicatis sedilibus post Episcopos, cæteri proximiores, vel remotiores, pro graduum diversitate, ut mox dicetur.

## COMMENTARIUS.

I. APpropinquante die, sive Provincialis, sive Diœcesanæ Synodi habendæ, ornandam esse Ecclesiam, ubi Synodus est celebranda, & quidem *festivo*, *& solemni ritu*, *modo*, *& forma in Cap.* XII. *Lib.* I. *De ornatu Ecclesiæ contenta*, expresse juxta antiquum morem, cujus nos alias Tomo I. in Prolegomenis ad Oecumenicas Synodos meminimus, mandat noster §. VI. Notat autem & illud Gavantus in sua Praxi Synodi Diœcesanæ Cap. IX. ornandam esse Ecclesiam ipsam *usque ad valvas inclusive*. Meminit & ejus ritus in suo IV. Provinciali Concilio Mediolanensi S. Carolus, mandans, ut *in Ecclesia*, *ubi Concilium celebrabitur*, *quæ etiam Ecclesia de more ornetur*, *ipsis proximis ante Concilii initium diebus Oratio quadraginta Horarum instituatur*, *fiatque a Clero*, *& a populo frequentissimo pro optimo Concilii successu &c.*

II. Quod sedilia spectat in Ecclesia, ubi Synodus celebrabitur, disponenda, cautum est ex nostro §. VII. disponi quidem debere sedilia ipsa *in Synodis Provincialibus capacia pro numero Episcoporum*, *Abbatum*, *aliorumque Ecclesiastica dignitate fulgentium*; *item pro Canonicis*, *ac etiam pro Laicis*, *siqui interfuturi sunt*. Uti disponenda sint sedilia ipsa, perspicuum habetur in §. VIII. ubi edicitur, sedem Metropolitani collocandam esse *apud Altare*, *& ante faciem ipsius sedilia Episcoporum per gyrum*, *deinde conduplicatis sedilibus post Episcopos*, *sedere ceteros proximiores*, *vel remotiores pro graduum diversitate*. Plura sane quæ hic dici possent, jam fuse explicuimus tum nostro I. Tomo Conciliorum in Prolegomenis, tum III. nostro Tomo Romani Pontificalis Tit. V. Ne itaque iterum actum agamus, curiosum Lectorem ad citata loca remittimus.

## §. IX.

In Diœcesanis vero, quia non interveniunt Episcopi, disponentur Dignitates, & Canonici Ecclesiæ Cathedralis parati hinc inde a lateribus Episcopi, vel ante Episcopum, semicirculum facientes.

## COMMENTARIUS.

I. DOcet hic noster §. uti sedilia Dignitatum, & Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis disponenda sint in Synodo Diœcesana: *hinc inde*, inquit, sedere ipsos debere paratos *a lateribus Episcopi*, *vel ante Episcopum*, *semicirculum facientes*. Notat autem Gavantus in sua praxi Diœcesanæ Synodi Cap. IX. primum magis placere, & commodius esse ad functiones Synodales. Quidquid sit, parata ex eodem Gavanto Episcopi sede alta tribus gradibus tapete contectis, præter nempe suppedaneum, juxta ritum alias explicatum, & hinc inde sedilibus pro Diaconis assistentibus, hinc inde quoque in quadrum sedilia longa pro Canonicis Ecclesiæ Cathedralis præparabuntur, vestita panno viridi alta unico gradu a pavimento. Qualis autem debeatur locus in Synodo Canonicis Ecclesiarum Collegiatarum, & an, & quo panno cooperiri debeant eorum sedilia, itemque an vocandi sint nomine Canonicali, vel potius nomine eis imposito in Baptismate, addiscere licet ex Sacræ Rituum Congregationis Decreto in Spoletana juris sedendi in Synodo X. Martii MDCCVIII. ubi ita edixit apud Ursayam Tomo II. Parte I. Disceptatione XXIX. in fine; *Canonicis Collegiatarum S. Petri*, *& S. Gregorii detur scamnum coopertum aliquo panno*, *arbitrio Episcopi*, *& habeant postergale cum pradella*: *necnon vocentur titulo Canonicali sigillatim*.

II. Exstant & apud eundem Ursayam Tomo II. Parte II. Disceptatione IX. alia ejusdem Sacræ Rituum Congregationis Decreta de eodem argumento, juris scilicet sedendi in Synodo, ob celebrem controversiam inter Canonicos S. Gaudentii Novariæ, & Canonicos Ecclesiæ Cathedralis agitatam die VIII. Martii MDCC. Sic enim ipsa Congregatio ad varia Dubia, que hic referre operæ pretium censemus, respondit. Sunt autem hujusmodi.

Dubium I. *An in proxima habenda Synodo Diœcesana Capitulum*, *& Clerus Ecclesiæ Cathedralis sedere debeant intra Presbyterium hinc inde a lateribus Episcopi*, *vel extra Presbyterium ante Episcopum in forma semicirculi?* ℟. Ad mentem, & mens est, quod in casu, de quo agitur, fiat extra Presbyterium; & quoad secundam partem, circa semicirculum arbitrio Episcopi.

Dubium II. *Quatenus sedere debeant intra Presbyterium hinc inde a lateribus Episcopi*, *an ibidem sedere debeant etiam Canonici Collegiatæ S. Gau-*

Digitized by Google

*S. Gaudentii post terga Canonicorum Cathedralis*. ℟. Provisum in primo.

Dubium III. *Quatenus iidem Canonici Ecclesiæ Cathedralis sedere debeant extra Presbyterium ante Episcopum in forma semicirculi, an intelligi debeant de semicirculo perfecto, & rigoroso, an vero satisfactum censeatur dispositioni Cæremonialis Episcoporum Lib. 1. Cap. ultimo, si dicti Canonici occupent faciem anteriorem ex utraque parte*. ℟. Satisfieri, si Canonici Cathedralis occupent faciem ex utraque parte anteriorem.

Dubium IV. *An eodem casu, quo Canonici Ecclesiæ Cathedralis sedere debeant extra Presbyterium, Canonici Collegiatæ S. Gaudentii sedere debeant post terga Canonicorum Cathedralis ex utraque parte, vel tantum ex una*. ℟. Debere in una tantum parte a dexteris.

Dubium V. *An scamna, sive sedilia Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis debeant esse elevata a pavimento per unum gradum, & quatenus affirmative*. ℟. Affirmative.

Dubium VI. *An hujusmodi scamna debeantur Canonici Collegiatæ S. Gaudentii?* ℟. Negative.

Dubium VII. *An hujusmodi scamna debeantur Canonicis Collegiatæ S. Gaudentii?* ℟. Negative.

Dubium VIII. *An eundem ornatum cum eodem, seu alio colore habere debeant sedilia pro Canonicis S. Gaudentii?* ℟. Cooperiantur eodem colore viridi.

Dubium IX. *An Collegiatis Urbanis assignari possit locus intra Presbyterium, quatenus idem non sit capax aliarum Collegiatarum insignium Diœcesis?* Provisum in primo.

Dubium X. *An eisdem Collegiatis insignibus Diœcesis debeantur omnes prærogativæ, quibus in Synodo gaudere possit Collegiata S. Gaudentii, excepta sola præcedentia?* Servetur solitum.

## §. X.

Pridie ejus diei, qua Synodus inchoanda erit, debent Campanæ Ecclesiæ Cathedralis, aliarumque Ecclesiarum, in eadem Civitate existentium, solemni ritu pulsari a primis Vesperis per totam diem, & ipsa die sequenti, quousque Archiepiscopus, vel Episcopus ingressus fuerit Ecclesiam.

## §. XI.

Ipsa die inchoationis Concilii, summo mane, congregatis Episcopis, & aliis, qui Concilio interesse debent, in domo ipsius Archiepiscopi, vel alio convenienti loco, Episcopi capiant sacra paramenta, hoc est, supra Rocchettum, Amictum, Pluvialia, & Mitras auriphrygiatas uniformes; Archiepiscopus vero Concilio præsidens, indutus erit Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Mitra pretiosa; Abbates benedicti pariter cum Pluvialibus, & Mitris simplicibus: Dignitates, & Canonici Pluvialibus, Planetis, & Dalmaticis, pro qualitate Ordinis eorumdem, ut dictum fuit Cap. xv. Lib. 1. §. vi. Paramenta omnia erunt coloris rubri.

## COMMENTARIUS.

I. INter alios ritus in Synodi celebratione servandos recenset in sua Provinciali Synodo Mediolanensi II. S. Carolus solemnem Campanarum pulsationem, & quidem *pridie illius diei, quo futura est Synodus, & in omni Ecclesia Civitatis*, sed tamen *sub primam horam noctis*, ad significandum scilicet, quod postero die inchoanda est Synodus. Verum attendenda est regula nostri §. x. ex cujus præscripto, *pridie ejus diei, qua Synodus inchoanda erit, debent Campanæ Ecclesiæ Cathedralis, aliarumque Ecclesiarum in eadem Civitate existentium*, ubi scilicet Synodus celebrabitur, *solemni ritu pulsari a primis Vesperis per totam diem, & ipsa die sequenti, quousque Archiepiscopus, vel Episcopus ingressus fuerit Ecclesiam*. Sane ex laudata Mediolanensi Synodo cautum est, *postridie, quæ stata Synodi dies est, summo mane, & ceteris deinceps Synodalibus diebus in Cathedrali Ecclesia certis Campanæ ictibus ad Synodum Clerus convocetur*.

II. Ipsa autem die inchoationis Concilii summo mane, ait noster §. xi. congregatis Episcopis, & aliis, qui Concilio interesse debent, in domo ipsius Archiepiscopi, si Concilium scilicet Provinciale agatur, vel alio convenienti loco, Episcopi capient sacra paramenta, hoc est, supra Rocchettum, Amictum, Pluvialia, & Mitras auriphrygiatas uniformes: Archiepiscopus vero Concilio præsidens, indutus erit Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Mitra pretiosa; Abbates benedicti, pariter cum Pluvialibus, & Mitris simplicibus: Dignitates, & Canonici, Pluvialibus, Planetis, & Dalmaticis pro qualitate Ordinis eorundem, ut dictum fuit supra Cap. xv. Lib. 1. §. vi. Plura de vestibus, quibus olim Patres interessent Synodis, jam nos explicuimus nostro 1. Tomo Conciliorum in Prolegomenis Cap. xix. Ex præscripto nostri §. *paramenta omnia erunt coloris rubri*, quia scilicet color hujusmodi conveniens est Missæ de Spiritu Sancto, quæ ex antiquo ritu, & variorum Conciliorum præscripto in Actione Synodali celebrari solet.

§. XII.

Digitized by Google

## §. XII.

Ibunt autem omnes supplicantes, psallentesque processionali modo, prout in Processionibus, quæ Litaniæ appellantur, ut suo loco dicitur, Campanis, & Organo in Ecclesia continuo pulsatis, ac resonantibus.

## §. XIII.

Quibus omnibus Ecclesiam ingressis, & ostensis, si ostendendæ erunt, Reliquiis, cantabitur Missa de Spiritu Sancto solemniter per Archiepiscopum, qui in ea utetur Pallio, cum Cæremoniis in Cap. VIII. Lib. II. explicatis: vel eo impedito, ab antiquiore ejusdem Provinciæ Episcopo; & si Festum erit Duplex, vel Dominica, sine commemoratione illorum, & sine Euangelio Dominicæ in fine.

## COMMENTARIUS.

I. TEste Gavanto in Praxi Diœcesanæ Synodi, Parte I. Cap. XIV. duplex Processio fieri solet; altera scilicet pro initio Synodi, de qua agit §. hic noster XII. altera pro fine ejusdem, prout in Actis Ecclesiæ Mediolanensis habetur. Quantum ad primam Processionem tradit Gavantus loco citato, varium quidem esse ordinem, quia scilicet aliqui antequam Missa celebretur, aliqui vero post Missam Processionem ipsam facere solent. Verum servanda est regula nostri Cæremonialis, ex cujus præscripto Processio Missæ præmittenda est, eumque ritum probavit Synodus IV. Provincialis Mediolanensis, ita inquiens: *In prima sessione, supplicandi causa pro re gravi quæ geritur, Processio solemnis fiat, convocato universo Clero Seculari, & Regulari; post Processionem Missæ Sacrificium..... solemniter celebretur.*

II. Ritum utriusque Processionis adamussim servavit Benedictus XIII. ubi celebre Lateranense Concilium suum celebravit anno Jubilei MDCCXXV. ejusque ritus mentionem facit in ipsius Pontificis Vita Alexander Borgia Archiepiscopus Firmanus Num. XXXIX. ubi sic inter alia de laudato Concilio inquit: *Initium operi dedit in Patriarchali Lateranensi Basilica; nam post solemnem cum Cardinalibus, & Synodi Patribus supplicationem, verba fecit ad universum conventum, omnes vehementer hortatus, ut sepositis domesticis curis, & quæ carnem, & sanguinem sapiunt, Dei gloriæ, & Ecclesiæ utilitati vacarent.* Tum paulo post ita quoque subjicit: *Postremæ sessioni addita fuit solemnis supplicatio ad Templum S. Crucis in Hierusalem die* XXIX. *Maji, quæ Benedicto XIII. electionis suæ anniversaria erat.* Ubi nota & alium ritum servari in Conciliis solitum, habendæ scilicet Concionis initio Synodi, & quidem per Episcopum, uti habetur in Actis Ecclesiæ Mediolanensis. Sed illud tamen notatu dignum est, quod cum alii Antistites in habendis hujusmodi Concionibus, ut plurimum aliorum opera utantur, Benedictus contra ipsemet *verba fecit ad universum conventum.*

III. Hisce jam non frustra notatis, enarrandus nunc ritus est ille, cujus meminit §. noster XIII. ostensionis scilicet sacrarum Reliquiarum initio Synodi, postquam nempe Processioni intervenientes ingressi sunt Ecclesiam: *Quibus omnibus Ecclesiam ingressis, & ostensis, si ostendendæ erunt, Reliquiis, cantabitur Missa &c.* Hunc ritum servatum quoque fuisse in memorato Concilio Lateranensi Benedicti XIII. in quo facta fuit sacrarum Reliquiarum ostensio Sessione I. habita XII. Kal. Majas, scimus nos qui tunc Romæ degebamus, testaturque Clarissimus Scriptor Petrus Morettus in supplemento Dissertationi, *De Ritu ostensionis sacrarum Reliquarum*, quod legitur in calce Disceptationis Epistolaris, *De habitu variandi Chorale indumentum in solemnitate Paschali*, Pag. VII. ubi etiam scite docet, non omitti eum ritum occasione generalium Conciliorum; nam Paris de Crassis, ut refert Raynaldus in Continuatione Annalium Baronii ad annum MDXII. ratione muneris sui Cæremoniarii, Congregationi præsynodali varia proposuit prius definienda, quam Concilium Lateranense inchoaretur sub Julio II. Quæsivit Num. XXVIII. an prima Conciliari Sessione ostendenda forent Capita Apostolorum, accepitque responsum, quod ita notavit in mss. Diariis: *Super* XXVIII. *placuit Pontifici, Senatui, & Patribus Conciliabulum ingressis Apostolorum capita more solito demonstrentur.* Conciliabulum ex laudati Paridis stylo idem est, ac locus Concilii, ut idem Morettus notat. Ceterum ritum esse antiquissimum, ut sanctorum Reliquiæ ad Synodos etiam particulares deferrentur, jam nos late ostendimus Tomo I. Conciliorum in Prolegomenis, Cap. XX.

IV. Ostensis, si ostendendæ erunt, Reliquiis, ex ejusdem nostri §. XIII. præscripto, & quidem juxta ritum in celebratione Synodorum servari solitum, *cantabitur Missa de Spiritu Sancto solemniter per Archiepiscopum, qui in ea utetur Pallio cum cæremoniis in Capite* VIII. *Libri* II. *explicatis, vel eo impedito, ab antiquiore ejusdem Provinciæ Episcopo*; si scilicet Concilium Provinciale agatur, de quo loquens S. Carolus consentanee ad nostrum §. in IV. sua Provinciali Synodo ita statuit: *Post Processionem, Missæ sacrificium,*

Digitized by Google

*cium, ut a Metropolitano solet, eo impedito, ab antiquiori Provinciæ Coepiscopo solemniter celebretur; & sermo item Latine habeatur de re Conciliaribus actionibus, disciplinæque Ecclesiasticæ cultui accommodata.* Addit mox etiam, hoc & Missæ, & sermonis officium sequentibus aliis Sessionibus præstandum ab alio Provinciæ Episcopo, qui a Metropolitano delectus, & invitatus id munus susceperit.

V. Celebrandam Missam solemnem de Spiritu Sancto in celebratione Synodi, antiqua Synodorum Acta nos docent. Ex Rubrica nostri §. si die, quo celebrabatur Synodus, *Festum Duplex* occurrat, *vel Dominica, sine commemoratione illorum, & sine Euangelio Dominicæ in fine*, dicenda est quoque solemnis Missa de Spiritu Sancto. Rursus ait Rubrica §. XVII. decens esse, ut durante Concilio, *singulis quintis feriis in Ecclesia Cathedrali cantetur Missa solemnis de Spiritu Sancto, ut in Concilio Tridentino eadem Sessione* II. *sancitum fuit*. S. Carolus in Concilio Provinciali V. de Diœcesanis Synodis loquens, jussit etiam, ut ante statam Synodi diem per mensem, quinta quaque Feria in Missæ sacrificio, si Quadragesima est, Oratio de Spiritu Sancto dicatur, alio autem tempore de eodem Missa celebretur.

## §. XIV.

Qua finita, non tamen data benedictione, quæ datur in fine Sessionis semper, Archiepiscopus, depositis paramentis, Missæ propriis, usque ad Tunicellam inclusive, & accepto Pluviali, genuflexus ante Altare super genuflexorio ibi parato, omnibus aliis etiam genuflectentibus, incipiet Antiphonam, *Exaudi Domine &c.*, deinde successive fiet, prout in Pontificali Romano.

## COMMENTARIUS.

I. Missa finita, non tamen data benedictione, quia scilicet, ut ait hic noster §. in hujusmodi functione, *datur in fine Sessionis semper, Archiepiscopus*, si scilicet Concilium Provinciale agatur, vel si Diœcesanum, Episcopus, *depositis paramentis Missæ propriis usque ad Tunicellam inclusive, & accepto Pluviali, genuflexus ante Altare, super genuflexorio ibi parato, omnibus aliis etiam genuflectentibus, incipiet Antiphonam*, Exaudi Domine &c. *deinde successive fiet, prout in Pontificali Romano*, nempe Parte III. in eo Titulo, qui inscribitur, *Ordo ad Synodum*, in quem nos Tomo nostro III. Commentariorum in ipsum Romanum Pontificale plura notavimus, viderique a curioso Lectore, quæ de eadem re scripsimus nostro I. Tomo Conciliorum in Prolegomenis, Cap. XVIII. ubi antiquam formam habendorum Conciliorum notavimus.

## §. XV.

In Sessione vero, & ordine proferendi vota, observatum est, ut Episcopi præcedant juxta ordinem eorum promotionis, nullo habito respectu ad dignitatem, vel preæminentiam Ecclesiarum. Dignitates, & Canonici Cathedralis Ecclesiæ, cum capitulariter procedunt, aut sunt, præferuntur cæteris omnibus: alias Abbates Titulares, & habentes usum Mitræ præcedunt, & post eos Commendatarii, deinde Dignitates, mox procuratores Capitulorum Ecclesiarum Cathedralium, deinde cæteri pro cujusque dignitate, & gradu, ut Cap. XXIII. §. XXIX. de ordine thurificandi colligere licet.

## COMMENTARIUS.

I. Sicut & de aliis multis Ritibus in Conciliorum celebratione servari solitis, ita & de ordine sedendi, ac subscribendi, & consequenter vota proferendi fuse jam disseruimus nostro I. Tomo Conciliorum in Prolegomenis, & alibi non uno in loco. Illud enim vel in pervetustis Synodis observatum, quod inter alia edocet hic noster §. nempe, *ut Episcopi præcedant juxta ordinem eorum promotionis, nullo habito respectu ad dignitatem, vel præeminentiam Ecclesiarum*. Spectant hæc quidem tum Oecumenicas, cum Provinciales Synodos; nam quod ad Diœcesanas attinet, quidquid alii sentiant, tenenda est regula ejusdem nostri hujus §. ubi expresse edicitur, ut Dignitates, & Canonici Cathedralis Ecclesiæ, cum capitulariter procedunt, aut sunt, præferantur ceteris omnibus; alias vero Abbates Titulares, & habentes usum Mitræ præcedant, & post eos Commendatarii, deinde Dignitates, mox Procuratores Capitulorum Ecclesiarum Cathedralium, deinde ceteri pro cujusque dignitate, & gradus, ut Capite XXIII. §. XXIX. Libro I. de ordine thurificandi colligere licet.

§. XVI.

Digitized by Google

## §. XVI.

Eadem omnia fere observantur, quoties in Concilio habetur Sessio, non tamen necessaria est solemnis supplicatio, nisi prima vice, & si ultra tres, Sessiones fiant, repetentur eadem Euangelia, quæ in Pontificali posita sunt.

## §. XVII.

Durante autem Concilio, decens est, ut singulis quintis feriis in Ecclesia Cathedrali cantetur Missa solemnis de Spiritu Sancto, ut in Concilio Tridentino eadem Sessione secunda sancitum fuit.

## §. XVIII.

Officiales quoque, & ministri necessarii deputandi sunt in hujusmodi Conciliis, veluti Notarii, Ostiarii, Magistri Cæremoniarum, & alii, ut habetur in Concilio Toletano quarto, Canone quarto.

## COMMENTARIUS.

I. QUando agenda est solemnis supplicatio in Synodo, jam supra dictum fuit; prima vice ipsam esse habendam edicit noster §. XVI. ubi etiam notatur, quod *si ultra tres Sessiones fiant, repetentur eadem Euangelia, quæ in Pontificali posita sunt*, nempe Parte III. Tit. V. qui inscribitur, *Ordo ad Synodum*, ubi nos plura & de eo ritu diximus, qui spectat solemnem plurium Euangeliorum recitationem in celebratione Conciliorum. Quantum vero ad Missam de Spiritu Sancto cantandam durante Concilio singulis quintis feriis in Ecclesia Cathedrali juxta sanctionem sacri Concilii Tridentini Sessione II. nonnulla etiam dicta superius sunt.

II. Tandem morem fuisse antiquum, ut præter Patres, qui causas in Conciliis definirent, & Canones constituerent, Officiales quoque, & Ministri necessarii in Synodis ipsis deputarentur, veluti Notarii, Ostiarii, Magistri Cæremoniarum, & alii, docent nos passim Synodorum Acta, ac præsertim Canon IV. Concilii IV. Toletani, in §. nostro XVIII. laudatus. Scripsimus & nos de ipsis Ministris nostro I. Tomo Conciliorum in Prolegomenis; sed vide Gavantum in sua Praxi Diœcesanæ Synodi, ubi & varios recenset Ministros, atque Officiales, & singula eorum munia enarrat.

## §. XIX.

In fine Concilii Provincialis, post ejus approbationem, dicto per Diaconum, *Recedamus in pace*, & factis Acclamationibus, omnes Episcopi surgentes, accedunt ad osculum pacis a Metropolitano accipiendum, quod deinceps inter se dant, & accipiunt, ut charitatem, conjunctionemque animorum ostendant: Quod in dicto Concilio Toletano quarto similiter statutum legitur.

## §. XX.

In Synodis autem Diœcesanis magis deceret, ut Acclamationes, & oscula pacis omitterentur.

## COMMENTARIUS.

I. JAm & de eo quoque argumento, nempe, *De prisco Acclamationum Ritu, quæ fieri in Synodis consueverunt*, egimus fuse Tomo I. Conciliorum in Prolegomenis, Cap. XXXI. Variæ hujusmodi formulæ Acclamationum licet legantur non modo in Generalibus, & Provincialibus Conciliis, verum etiam in Diœcesanis, ait tamen Rubrica nostri §.XX. quod *in Synodis Diœcesanis magis deceret, ut Acclamationes, & oscula pacis omitterentur*. Quicquid sit, agens S. Carolus in suo Concilio V. Provinciali de Synodo Diœcesana, inter alia mandat, ut habita in fine Synodi solemni ab universo Clero Processione, *tum postea Acclamationes sancte fiant ex formula ab Episcopo præscripta*. Acclamationibus factis ex præscripto laudati Concilii V. Provincialis S. Caroli, omnes Sacerdotes, & Clerici surgentes, cum reverentia osculum pacis ab Episcopo accipiant, & sibi invicem dent cum timore, & amore Dei. Si vero Cleri, qui convenerit, numerus is est, ut longius hic osculi ritus ducatur, ea ratio ineatur, ut Præpositi, & Archipresbyteri solum ab Episcopo illud accipiant, qui deinceps suo quique Clero dent, isque inter se mutuo item. Quod vero sancti osculi significatione ostendunt, id re ipsa præstent, ut conjunctissimis animis, concordique voluntate & pacis, atque charitatis studio, quæcumque lecta, sancitave sunt, sollicite exequantur.

FINIS LIBRI I.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google